




THESAURI MORELLIANI

TOMUS SECUNDUS,

Sive

CHRIST. SCHLEGELII, SIGEB. HAVERKAMPI,
& ANTONII FRANCISCI GORII

COMMENTARIA

In XII. Priorum

IMPERATORUM ROMANORUM

NUMISMATA AUREA, ARGENTEA, & AEREA,
Cujuscunque Moduli, diligentissime conquisita, & ad ipsos Nummos accuratissime delineata, a Celeberrimo Antiquario

ANDREA MORELLIO.

Accedunt Cl. Gorii Descriptio *Columnae Trajanae*, a Morellio itidem elegantissime in aes incisae; nec non *Tristani*, *Rubenii*, ac *Harduini* Interpretationes pretiosissimorum aliquot Antiquitatis Monumentorum.

Cum Praefatione

PETRI WESSELINGII.



AMSTELAEDAMI,
Sumptibus JACOBI a WETSTEIN.
MDCCLII.


NUMISMATA
IMPERATO
RUM
ROMANO
RUM.



TABULA I.

EXHIBENS

CAPITA

CLAUDII,

Num. 1.

TIberius CLAUDius CÆSar AUGustus IMPerator. Caput Claudii nudum lævam versus.



In primo hoc Numismate nobis ostenditur Claudii caput sine laurea, neque in inscriptione, quæ caput ambit, præter Augusti titulum alius quam Imperatoris occurrit. Gesserat tamen antea Consulatum, videlicet una cum Cajo Cæsare A. U. C. 790. Dicitur vero Imperator in hoc nummo Claudius ob relatam de Chattis & Marsis per Serv. Sulp. Galbam atque P. Gabinium victoriam, de qua hæc scripta reliquit Dio Cassius Lib. LX. p. 670. Καίτοι καὶ τούτῳ τῷ ἔτει ὅ, τε Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Χάττους ἐκράτησε, καὶ Πούπλιος Γαβίνιος Μαυρουσίους νικήσας, τά τε ἄλλα εὐδοκίμησε, καὶ ἀετὸν στρατιωτικὸν (ὃς μόνος ἔτι παρ' αὐτοῖς ἐκ τῆς τοῦ Οὐάρου συμφορᾶς ἦν) ἐκομίσατο· ὡς καὶ ἀληθὲς ὄνομα αὐτοκράτορος ἀπ' ἀμφοτέρων σφῶν τὸν Κλαύδιον λαβεῖν. *Eodem anno Sulpicius Galba Chattos vicit, ac P. Gabinius Marsos: qui inter alia quæ laudi ipsi essent, militarem aquilam, quæ sola a clade Variana adhuc supererat, recuperavit, quibus utrisque verum imperatoris nomen Claudio partum est.*

Num. 2.

TIberius CLAUDius CÆSar AUGustus. Caput Claudii laureatum dextram versus.

Quæ de Claudio post veteres Scriptores dici possunt, eleganter sequentibus hisce comprehendit Jo. Tristanus Tom. I. p. 179. „ Claudius filius exstitit Drusi atque Antoniæ. Natus „ Lugduni Kalendis Aug. A. U. C. 743. Julio Antonio & Fabio Maximo Coss. Mortuus fuit ætatis anno sexagesimo tertio, postquam imperasset annos tredecim & menses fere novem. Statura magnus fuit, compactis bene membris, „ & satis pulcher, atque forma Imperio non indigna, quamdiu non loqueretur, neque mentis imbecillitatem verbis proderet: ut adeo haud „ absimilis fuerit Colosso, ab nobili facto artifice, „ cui in Eroticis suis comparat Plutarchus ejusmodi (qualis erat Claudius) Principem, qui „ speciem externam dignitatis haberet, per se „ stupens & immobilis. Insipidus enim in omni „ actione valde fuit Claudius, præsertim cum loqueretur; capite tremulo, spumanti ore, naribus semper humidis, risu indecenti. Rauca illi „ vox & belluina, prout vocat Seneca, qui de „ Claudio hæc scripta reliquit in ejusdem Apocolocynthosi. *Tum Hercules* (ce dit-il) *primo adspectu perturbatus est, ut qui etiam non omnia „ monstra timuerit: ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis, „ sed (quales esse marinis belluis solet) raucam & „ implicatam: putavit sibi decimum tertium laborem „ venisse.* Cibi præterea vinique multi, lascivus, „ incontinens, sanguinarius, injurius timidusque; inconstans maxime, ingenioque tardo & „ hebeti; despectus adeo atque contumeliarum „ pa-

„ patiens, ut colaphis & fuste a nepote suo Caligula, cædi sustinuerit, quod de illo pariter in Apocolocynthosi refert Seneca. Aleæ lusum perdite amavit, sic ut librum (Suetonio teste) de Alea scripserit; quod docet quantopere affectibus suis ille Princeps servierit. Lusum Aleæ *Euphorbus* in Epigrammate de Tab. Lus. *Quartam Furiam* adpellat. Quare condemnatum apud inferos ab Æaco fingit Seneca supra citato libello, pertuso fritillo adsidue ut luderet tesseris. Nutritus diu apud aviam Liviam, Augusti uxorem matremque Antoniam fuit; ubi continua libertorum servilimmque ingeniorum familiaritate, magis indies degener evasit, totumque corruptelis muliebribus atque servilibus sese possidendum dedit. Quod ita in naturam deinceps abiit, ut Imperator postea factus & (teste *Dione* Lib. LX.) aliorum ipse constitutus dominus, libertorum suorum servus exstiterit. Atque ita mala educatio sociique inprobi, si quid adhuc generosi in Claudio supererat animi, penitus exstinxerunt. Fuit alias eloquens satis atque disertus, & Annales quoque, a *Tito Livio & Flavio Sulpicio*, (ut adnotat *Suetonius*) adjutus, composuit. Librum tamen de Analogia, quem illi adsignat *Saresberiensis* Polycratici Lib. VIII. non Cæsar Claudius sed Julius composuit, ubi quum *Claudium Cæsarem virum excellentis ingenii & maximæ prudentiæ* vocet, facile videre licet, nequaquam Claudio istam convenire laudem. Quare a Jo. Saresberiense non puto illud de Claudio, sed de Julio Cæsare fuisse dictum, qui *C. Cæsarem* vel *Julium Cæsarem* scripserit, quod male in *Claudium* per descriptores mutatum fuerit. Nam de Julio Cæsare, in Vita ejusdem Cap. LVI. adseverat *Suetonius*, quod librum *de Analogia* conscripserit, quare *Priscianus* Lib. I. eumdem adpellat *Artis Grammaticæ doctissimum*. Quod tamen in Claudio nostro laudem meretur, Magnificentia ejus est atque egregia Liberalitas, in exstruendis ædificiis magnis atque superbis pro ornatu Urbis atque utilitate provincialium. Tales sunt Aquæductus Viæque publicæ, quas per montana & invia loca fieri curavit, ut notat *Plinius* Lib. XXXVI. Cap. 15. Portus etiam Ostiensis, quod opus contra omnium exspectationem propter immensos sumtus, & generose suscepit, & constanter absolvit, prouti legitur apud *Plinium* Lib. IX. atque *Dionem*. Refert insuper *Plinius* Lib. VI. Cap. 40. quod Claudius pro securitate ejusdem Portus depresserit ibidem famosæ magnitudinis navem, qua Caligula usus fuerat ut Romam adveheretur prodigiosæ ille magnitudinis Obeliscus, de quo supra diximus quod in Circo Vaticano fuerit erectus. Plinii de eodem hæc sunt verba: *Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caji principis jussu Obeliscum in Vaticano Circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum adduxit: qua nave nihil admirabilius visum in mari certum est: C.X.X. M. modium lentis pro saburra ei fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis Portus latere lævo, ibi namque submersa est a Claudio principe cum tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis.* Libro idem IX. narrat, quo pacto inmanem cum Prætorianis suis oppugnaverit balænam, quæ Portum eundem intraverat. Fuit autem Portus Ostiensis fabricatio insignis plane, agris atque Urbi utilissima, quæ sæpe cum fame conflictari necesse habebat, quod Tiberi advehi Romam frumentum non poterat propter ruinam inutilis redditi Portus Ostiensis. Ea vero Magnificentia, quæ tamen ad stultam vanitatem in quibusdam prolapsa fuit, sic ei naturalis fuit, ut gemmis nobilissimis ornatus processerit. *Claudius Cæsar* (inquit Plinius Lib. XXXVII. Cap. 6.) *Smaragdos induebat & Sardonychos.* Laudabilia & hæc ejus in publicis rebus, quibus status civilis & militaris conservabatur: *Data jura quam commodissima, curatum militiæ officium, retenti fines, seu dati Imperio Romano*; ut de eo *Aurelius Victor* testatur, ubi adjungit quot qualesque Provincias fecerit Romanoque adjunxerit Imperio. Accidit quoque sub ejus Principatu res, quam apud solum invenio *Petrum Patricium* in Libro de Legatis, ibique relatam video, quæ gloriam Claudii haud mediocriter auxit. Venerat Romam Cotys, legatus a fratre Mithridate, Ponti Rege, qui rupto fœdere bellum contra Romanos animo volvebat. Miserat hunc speculatum Romam Rex, dum ipse cuncta domi disponeret. Verum Cotys, a fratre missus, ut Imperatorem Romanum simulatis verbis atque officiis deciperet, fraudem in fratrem Mithridatem vertit, atque Claudio, quam male Mithridates erga Romanos animatus esset, aperuit; eaque erga Romanos fide atque in fratrem perfidia meruit Mithridatis regnum, quod expulso Mithridate delatori ejus simulque fratri Claudius concessit. Verumtamen consensus scriptorum veterum testatur virtutes Claudii, justitiam, prudentiam, moderationem, haud vera sed ficta fuisse, metu videlicet nobilitatis Romanæ, atque insidiarum, quoniam timidus natura fuit Claudius multosque metuens. Natura quoque Claudius ebrietati & uxoribus fuit deditus, mala multa per se, plura longe per liberos uxoresque fecit. Claudio enim abusi, inscio illo, teterrima quæque perpetrabant. Atque sicuti timore insidiarum nonnunquam laudabilia opera edidit Claudius, quae generosi esse spiritus diceres; ita eodem ejus Metu abusi fuere liberti & uxores, ut quos ipsi clam oderant, ad eumdem deferrent, tamquam qui insidias Claudio machinarentur; quos omnes, permissu Principis, nefarie trucidabant. *Ita* (Victoris sunt verba) *liberti potestatem nacti summam, stupris, exsilio, cæde, proscriptionibus omnia fœdabant.* Quare triginta sub illo Senatores, equites CCCXXI. atque innumeros alios fuisse interfectos refert Seneca. Denique ita eumdem sui juris fecerunt, ut non modo persuaderent quæ vellent, quodque scire eundem nollent, occultarent, sed parum abfuit, quin inscio Imperatore famosissima ejus uxor, Messalina, publice, tota spectante Roma, Silio nupserit, dum ipse Ostiæ versaretur cum una aut altera muliercula. Neque quum jam inpudentiam illam muliebrem suumque cognoverat periculum, animi satis vel consilii habuit, ut per se illam opprimeret conspirationem. Quod ni (sicuti eleganter persequitur *Tacitus* Lib. XI.) libertus ejusdem, Narcissus, domino prudentior atque fortior, maturasset conjuratos prævenire, cum uxore vitam simul & imperium amisisset Claudius. Verum id quod facere nequivit Messalina, perfecit postea Agrippina. Quæ quum mille modis parem Messalinæ meruisset pœnam, verita ne & ipsa aliquando a Claudio puniretur, statuit illum prævenire, sibique & filio Neroni summam potestatem, Claudio per venenum sublato, adsere-

„ re. Boletos itaque (quo genere cibi plurimum „ delectabatur) medicatos ipsi obtulit, atque ita „ ad plures misit. Ex *Hephæstione* apud *Photium* „ discimus Antoniam, Claudii matrem, quum de „ eo uterum ferret, mirifice boletos adpetiisse, „ atque inde innatum Claudio illorum desiderium; „ quare haud difficile Agrippinae fuit ejusmodi ci- „ bo, quem plurimum amabat, Claudium de me- „ dio tollere. Unde & *Plinius* Lib. XXII. Cap. 22. „ ubi de fungis sive boletis agit: *Inter ea quæ temere* „ *manduntur boletos meritò posuerim. Optimus qui-* „ *dem est cibus, sed immenso exemplo in crimen ad-* „ *ductus, veneno Tiberio Claudio principi per hanc* „ *occasionem à conjuge dato Agrippina. Quo facto* „ *illa terris venenum alterum sibique ante omnes, Nero-* „ *nem suum dedit.* Quæ ibi in fine dicit Plinius „ notari merentur, significant enim, Agrippi- „ nam marito Claudio mortem procurasse dato „ veneno, atque medicatis fungis, sed simul Or- „ bi aliud porrexisse venenum, de quo ipsa in „ primis gustaverit, Neronem. Is enim & „ matrem Agrippinam & plures crudeliter inter- „ fecit. Per risum deinde idem Nero, ut refert „ Suetonius, boletum Deorum adpellavit cibum, „ quoniam illo ad cœlum missus fuit Claudius, si- „ ve consecratus. Quæ facete eam in rem dicta „ fuerint, videri possunt apud Senecam & apud „ Juvenalem Sat. V. vs. 145. & VI. vs. 619. „ atque Martialem Lib. I. Epigr. 21. Apotheosin „ vero ejus irridens Seneca dicit, quod, in cœ- „ lum haud receptus, penes Inferos ab Æaco „ condemnatus fuerit ad pœnas infernales, ne „ quidem admissa defensione; quoniam quum ipse „ in terris exsisteret inauditos atque indefensos „ condemnare fuerat solitus. Ceterum haud diu „ ante mortem Claudii ingens adparuit Come- „ ta, tamquam præsagium veneficii in Clau- „ dium exercendi, de qua hæc legimus a- „ pud Plinium Lib. II. Cap. 24. *Sed cometes* „ *nunquam in occasu à parte cœli est, terrificum ma-* „ *gna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut ci-* „ *vili motu Octavio Consule, iterumque Pompei &* „ *Cæsaris bello: in nostro verò ævo, circa venefi-* „ *cium, quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domi-* „ *tio Neroni: ac deinde principatu ejus assiduum pro-* „ *pè ac sævum.* Mathematicos vero ridens Se- „ neca in Apocolocynthosi adnotat singulos re- „ gni annos fatales Claudio atque funestos ab iis- „ dem prædictos fuisse: *Mathematicos aliquando* „ *verum dicere, qui illum, ex quo Princeps factus* „ *est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt.* „ *Et tamen non est mirum, si errant. Horam ejus* „ *nemo novit. Nemo enim unquam natum putavit.* „ Denique existimo eumdem Senecam lepide in „ Apocolocynthosi comparare Claudium voluisse „ colocyntho seu cucurbitæ insipidæ, respectu ca- „ pitis ejusdem, atque temperamenti seu natu- „ ræ Claudianæ humidæ, phlegmaticæ atque „ frigidæ, propter ejusdem stuporem, timidita- „ tem, & continuam narium destillationem, sa- „ livamque quam spumante ore emittebat, sic „ ut plerumque ferinum magis quam humanum „ sonum videretur emittere. Præterea quod „ tam insipidus & ignavus in cogitationibus, „ in colloquiis atque argutiis fuerit quam fructus „ terræ respectu saporis solet esse; de quo quidem „ quum nihil in Satyrico illo suo, prouti nunc ha- „ bemus, dicat Seneca, existimo ejus Apocolo- „ cynthosin non integram ad nos pervenisse. "

NUM. 3.

TIberius CLAUDius CAESar AUGustus. Caput Claudii nudum dextram versus.

Quod nummum hunc notabilem facit est incusa cervici atque collo Claudii nota hæc, IMP. VESP. quæ denotat tempore Vespasiani, quacunque de caussa hanc notam illi fuisse inpressam. Vidi denarios Consulares ex Familia Antonia, atque ex eo genere, qui legionum numerum habent inscriptum, simili ejusdem Vespasiani inscriptione atque nota incusos. Est autem & ipse hic nummus argenteus, majoris moduli, qui quondam in Museo Caroli Patini exstitit, atque in *Thesauro Numism.* ab eodem vulgatus fuit. Typum aversæ partis superbum & Claudio satis decorum, exhibitum videas Tab. IV. Num. 21.

NUM. 4.

TIberius CLAUDius CAESAR. Caput Claudii laureatum dextram versus conversum.

Huic capitis inscriptioni non est quod inmoremur.

NUM. 5.

TIberius CLAUDius CAESar AUGustus GERManicus. Caput Claudii nudum dextram versus.

Germanici nomen Claudio in hujus nummi epigraphe datur. De quo ita in Claudio Suetonius cap. II. *Claudius natus est, Julio Antonio, Fabio Africano consulibus, Kalend. Augusti, Lugduni, eo ipso die quo primum ara ibi Augusto dedicata est: apellatusque Tiberius Claudius Drusus. Mox fratre majore in Julianam familiam adoptato, Germanici cognomen assumsit.*

NUM. 6.

TIberius CLAUDius GERManicus CAESar. Caput Claudii laureatum lævam versus.

Germanici nomen seu cognomen, quod in præcedente nummo post Augusti ponebatur, hic

hic ſtatim poſt Claudii ſequitur nomen, atque ante Cæſaris collocatur.

NUM. 7.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput idem laureatum lævam verſus.

NUM. 8.

IMPerator CLAUDius CAESar AUGuſtus GERManicus. Caput idem laureatum lævam verſus.

Creſcunt in hoc nummo Claudii nomina & tituli.

NUM. 10.

TIberius CLAUDIVS CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Claudii nudum dextram verſus.

Hanc & ſimiles capitis inſcriptiones, quia præter varietatem in producendis nominum literis vel ſcripturæ rationem, nihil habent, facile in explicando omittere poſſumus.

NUM. 11.

IMPerator TIberius CLAUDIUS AUGuſtus GERManicus. Caput Claudii laureatum lævam verſus.

Inperatoris titulum hic nummus ante Claudii nomina ponit.

NUM. 12.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii laureatum lævam verſus.

Primo Claudii anno cuſos nummos hæc anterior pars exornare videtur, in qua recepta Pontificatus Maximi dignitas, ut in multis aliis, adparet, & annus quo Tribuniciam poteſtatem prima vice acceperit, indicari videtur.

NUM. 13.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERMANICus. Caput Claudii nudum dextram verſus.

NUM. 14.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus GERMANICUS. Caput idem.

Non diſcrepat a præcedente nummo inſcriptio, niſi quod Germanici nomen in hoc ſcribatur integrum.

NUM. 15.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus. Caput Claudii nudum lævam verſus.

NUM. 16.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus. Caput Claudii lævam verſus ſed laureatum.

NUM. 17.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii nudum dextram verſus.

NUM. 18.

TIberius CLAUDius CÆSAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput idem ſed lævam verſus & laureatum.

NUM. 19.

TIberius CLAUDius CÆSAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput idem laureatum lævam verſus.

NUM. 20.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator. Caput idem ſed nudum dextram verſus.

NUM. 21.

Tiberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator. Caput idem nudum, lævam verſus.

NUM. 22.

TIberius CLAUDIUS &c. Caput ejuſdem Claudii laureatum lævam verſus.

In hoc nummo ante faciem Cæſaris inchoatur inſcriptio, in præcedente ad collum & occiput; in quo præcedente per ſimplicem literam T. exprimitur Tiberii nomen.

NUM. 23.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator. Caput idem laureatum lævam verſus.

NUM. 24. 25. 26.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGustus Pontifex Maximus TRribunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Claudii caput nudum in duobus versus lævam, in uno versus dextram.

Patris Patriæ cognomen hos & sequentes aliquot, ab iis, qui præcessere, distinguit.

NUM. 27. 28. 29.

TIberius CLAUDIUS CÆSAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. In duobus versus lævam, in uno versus dextram.

NUM. 30.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIBunicia POTestate Pater Patriæ. Caput idem laureatum versus lævam.

NUM. 31. 32.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate III. in altero IIII. Caput idem laureatum lævam versus.

Capita hæc atque hæ inscriptiones exornare passim solent nummos Claudii, qui ejus triumphum Britannicum celebrare solent.

NUM. 33. 34. 35.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGugustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. IMPerator XI. in secundo, TRibunicia Potestate VII. IMPerator XIIII. ut & in tertio, in quo integre scribitur CLAUDIUS.

TABULA II.

ADHUC EXHIBENS

CAPITA CLAUDII.

NUM. 36.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate X. IMPerator Pater Patriæ COS. V. Claudii caput laureatum lævam versus.

Nummi, qui hac capitis epigraphe gaudent, signati sunt A. V. C. 803. quo Chatti à Pomponio, Britanni à P. Ostorio sunt victi, atque Neronem privignum adoptavit Claudius.

NUM. 37.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XVI. Caput idem Claudii lævam versus laureatum.

Ad hujus Imperatorii tituli toties explicati in nummis Claudianis intellectum facit Dionis Cassii locus Lib. LX. p. 679. Ἐλθούσης δὲ τῆς ἀγγελίας, ὁ Κλαύδιος τὰ μὲν οἴκοι τῷ Οὐιτελλίῳ τῷ συνάρχοντι τά τε ἄλλα καὶ τοὺς στρατιώτας ἐνεχείρισε (καὶ γὰρ ἐξ ἴσου αὐτὸν ἑαυτῷ ἑξάμηνον ὅλον ὑπατεῦσαι ἐποίησεν) αὐτὸς δὲ ἐξεστρατεύσατο· καὶ καταπλεύσας ἐς τὰ Ὤστια, ἐκεῖθεν ἐς Μασσαλίαν παρεκομίσθη. κἀντεῦθεν τὰ μὲν πεζῇ, τὰ δὲ καὶ διὰ τῶν ποταμῶν πορευόμενος, πρός τε τὸν Ὠκεανὸν ἀφίκετο, καὶ περαιωθεὶς ἐς τὴν Βρεττανίαν, συνέμιξε τοῖς στρατοπέδοις πρὸς τῷ Ταμέσᾳ ἀναμένουσιν αὐτόν. καὶ παραλαβὼν σφᾶς, ἐκεῖνόν τε ἐπιδιέβη, καὶ τοῖς βαρβάροις πρὸς τὴν ἔφοδον αὐτοῦ συνεστραμμένοις ἐς χεῖρας ἐλθὼν, μάχῃ τε ἐνίκησε, καὶ τὸ Καμουλόδουνον τὸ τοῦ Κυνοβελλίνου βασίλειον εἷλε. κἀκ τούτου συχνοὺς, τοὺς μὲν ὁμολογίᾳ, τοὺς δὲ καὶ βίᾳ προσαγόμενος, αὐτοκράτωρ πολλάκις ἐπωνομάσθη παρὰ τὰ πάτρια. (οὐ γάρ ἐστιν ἐν οὐδενὶ πλέον ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν.) Id est: *Claudius, accepto nuntio, res urbanas, ac milites etiam Vitellio collegæ suo, (cui consulatum itidem ut sibi ad sex menses dederat) mandavit; ipse ab urbe Ostiam devectus navigio, inde Massiliam, est: reliquoque itinere partim terra, partim mari facto, ad Oceanum venit, transmisitque in Britanniam, & ad copias ad Tamesin se exspectantes perrexit. Quibus ad se receptis, transgressus fluvium cum barbaris, qui ad ejus adventum convenerant, signis collatis dimicavit: vi-*

ctoriaque potitus est, & Camalodunum Cynobellini regiam cepit, multosque inde vi, alios deditione in suam potestatem accepit. Ob hæc aliquoties Imperator dictus est, contra institutum Romanorum: neque enim sæpius quam semel licet uno de bello id nomen adsumere.

NUM. 38. 39. 40.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate X. IMPerator XVII. Claudii caput laureatum lævam versus; Secundus nummus exhibet IMPerator XVIII. tertius IMPerator XIIX.

Huc referri possunt, quæ ad præcedentem nummum dicta sunt. Chatti tamen a Pomponio victi, atque Britanni a P. Ostorio, numerum victoriarum Claudii ejusque honores auxerunt.

NUM. 41.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XI. IMPerator Pater Patriæ COS. V. Caput idem laureatum lævam versus.

Consulatus Claudii & quidem quintus, huic inscriptioni additur.

NUM. 42.

TIberius CLAUDius DRUSI F. CAESar AUGUSTUS GERMANICUS PONTIFex MAXIMus TRibunicia POTestate XII. IMPerator XVII. Claudii caput laureatum lævam versus.

Pertinet hoc caput Claudii, sive prior hæc nummi pars ad illum, qui occurrit Tab. V. Num. 27. ubi vide plura.

NUM. 43.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate III. Caput idem laureatum lævam versus.

Cusus fuit nummus A. U. C. 796.

NUM. 44.

TIberius CLAUDius CAESar AUGustus Pontifex Maximus IMPerator XVIII. Claudii caput laureatum lævam versus.

Similis est hæc epigraphe Num. 39. nisi quod ibi adsit annus Tribuniciæ Potestatis.

NUM. 45.

IMPerator TIberius CLAUDius CAESar AVG. GERManicus. Caput Imperatoris laureatum lævam versus cum Lituo ante faciem.

Pontificatus maximi signa Lituus, capiti Claudii adpositus, supplet inscriptionem dignitatis ejus, quæ in aliis nummis invenitur.

NUM. 46.

DIVUS CLAUDius. Caput Claudii laureatum lævam versus.

Titulus Divi adpositus docet post apotheosin Claudii signatum fuisse nummum.

NUM. 47.

DIVUS CLAUDius AUGustus. Caput laureatum dextram versus.

Augusti cognomine augetur præ præcedente hic nummus, pariter signatus in honorem Claudii, postquam e vivis ad Divos transiisset.

NUM. 48. 49. 50.

Vacant.

NUM. 51.

Sine Inscriptione. Claudii caput laureatum lævam versus cum stella ante faciem.

In Græcia cusus est nummus, unde typus stellæ ad Orientem referri potest.

NUM. 52.

Sine Inscriptione. Caput item laureatum dextram versus ante faciem est lituus.

Et hæc anterior pars Græci est nummi atque in eo Lituus Pontificatum Maximum Claudii designat.

NUM.

NUM. 53.

ΚΑΙΣΑΡ ΚΛΑΥΔΙΟΣ. (*CÆSAR CLAUDIUS*) *Caput Claudii lævam versus laureatum.*

Multi exstant Imperatoris hujus nummi in Græcia atque Ægypto signati, diversimode inscripti.

NUM. 54.

ΚΑΙϹΑΡ ΚΛΑΥΔΙΟϹ. (*CÆSAR CLAUDIUS*) *Caput idem.*

In inscriptione hujus nummi atque ejus qui præcessit hæc est discrepantia, quod litera Σ per C ut crebro in monumentis Græcis & sequentibus nummis occurrit, scribatur.

NUM. 55.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR*) *Imperatoris caput nudum dextram versus.*

NUM. 56.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR*) *Caput idem nudum lævam versus.*

Hic iterum, ut & in duobus sequentibus scriptura literæ C pro Σ obtinet.

NUM. 57.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙος ΚΑΙϹΑΡ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR*) *Caput idem lævam versus.*

Literæ in hac inscriptione non versus faciem, sed inferiorem nummi oram conversæ sunt.

NUM. 58.

ΤΙβέριος ΚΛΑύδιος ΚΑΙϹαρ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR*) *Caput idem lævam versus.*

NUM. 59.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*AUGUSTUS*) *Caput nudum Imperatoris Claudii dextram versus.*

Inclito tantum cognomine, non addito proprio nomine, in hoc & sequenti nummo adpellatur Claudius: litera Sigma vero peculiarem habet scripturam, quæ nonnunquam in Marmoribus itidem adparet.

NUM. 60.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*AUGUSTUS*) *Capite laureato dextram versus cum stella ante faciem.*

Stella sive Astrum Orientem designare videtur. Vidimus quoque supra Latinos Claudii nummos cum simili astro.

NUM. 61.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος. (*TIBERIUS CLAUDIUS*) *Capite laureato lævam versus.*

NUM. 62.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. (*TIBERIUS CLAUDIUS IMPERATOR*) *Capite laureato dextram versus.*

Sequuntur nummi in quibus præter nuda nomina honorum tituli adduntur; ex quibus primus est Imperatoris titulus in hoc nummo.

NUM. 63.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστος ΓΕΡμανικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR GERMANICUS*) *Capita laureata lævam versus.*

Germanici in hoc & sequenti nummo cognomen, titulos Claudii auget.

NUM. 64.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡμανικος. (*CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS*) *Capite nudo dextram versus.*

NUM. 65.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Caput Claudii nudum dextram versus.*

NUM. 66.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. (*TIBERIUS CLAUDIUS AUGUSTUS*) *Caput idem, sed laureatum atque lævam versus.*

Litera Sigma in hoc & sequenti nummo ut C pingitur.

NUM. 67.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαρ CEBACTος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS*) *Claudii caput laureatum lævam versus cum astro ante faciem.*

NUM. 68.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΓΕΡΜανικος ΣΕΒαςος. (*TIberius CAESar GERManicus AUGustus*) *Caput Imperatoris laureatum lævam versus.*

NUM. 69.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαρ CEBACτος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput item similiter laureatum lævam versus.*

NUM. 70.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS GERMANICUS*) *Caput Claudii sine laurea, dextram versus conversum.*

TABULA III.

ADHUC CONTINENS

CAPITA CLAUDII.

NUM. 71.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Laureatum Imperatoris caput lævam versus.*

NUM. 72.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜανικος ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS GERMANICUS AUGUSTUS*) *Caput idem.*

NUM. 73.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜανικος ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS AUGUSTUS.*) *Caput idem.*

NUM. 74.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS AUGUSTUS.*) *Caput idem.*

NUM. 75.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Caput Imperatoris nudum dextram versus.*

NUM. 76.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS*) *Imperatoris caput laureatum idem lævam versus.*

NUM. 77.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαςος ΓΕΡΜΑΝικος ΑΥΤΟΚΡάτωρ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS IMPERATOR.*) *Ejusdem caput sine laurea lævam versus.*

NUM. 78.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙκος ΣΕΒΑΣ.... (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS AUGUSTUS*) *Nudum Cæsaris caput dextram versus.*

NUM. 79.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙκος ΣΕΒΑστος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS AUGUSTUS*) *Simile hoc est caput ei quod præcessit.*

NUM. 80.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστός ΓΕΡμάνικός ΑΥΤΟΚΡΑ . . . : (*TIBERIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS IMPERATOR*) *Simile praecedenti caput.*

NUM. 81.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. (*IMPERATOR CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Laureatum Claudii caput lævam versus.*

NUM. 82.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*IMPERATOR CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Claudii Imperatoris caput laureatum lævam versus cum paludamento ad collum.*

NUM. 83.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS AUGUSTUS*) *Dextram versus convertitur nudum Imperatoris caput.*

NUM. 84.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑστος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Lævam versus convertitur Imperatoris facies laureata, ante quam nota est anni numeralis,* Λυκαβαντος Γ. *ANNO III.*

NUM. 85.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Simile caput cum nota numerali eadem.*

NUM. 86.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Simile caput cum nota anni numerali E. id est, QUINTO.*

NUM. 87.

In omnibus convenit cum proxime præcedenti, nisi quod signetur Anno ϛ. *id est, SEXTO.*

NUM. 88.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαρ CΕΒΑCτος ΓΕΡΜΑΝικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS GERMANICUS*) *Caput ut supra, sed additur nota numeralis* ΙΑ. *id est XI.*

NUM. 89.

In omnibus proxime præcedenti similis, nisi quod annus ΙΒ. *id est, XII. Imperii Claudii adscribatur.*

NUM. 90.

Vacat.

NUM. 91. & sequentt.

Collocavimus hic aliquot Claudii capita, quæ delineata reliquit Andreas Morellius, per nos æri incisa; inscriptiones, quæ Latine concipiuntur, per se satis sunt claræ, neque opus est ut describantur.

TABULA IV.

EXHIBENS

CLAUDII CÆSARIS NUMMOS AUREOS.

NUM. I.

TIBERIUS CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ, Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. I. Num. 18.

vel,

TI. CLAUD. CAESAR AUG. P. M. TR. P. VI. Caput Claudii laureatum, ut Tab. I. Num. 32.

IMPeratore RECepto. Caſtra Prætoria.

Recte notarunt Antiquarii reſpici in aureis hiſce nummis ad beneficium ſalutis & imperii, quod a militibus & quidem Prætorianis accepit Claudius, ut patet ex Suetonio in Vita ejus Cap. X. *Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit aliquanto minore ſpe quam fiducia.* Ubi *fiducia* ſignificat ablatum Claudio mortis metum, quoniam in locum tutum & munitum erat receptus, prouti Caſtra erant Prætoria quæ hic depinguntur, in quibus unus ex prætorianis militibus, coram aquila militari cernitur armatus & haſtatus excubias agens; ut mirer quoſdam Antiquarios ſcribere potuiſſe ipſum Claudium hic exprimi. Certatim hunc nummum publicarunt ad Suetonii locum *Torrentius* & *Patinus*, atque ante illos *Æneas Vicus* & *Ericius*; occurrit quoque inter nummos *Arſchotanos* aureos Tab. VI. Num. 2. 3. atque apud *Laur. Begerum* in Theſ. Brand. Tom. II. p. 93. Hi fere omnes vel averſam modo nummi partem publicarunt vel cum priore capitis inſcriptione; cum poſteriore exſtat in *Muſeo Farneſiano*, ex quo inter aureos ejuſdem vulgatus eſt, atque in *Muſeo Theupolitano*. Ericii (qui primus Nummi Typum illuſtravit) hæc ſunt verba p. 13. „ Aureus Tiberii Claudii nummus artificii inſignis, „ cum tali exſtat inſcriptione: TI. CLAUD. „ CAESAR AUG. P. M. TR. P. Ædifi- „ cium ab altera parte eſt in Caſtelli modum, in „ in cujus medio figura cernitur armata, quæ ha- „ ſtam tenet æque regione ejusdem aquila ſigno „ militari inpoſita. In ipſo ædificio inſcripta hæc „ leguntur verba: IMPER. RECEPT. i. e. *im-* „ *perio recepto.* Romæ in honorem Principis, no- „ vi ut reor, & quum primum auſpicatus fuerat „ Imperium, ſignatus fuit, quum annos ætatis „ quinquaginta admodum haberet. Miro modo „ atque Fortunæ quaſi joco electus fuit ad Impe- „ rium. Excluſus inter ceteros ab inſidiatoribus „ Caji, cum quaſi ſecretum eo deſiderante tur- „ bam ſubmoverent, in diætam, cui nomen eſt „ Hermeum, receſſerat. Neque multo poſt ti- „ more cædis exterritus, prorepſit ad ſolarium „ proximum interque prætenta foribus vela ſe abdi- „ dit: latentem diſcurrens forte gregarius miles „ animadverſis pedibus é ſtudio ſciſcitandi quiſ- „ nam eſſet, agnovit, extractumque, & præ „ metu ad genua ſibi accidentem, imperatorem „ ſalutavit. Hinc ad alios commilitones fluctuan- „ tes, nec quicquam adhuc quàm frementes per- „ duxit. Ab his lecticæ impoſitus, & quia ſervi „ diffugerant, viciſſim ſuccollantibus in caſtra de- „ latus eſt, triſtis ac trepidus, miſerante obvia „ turba, quaſi ad pœnam raperetur inſons. Re- „ ceptus intra vallum, inter excubias militum per- „ noctavit, aliquanto minore ſpe quàm fiducia. „ Nam conſules cum ſenatu, & cohortibus urbanis „ Forum, Capitoliumque occuparunt, aſſeruri „ communem libertatem, accituſque & ipſe per „ tribunos plebis in curiam ad ſuadenda, quæ vi- „ derentur, vi ſe & neceſſitate teneri reſpondit. „ Ex quibus poſtremis verbis patet Claudium ve- „ luti coactam aliquo modo ad imperium perve- „ niſſe. Sed & modum quo ad Imperium perve- „ nit, apud Dionem deſcriptum invenimus ſub „ initium libri LX. *Cajo, ita ut dixi, mortuo, con-* „ *ſules dimiſſis in omnes urbis partes cuſtodibus, ſe-* „ *natum in Capitolium vocarunt. Ibi ſententiis diſ-* „ *crepatum, quum alii populo ſummam reipublicæ re-* „ *ſtituendam, alii unum principem habendum cenſe-* „ *rent: atque hi rurſum alius alii principatum defer-* „ *ret: ita re infecta, reliquum diei & nox tota ab-* „ *ſumpta. Interim milites quidam rapinæ cauſa pa-* „ *latium ingreſſi, Claudium (is quia cum Cajo age-* „ *bat, tumultum metuens ſe abdiderat) in obſcuro* „ *angulo occultatum invenientes, primum protraxe-* „ *runt, alium quendam eſſe, ac ſecum aliquid abſcon-* „ *ditum habere arbitrati, mox cognitum, imperato-* „ *rem ſalutaverunt. ac in caſtra duxerunt; ibi omni-* „ *um conſenſu militum ei, orto nimirum imperatorio* „ *genere, ac bono viro, imperium eſt tributum.* „ *Conſules quum aliquandiu miſſis tribunis plebis ei* „ *edixiſſent ne principatum capeſſeret, ſed ſub populi* „ *ſenatuſque & legum poteſtate eſſet: poſtquam à* „ *ſuis quoque militibus deſeri ſe viderunt, ipſi quo-* „ *que aſſenſi ſunt, ac imperium ei decreverunt.*

NUM.

NUM. 2.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus. Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii laureatum lævam verſus ut Tab. I. Num. 18.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IV. Caput idem Claudii verſus lævam, ut Tab. I. Num. 32.

PRAETORianis RECEPTis. Imperator togatus ſtans dextram jungit cum Prætoriano milite Aquilifero.

Sic malim conſtituere hujus nummi inſcriptionem, quam, cum Begero, PRAETOR*iani* RECEPT*i*. Videtur enim prorſus reſpondere inſcriptioni præcedentis nummi; in quo nummo (plus ſemel diverſis annis repetito) gratum animum militibus Prætorianis oſtendere voluit Imperator, quod in fide Domus Auguſtæ manſiſſent; ſed & ſimul hoc nummo illis in memoriam revocare voluit beneficium quod in illos, veluti bene de ſe meritos, poſtero ſtatim die contulerat. Suetonius in Claudio Cap. X. *Verum poſtera die, Senatu ſegniore in exſequendis conatibus, per tædium ac diſſenſionem diverſa cenſentium, & multitudine, quæ circumſtabat, unum rectorem jam & nominatim expoſcente, armatos pro concione jurare in nomen ſuum paſſus eſt: promiſitque ſingulis quina dena HS. primus Cæſarum fidem militis etiam præmio pigneratus.*

Itaque Sacramenti Claudio a militibus præſtiti, atque Liberalitatis ejuſdem in illos inſigne teſtimonium hic præbet nummus, quem ex *Theſ. Comitis Schwartzenb.* delineavit *Morellius*; ſed & publicatum invenias a *Carolo Patino* ad Sueton. cap. citato, a *Laur. Begero* Tom. II. *Theſ. Brand.* p. 93. inter *Arſchot.* Aur. Tab. VI. Num. 8. Sed in quorundam picturis deficit ſigni militaris pars ſuperior, unde parazonium in nummo exprimi credidit falſo Comes *Mediobarbus* p. 82.

NUM. 3.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. I. Num. 33.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VIIII. IMPerator. Caput Claudii laureatum verſus lævam.

Arcus triumphalis tropæis & equeſtri Imperatoris ſtatua exornatus. In periſtylio ejuſdem ſcribitur DE BRITANNIS vel DE BRITANNIs.

Britannicæ victoriæ, de qua Suetonius & Dio plura habent, monumentum inſigne hi ſunt nummi. Propter illam Claudius Arcum cum tropæis meruit, filioque Britannici nomen dedit.

Priorem ex duobus hiſce aureis delineavit *Morellius* ex *Theſ. Schwartz.* & exſtat ſimilis in *Brandenb.* teſte *Begero* Tom. II. p. 620. atque ab Ænea Vico primum, deinde a *Carolo Patino* ad Sueton. & inter Num. *Arſchotana* vulgatus fuit Tab. VI. Num. 12. Poſterior in noſtro quondam *Muſeo* exſtitit, nunc illud Comitis *Frid. de Thoms* exornat, & invenitur quoque inter Aureos in *Muſeo Farneſiano* Tab. IV. Num. 7.

NUM. 4.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. I. Num. 12.

Arcus pulcherrimus triumphalis, tropæis exornatus, ad cujus infimam aream ſunt captivi, intermedia ſtatua equeſtri, decurrentis habitu.

Pulcherrimum hoc numiſma honorem Druſo, Claudii patri, magno ſuo merito, exhibitum depingit. Statua ejus equeſtris bellatoris eſt habitu, unde veluti decurrens haſtamque dextra quatiens repraeſentatur, plane ut in antiquis æreis Hieronis II. nummis; Rex ille, *vibrator haſtæ*, occurrere, tamquam eques & bellator bonus, ſolet.

NUM. 5.

Capitis pictura & epigraphe videtur præcedenti eſſe ſimilis.

DE GERMANIS. Clypei decuſſatim poſiti cum vexillo intermedio.

Huic typo atque præcedenti ſimillimi occurrunt inter numiſmata Druſi, patris Claudii. Paternis igitur virtutibus & Germanica ejus gloria ſeſe commendavit Claudius, ſuoſque nummos hæreditario veluti honore titulisque paternis exornavit.

NUM. 6.

Vacat.

NUM. 7.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 33.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XVI. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. II. Num. 39.

Senatus PopulusQue Romanus Patri Patriæ OB Civis Servatos, in Quernea.

Solemne exstitit Romanis, ut Cæsares suos, quos Patres Patriæ vocabant, exemplo Augusti, querneis donarent coronis, ante Cæsaris palatium & in nummis conspicuis. Hinc passim adparent in æneis nummis jussu Senatus cusis, atque monetarii Imperatorum idem in auro & argento sunt imitati.

Invenitur aureus hic nummus in *Thes. Schwartzb.* apud *Æneam Vicum* & inter aurea Numismata *Arschotana* Tab. VI. Num. *9*.

NUM. 8.

TIberius CLAUDius AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Claudii laureatum lævam versus ut Tab. II. Num. 43.

EX Senatus Consulto OB CIVIS SERVATOS. in Corona Quernea.

Aureum hunc nummum ex *Thes. Schwartzb.* depinxit *Andr. Morellius.* Contrectavi similem in *Museo Wildiano.*

NUM. 9.

Antica pars aurei hujus nummi videtur convenire cum illis quæ occurrunt Num. 3. *&* 4.

Arcus Triumphalis cum Statua equestri Imperatoris, atque epigraphe in peristylio DE BRITANNIS.

Quum in præcedentibus Statua equestris versa fuerit dextram versus, eadem in hoc nummo locatur ad lævam respiciens partem.

NUM. 10.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 18.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 33.

CONSTANTIAE AUGUSTI. Dea sedens dextræ manus indice sublato.

Vigilis curæ Symbolum ejusmodi picturam habitumque fuisse volunt Antiquarii, quod vigilum iste habitus in Columna Trajani. Innuitur igitur vigilantia Imperatoris Claudii, inter cujus virtutes Constantia in jure dicundo fuit, unde Deam volunt sedentem in nummo effingi.

Ex *Thes. Schwartzb.* depictus fuit a *Morellio.*

NUM. 11.

Nota capitis non adponitur.

IMPerator CAES. TRAIANus AUGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit. Dea sedens, dextra tenens pateram, læva duplex cornucopiæ.

Deae sedentis habitu depingi hic videtur Concordia, ea videlicet quæ inter Imperatorem Claudium atque Senatum Romanum fuit, per quam scilicet religio in Deos, quæ patera exprimitur, atque ubertas annonæ, in solatium populi Romani florebant. *Annonæ curam solicitissime semper egit*, inquit Suetonius in Claudio Cap. XVIII. & ibidem: *Nihil non excogitavit ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra proposuit suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset: & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituit, pro conditione cujusque* &c. Merito itaque hunc typum, liberalitatis & curæ publicæ in Claudio testem, restituit Trajanus.

NUM.

Num. 12.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 18.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IIII. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. II. Num. 45.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 33.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XI. IMPerator Pater Patriæ COS. V. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. II. Num. 41.

vel denique,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ IMPerator XVIII. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. II. Num. 44.

PACI AUGUSTAE. Dea, Victoriæ habitu cum alis, gradiens, dextra laciniam vestis ad faciem adtollit, læva alatum caduceum tenet, ante pedes progreditur serpens.

Elegans hic typus quasi Pantheon aliquod, multas in Claudio virtutes, & publicam sub illo felicitatem exprimit. Cernuntur enim in una imagine Symbola Victoriæ, Pacis, Felicitatis, Prudentiæ & Modestiæ. Quæ sane cuncta Claudio haud defuerunt. Serpens enim, Minervæ passim in antiquis Monumentis comes, Prudentiam Imperatoris exprimit, atque liberalium studiorum ardorem, qui insignis in Claudio, quamvis cum stultitiæ (sicuti reliquæ ejus virtutes in *inchoato tantum a Natura non absoluto*, ut de ipso mater Antonia dicere erat solita, teste Suetonio in Claudio Cap. III) aliqua dementia. Nemesis, quæ dextra vestis laciniam ori admovens depingi solet, modestiam ejusdem, Caduceus pacem populi Romani, atque alæ, quibus Pantheon ornatur, Victoriam Claudii Britannicam respiciunt.

Non exstat alius inter Claudii aureos argenteosve nummos, qui pluries sub diversis capitis Claudiani titulis, atque diversis temporibus fuerit repetitus. Ex illis, quos descripsimus, primus exstat in *Museo Theupolitano*; secundus & quartus in *Museo Farnesiano*; tertius in *Thes. Schwartsburgico*; quintum ipse Amstelodami offendi manibusque versavi.

Num. 13.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Claudii laureatum lævam versus.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria clypeo inscribens, dextrum pedem globo terrarum inponit.

Ad rarissimum hunc aureum quinarium ita commode commentatur *Jo. Vaillant.* qui utramque nummi partem protulit in Num. Imp. Rom. Præstant. Tom. II. p. 61. *Victoriæ typus spectat ad victoriam, quam Claudius in Britannia retulit anno DCCXCVI. ob quam triumphavit maximo apparatu; illa pedem globo inponit, quasi novum Orbem sub ditione Romana redegerit: nam Britannia toto Orbe divisa, tamquam alter Romanis videbatur.* Posteriorem partem jam ante protulerat *Car. Patinus* ad Sueton. Cap. XVII. p. 261. Non dubito quin adservetur in *Thesauro Regio Versaliensi.*

Num. 14.

Vacat.

Num. 15.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIbunicia POTEstate Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 30.

AGRIPPINAE AUGUSTAE. Agrippinæ caput myrtea corona ornatum.

Quæ blanditiis venereis inescaverat stolidum patruum, ut altera Venus depingitur. Neque enim facile inducar, ut lauream esse existimem, quam capite gerit Agrippina, sed potius myrteam coronam, propter foliorum tenuitatem, neque dedecebat Augustam forma superbientem Veneris fronde caput cingere.

Depinxit aureum hunc nummum *Andr. Morellius* ex *Thes. Schwartzb.* invenitur idem in *Museo Farnesiano*, *Theupolitano*, atque *Thes. Brandenburg.* Depictum invenias apud *Æneam Vicum*, inter Num.

Aur. Num. 4. in *Muſ. Farneſ.* inter Num. Aur. Tab. IV. Num. 1. *Begerum* in *Theſ. Brand.* Tom. II. p. 620. aliosque. Plerique vero ita depingunt tamquam ſit corona ſpicea. Verum ego credo illam ex myrto eſſe in aureis pariter & argenteis, ſed ſpicam ad frontem prominere, ut geminum numen referat Agrippina, Cererem Veneremque.

NUM. 16.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRIBunicia POTeſtate Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam verſus ut Tab. I. Num. 30.

NERO CLAUDius CAESar DRUSUS GERManicus PRINCeps JUVENTutis. Caput Neronis admodum juvenile, nudum dextram verſus.

Quam primum pedem toro Claudii intulit Agrippina, mulier imperandi cupida, nihil antiquius habuit, quam ut Neronem filium, quem ex Domitio Ahenobarbo conceperat, ad Imperium eveheret. Primus ad illam dignitatem gradus erat, ſi Princeps Juventutis conſtitueretur. Claudii Druſi nomina in nummo hoc Neroni adduntur, quia mater Agrippina, Germanici filia, Neronem Claudium Druſum habuerat avum, quodque per adoptionem in Claudiam tranſiiſſet Gentem ex Domitia paterna. Juvenis tantum illud Druſi geſſiſſe videtur, neque enim amplius in nummis Neronis Druſi nomen adparet.

Publicavit olim elegantem hunc nummum *Æneas Vicus* inter Aur. Num. 6. ſed *Andr. Morellius* ex *Theſ. Schwartzb.* depinxit.

NUM. 17.

DIVUS CLAUDIUS AUGUSTUS. Claudii caput laureatum dextram verſus, ut Tab. II. Num. 47.

EX Senatus Conſulto. Carpentum a quatuor equis tractum.

Ut primum dolo Agrippinæ periit Claudius, & juxta Juvenalem Satyra VI. 622.

> —— —— *tremulumque caput deſcendere juſſit*
> *In cœlum, & longa manantia labra ſaliva,*

Conjux egregia; Nero, tamquam pius filius, Divum eſſe juſſit eum, qui deſinebat inter vivos morari. Conſecrationis ejus Carpentum, quod in hoc aureo pulchroque nummo ſpectatur, eſt ſymbolum. Quatuor trahitur equis atque in ſumma parte quatuor equis & Victoriæ imagine decoratur. Solebant Carpenta hæc (ut notum eſt) circenſem exornare pompam.

Depictus eſt nummus ex *Theſ. Schwartzb.* atque invenitur quoque in *Muſeo Theupolitano.*

NUM. 18.

Pars antica non exprimitur neque ejus nobis notio ſupereſt.

BRITANNIA. Figura muliebris ſtans, dextra temone nititur, lævam ſupra ratem extendit.

Inſigne hoc eſt monumentum nauticæ expeditionis & trajectus in Britanniam, atque victoriæ Claudii Britannicæ.

Vulgatus hic fuit inter *Num. Aur. Arſchotana* Tab. XIX. Num. 10.

NUM. 19.

Neque hujus nummi aurei anterior pars nobis cognita eſt.

CENSOR. Cenſor ſellæ curuli inſidens conſiderat habitum equi, quem eques ſtans coram ipſo, capiſtro tenens, adducit.

Cenſura Claudii exprimitur; ad cenſores enim pertinebat transvecto Equitum; de quo Romanorum more vide Illuſtriſſ. Spanhem. in pulcherrimo libro de Uſu & Præſtantia Numiſm. Tom. I. p. 100. & 101. ubi plures nummos ad hujus moris illuſtrationem adducit & exhibet. De Cenſura Claudii Sueton. in Claudio Cap. XVI. *Geſſit & cenſuram intermiſſam diu poſt Paulum Plancumque cenſores: ſed hanc quoque inæqualiter varioque & animo & eventu. Recognitione Equitum juvenem plenum probri, ſed quem pater probatiſſimum ſibi affirmabat, ſine ignominia dimiſit, habere dicens cenſorem ſuum. Alium corruptelis adulteriiſque famoſum, nihil amplius quàm monuit ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certè cautius, addiditque: Quare enim ego ſcio quam amicam habeas? Et quum orantibus familiaribus demſiſſet cuidam appoſitam notam, Litura tamen (inquit) exſtet. Splendidum virum Græciæque provinciæ principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam niſi ſua voce, utcunque quis poſſet, ac ſine patrono, rationem vitæ paſſus eſt reddere.*

NUM-

NUMMI EX ARGENTO MAXIMI MODULI

TI. CLAUD. CAESAR AUG.

Caput Claudii nudum dextram versus, ut Tab. I. Num. 3.

COMmune ASIæ. Templum diſtylum in cujus medio figura muliebris ſtolata ſtans læva tenens cornucopiæ, dextra coronat figuram virilem paludatam, ſtantem atque dextra tenentem haſtam; Periſtylio Templi inſcribitur ROMæ & AUGuſto.

Pluribus inſigne hoc Numiſma illuſtravit Jo. Triſtanus Sanctamantius Comm. Hiſtor. Tom. I. p. 182. ubi ita ſcribit:

„ TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. Effigies Claudii. Ab altera parte Templum eſt, in quo ſtat Dea, læva manu tenens cornucopiæ, dextra vero coronam, quam capiti Imperatoris imponit, cum hac inſcriptione: ROMÆ ET AUG. COM. ASIÆ. Videtur hoc Numiſma ſignatum fuiſſe in honorem Claudii ſtatim poſtquam ad Imperium pervenit, indicare volentibus Aſiæ populis ſeſe hoc tribuere lætos amori, quo proſequebantur Claudium Romani, inſpirati per divinum Romæ urbis Genium, veluti Dei apud ipſos culti. Qui Genius ipſa Dea erat Venus hominum Deorumque Genetrix, prouti de illa cecinit *Rutilius* Numantinus Itinerarii Lib. I.

Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter ſidereos, Roma, recepta polos.
Exaudi genetrix hominum, genetrixque Deorum,
Non procul à cœlo per tua templa ſumus.

„ Ut & Poëtria *Erinna*, quæ Oden ſuam ita in ejuſdem honorem incepit:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος
Χρυσομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα
Σεμνὸν ἃ ναίεις ἐπὶ γᾶς Ὄλυμπον,
αἰὲν ἄθραυστον.

„ *Jubeo te ſalvere, Roma, Martis filia, aurea ornatam mitra, prudentiſſimam Reginam; quæ in terris venerabilem veluti inhabitas Olympum.* Apud *Martialem* eadem hoc titulo honoratur:

Terrarum Dea gentiumque, Româ.

„ Atque in Græco nnmmo hac gaudet epigraphe: ΘΕΑ ΡΩΜΗ. *Dea Roma.* Neque tamen ſola urbs Roma veluti Dea culta fuit; nam proprium hoc omnibus veluti urbibus fuit, utpote quarum, *Apollonio Tyanæo* teſte, cultus Deorum cultui erat proximus. Legitur hoc apud illum in Epiſtola ad Cæſarienſes. Quodque proxime facit ad titulum, quem poëta *Rutilius* Romæ dat, eſt, quod ſicuti in plurimis videre eſt nummis, turrita exprimi ſolet corona, qualem Dea Cybele geſtare ſolet; prouti eamdem deſcriptam quoque habemus apud *Sidonium Apollinarem* in Panegyrico ad Imperatorem Majorianum, hiſce verſibus:

Sederat exſerto bellatrix pectore Roma,
Criſtatum turrita caput, cui pone capaci
Caſſide prolapſus perfundit terga capillus.

„ Ad Claudium quod ſpectat, & alia Templa illi ſoli dicata fuerunt, prouti in admirabili ſuper mortem ejus luſu docet Seneca factum fuiſſe apud Britannos. *Parum eſt* (inquit) *quod Templum in Britannia factum fuiſſe habet, quod hunc Barbari orant, & ut Deum colunt;* quod quidem viventi Claudio contigiſſe notandum eſt. Probatur idem hoc verſu Anonymi cujuſdem Poëtæ ſui temporis, qui poſt celebratam ejuſdem victoriam Britannicam, infert:

Oceanuſque tuas ultrà ſe reſpicit aras:

„ Expreſſius vero *Tacitus* Lib. XIV. Annalium, ubi inter præcipuas cauſas rebellionis iſtius Gentis enumerat, quod erecto ibidem Templo in honorem Claudii, Sacerdotes ejuſdem, ſub religionis ſacrorumque prætextu, ſpoliaverant incolas miſeros bonis ſuis, ſacrificia ab iiſdem continua exigentes. *Ad hæc* (inquit) *Templum Divo Claudio conſtitutum quaſi ara æternæ dominationis aſpiciebatur, delectique ſacerdotes ſpecie religionis, omnes fortunas effundebant.* Verum hoc contigit temporibus Neronis. „

Neque tamen putem Templum hoc capi debere, quaſi in Romæ & Claudii honorem fuerit erectum, quod nec ipſe Triſtanus expreſſis verbis dixit; verum, exprimi in hoc nummo id quod a Communitate Aſiæ exſtructum fuerat Templum in honorem Romæ & Auguſti, ut Claudio gratularentur idem honoris faſtigium recens adeptum, quod olim

olim tenuerat Auguftus Deus. In honorem Tiberii Græci Afiæ populi æreum fignarunt nummulum fimiliter cum Dei Augufti effigie five ftatua eadem quæ in hoc nummo adparet, fed fine adftante illa femina; atque in Templo pariter diftylo. Quem nummum vide fupra Tab. Tiberii XII. Num. 25. 26. 27. 28. Neque prohibet, quod ibi fola Augufti confpiciatur Statua, quoniam id factum fuit, quia in honorem Augufti erat erectum Templum. In hoc vero numifmate capaciore, atque majoris moduli, exprimitur etiam populus qui erexerat, quique grati animi caufa honorem illum Augufto habuerat. Ejusmodi mos atque ea ftatuarum ratio & pictura, egregie illuftratur ex decreto & facto Byzantiorum, quod recitatur apud Demofthenem in oratione de Corona, quodque hic integrum adponere lubet ex dicta Oratione p. 325. Ἐπὶ ἱερομνάμενος Βοσπορίχω, Δαμάγητος ἐν Τεαλίᾳ ἔλεξεν, ἐκ τᾶς βωλᾶς λαβὼν ῥήτραν. ἐπειδὴ ὁ δᾶμος ὁ Ἀθηναίων, ἔντε τοῖς προγινομένοις καιροῖς εὐνοέων διατελεῖ Βυζαντίοις, καὶ τοῖς συμμάχοις, καὶ συγγενέσι Περινθίοις, καὶ πολλὰς, καὶ μεγάλας χρείας παρέσχηται ἔντε τῷ παρεστακότι καιρῷ, Φιλίππω τῶ Μακεδόνος ἐπιστρατεύσαντος ἐπὶ τὰν χώραν, καὶ τὰν πόλιν, ἐπ' ἀναστάσει Βυζαντίων καὶ Περινθίων, καὶ τὰν χώραν δαίοντος, καὶ δενδροκοπέοντος, βοηθήσας πλοίοισιν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι, καὶ σίτῳ, καὶ βέλεσι καὶ ὁπλίταις, ἐξείλετο ἄμε ἐκ τῶν μεγάλων κινδύνων, καὶ ἀποκατέστασε τὰν πατρίαν πολιτείαν, καὶ τὼς νόμως, καὶ τὼς τάφως, δεδόχθω τῷ δάμῳ τῷ Βυζαντίων, καὶ Περινθίων, Ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίαν πολιτείαν, κτᾶσιν γᾶς, καὶ οἰκείαν προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι ποτὶ τὰν θόλον, ποτὶ τὰν βωλὰν, καὶ τὸν δᾶμον, παρὰ τοῖς περὶ τὰ ἱερὰ, καὶ τοῖς κατοικεῖν ἐθέλουσι τὰν πόλιν, ἀλειτουργήτοις ἦμεν πᾶσαν πρὸς τὰν λειτουργίαν. στᾶσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς ἑκκαιδεκαπήχεις ἐν τῷ Βοσπόρῳ, στεφανούμενον τὸν δᾶμον τῶν Ἀθηναίων, ὑπὸ τῷ δάμῳ τῶν Βυζαντίων καὶ Περινθίων. ἀποστεῖλαι δὲ καὶ δωρεὰς ἐς τὰς ἔντε Ἑλλάδι πανηγύριας, ἴσθμια, καὶ νέμεα καὶ ὀλύμπια, καὶ πύθια, καὶ ἀνακαρύξαι τὸν στέφανον ᾧ συνεστεφάνωται ὁ δᾶμος ὁ Ἀθηναίων ὑφ' ἡμῶν, ὅπως, ἐπιστέωνται οἱ Ἕλληνες πάντες, Ἀθηναίων ἀρετὰν, τῶν Βυζαντίων, καὶ Περινθίων εὐχαριστίαν, *Pontifice Bofphoricho, Damagetus in Tealia de concilii fententia dixit: Quoniam populus Athenienfis cum fuperioribus temporibus bene cuperet Byzantiis & fociis cognatisque Perinthiis, non deftitit, & multa magnaque officia præftitit: tum hoc tempore Philippo noftrum agrum & urbem hoftiliter aggreffo, ad excidium Byzantiorum & Perinthiorum, agrumque incendiis, & fuccifis arboribus devaftante: opem tulit navibus centum & viginti, frumento telis & legionibus, nosque magnis periculis eripuit, & patriam rempublicam reftituit, & leges & monumenta majorum: placere populo Byzantinorum & Perinthiorum, dare Athenienfibus affinitatem, civitatem, agri poffeffionem, & proprium ac principem locum in fpectaculis, apud tholum, apud fenatum & populum, juxta facerdotes: & in urbe habitare volentibus, immunitatem omnium onerum civilium: erigendas item effe ftatuas in Bofporo tres: fedenum cubitum fingulas. populi Athenienfis coronati à populo Byzantiorum & Perinthiorum: mittenda etiam effe munera in celebres Græciæ conventus, Ifthmia, Nemea, Olympia, & Pythia, & proclamandam coronam, qua donatus eft populus Athenienfis à nobis: ut norint Græci omnes & Athenienfium virtutem, & Byzantiorum ac Perinthiorum pietatem.*

Haud equidem ignoro in Templo quod Augufto publicis fumtibus per Commune Afiæ fuit erectum, quatuor comparere columnas, ut videre eft fupra Tab. XIII. Num. 5. inter Nummos Augufti; quum in hoc nummo tantum duæ occurrant, prouti in nummulo quoque æreo Tiberiano, modo adducto; fed non una in urbe a Communitate Afiæ Templa Augufto atque Romæ erecta fuiffe verofimile eft; quorum introitus vel duas vel plures videlicet habuerint columnas, unde difcrimen illud in nummis exortum opinari licet. Et in Afia quidem in pluribus civitatibus Templa ejusmodi fuiffe docere videtur Dio Caffius Lib. LI. dum fcribit ibidem p. 458. Καῖσαρ δὲ ἐν τούτῳ τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε, καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ, καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν. αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προτετίμηντο καὶ τούτους μὲν τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς περὶ αὐτοῖς ἐποικοῦσι τιμᾶν προσέταξε τοῖς δὲ δὴ ξένοις (Ἕλληνας σφᾶς ἐπικαλέσας) ἑαυτῷ τινὰ, τοῖς μὲν Ἀσιανοῖς ἐν Περγάμῳ, τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ἐν Νικομηδείᾳ τεμενίσαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον, καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκούει, ἐγένετο, ἐν γάρ τοι τῷ ἄστει αὐτῷ, τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ, οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν καὶ ἐφ' ὁποσονοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐτόλμησε τοῦτο ποιῆσαι. *Cæfar hoc tempore cum alia quædam egit, tam Templum Romæ, ac patris fui, quem heroem Julium vocabat, Ephefi & Nicææ fieri permifit, (hæ enim tum urbes Afiæ & Bithyniæ clariffimæ habebantur) utque ab incolis Romanis colerentur: extraneis autem hominibus, quos Græcos ipfe appellabat, conceffit ut fibi ipfi quoque Templa facerent: Afiani quidem, Pergami: Bithyni vero, Nicomediæ. Id ab hoc initio tractum, reliquorum in honorem deinceps Imperatorum non à Græcis tantum factum eft, fed & omnibus aliis populis Romano Imperio fubditis. nam Romæ quidem in Italia nemo unquam alicujus pretii homo id facere aufus eft.*

Sub Nerva occurrit fimilis nummus huic Claudiano, ex argento etiam & maximi moduli, cujus meminit *Jo. Vaillantius* in Num. Præft. Impp. in Nerva p. 117. qui nobifcum facere videtur, dum Templum illud non videtur referre ad ipfum Nervam, tanquam in honorem ejus de novo exftructum atque excitatum, fed cujus typus in Nervæ nummo fuerit renovatus. Sic enim fcribit ibidem: *Sub Afiæ Proconfularis provincia continebantur Lydia, Ionia, Caria, Myfia, Phrygia, & Hellefpontus; quod autem earum omnium nomine fiebat, id ab Afiæ Communitate factum dicebatur. Templum hoc ab ea Romæ & Augufto exftructum apud Alabandenfes Cariæ conjecimus in Claudii, & cujus typus renovari videtur in Nerva tanquam Templo ejusmodi digno.* Imo clarius idem ad ipfum Claudianum hunc nummum p. 60. *Jam in Augufti nummis Templum Romæ & Augufto dicatum vulgavimus, quod Pergami exftructum ex Tiberio fufpicati fumus: at cum illud hexaftylum fit, & hoc diftylum, idem effe non exiftimamus. Alabandenfes Templum Romæ anno 534. exftruxerunt, forfan idem & Augufto confecrarunt. Vide nummum toti Familiæ Augufti dicatum in Cenot. Pifanis* pag. 93. Hactenus Jo. Vaillantius. Verum obfervari debet, Alabandenfes nummum illum non Communitatis nomine fed Græco fuæ Urbis ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ infcripfiffe, ficuti patere poteft ex Nummis Augufti Græcis apud Jo. Vaillant. p. 3. Itaque vel Pergami vel Ephefi potius cufum fuiffe exiftimo.

Vulgarunt eumdem nobiles Antiquarii *Æneas Vicus* inter Argent. Claudii Num. 1. *Angelonus* Tab. XLIX. Num. 30. qui peffime depinxit, *Patinus* in Thefauro Numifm. p. 52. & exftat hodie in *Mufeo Farnefiano* inter Arg. Claudii Tab. XIV. Num. 12. atque fervatur item in *Mufeo Theupolitano.*

tano. Inveni insuper editum in Augustini Dialogis, Numismatibus ab Sada auctis, ubi hæc narratur nummi a parte capitis epigraphe: TI*Berius* CLAUDIUS CAESAR AUG*ustus*. Sed Patinus atque Musei Farnesiani Editor, qui partem nummi anteriorem addiderunt, aliam agnoscunt inscriptionem, quibuscum facit nummus Musei Theupoli. Notandum insuper quod in Patiniano nummo incusa in collo Claudii haec adpareat nota: IMP. VESP. in priore voce colligatis uno monogrammate literis, in posteriore colligatis itidem duabus prioribus.

Num. 22.

Nota partis prioris non additur; sed videtur similis præcedenti.

DIANa EPHESia. Templum Dianæ Ephesiæ tetrastylum cum statua Deæ in medio.

Publicavit nummum hunc, sive posticam ejus partem *Æneas Vicus* inter Arg. Claudii Num. 3. Ephesi is cusus est, ubi suspicor cusum quoque fuisse eundem qui modo præcessit. Inter rarissimos, merito suo, collocat & hunc & præcedentem *Jo. Vaillantius.*

Num. 23. 24.

TIberius CLAUDius CAESar AUGustus AGRIPPina AUGUSTa. Capita juncta Claudii & Agrippinæ.

DIANA EPHESIA. Dianæ Ephesiæ sive Polymammiæ, seu Πολύμαστυ, *effigies, cum verubus, sine Templo.*

Servatur insigne hoc plane numisma in *Museo Farnesiano* inter Arg. Tab. XIV. Num. II. quo honorem Claudio atque novæ nuptæ Agrippinæ exhibere voluerunt Ephesii, suamque urbem ejusque religionem iisdem commendare.

Num. 25.

Non additur nota capitis, sed vix dubito, quin similis sit Num. sequenti.

Sine Epigraphe. Statua Dei Augusti sedentis inter septem triones sive planetas, togata est, dextra tenens pateram, læva hastam, capite radiis coronato; ipsa Statua insidet sellæ curuli.

Omnes hosce nummos, quinque videlicet continuos, suspicor Ephesi cusos fuisse; atque ibi exstitisse insigne Templum, Romæ atque Augusto a Communitate Asiæ exstructum; præterea aliud forte soli Augusto dicatum. Certe eadem ratio, qua Templum Augusti atque Romæ in nummis suis signarunt, inpulit, ut & hunc & sequentem nummum, qui Augusti inter Deos relati honores continent, Claudio dedicarent.

Num. 26.

TIβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕβαστος ΓΕΡΜανικος. ΑΡΧιερεὺς ΜΕΓας. ΔΗΜ.... *TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS PONTIFEX MAXIMUS TRIBUNICIA POTESTATE)....; Caput Claudii nudum.*

Sine Epigraphe. Statua Augusti præcedenti similis, inter septem triones, in quadrigis elephantorum cum rectoribus.

Thensam Dei Augusti, quæ Romæ in Circensibus transvehi solebat, exhibet aversa hujus nummi pars, Septem triones autem, sive stellæ vel planetæ, in hoc & præcedente nummo significant sublimem Augusti Dei juxta Jovem Regem locum, ubi, veluti Daphnis ille Virgilianus, AEn. V. 57.

Sub pedibusque videt nubes & sidera.

Num. 27. 28.

TIβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣΤος ΓΕΡΜανικος L. 5. *(TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS ANNO SEXTO) Caput Claudii laureatum lævam versus.*

ΜΕCCΑΛΙΝΑ ΚΑΙCαρος CΕΒάστυ. *(MESSALINA CAESARIS AUGUSTI scil. CONJUX) Messalina stolata & velata stans, habitu Cereris, dextra tenet duas icunculas pueriles, læva, columnæ cubito innixa, geminas spicas.*

Pulcherrimum hoc numisma argenteum maximi moduli Conjugem Claudii Messalinam, adulteriis & stupris maxime famosam, exhibet. Illa, tanquam Dea Ceres, geminas gerit spicas, tamquam Latona, geminam prolem dextra protendit, & veluti constantia affectus in maritum, Dea Constantia, (quam ille in nummis suis celebravit,) haud minor, columnæ innititur. Æreos similes videre licet, vel subæratos, aut argento superfusos, quales & ipse possideo.

NUMMI ARGENTEI
CONSUETI MODULI.

Num. 29. 30.

....ΤΟΣ (*CLAUDIUS*) *Claudii caput laureatum lævam versus.*

ΒΑΣΙΛΕΩϹ ΠΟΛΕΜΩΝΟϹ. (*REGIS POLEMONIS*) *Caput Regis Polemonis diademate revinctum, lævam versus.*

Spectat hic nummulus ad Ponti Reges, qui ab Augusti tempore in honorem Imperatorum capita eorundem una cum suis capitibus vel symbolis regni sui in nummis signarunt. Fuit autem hic Polemo ejus nominis secundus, Polemonis I. atque Pythodoridis filius. Regnavit sub Caligula, Claudio, & Nerone. Ex professo de eodem, ejus familia atque Regno acturi sumus in Thesauro Regio, prouti egimus in eodem Opere, sive Historia Universali, patria lingua exarata, Tom. III. p. 61. & seqq.

Num. 31. 32. 33. 34.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam versus Tab. I. Num. 33.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XV. Caput Claudii laureatum versus lævam, ut Tab. II. Num. 37. *excepto numero Tribuniciæ Potestatis.*

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XVI. Caput Claudii laureatum lævam versus ut Tab. II. Num. 37.

Arcus Claudii Triumphalis, cum statua equestri & tropæis, atque hac in peristylio inscriptione: DE BRITAN. in primo, DE BRITANnIs, in secundo, in tertio: DE BRITANNIS integre. Quartus ratione picturæ discrepat à reliquis, lævam versus posita statua equestri, quales habuimus supra p. 12. similes in auro, ex quibus unus aureus, cusus sub Tribunicia Potestate VIIII. adjecta voce IMP. detritum videtur habuisse numerum XV. vel XVI. Primum ex argenteis hisce (quem & ipsi servamus) delineavit ex *Thes. Schwartz. Morellius.* Editi autem sunt hic & sequentes à *Carolo Patino* ad Sueton. p. 261. Exstant in *Museo Farnesiano* inter Arg. Num. Tab. XIV. 9. & alibi.

Num. 35.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 12.

DE GERmanis. Arcus pulcherrimus triumphalis, tropæis exornatus, ad cujus infimam oram sunt captivi, intermedia statua equestri, decurrentis habitu.

Pulcherrimum hoc numisma honorem Druso, Claudii Patri, magno suo merito, exhibitum depingit. Statua ejus equestris bellatoris est habitu, unde veluti decurrens, hastamque dextra quatiens repraesentatur, plane ut in antiquis æreis Hieronis II. nummis, Rex ille, *vibrator hastæ*, occurrere, tamquam eques & bellator bonus, solet.

Num. 36.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 18.

DE GERMANIS. Arcus patris Drusi cum statua equestri pacificatoris habitu, inter duo tropaea.

Quemadmodum memoriæ avi Drusi insignem honorem habuit Claudius, ita haud contentus fuit simplici ejus Arcu Triumphali, sed plures eidem positos expressit; nisi dicamus propter Cattos & Marsos, a Galba & Gabinio victos, honorem hunc ipsi Claudio fuisse habitum.

Editus est à *Carolo Patino* in *Thes.* p. 51. & à *Laur. Begero* in *Thes. Brand.* Tom. II. p. 620.

Num.

NUM. 37. 38.

Capitis pictura & inscriptio videtur praecedenti esse similis.

DE GERMANIS. Clypei, tubæ, spicula, decussatim posita cum signo militari intermedio.

In honorem Drusi patris hi typi a Claudio renovati fuerunt, sunt enim arma Germanorum, quæ victorias Drusi de bellicosissima illa gente ostentant. Sic in magno ære similem honorem Patri Druso habuit; eumque spoliis hostibus insidentem expressit, ac pulcherrimum arcum, Victoriae testem, ab altera parte depinxit. Vide infra p. 22.

Priorem ex hisce delineavit Morellius ex Thesauro Schwartzburgico.

TABULA V.

ADHUC COMPLECTENS

TIBERII CLAUDII CAESARIS

NUMMOS ARGENTEOS.

NUM. 1.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIBunicia POTestate Patris Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 30.

AGRIPPINAE AUGUSTAE. Caput Agrippinæ lævam versus, laureatum, ut quibusdam videtur, ut vero nobis, myrto coronatum.

Habuimus aureum similem supra p. 13. Depinxit hunc ex Thesauro Schwartzb. Morellius, servatur quoque in Museo nostro.

NUM. 2.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIBunicia POTestate Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 30.

NERO CLAUDius CAESar DRUSUS GERManicus PRINC. IUVENT. Caput Neronis juvenile, dextram versus.

Vide quæ dicta sunt supra ad similem aureum, pag. 14.

Elegans hic nummulus inter nostros recensetur, suum ex Thes. Schwartzb. depinxit Morellius.

NUM. 3.

Anticæ partis nota non adest.

SACERDOS DIVI AUGUSTI. Tedæ duæ ardentes, invicem colligatæ.

In nummis Antoniæ, quæ Drusi uxor, Claudii mater fuit, hic typus observatur, qui per incuriam Monetarii videtur unitus cum antica Claudii nummi parte.

NUM. 4.

TIBERIUS CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 18.

vel

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum, ut Tab. I. Num. 32.

IMPeratore RECepto. Castra Prætoria.

Typum hujus nummi consideravimus in simili aureo, supra pag. 10.

NUM. 5.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. I. Num. 18.

vel,

TIberius Claud. CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IV. Caput idem Claudii verſus lævam, ut Tab. I. Num. 32.

PRAETORianis RECEPTis. Imperator togatus ſtans dextram jungit cum Praetoriano milite Aquilifero.

Vide ibidem pag. 11.

NUM. 6.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. I. Num. 33.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VIIII. IMPerator XVI. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. II. Num. 37.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate XI. IMPerator Pater Patriæ COS. V. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. II. Num. 41.

Senatus PopulusQue Romanus Patri Patriæ OB Civis Servatos, in Quernea.

Habuimus ſimiles ſupra p. 12. ex auro. Paſſim in Muſeis ſervari ſolent, ut in *Schwartzb. Farneſ. Theupol. noſtro* &c.

NUM. 7.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. II. Num. 43.

EX Senatus Conſulto OB CIVIS SERVATOS. in Quernea.

Servat hunc nummum Theſaurus Regius, ex quo delineavit Andr. Morellius. Habuimus ſimilem aureum ſupra p. 12.

NUM. 8.

TIberius CLAUDius CAESAR GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia POT. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut Tab. I. Num. 30.

CONSTANTIAE AUGUSTI. Dea ſedens, dextræ manus indice ſublato.

Similem nummum aureum explicavimus ſupra p. 12. delineatus argenteus hic eſt ex Theſ. Schwartzb. Similem editum offendi in libro Pariſ. edito a. MDCXLV. qui continet Nummos Argenteos a primis Impp. uſque ad Poſtumum, ſub titulo *Hiſtoire des Empereurs Romains* &c. Tab. XXI. Num. 6.

NUM. 9.

Anticæ partis inſcriptio deſideratur.

LIBERTAS AUGUSTI. Dea ſtans, dextra manu pileum tenet.

Multi cum hoc typo ærei hujus Imperatoris exſtant nummi, qui cuſi ſunt (ut videtur) primo principatus Claudii anno. Ex argento autem ejuſmodi nummos non ita facile reperias.

NUM. 10.

Vacat.

NUM. 11.

Antica hujus nummi pars nobis ignota eſt.

PACI AUGuſtæ. Dea alata gradiens, ut in aureis, & proxime ſequenti argenteo.

NUM.

NUM. 12.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut in Muſeo noſtro & Tab. I. Num. 18.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate III. Prout obſervavi in alio Muſeo, & Tab. I. Num. 31.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate III. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut in Muſeo Theupol. & Tab. I. Num. 32.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VI. IMPerator XI. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut in Muſeo Farneſ. atque Tab. I. Num. 33.

vel,

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VII. IMPerator XIIII. ut Tab. I. Num. 34.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate X. IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam verſus, ut in altero noſtro, & Tab. II. Num. 36.

vel denique,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ IMPerator XVII. vel XVIII. vel XIX.

PACI AUGUSTAE. Pax alata gradiens cum caduceo & angue.

De ſingulari hoc typo pluribus egimus ad ſimilem aureum ſupra p. 13. Quantopere autem in eo ſibi placuerit Imperator Claudius adparet ex toties atque diverſis Imperii annis repetitis cum hoc typo nummis. *Sebaſt. Ericius* argenteum vulgavit cum titulo IMP. XVIII. atque hanc adjecit explicationem p. 212. „ Tiberii Claudii ex argento „ pariter atque auro exſtat nummus, qui a parte „ anteriore hanc habet inſcriptionem: TI. „ CLAUD. CAESAR AUG. P. M. TR. P. P. „ IMP. XVIII. Ab altera parte elegans occur„ rit Victoriæ imago alata, quæ læva manu ca„ duceum ſupra ſerpentem extendit. In circuitu „ hæc eſt inſcriptio: PACI AUGUSTAE. Signa„ tus fuit nummus hic Romæ in honorem Clau„ dii, tempore, quo, uti judico, Britanniam „ ſubegit, quæ quidem inſula citra bellum atque „ ſanguinem in ejus poteſtatem venit. Inde „ redux ampliſſimum Romæ triumphum egit; ſi„ cuti de eo teſtatur Suetonius Cap. XVII. „ *Expeditionem unam omnino ſuſcepit, eamque mo„ dicam, quam, quum decretis ſibi à ſenatu orna„ mentis triumphalibus, leviorem majeſtati prin„ cipali titulum arbitraretur; velletque talem, „ unde juſti triumphi decus acquireret, Britan„ niam potiſſimum elegit, neque tentatam ulli poſt „ D. Julium, & tunc tumultuantem ob non reddi„ tos transfugas. Huc quum ab Hoſtia navigaret, „ vehementi Circio bis penè demerſus eſt prope Ligu„ riam, juxtaque Stoechadas inſulas. Quare à Maſ„ ſilia Geſſoriacum uſque pedeſtri itinere confecto, „ inde tranſmiſerat: ac ſine ullo praelio aut ſanguine „ inter pauciſſimos dies parte inſulae in deditionem re„ cepta, ſexto, quam profectus erat menſe, Romam re„ diit, triumphavitque maximo apparatu.* Et quoniam „ poſt Britannicam expeditionem pacem habuit „ Claudius, neque aliud porro bellum ſuſcepit, ideo „ Victoriæ ſimulacrum in nummo pacis ſymbo„ lum Caduceum læva manu tenet, atque adſcri„ bitur PACI AUGUSTAE. Caduceus enim „ Pacis eſt Symbolum. Per ſerpentem inferius po„ ſitum provincias atque regiones intelligo, at„ que ita per hanc, quæ ante Victoriæ pedes fer„ tur, Britanniam inſulam a Claudio ſuperatam. „ Atque ita omnino ſtatuimus aureum hunc atque „ argenteum nummum inſervire, ut doceant nos „ pacem a Claudio, poſt partum ex Britannici „ triumphi decus ſervatam in Imperio Romano „ atque ſtabilitam fuiſſe. " Hactenus *Ericius*, qui de ſerpentibus tamquam regionum ſymbolis, plura dixit ſupra Tom. I. in Auguſto p. 263. 264. in quibus illi nequaquam adſenſum præbemus.

MUM. 13. 14.

TIβέϱιος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙσαϱ ΣΕβαςος ΓΕΡμάνικος ΑΡΧιερεὺς ΜΕΓας ΔΗΜαϱχικὴς ΕΞΟΥσίας. *Claudii Imperatoris caput nudum lævam verſus.*

Sine Epigraphe. Caput Auguſti ſenis radiatum inter ſeptem Triones.

Inſignis hic nummulus argenteus, in Græcia cuſus, Epheſum videtur habere patriam, in qua urbe duos alios ex argento maximi moduli Tab. IV. Num. 25. 26. pariter Auguſti Apotheoſin indicantes, ſimiliter ſignatos exiſtimo. Depinxit hunc Morellius ex Theſauro Schwartzb.

NUM. 15.

DIVUS CLAUDIUS AUGUSTUS. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. II. Num. 46.

EX Senatus Consulto. Quadrigæ pro pompa Circensi.

Habuimus supra pag. 14. similem ex auro. Invenitur hic argenteus in Thes. Regio & in Schwartzburgico.

EX AERE MAGNO.

NUM. 16.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 23.

vel,

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 28.

NERO CLAUDIUS DRUSUS GERMANicus IMPerator. Senatus Consulto. Arcus Drusi cum statua ejusdem equestri inter duo tropæa.

Vidimus hunc Drusi, Germaniæ victoris, Arcum Tab. VII. Num. 14. inter Nummos Domus Augustæ. Vulgatus idem a pluribus est Antiquariis, præcipue a *Laur. Begero* in *Thes. Brand.* Tom. II. p. 621. Occurrit quoque inter Ær. pr. magn. in *Museo Farnes.* Tab. XVII. Num. 3. & alibi. Adscribitur huic nota *Thes. Schwartzb.* ipsi quoque plures possidemus, ex quibus duo a parte capitis hanc incisam notam exhibent NCAPR. quæ literæ significare possunt *Nota Cusa Auctoritate Publica Reipublicæ.* vel, *Nota Cæsaris Augusti PRobatus.* Pro quibus in aliis nummis, ut Num 18. aliquando solum hoc PROB. id est PROB*us* vel PROB*atus*, occurrit.

NUM. 17.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum ad lævam conversum, ut Tab. I. Num. 27.

DE GERMANIS. Arma Germanorum, Clypei cum duobus spiculis decussatim positi, intermedio vexillo, infra S. C.

Typus nihil novi adfert, quum Tab. præcedente Num. 6. & 37. similem in auro atque argento habuerimus; sed ex primo ære ita insignis est, ut, qui illum ediderit una cum parte capitis, Jo. Vaillantius, pronunciet in Num. Præstant. Tom. I. p. 17. *Hic nummus primæ magnitudinis singularis esset & insignis raritatis, nisi suspectus haberetur.* Depictus fuit a Morellio ex Thes. Regio Versaliensi.

NUM. 18.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii laureatum versus lævam, ut Tab. I. Num. 23.

EX Senatus Consulto OB CIVES SERVATOS in Corona Quernea.

In omni metallo, ut ex nummis aureis atque argenteis, supra depictis, patet, ejusmodi laus servatorum civium, pro more recepto, Claudio Cæsari tributa fuit. Quatuor ejus generis æreos huic similes servamus; ex quibus duo a parte capitis hanc incusam (de qua modo ad Num. 16. egimus) notam prae se ferunt: NCAPR. retro caput Claudii; tertius vero ante faciem Claudii hanc habet impressionem, PROB.

Servatur Nummus hic in Thes. Schwartzb. in Museo Farnes. inter Æn. pr. magn. Tab. VI. Num. 3. Editus primum fuit ab Ænea Vico, deinde passim ab aliis.

NUM. 19.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMP. Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 28.

EX S. C. Patri Patriæ OB CIVES SERVATOS. in Corona Quernea.

Nihil, quo discernatur a præcedenti hic habet nummus, nisi quod Patris Patriæ titulum & ab antica & a postica parte Claudio vindicet, in testimonium, quod cusus fuerit, quum ille eumdem, per blanditias Senatus Romani sibi oblatum, recepisset. Hic quoque nummus ex *Thes. Schwartzb.* depictus est. Exstat in *Museo nostro* & in *Farnes.* juxta præcedentem Num. 4. & passim apud alios.

NUM.

NUM. 20.

Capitis pars sequenti Num. est similis.

SPES AUGUSTA. Spei gradientis typus. Infra S. C.

Magnam multis de se spem fecerat Claudius; Germanici frater, Drusi filius; quod sub Caligula, una cum reliquis, sævam tyrannidem perpessus fuisset, neque Princeps illiteratus vel per se malo foret ingenio. Quare Spei Augustæ solitum symbolum in æreo hoc nummo signari fecit Senatus.

Exstat innumeris in Museis, utpote vulgaris, & in Nostro cum diversa capitis inscriptione. Sed & insuper tres possidemus, qui incusas habent notas, alter quidem hanc ab illa parte ubi Spei typus est: NCAPR. alter duas a parte capitis notas PRO. & BON. tertius (plane adsiduo usu a postica parte detritus) ad caput Claudii & sub collo quinque exhibet notas inpressas, videlicet: PRO. BON. IMP. PROB. BON. Cujus sane bonitatem probitatemque assiduus usus detritione testatur.

NUM. 21.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii laureatum ad lævam conversum, ut Tab. I. Num. 28.

IMPerator Titus VESPasianus AUGustus RESTituit. Spei gradientis typus; ad latera S. C.

Restitutio a Tito facta Nummi, alias vulgaris, pretium auget. *Sebastianus Ericius*, qui eum primus edidit, ad hujus nummi inlustrationem hæc scripta reliquit p 203. „ Numisma Claudii ex „ magno ære, flavoque, his inscriptum literis „ exstat: TI. CLAUDIUS CAESAR AUG. P. „ M. TR. P. IMP. P. P. Ab altera parte stans „ figura cernitur florem manu tenens cum hac „ inscriptione: IMP. T. VESP. AUG. REST. „ i. e. *Imperator Titus Vespasianus Augustus restituit*, atque nota Senatusconsulti. Numisma „ hoc cusum atque restitutum a Claudio fuit in „ honorem & memoriam Claudii post mortem „ ejus. Figura stans, quæ dextra florem porrigit, Spes est, cujus typus in permultis æreis „ nummis apparet. Romæ, tamquam Dea culta „ fuit, ibique Templum, habuit in Foro Olitorio, „ juxta Livium, qui scribit; *Ædem Spei, quæ in Foro Olitorio fuit, fulmine ictam fuisse.* Conflagrasse illud Templum Coss. Q. Fabio & T. Sempronio Graccho, testatur idem Livius. A. Collatino consecratum fuisse vult Cicero. Dea „ Spes apud Antiquos (sicuti in hoc nummo videre licet) depingi solebat habitu muliebri, dextra florem tenens. Sive quod Spei symbolum „ sit flos, sive quod Spem consideraverint tanquam futuri boni lætam exspectationem, prout „ contra conturbatur animus timore propter venturi mali perceptionem. Neque dubitare licet „ quin futuri boni symbolum sit flos, utpote „ promittens nobis fructus suo temporeproditures. Atque hæc est ratio quod in Deæ Spei „ manu florem posuerint Veteres. At quamvis „ tot genera sint florum, potissimum tamen lilium „ elegisse eosdem vidimus, nam lilium figura Spei „ manu tenet. Lilii enim figuram passim cernimus „ in ejusmodi nummis, in quibus Spei typus occurrit, ut in æreo Alexandri Severi, cum epigraphe: SPES PUBLICA. Quod lilium clarissime agnoscere licet in Claudii nummis, præcipue in illis qui a Tito non fuere restituti, cum „ inscriptione: SPES AUGUSTA. SPES PUBLICA. Deæ ejus Spei habitus lilium dextra tenentis occurrit in nummo Hadriani, cum epigraphe „ SPES P. R. Spei vero symbolum apud Antiquos fuisse Lilium, Virgilium clarissimum sufficit producere testem, qui de Marcello agens „ spem, quam de eo conceperant Romani, ita exprimit Lib. VI. Æn. 876.

„ *Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos*
„ *In tantum spe tollet avos, nec Romula quondam*
„ *Ullo se tantum tellus jactabit alumno.*

„ Quod persequitur aliis ibidem versibus, usque „ ad illos:

„ — — — *Si qua fata aspera rumpas,*
„ *Tu Marcellus eris; manibus date lilia plenis.* "

Hæc Ericius, sed apud Poëtam lilia & florum sparsio potius ad inferos & ad defuncti memoriam, quæ quondam quotannis celebrabatur, pertinet. Servatur in *Thesauro Schwartzb.*

NUM. 22.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum dextram versus.

Pallas armata gradiens dextram versus, clypeum tenet læva, dextra telum. Subtus: S. C.

In ære magno hic typus rarus est inter Claudii nummos, nam in ære medio sæpissime occurrit, sed tum Pallas ad lævam partem converti solet.

NUM. 23.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriae. Claudii Caput laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 28.

SPES AUGUSTA. Figura muliebris, sive Dea stans, florem dextra porrigit figurae militari, quam duae figurae militares comitantur. Infra est Senatusconsulti nota.

Referunt Antiquarii insignem hunc typum ad adparatum expeditionis Claudii in Britanniam,

quas

quasi spem victoriæ militibus ejus polliceretur ejus nominis Dea. Quibus ego quidem refragari nolim, sed tamen considerare jubeo tertio demum Imperii sui anno accitum a Suetonio Paulino, expeditionem in Britanniam suscepisse Claudium; quare nota Tribuniciæ Potestatis III. videtur debuisse adscribi, si ad spem felicis ejus expeditionis militibus dandam percussus foret nummus. At, quum militibus, & præcipue Prætorianis Imperii dignitatem adeptam debuerit Claudius, neque vel II. vel III. annus iteratæ Tribuniciæ Potestatis adscribatur, existimo pertinere ad initia Imperii Claudii; & Senatum, sævitia Tiberii atque tyrannide Caligulæ domitum, servum sub Claudio pecus, blandiri hoc typo militibus voluisse, tanquam quibus liceret optimam spem suscipere de novo Imperatore, Germanici fratre atque Drusi filio, sub quibus victoriæ multæ olim atque illustres iisdem obtigerant.

Editum hunc nummum invenio in *Museo Farnes.* inter Ær. pr. magn. Tab. VI. Num 5. atque inter Numismata *Arschotana* Tab. XIX. Num. 9. ut & apud *Jacob. Oisel.* Tab LIV. Num. 7. atque apud Antiquarios inter rariores recensetur.

NUM. 24.

Partis anterioris Epigraphe ignota mihi est.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. (*PERINTHIORUM*) *in Corona Quernea.*

Ex *Gallandi* Museo hunc nummum citat Jo. Vaillantius in Nummis Gr. p. 14. Perinthii in eodem servatorem Orbis Romani agnoscunt Claudium, seque tutelæ ejus commendant.

NUM. 25.

Non additur Epigraphe partis anticae, quam ego reor his fere verbis fuisse conceptam, ΕΦΕΣΙΩΝ. ΤΙΞέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ (*EPHESIORUM TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR*) *Caput Claudii.*

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΑΥΤοκΡΑΤΩΡ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ (*GERMANICUS IMPERATOR PATER PATRIAE*) *Imperator stans, lorica armatus, dextra signum Dianae Ephesiae ferens, laeva victoriolam, ad pedes Deae symbolum, cervus, cernitur.*

Statuam ab Ephesiis hac figura Imperatori Claudio collocatam fuisse reor post victoriam Britannicam, tamquam illam pietatis suae merito, atque ope Dianae Ephesiae fuisset consecutus.

NUM. 26.

Vacat.

NUM. 27.

TIberius CLAUDius DRUSI Filius CAESar AUGUSTUS GERMANICUS PONTIFex MAXIMus TRibunicia Potestate XII. IMPerator XVII. Caput Claudii laureatum lævam versus, ut Tab. II Num. 42.

Ab altera parte hæc est Inscriptio:

S. P. Q. R.
AQUAS CLAUDIAM
EX FONTIBUS QUI VOCAB
ANTur CAERULEUS ET CURT
IUS A MILLIARIO XXXXV. ET
ITEM ANIENEM NOVAM A
MILLIARIO LXII. SUA IM
PENSA IN URBEM
PERDUCENDAS
CURAVIT COS. V.

In Corona Quernea.

Primus insigne hoc numisma (quod utinam esset genuinum) publicavit Carolus Patinus ad Sueton. in Claudio Cap. XX. & in Thesauro Numismatico p. 103 ubi hanc ejus descriptionem, suumque de illo judicium dedit: „ A vero fortassis „ non aberramus, cum hunc Claudii nummum „ inter antiquos reponimus. Hunc ipsum esse arbitror, quem Cl. Occo pulcherrimum & rarissimum describit ex Alberti Bavariæ Principis „ cimeliarchio. Terret nos tamen tanta linearum „ series, quam ex marmoribus antiquis decerptam „ quispiam facile posset judicare. Metallum deinde flavum ut Corinthiacum, nos in aliquam „ novitatis trahit suspicionem: qualis ponderis „ sit ea inscriptio judicent qui eam legerint Ea „ fere similis legitur Romæ in porta Nævia, quam „ Majorem nunc appellant, apud Gruterum inscript. p. 176.

TI. CLAUDIUS DRUSI F. CÆSAR AUGUSTUS GERMANICUS PONTIF. MAXIM. TR. POT. COS. V. IMP. XVII. S. P. Q. R. P. P.
AQUAS CLAUDIAM EX FONTIBUS
QUI VOCABANTUR
CÆRULEUS ET CURTIUS A MILLIARIO
XXXXV. ITEM ANIENEM NOVAM A
MILLIARIO LXII. SUA IMPENSA
IN URBEM PERDUCENDAM
CURAVIT. „

Similem deinde, sed non eundem, edidit Ezechiël Spanhemius in libro de Usu & Pr. Num. p. 582. Ed. in quarto, de quo ibidem sic scriptum reliquit: „ Quibus inserere liceat expressam Aquæ „ Claudiæ memoriam in singulari nummo ejusdem Claudii, quem apud Abbatem Bracesium „ una, ut meministi, inspectum, præclaro ejusdem Viri beneficio huc vulgamus, & de quo „ integrum sit penes diligentes Antiquarios judicium. „ Nummus ille ibidem depictus, Claudii caput laureatum versus lævam exhibet, cum lite-

literis grandiusculis in circuitu nummi positis, TI. CLAUDIUS CAESAR AUG. P. M. TR. P. IMP. P. P. Ab altera parte Inscriptio in Corona Laurea, non vero Quernea, hoc pacto concepta invenitur:

AQUAS
CLAUD EX FON
TIB QUI VOCA
BANTUR CÆRUL. ET
CURT A MILL XXXV
ITEM ANIENEM
NOVAM A MILL LVII
S INPENS IN URB
PERDUC CUR

Verum idem Spanhemius, simili merce a Patino postmodum producta, ejusque admonitione, cautior factus, in posteriore luculentiore Editione verba sua retractavit, atque in hunc morem, omissa nummi memorati, qui a Patiniano in plurimis minutiis discrepat, pictura, mutavit Tom. II. p. 197. „Aquæ, & huic *Marciæ*, juxta Frontinum, *bonitate proximæ*, Claudiæ nempe, mentione, Romæ apud Abbatem Bracesium tecum olim visum, ac divulgatum inde a me nummum; sed cum ea simul cautela, ut, quamquam pro genuino vir ille, insigni veterum nummorum peculio instructus, eum diceret; de eo tamen statuendi integrum penes lectorem judicium reliquerim. Eum vero ab Occone pridem descriptum, ac inter rarissimos ab eo habitum, paulo post vir (*Patin. Thes. Num.* p. 103.) qui ætatem in versandis nummis antiquis trivit, dubitanter tamen, protulit, ac deinde ex eo Biragus: quem tamen haud tam dubiæ adeo fidei, quam falsæ, seu recentis fabricæ, licet cum sagacibus aliis Antiquariis statuere.„ Quæ posteriora verba monitum Jo. Vaillantii respiciunt, quod exstat in fine Nummorum Claudii ex magno ære in Nummis Præstant. Tom. I. p. 18. *Monendus etiam lector, Inscriptiones Aquæ Claudiæ in nummis ejus Imperatoris nova manu esse aratas.*

TABULA VI.

QUÆ COMPLECTITUR

TI. CLAUDII CÆSARIS

NUMMOS ÆREOS

SECUNDÆ MAGNITUDINIS.

NUM. I.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum.

ROMæ ET AUGusto. Ara inter duas Columnas, quibus totidem Victoriolæ insistunt.

Citat hunc Comes Mediobarbus p. 82. tamquam inter Arschotanos exsistentem. Quærenti mihi ibidem sese haud obtulit. Repetitus sub Claudio est ex Augusti & Tiberii nummis. Servat hunc *Museum Theupolit.* minorem seu quarti moduli, qua magnitudine is typus sæpe aversam exornare solet nummuli Tiberiani, qui in parte anteriore eumdem Tiberium vocat IMP. VII.

NUM. 2.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Tab. I. Num. 20.
vel,
*TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Tab. I. Num.*25. *& Num.* 48.

CERES AUGUSTA. Dea velata sedens dextra tenet ramusculum, juxta picturam Morellianam, juxta nummum meum, duas spicas, læva longam facem obliquam. Infra S. C.

Respicit Claudii hic nummus insignem curam annonæ, quam Princeps ille gessit, & de qua supra satis egimus. Hæc per Cererem ex-

primitur, tamquam frugum Deam, sedentem, ut stabilem Claudii curam designet, papavera in quibusdam nummis una cum spicis tenentem (uti in Farnesiano) ad designandam frugum copiam, & ubertatem annonæ a Claudio procuratam.

Picturam ex *Thes. Schwartzburgici* nummo desumsit *Morellius*.

Num. 3.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii nudum lævam versus, ut Tab. I. Num. 24.

IMPerator Titus VESPasianus AUGustus. Dea Ceres sedens, ut supra.

Num. 4.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii nudum lævam versus, ut Tab. I. Num. 24.

IMPerator Domitianus VESPasiani Filius AUGustus RESTituit. Dea Ceres sedens, ut supra. In Morelliano dextra ramusculum tenet, in Meo duas spicas cum papavere intermedio. Infra S. C.

Erratum puto a *Morellii* Sculptore, nam meus asperrimus nitidissimusque clare papavera inter spicas exprimit. Servatur *Morellianus* in *Thes. Regio*.

Num. 5.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Tab. I. Num. 20.

vel,

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Num. 25.

CONSTANTIAE AUGUSTI. Dea Constantia habitu militari stans, capite galeato, læva hastam tenet, dextram speculatoris ritu adtollit, paludamento ornata. Ad latera S.C.

Occurrit laudaturque hoc typo constans Imperatoris Claudii vigilantia. Quæ Constantiæ Deæ figura, sed habitu militari, exprimitur, paludamento autem ornatur, quia Constantia Augusti dicitur. Vigiles, sive Speculatores, in Columna Trajana passim ita cernuntur stantes ante turrim erecta dextra manu, atque sublato ejusdem manus digito indice.

Nummus ipse tritus, in *nostro* atque omnium Museis servari solet. Vulgarunt *Æneas Vicus*, *Anton. Augustin.* II. 20. *Laur. Beger. Thes. Brand.* Tom. II. p. 621. *Paullus Pedrusius* in *Museo Farnes.* Tab. XVI. Num. 10. aliique, *Morelliano* nota *Thes. Schwartzb.* adponitur.

Num. 6.

Epigraphe (ut videtur) eadem, caput idem.

IMPerator TITUS VESPasianus RESTituit.

Figura eadem Deæ Constantiæ, ad latera S. C.

Num. 7.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Num. 20.

IMPerator Titus VESPasianus (additur in aliis AUG.) RESTituit.

Typus idem cum eadem S. C. nota.

Exstat in *Thesauro Regio* atque in *Museo Theupol.* Vulgavit *Patin.* p. 14.

Num. 8.

Epigraphe & caput similia præcedentibus videntur.

IMPerator Domitianus VESPasianus AUGustus RESTituit. Typus idem, ad latera S. C.

Num. 9.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Tab. I. Num. 20.

vel,

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Num. 25.

LIBERTAS AUGUSTA. Dea Libertas stans, dextra pileum tenet, lævam expandit. Ad latera S. C.

Quasi oppressam a Cajo Rempublicam in libertatem vindicasset Claudius, blanditur illi Senatus veluti restitutori libertatis. Verum ipse Claudius talis erat, ut semper sub aliorum foret pædagogio, nam ut eleganter de illo Ausonius in Cæsaribus p. 219. Edit. Toll.

Claudius, irrisæ privato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina tamen, nuptarum & crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

Desumtus est ex *Thes. Schwartzb.* exstat & in *Museo nostro* & passim. Vulgarunt *Augustin.* Dialogo II. Num. 42. *Æneas Vicus* Num. 4. *Pedrusius* in *Museo Farnes.* Tab. XVII. Num. 1. aliique.

Num. 10.

Epigraphe eadem, caput idem.

IMPerator NERVA AUGustus RESTituit. Typus Libertatis idem, subtus S. C.

Multos Imperatorum, qui ante se fuerunt, nummos restituit Nerva, atque inter illos complures Augusti ex magno & medioeri ære, ut suo loco vidimus.

Num. 11

Epigraphe capitis videtur convenire cum nummis primæ magnitudinis, quos in Claudio observavimus Tab. præcedente Num. 20. & 21.

IMPerator TITUS VESPasianus AUGustus RESTituit. Spei gradientis typus, ad latera S. C.

Hujus generis nummi ex ære parvo sub Claudio cusi non supersunt amplius, restituti vero a Tito (ut hic) perniciem reliquis communem effugerunt.

Num. 12.

Inscriptio partis anterioris mihi sese nondum obtulit.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius RESTituit. In area nummi vacua S. C.

Num. 13.

TIberius CLAUDIUS CAESar AUGustus PONTifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator. Caput Claudii nudum dextram versus, ut Tab. I. Num. 20.

Senatus Consulto. Minerva galeata gradiens, læva clypeum tenet, dextra jaculo minatur.

Respicit hic typus studium literarum & eloquentiæ in Claudio. Fuit enim sane Princeps haud illiteratus. Augustus in epistola ad Liviam apud Sueton. in Claudio Cap. IV. *Tiberium nepotem tuum, placere mihi declamantem potuisse, peream, nisi, mea Livia, admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς loquatur, qui possit, cum declamat, σαφῶς dicere quæ dicenda sunt, non video.* Historias quoque & in Imperio & ante imperium scripsit, de quibus videatur Suetonius in Vita ejus Cap. XLI. ubi eruditionem ejus laudat; & magis inepte quam ineleganter scripsisse asserit. Verba ejus hæc sunt: *Historiam in adolescentia, hortante Tito Livio, Sulpitio verò Flavo etiam adjuvante, scribere aggressus est: & quum primum frequenti auditorio commisisset, ægrè perlegit, refrigeratus sæpe à semetipso. Nam quum initio recitationis, defractis compluribus subselliis obesitate cujusdam, risus exortus esset, ne sedato quidem tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur cachinnosque revocaret. In principatu quoque & scripsit plurimum, & assiduè recitavit per lectorem. Initium autem sumpsit historiae post cædem Cæsaeris Dictatoris. Sed & transiit ad inferiora tempora, coepitque à pace civili: quum sentiret neque liberè neque verè sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & à matre & ab avia. Prioris materiae duo volumina, posterioris unum & XL. reliquit. Composuit & de Vita sua octo volumina, magis ineptè quam ineleganter: item Ciceronis defensionem adversus Asinii Galli libros, satis eruditam.* Et Cap. XLII. *Denique & Græcas scripsit historias, Tyrrhenicωn XX, Carchedoniacωn VIII. Quarum causa veteri Alexandriae Museo alterum additum ex ipsius nomine, institutumque, ut quotannis in altero Tyrrhenicωn libri, alterò Carchedoniacωn, diebus statutis, velut in auditorio, recitarentur toti à singulis per vices.*

Nummus hic tritus est, exstat in *Nostro* aliisque passim *Museis*; a pluribus depictus & vulgatus; qui vero sequuntur, a Tito & Domitiano restituti, minus facile occurrere solent.

NUM. 14.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Claudii nudum lævam versus, ut Tab. I. Num. 19.

vel,

IMPerator Titus VESPasianus AUGustus RESTituit. Typus idem Minervae armatæ & gradientis.

Servatur prior hic Nummus in *Museo Nostro*; posterior in *Theupolitano* & *Farnesiano*, ex quo edidit *P. Pedrusius* in æreis secundi moduli, editus item fuit ab *Ænea Vico* & *Carolo Patino* inter Claudii nummos p. 107.

NUM. 15.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Claudii nudum lævam versus, ut Tab. I. Num. 24.

IMPerator Domitianus AUGustus RESTituit. Typus idem.

Servatur hic nummus in *Thesauro Regio* atque *Museo Theupol.* Ex priori eundem delineavit *Morellius*. Edidit ante omnes *Æneas Vicus* inter Ær. secundi Moduli Num. 10.

NUM. 16.

IMPerator TIberius CLAUDius CAESar. Caput Claudii laureatum, lævam versus, fere ut Tab. I. Num. 11. S. C. in Corona Laurea.

Nummus hic Antiochiæ cusus est, cujus generis omnium fere Imperatorum ab Augusto usque inveniri solent.

Servamus hunc in *Museo nostro*. Depinxit ex *Thesauro Regio Andr. Morellius*.

NUM. 17. 18. 19.

Vacant.

NUM. 20.

Capitis epigraphe non additur.

ANTONIA. BRITANNICUS. OCTAVIA. Britannicus togatus stans inter sorores Antoniam atque Octaviam, quæ habitu Fortunæ exornantur.

Pulcherrimus hic nummus in aliqua Colonia signatus fuisse videtur. Adscriptum fuisse Coloniæ nomen lituræ in summa & infima nummi ora testantur. Patrensi forte, quæ similem honorem tribus hisce Claudii liberis habuit, uti diserte testatur inscriptio Nummi 26. hujus Tabulæ, in quo eorum capita depinguntur, & quidem supra duplex cornucopiæ decussatim positum. Pariter infortunati fuere hi Claudii liberi, diverso fato omnes Neronis scelere exstincti. Britannicus veneno sublatus inter epulas. Sueton. in Nerone Cap. XXXIII. Octavia, Neronis etiam conjux, in exsilium ejecta & post occisa. Sueton. ibid. Cap. XXXV. *Octaviæ consuetudinem cito adspernatus, corripientibus amicis, sufficere illi debere, respondit, uxoria ornamenta. Eandem mox sæpe frustra strangulare meditatus, dimisit ut sterilem: sed inprobante divortium populo, nec parcente convitiis, etiam relegavit. Denique occidit sub crimine adulteriorum* &c. Antoniæ mortis causa fuit, quod monstri ejus nuptias recusaret. Sueton. Cap. eodem: *Antoniam, Claudii filiam, recusantem post Poppeæ mortem nuptias suas, quasi molitricem novarum rerum, interemit.*

NUM. 21.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus. Caput Claudii laureatum.

Colonia Campestris Iulia Babba Decreto Decurionum. in Quernea.

Merito *Jo. Vaillantius* increpat *Carolum Patinum*, qui p. 100. nummum hunc Cibyratis in Lycaonia tribuit; ipse ad Babbam, urbem Mauritaniæ, retulit Tom. I. de Colon. Nummis p. 154. ubi adducit Plinii locum Lib. V. Cap. 1. *In mediterraneo altera Augusti Colonia est Babba, Julia Campestris adpellata.* Querneam, seu Civicam, expressam judicat a Babbensibus ob cives bello Mauritanico, a Claudio servatos. Servatur nummus in *Thes. Theupol.* p. 667. & in *Regio*, unde depromsit *Andr. Morellius*.

NUM. 22.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus GERmanicus. Caput Claudii laureatum.

COLonia IULia AUGusta FELix BERytus, Colonus agens boves.

Urbs Berytus Colonia Romana facta fuit à Julio Cæsare, aucta ab Augusto. Vide *Vaillantium* Tom. I. p. 155.

NUM.

NUM. 23.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Claudii laureatum.

COLonia IULia AUGuſta CASSANDREnſis. Caput Jovis Ammonis.

Caſſandrea, nobilis Macedoniæ urbs, Julii benignitate Colonia Romana facta, ab Auguſto incolis aucta fuiſſe videtur, unde illi Juliæ & Auguſtæ nomen. Cultum ibidem ſingulari religione fuiſſe Jovem Ammonem, ex ſimili ejuſdem Libyci Dei cultu apud vicinos Aphyteos, monente Pauſania, docet Jo. Vaillantius Tom. I. p. 156. Ibi forte olim conſedere aliquot ex Libya Coloni, qui patriam ſuam advexerint religionem.

Delineavit hunc nummum ex *Theſauro Regio* optimus *Morellius*. Servatur quoque in *Muſeo Theupolitano* p. 668. & in *noſtro*.

NUM. 24.

Capitis notitia non additur.

COLonia . . . . . . CORinthus. Dextræ junctæ duas ſpicas tenent intermedio papavere.

Crediderim Corinthios hoc ſymbolo exprimere voluiſſe felicitatem domus Auguſtæ, quæ ſubnixa filio Britannico, atque filiabus Antonia & Octavia, æquavit numerum papaveris cum ſpicis in ſymbolo conſueto ubertatis. Per dextras junctas Concordiam ejuſdem Domus Auguſtæ innuere potuerunt, quæ videlicet inter maritatos liberis præcipue firmari, tamquam certiſſimo pignore, ſolet.

Signum adpoſitum docet delineatum fuiſſe nummum ex Muſeo *Comitis de Signelay*.

NUM. 25.

CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERMANICUS. Claudii caput nudum lævam verſus.

COLonia IULia AUGuſta. Colonus agens boves.

Forte ad Berytum pertinet, quæ Colonia ſimiles procudit nummos; ſed nimis generalis eſt inſcriptio, quam ut liquido id adfirmari poſſit.

Servatur in *Muſeo Farneſiano & noſtro.*

NUM. 26.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Claudii nudum dextram verſus.

COLonia Auguſta Aroe Patrenſis LIBERIS AUGuſti. Caput puerile Britannici inter duo capita muliebria, ſororum ſcilicet, Antoniæ atque Octaviæ, ſubtus eſt cornucopiæ duplex decuſſatim poſitum.

Nummus hic, quem falſarii ſunt imitati, ſed ita ut fraudem facile animadvertas, plane egregius eſt. In eo Fœcunditas Domus Auguſtæ exprimitur per duplex cornucopiæ, depinguntur vero capita liberorum Claudii, ſic ut Britannici caput medium collocetur inter capita ſororum, Antoniæ atque Octaviæ, ſicuti ipſe Britannicus ſtans exhibetur inter eaſdem ſorores ſupra Num. 20.

Signavit eximium hunc typum Colonia Patrenſis, in qua memorabilis alter ille, modo laudatus nummus cuſus fuit. Primus hunc cum capitibus liberorum Claudii depinxit & vulgavit *Octavius Strada* p. 37. Poſt eum *Carolus Patinus* p. 99. *Jo. Petrus Bellorius* in *Angeloni* aucta editione p. 42. & *Jo. Vaillantius* Tom. I. p. 159. noviſſime ex *Regio* Theſauro *Morellius* noſter.

NUM. 27.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERMANICUS. Caput Claudii laureatum.

COLonia Auguſta Aroe PATRenſis XXII. ſubauditur legio. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Et hic nummus ad Coloniam Patrenſem pertinet, eumque jam olim, quum nummorum in Coloniis cuſorum exiguam admodum notitiam haberent Antiquarii, vulgavit *Sebaſt. Ericius* p. 209. unde haud mirum quod in explicatione ejuſdem hæſitet p. 207. ubi ita fere ſcribit: „ Nummus Claudii ex ære medio, cum hiſce literis: TI. CLAUDIUS CÆSAR AUG. GERM. „ Ab altera ſui parte inſignia exhibet militaria, „ prouti in aliis quoque viſuntur nummis. Sed „ in uno ex iiſdem adparet barbari cujuſdam præfixum caput, atque hæ cernuntur in circuitu „ literæ COL. A. A. PATR. Subtus vero hæ „ leguntur literæ numerales XXII. Ut forſitan „ ipſa illa Legio in hac Colonia ſignare in Principis honorem iſtum nummum potuerit. Legio „ hæc XXVI, *Primigenia* fuit adpellata Pia, Fidelis; atque ſub Auguſto in Ægypto conſtituta fuit, unde poſtea ſub Veſpaſiano in Judæam ad conficiendum bellum Judaicum tranſiit. „ Hiſtorici, Tacitus & Spartianus, mentionem ejus faciunt. Memoratur quoque in marmore „ antiquo, cujus hæc eſt inſcriptio:

C. VIBIO. Q. F. AIMILIA. VETENIO.
EQUO. SEVERO. TRIB. SEMPR. PR.
LEG. XXII. PRIM. AUG. P. F.
SEMPRON.

„ Caput vero Barbari, quod præfixum haſtili „ in altero ex inſignibus cernitur, denotat, „ quod Romani, pugna quadam victores, cæſa „ hoſtium capita ſignis militaribus præfixerint, „ prouti legere de iſto more eſt apud *Corn. Taci-* „ *tum* lib. XVII. ubi narrat, quomodo ad impe- „ rium pervenerit Otho, atque tribuniciam poteſta- „ tem a Senatu receperit, nomenque Auguſti, & o- „ mnes præterea honores iſto faſtigio debitos, idque „ cæde Imperatoris Galbæ, aliorumque bene mul- „ torum; ibi enim narrat, quomodo Galbæ ca- „ put lanceæ ſive ſigno infixum hoſtili more „ fuerit. Verba ejus hæc ſunt: *Galbæ corpus diu* „ *neglectum, & licentia tenebrarum plurimis ludi-* „ *briis vexatum, diſpenſator Ægius è prioribus ſer-* „ *vis humili ſepultura in privatis ejus hortis contexit.* „ *Caput per lixas caloneſque ſuffixum, laceratumque* „ *ante Patrobii tumulum (libertus is Neronis puni-* „ *tus à Galba fuerat) poſtera demum die repertum,* „ *& cremato jam corpori admixtum eſt.* “ Et ali- „ quanto poſt: *Præfixa contis capita geſtabantur* „ *inter ſigna cohortium juxta aquilam legionis, cer-* „ *tatim oſtentantibus cruentas manus qui occiderant,* „ *qui interfuerant, quive vere, quive falſo, ut pul-* „ *chrum & memorabile facinus jactabant.* De capite „ Galbæ teſtatur idem Dio, ubi de eodem agit, „ hiſce verbis: *Occurrunt ei in medio foro equites* „ *peditesque, ibique ſenem, Pontificem, & Impera-* „ *torem, occidunt, multis Senatoribus multiſque ple-* „ *bejis hominibus præſentibus: poſt cadaver affi-* „ *ciunt ignominia cujuſvis generis, caputque cervi-* „ *cibus abſcindunt, idque figunt in pilo.* Dicimus „ itaque caput illud, quod præfixum ſigno milita- „ ri cernitur, hoſtile Barbari cujuſdam eſſe, in „ pugna cæſi, juxta morem ſcilicet Romano- „ rum, quo cæſa ejuſmodi hoſtium capita haſtis „ ſive inſignibus præfigere ſolebant. “ Hæc E- ricius, multipliciter errans; neque enim tam bar- barus Romanorum erat mos, neque inſignibus militaribus, ſi per contumeliam ejuſmodi quid fie- ret, ſed lanceis præfigebatur vel haſtis, cæſi ca- put, quod utique de Galbæ capite quoque eſt in- telligendum, & ſatis clare docent Hiſtorici. Præ- terea credidit inſignis Antiquarius capitis in num- mo habere figuram id, quod clypei forma de- buerat exprimi, non capitis humani, prouti num- morum ejuſmodi conſpectus abunde docet.

Sed & *Patini* errorem, circa XXII. Legionem, reſpectu hujus nummi detexit Vaillantius Tom. I. p. 161. atque multo veroſimilius docuit, reſpexiſſe Patrenſes ad primam Coloniæ ſub Auguſto deductio- nem ex Veteranis ejus legionis. Credidit enim Patinus ſcripſitque p 99. Legionem viceſimam ſecundam ab Auguſto in Ægypto conſtitutam, hoc monumentum ſui erga Principem Claudium amoris crexiſſe. Erraſſe quoque Sponium docuit, dum credidit Itin. Tom. II. p. 17. Claudii ævo hanc Legionem Patris commoratam fuiſſe. Le- gionis XXII. Primigeniæ mentio exſtat apud *Gru- ter.* p. CCCCXXVII. Num. 9.

LABERIO. L. F. AIM
COCCEIO LEPIDO PROC.
RAET. TR. PL. QVAEST. LEG.
ASIAE LEG. PROPR. AFRICAE L
MISSO AD PRINCIPEM TRIB. MI
LEG. XXII. PRIMIG. X. VIR STLIT
APOLLONIUS LIMENA
CYPRI.

Et pag. DLXVI. Num. 2.

V. F.
RVFVS
BIVEIONI F
SIBI ET . . . . IAE
CAP. . . . . XOR
TRIVMONIS. F. ET
MESSAVAE DEIVARI. F.
C. VALERIO. RVFO
FILIIS. MEIS
LEG. XXII. PRIMIG.
DEFUNCTIS.

Servatur hic nummus in *Muſeo Theupolitano* & *no- ſtro.* Ex *Theſ. Regio* depinxit *Morellius.*

NUM. 28.

Capitis epigraphe videtur eſſe ſimilis proxime præcedenti.

COLonia Auguſta Aroe PATRENSis. Co- lonus agens boves, læva vexillum tenet.

Et hic typus docet militarem fuiſſe Coloniam Patrenſem, quod adfatim is, qui præceſſit nummus, adſcripto quoque legionis numero, e- vincit. Adpoſitum ſignum oſtendit ſervari in *Theſauro Regio.*

TABULA VII.

CONTINENS ADHUC

TI. CLAUDII

NUMMOS IN COLONIIS CUSOS,

SED ET ALIOS IN

GRÆCIS URBIBUS SIGNATOS.

NUM. 1.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator. Caput Claudii nudum.

COLonia AUGuſta IULia PHILIPPenſis. Duæ figuræ baſi inſiſtentes, altera virilis armata, dextram elevans, altera muliebris ſeminuda, quæ a tergo adſtans virilem coronat. Utrimque ad latera baſis aræ conſpiciuntur, cui aræ inſcribitur: DIVUS AUGuſtus.

Nobiliſſima Romanorum in Macedonia fuit Colonia Philippi, urbs quondam a Philippo Macedone exſtructa, atque nomine ejus inſignita. *Julia* a conditore Julio Cæſare dicta, *Auguſta* ab Auguſto inſtauratore vocata fuit. Imago virilis Auguſti eſt, muliebris ipſius Coloniæ, memoriam benefactoris ſui celebrantis. Recte enim judicat *Vaillantius*, Tom. I. p. 161. ſtatuas has in Auguſti honorem ibidem fuiſſe erectas. Vulgarunt *Patinus*, *Vaillantius*, & alii; ſervatur in *Muſeo Theupolit.* p. 669.

NUM. 2. 3.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus. Caput Claudii nudum.

COLonia PTOLemais. Colonus agens boves, pone quatuor ſigna militaria in priore, quinque in poſteriore nummo.

Pertinent nummi ad Ptolemaidem, Phœniciæ littoralis urbem, quæ Colonia a Claudio Cæſare facta eſt, teſte Plinio lib. V. cap. 19. *Colonia Claudii Cæſaris Ptolemais, quæ quondam Ace.* Prior ex his lilii adpoſitum habet ſignum, quod docet illum in *Theſauro Regio* a *Morellio* fuiſſe inventum.

NUM. 4.

Vacat.

NUM. 5.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ *i. e. AUGUSTUS. Caput Claudii nudum, dextram verſus; ante illud ara eſt.*

ΑΣΚΑΛΩ ϛΝΡ. *i. e. ASCALO. Anno CLVI. Semiramis turrita ſtans ſuper proram (ut vult Vaillant. in Nummis Græcis Imperator. p. 13. ſuper anguem, ut pictura nummi docere videtur, dextra manu haſtam tenet, læva acroſtolium. Poſt illam cernitur columba, ante eandem ara.*

Conferri de Nummis hujus generis Aſcalonitarum, ut & de æra eorumdem meretur Eminentiſſimus Noriſius, de Epochis Syro-Maced. Diſſert. Quinta cap. IV. ubi p. 508. hunc adfert nummum & inluſtrat.

NUM. 6. 7. 8.

IMPerator TIberius CLAUDIUS AUGustus GERmanicus. Claudii caput laureatum lævam versus.

ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ Ρ. *i. e. SUB PETRONIO ANTIOCHENORUM ANNO C. in laurea.*

Vel, ut in altero legitur,

ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤους ΔΡ. *i. e. SUB CASSIO ANTIOCHENORUM ANNO CIV. in laurea.*

Vel, ut in tertio,

ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤους ϛΡ. *i. e. SUB CASSIO ANTIOCHENORUM, ANNO CVI.*

De hisce nummis egimus in *Thesauro Andreæ Morellii* priori, in Familia ibid. Petronia p. 321. & Cassia p. 86. quo Lectorem remittimus. Primus ex tribus hisce servatur in *Museo Regio.*

NUM. 9.

ΒΥΒΛΙΩΝ ΙΕΡΑΣ *i. e. BYBLIORUM SACRÆ videlicet urbis. Isis Velum expandens.*

Titulum *Sacræ urbis* in nummis passim vetusta hæc Phœniciæ gerit urbs, quo donata videtur sub Augusto. Isidis ibi insignis fuit cultus, ut ex hoc nummo patet; certe jactare videntur eodem fabulam ab antiquis memoratam, ut & a Plutarcho in libello de Iside & Osiride p. 356. 357. ubi ex vetustis Ægyptiorum commentariis narrat Isidem Byblum venisse, ut ejectum e pelago intra arcam conjugis Osiridis cadaver inveniret, eamque humaniter a Malcandro rege ac Astarte, sive Saosi, regina, tum apud Byblum regnantibus, exceptam, quæsitum mariti cadaver sub alta erica latens, reperisse, quod postea in Ægyptum translatum, ac in partes conscissum, in diversis urbibus tumulavit.

NUM. 10.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *i. e. DEUS AUGUSTUS, THESSALONICENSIUM. Caput Augusti laureatum lævam versus.*

Thessalonicenses in Macedonia singularem habuere venerationem Augusto ejusque domui; unde vix invenitur urbs, quæ plures familiæ Augusti nummos signavit. Servatur hic in *Museo Theupolit.* p. 843.

NUM. 11.

Epigraphe eadem, caput idem.

ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΙΛΙέων. *i. e. DEUS AUGUSTUS ILIENSIUM. Caput Augusti radiatum lævam versus. Ante illud signum Minervæ tropæophoræ cernitur.*

Ilienses, qui veterem cognationem cum Romanis jactabant, & nomen & symbolum urbis suæ in hoc nummo exstare voluerunt. Minervam enim Iliacam expresserunt ante faciem Augusti. Hastam Dea tenet dextra, læva tropæum, pro quo clypeus commemoratur in nummo *Musei Theupolitani* p. 843.

NUM. 12.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Claudii laureatum.

ΕΠΙ ΚΟΜΙΝΙΟΥ ΠΡΟΚΛΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟυ. *i. e. SUB COMINIO PROCLO PROCONSULE in circuitu, at in area nummi* ΚΥΠΡΙΩΝ. *i. e. CYPRIORUM.*

Pluribus hunc ipsum nummum inlustravimus in *Thesauro Morelliano* priore, sive in Nummis Familiarum Romanarum, in Fam. Cominia, p. 106. ubi quoque in Cominium Proclum inquisivimus, ne itaque, quæ ibi diximus, hic repetamus, Lectorem eo ablegamus.

Servatur nummus hic in *Museo Theupolitano* & in *Thesauro Regio*, ex quo depinxit *Andr. Morellius.*

NUM. 13. 14.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus. Caput Claudii.

ΚΟΙΝΟΝία (*in secundo* ΚΟΙΝΩΝΙΑ) ΚΥΠΡΙΩΝ. *i. e. COMMUNITAS, vel COMMUNE CYPRIORUM. In Corona Laurea, vel verius forsitan Myrtea.*

Priorem nummum ex hisce delineavit *Andr. Morellius* ex *Thesauro Regio*, posteriorem edidit *Jo. Tristanus*, *Sancti-Amantii* Dominus; atque ad ejusdem illustrationem hæc scripta reliquit Tomo I. p. 186. „ TI. CLAUD. CÆSAR „ AUG. . . Effigies Claudii. Ab altera parte „ Græca hæc cernitur epigraphe in corona, „ prouti videtur, myrtea. ΚΟΙΝΩΝΙΑ ΚΥΠΡΙΩΝ. „ *Communitas Cypriorum.* Pictura hujus Coronæ „ indicare videtur Coronam similem auream, quam „ Communitas Cypriorum ad Claudium Cæsarem „ miserit, ut studium suum erga illum declara„ ret, ne minores viderentur aliis Provinciis, „ quæ pari modo Imperium Claudio gratulati „ fue-

„ fuerant. Quam Coronam videntur ad myrteæ „ fimilitudinem formaffe, & tenuiora arbufculi „ ejus folia, quoniam Dea tutelaris Cypri infulæ „ erat Venus, Veneris autem arbor Myrtus; ne- „ que ingrata Cæfari propter genus Julium Augu- „ ftumque ex eadem Dea. Eft infuper nummus „ hic ex ære Cyprio, quod rutilum æris genus, „ monetæ ut plurimum infervire folebat. “

Num. 15.

Τιβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR.*) *Caput Claudii nudum.*

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ (*AUGUSTUS, MACEDONUM*) *Clypeus.*

Hunc nummum primus inter Antiquarios edidit *Sebaft. Ericius* p. 105. atque hæc addidit: „ Claudii nummus ex ære medio, ætate juvenili, „ atque fine corona in capite, cum Græca hac „ infcriptione ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Ab alte- „ ra parte rotunda eft figura tamquam clypei, „ cum hifce in ambitu literis: ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΣΕ- „ ΒΑΣΤΟΣ. Primæ partis infcriptio Latine fic „ fonat: *Tiberius Claudius Cæfar*; pofterioris ita: „ *Macedonum Auguftus.* Macedones itaque num- „ mum hunc in Claudii Imperatoris honorem fi- „ gnarunt, quem blandiendo in nummo hoc Au- „ guftum fuum five Principem adpellant. “

Hæc Ericius; verum pofterior vox ΣΕΒΑΣΤΟΣ feu *Auguftus*, abfolvit infcriptionem partis prioris, neque ad Macedonum blanditias vel adfentationem ullo modo pertinet. Clypeus vero plane eft ejufmodi qualis in Macedonum nummis Græcis obfervari folet, adeoque fymbolum feu emblema Macedoniæ. Depinxit picturam Morellius ex nummo *Thefauri Regii.*

Num. 16.

Capitis pars mihi ignota eft.

ΜΙΛΗΣΙΩΝ ΔΙΔΥΜΕΥΣ. (*MILESIORUM DIDYMEUS fcil. Apollo*) *Apollo totus nudus ftans, dextra cervum gerit, læva arcum.*

Didymæi Apollinis magna apud Veteres fama & veneratio fuit. Templi apud Milefios eidem facrati (Mileti enim peculiari cultu colebatur) locum & fitum defcribit *Strabo* Lib. XIV. p. 941. Μετὰ δὲ τὸ Ποσείδιον τὸ Μιλήσιον, ἑξῆς ἐστὶ τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος τὸ ἐν Βραγχίδαις ἀναβάντι ὅσον ὀκτωκαίδεκα σταδίους, ἐνεπρήσθη δ' ὑπὸ Ξέρξου, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερὰ πλὴν τοῦ ἐν Ἐφέσῳ. *Poft Pofidium feu Neptunium Milefiorum deinceps eft oraculum Didymei Apollinis in Branchidis, furfum verfus circiter XVIII. ftadia. Incenfum eft a Xerxe, ut & alia omnia templa præter Ephefinum.* Antiquitatis fummæ fuit, utpote quod exftiterit ante Ionum in Afiam adventum. Paufanias Lib. VII. p. 525. Τὸ δὲ ἱερὸν τὸ ἐν Διδύμοις τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τὸ μαντεῖόν ἐστιν ἀρχαιότερον, ἢ κατὰ τὴν Ἰώνων ἐσοίκησιν. *Apollinis certe quod Didymis templum eft, & oraculum, multo ante Ionum commigrationem conditum fuit.*

Signum Apollinis Didymei in illo exftitit templo, eo (ut videtur ornatu) quo in hoc atque aliis nummis comparet. Nam inter Medalliones *Ludovici Magni* Tab. XX. Num. 4. in honorem Caligulæ cufum Egialeorum occurrit Numifma, in quo Juno Pronuba atque Apollo Didymeus depinguntur; & Apollo quidem plane eodem, ut in nummo hoc, ornatu, nifi quod ibi fimulacrum ejus fit ex adverfo, quod in hoc nummo ad latus confpicitur; læva ibidem arcum tenet, fed dextra informe quid, quod ex ipfo numifmate pictor adfequi non potuit, fed certo certius cervus effe debet. Severi infuper occurrit Numifma Tab. XVII. Num. 4. ab ipfis Milefiis fignatum. In eo præter figuram muliebrem veftitam, Phrygioque pileo exornatam, Apollinis pariter, & fparfis capillis, ut in hoc, quem explicamus, atque laudato modo Numifmate, cernitur effigies tota nuda, dextra manu pateram, læva, vel nihil, vel arcum tenens. Imo figuram illam nudam, quæ cum ftante ad pedes cervo occurrit inter Britannici, qui filius Claudii fuit, nummos, Num. 1. pariter de Apolline Didymeo capi debere exiftimo, pateram five phialam dextra tenente. Sed & Græcus Balbini nummus præclarus apud *Petrum Seguinum* in Selectis Numifmatibus p. 132. & templum Apollinis Didymei & fignum exhibet, nudo videlicet corpore, dextra cervum tenens, læva arcum, & doctiffime ibidem venerabilis Vir Paufaniæ commemorat teftimonium ex Arcadicis, five Lib. VIII. cap. XLVII. p. 694. de Apollinis figno æneo, quod abftulerat Xerxes, reddiderat vero Milefiis longo poft tempore Seleucus, Syriæ Rex.

Cervus autem in hifce Milefiorum, aliifque aliorum nummis, Apollini tribuitur, ut Soli, refpectu rapidi ejufdem curfus; unde & in Ægyptio nummo Ofiridis fimulacrum pariter altera manu cervum gerit in nummo *Trajani*, publicato ab eodem *Seguino* p. 131.

Num. 17.

ΑΥΤΟΚΡΑ .... Τιβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικός. (*IMPERATOR TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS. Caput Claudii nudum. Hæc enim videtur effe capitis infcriptio in tribus, qui hoc in ordine fe invicem excipiunt, nummis.*)

Λούκιος ΜΙΝΔΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. (*LUCIUS MINDIUS BALBUS PROCONSULE*) *Ædificium duarum fibi invicem fuperpofitarum columnationum, cujus periftylio infcribitur* ΝΙΚΑΙΕΩΝ. (*NICÆENSIUM*).

Bithyniam proconfulari imperio rectam fuiffe fub Claudio a L. Mindio Balbo ex hoc nummo difcimus. Ædificium quod exhibetur, columna-

lumnationum ratione videtur adpropinquare ad theatrum vel amphitheatrum aliquod, quod in primaria Bithyniæ urbe Nicæa ædificatum, vel inſtauratum fuerit, adjuvantibus Claudio & uxore ejus Meſſalina. Exſtat enim rariſſimus ejus Auguſtæ cum ſimili typo nummus. De utroque egimus in priore *Theſauro Morelliano* in Familia Mindia p. 284.

Num. 18.

Λύκιος ΜΙΝΔΙΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ ΠΑΤΡΩΝ. (*LUCIUS MINDIUS PROCONSULE PATRENSIUM*) *Mulier ſuperne nuda, veloci gradu fertur, ad lævam manum & humerum veli genus eſt, reſpiciens vero dextra aliquid monſtrare videtur.*

De Amazone hanc picturam explicavimus in *Theſauro Morelliano* priore, velum vero illud clypeum forte in ipſo eſſe nummo ſuſpicati ſumus; rationes noſtras vide ibidem in Fam. Mindia p. 283. Diverſus autem hic eſt L. Mindius ab illo qui præceſſit, is enim proconſule venit in Bithyniam, hic in Achajam; illi Balbo cognomen fuit, huic Pollioni; ut ex ſequenti nummo patet.

Num. 19.

ΕΠΙ Λυκίου ΜΙΝΔΙΟΥ ΠΩΛΛΙΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡέων. (*SUB LUCIO MINDIO POLLIONE PROCONSULE, PATRENSIUM*) *Caput Minervæ galeatum.*

Lubet inquirere qua de cauſſa in nummo Patrenſi ſpectetur Minervæ caput & qualis Minervæ. Doctore Pauſania profecimus, ut liquido ſatis videamur demonſtrare utrumque poſſe. Minervæ videlicet cultus in illa urbe ſingularis fuit, & quidem Minervæ Panachaidis. Pauſaniæ id docentis locus exſtat Lib. VII. cap. 20. p. 573. Τοῦ περιβόλου δὲ ἐστιν ἐντὸς τῆς Λαφρίας, καὶ Ἀθηνᾶς ναὸς, ἐπίκλησιν Παναχαΐδος· ἐλέφαντος τὸ ἄγαλμα καὶ χρυσοῦ. *Intra Laphriæ ambitum, Minervæ etiam ædes eſt cognomento Panachaidis; cujus ſignum ex auro & ebore.* Singularem certe ejus Deæ cultum & ex materia ſimulacri & ex cognomine Panachaidis facile agnoſcere licet. Ab Achæorum communi videlicet poſitam dedicatamque ædem ratio cognominis demonſtrat; ſimulacri vero materia non ex ære vel marmore, verum ex auro atque ebore, magnificentiam cultus docet.

Num. 20.

Partis prioris notitia deeſt.

ΕΜΑΙΔΙ . . . . . . *Fortunæ typus, pone illam litera Θ. adparet.*

Inſcriptio nummi valde eſt mutila, neque ipſæ literæ ſuperſtites ſatis bene exceptæ videntur.

Num. 21.

Capitis epigraphe ignota mihi eſt.

ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ. Lυκάβαντος ΗΝΡ. (*SIDONIS SACRAE ANNO CLVIII.*) *Europa tauro vecta.*

Urbis Sidonis ſæpe hoc ſolet eſſe ſymbolum; de æra Sidoniorum vide Noriſium in Epocha Syro-Maced. Diſſ. IV. Cap. V. p. 414. Vocatur Sidon in hoc nummo *Sacra* eoque epitheto ſæpiſſime in nummis occurrere ſolet. De illo cognomine ita ſcriptum reliquit *Jo. Vaillantius* in Numm. Impp. Gr. p. 211. „ ΙΕΡΑ vox, i. e. „ *Sacra*, ſeu *Sacroſancta*, in nummis quibuſdam „ ſola adpoſita, aliquam urbis prærogativam ab „ Aſylo, cum quo confunditur, ſeparatam de„ clarare videtur, quod in aliis conjunctio καὶ „ haud dubie confirmat. Ἱερὰ igitur dicitur urbs „ Elæa apud Polybium lib. IV. quorum populi „ erant omni periculo exemti omniſque belli „ expertes, tamquam eſſet in urbe ſecuritas & „ pax: unde populis vita beata. " In nummis illo titulo occurrunt Byblus, Nicopolis, Nyſſa & Sidon.

Num. 22.

Nulla capitis nota additur, ſed ſimilis videtur eſſe Num. 19.

ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ ΠΑΤΡ.... (*CLAUDIO RUFO PROCONSULE, PATRENSIUM*) *Caput Agrippinæ, conjugis Claudii, comtum & velatum. Ad latera ſunt monogrammata, quæ non facile diſſolvi & expediri poſſunt.*

Commemoratur in præclaro hoc nummo Achajæ rector Claudius Rufus, qui Proconſuli L. Mindio Pollioni, quem habuimus ſupra Num. 18. & 19. ſucceſſiſſe videtur. Inter cognomina gentis Claudiæ quoque fuiſſe Rufi, patet ex antiqua hac Inſcriptione apud Gruterum p. LXVII. Num. 1.

LIBER PATR.
TIB. CL. RVFVS
DEC. COL. ET
FLAMEN
FVN. APVL.

N U M. 23. 24.

Neque in his neque in sequentibus adest capitis epigraphe, sed videtur (in duobus quidem hisce) esse TIβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS AUGUSTUS*).

ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΠΑΤΗΡ ΠΑΤΡΙΔΟΣ. (*GERANICUS IMPERATOR PATER PATRIAE*) *In altero ex his, secundo videlicet, est statua Claudii togata, dextra tenens pateram; in altero eadem est statua in templo duarum columnarum.*

Non additur in nummi epigraphe, a quibus populis vel qua urbe statua hæc atque hoc templum Claudio fuerint erecta atque dedicata. Templum quidem illud ad fastigii extremitates exornant Victoriæ: ipsa vero statua, quæ in medio ejus posita est, sacra videtur facere supra aram accensam. Quare non dubito, quin Græciæ aliqua urbs gratulata hoc monumento fuerit Cæsari Claudio victoriam Britannicam. Posteriorem nummum ex *Thesauro Regio* depinxit *Andr. Morellius.*

N U M. 25.

Epigraphe capitis ignota mihi est.

ΙΠΠ. . . . . . . ΛΑΟΔΙΚΕ. . . (*HIPP. LAODICENORUM*) *Figura muliebris sedens, dextra tenens hastam, læva pateram.*

Videtur habitu Pietatis hac figura in nummo exprimi conjux Claudii, vel Messalina vel Agrippina. Detritæ in nummo literæ primam partem nominis magistratus, sub quo cusus fuit nummus, exprimunt.

N U M. 26.

Vacat.

N U M. 27. 28.

TIβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput Claudii laureatum.*

ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ (*JUSTITIA*) *inscribitur prior, posterior* ΕΙΡΗΝΗ (*PAX*) *in utroque solitum Dearum est symbolum.*

Nummo priori, in quo depingitur Justitia Dea dextra bilancem tenens, læva hastam, adscribitur annus Γ sive tertius Imperii Claudiani. Spicas duas in secundo nummo Dea tenet Pax, læva caduceum. Potuit per utramque figuram Conjux Claudii designari, nam & Messalina & Agrippina, cum ejusmodi Dearum symbolis in Claudianis nummis depictæ fuerunt. Servatur prior ex his in *Museo Theupolit.* p. 1098.

TABULA VIII.

QUA COMPREHENDUNTUR

GRÆCA ET ÆGYPTIA

CLAUDII

NUMISMATA.

NUM. 1.

Non additur inscriptio capitis.

. . . . . ΣΕΒΑΣΤΟΣ (. . . . AUGUSTUS) *Statua Augusti habitu sedentis.*

Cernitur in hoc nummo Divi Augusti imago, capite radiato, sedens in sella curuli, læva hastam tenens, dextra pateram. Quæ regio vel urbs honorem hunc domui Augustæ habuerit non adscribitur. Literæ aliquot erosæ sunt, quæ per ΘΕΟΣ videntur debere restitui, ut *DEUS*, sicuti in pluribus nummis, dicatur Augustus, atque honoretur Claudius a Deo Augusto originem ducens.

NUM. 2.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑνικος ΣΕΒΑςτος (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS AUGUSTUS*) *Caput Claudii nudum.*

ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ (*DEA AUGUSTA*) *Caput Messalinæ, ut quibusdam videtur, ut nobis, Liviæ.*

Cum Græca hac inscriptione utriusque hujus nummi pars describitur in *Thes. Theupolit.* p. 844. ubi Messalinæ & Claudio adsignatur; alteram ejus partem cum capite muliebri jam pridem vulgavit *Sebast. Ericius* p. 211. ubi ita scribit: „ Tiberii Claudii nummus æreus, Græcus, parvus, facie satis juvenili, artis optimæ, hanc habet inscriptionem: ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ . . . ΣΕΒΑΣ. . . . . . i. e. *Tiberius Claudius Augustus.* „ Ab altera parte cernitur pulcherrimum caput muliebre cum hisce literis: ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. „ i. e. *Dea Augusta.* Cusus fuit hic nummus a „ Græcis in honorem Tiberii Claudii ejusque „ uxoris, cui (sicuti passim in Græcis Imperatorum nummis fieri solet) tribuuntur honores „ divini, dum ea adpellatur *Dea Augusta.* Sed „ ad quam Claudii conjugem hic nummus & honor pertineat, difficile discerni poterit, quoniam nomen ejusdem non additur. Sex uxores Claudius habuit, Æmiliam Lepidam, L. „ Paulli filiam, Liviam Medullinam Camillam „ ex antiqua Camilli Dictatoris domo, Plautiam „ Herculanillam, M. Plautii filiam, Æliam Petinam filiam Sexti Ælii, Valeriam Messalinam „ filiam M. Messallæ Barbati, & denique Agrippinam, Germanici, fratris sui, filiam, a „ qua per fraudem veneno necatus fuit. Sed facies in hoc nummo ad Agrippinam nullo modo „ accedit, notissima enim Agrippinæ est facies „ ex nummis ejus aureis atque argenteis. Pertinet itaque ad aliam ex prioribus conjugibus, „ juvenilior enim Claudii est facies; nam quum „ dolo Agrippinæ fuit occisus, ad annum ætatis „ sexagesimum & tertium pervenerat; at longe junior in hoc adparet nummo. “ Hæc ibi *Ericius*, quem miror quod non potius adjudicaverit Messalinæ, cujus Latinum nummum, nomine ejus inscriptum, paullo antea depinxerat atque explicaverat idem Antiquarius, videlicet p. 209. ubi nummum illum (qui in aliqua colonia mihi videtur fuisse cusus) ita describit & explicat. „ Nummulus Claudii æreus, ætate juvenili sine „ corona, cum hac inscriptione TI. CLAUDIUS CAESAR. Ab altera parte caput habet muliebre cum hac epigraphe VALERIA „ MESSALLINA. Signatus fuit hic nummus „ in honorem Claudii & Messalinæ, conjugis ejusdem, quam ardentissime amavit Claudius. „ Sed quoniam erat libidinosissima & turpissimis amoribus dedita, præterea haud levem pavorem animo Claudii incuteret, ne promoto „ ad imperium adultero suo Silio, contra illum „ conspiraret, coactus fuit jubere ut occideretur. „ Qua de re ita scriptum invenimus apud Suetonium: *Post has Valeriam Messalinam, Barbati „ Messalæ consobrini sui filiam, in matrimonium accepit:*

„ *cepit: Quam cum comperiſſet ſuper cætera flagitia atque dedecora, C. Silio etiam nupſiſſe, dote inter aruſpices conſignata, ſupplicio affecit.* Inhoneſtam atque famoſam Meſſalinæ ejus vitam, Græcus ſcriptor Dio hiſce quoque literis conſignavit Lib. LX. *Meſſalina vero adulteriis & ſtupris non contenta, (jam enim etiam in lupanari in palatio ſeſe & alias primarias feminas proſtituebat) maritos quoque ſimul multos, ſcilicet lege quadam, habere cupivit. Ideo C. Silio nupſit, nuptiaſque magno ſumptu paravit, regiamque ei donavit, precioſiſſimis quibuſque Claudii rebus in eam congeſtis: denique Conſulem eum deſignavit. &c.* Fuit itaque Meſſalina hæc exemplar monſtroſum libidinis atque avaritiæ, atque luxuria ſuperavit omnes mulieres Romanas. Palatium enim Imperiale convertit in ſtabulum meretricium, atque cum proſtitutæ libidinis ſcortis de palma certaſſe fertur, eaſque viciſſe. Sed & Matronas Romanas nobiliſſimas, ſimiliter corpora proſtituere coegit, fœdaque pati coram maritis ſuis, qui propterea ab eadem divitias, magiſtratus & honores conſequebantur. Imo ita libidinibus exarſit, ut ſi quis illi forma aliave de cauſſa placuiſſet, is, niſi voluntati ejus morem gereret, vitæ adiret diſcrimen. Quare hiſce verſibus luxurioſam ejus vitam diffamavit Juvenalis:

„ *Reſpice rivales divorum: Claudius audi,*
„ *Quæ tulerit: dormire virum cum ſenſerat uxor,*
„ *Auſa Palatino tegetem præferre cubili,*
„ *Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos,*
„ *Linquebat comite ancilla non amplius una.*
„ *Et nigrum flavo crinem abſcondente galero,*
„ *Intravit calidum veteri centone lupanar,*
„ *Et cellam vacuam atque ſuam: tum nuda papillis*
„ *Conſtitit auratis titulum mentita Lyciſcæ:*
„ *Oſtentatque tuum, generoſe Britannice, ventrem.*
„ *Excepit blanda intrantes, atque æra popoſcit.*
„ *Mox lenone ſuas jam dimittente puellas,*
„ *Triſtis abit, ſed quod potuit, tantum ultima cellam*
„ *Clauſit adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ;*
„ *Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.*
„ *Obſcuriſque genis turpis, fumoque lucernæ*
„ *Fœda, lupanaris tulit ad pulvinar odorem*
„ *Hippomanes, carmenque, loquar, coctumque venenum,*
„ *Privignoque datum? faciunt graviora coactæ*
„ *Imperio ſexus: minimumque libidine peccant.*

„ Quare merito mulierem tam ſceleratam atque impudicam occidi juſſit Claudius. Poſt necem Meſſalinæ ex Senatusconſulto omnes ejus imagines, ſtatuæ, & honorum tituli publicis privatiſque locis remoti ſunt. Et hinc, ut opinor, tam pauca & raro occurrentia ſunt numiſmata Meſſalinæ, ut & imagines ejus ex marmore vel alia quacumque materia. " Neque tamen crediderim ad Meſſalinam in Græco nummo caput illud muliebre pertinere, ſed potius ad Liviam, quæ & ſequenti nummo una cum Antonia Druſi depingitur.

NUM. 3.

Non additur nummi hujus pars anterior.

ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ ΑΝΤΩΝΙΑ. (*DEA AUGUSTA, ANTONIA*) *Juncta capita duo muliebria, videlicet Liviæ atque Antoniæ.*

Non dubitavi conjunctas in hoc rariſſimo nummo facies referre ad Antoniam Claudii matrem, quæ nomine ſuo exprimitur, atque ad Liviam, cui curæ admodum Antonia Druſi fuit. Mortuo enim Druſo marito, ſecundas nuptias inire noluit, ſed apud Liviam manſit, ut teſtatur Valerius Maximus Lib. IV. Cap. 3. *Femina laudibus virilem familiæ ſuæ claritatem ſupergreſſa, amorem mariti egregia fide penſavit, quæ poſt ejus exceſſum forma & ætate florens, cubiculum ſocrus pro conjuge habuit, in eodemque toro alterius adoleſcentiæ vigor exſtinctus eſt, alterius viduitatis experientia conſenuit.*

NUM. 4.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜάνικος ΣΕΒαςος (*TIBERIUS CLAUDIUS GERMANICUS AUGUSTUS*) *Caput Claudii nudum dextram verſus.*

ΔΡΟΥσος ΓΕΡΜάνικος ΑΝΤΩΝΙΑ. (*DRUSUS GERMANICUS, ANTONIA*) *Adverſa Druſi & Antoniæ, parentum Claudii, capita.*

Pietatem Claudii commendare voluit Græca urbs, quæ ſignavit nummum. Pertinet eo teſtimonium Suetonii in Claudio Cap. XI. *Parentibus inferias publicas: & hoc amplius, patri circenſes annuos natali die: matri carpentum, quod per circum duceretur: & cognomen Auguſtæ, ab avia recuſatum.*

Servatur inſignis hic nummus in *Muſeo noſtro.*

NUM. 5.

Partis anterioris notitia non additur.

. . . . . . ΙΟΣ ΚΑΙσαρ ΑΓΡΙΠΠΙΝ . . . (. . . *DIUS AGRIPPIN* . . . .) *Capita adverſa Claudii nudum, Agrippinæ velatum.*

Dolendum eſt, quod notitiam alterius partis non habeamus, in qua fortaſſe Neronis, Agrippinæ filii, caput fuit expreſſum. Exſtat autem non diſſimilis nummus apud *Car. Patin.* Ed. Argent. p. 107. in quo juxta ſimiliter exornata & adverſa Claudii & Agrippinæ capita ſcribitur ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ. (*CLAUDIUM AUGUSTUM, AGRIPPINAM AUGUSTAM* ſcil. *venerantur.*) A priore vero parte Claudii laureatum eſt caput cum hac epigraphe ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΓΕΡΜάνικος ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS GERMANICUS AUGUSTUS.*) cum capite Claudii laureato.

NUM. 6. 7. 8.

Vacant.

NUM. 9. 10.

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ. (*REX HERODES PHILOCLAUDIUS*) *Caput Claudii Imperatoris, diademate revinctum.*

ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤους Γ. (*CLAUDIO CAESARI AUGUSTO ANNO TERTIO*) *in laurea.*

Præclarum hoc Numisma plures depinxerunt Antiquarii atque contemplati sunt. Primus inter illos exstitit *Petrus Seguinus*, qui edidit inter selecta Numism. edit. pr. p. 41. poster. p. 50. *Carolus Patinus* deinde, apud quem invenitur Ed. Argent. p. 102. Paris. p. 80. Post quos *Ezech. Spanhemius* in minore Edit. p. 443. in majore Tom. I. p. 522. *Laurent. Begerus* in *Thes. Palat.* p. 141. & tandem *Andr. Morellius* noster, qui illud depinxit ex *Thesauro Regio*. Passim autem litera numeralis E pro Γ in picturis eorumdem occurrit, ex errore videlicet pictoris *Seguiniani* nummi, quum ipse *Seguinus* testetur exstare in nummo literam Γ. Errant quoque Viri Docti, qui faciem hanc ad Regem Herodem referunt, est enim Claudii, Imperatoris Romani facies; neque novum est diademate revinctum cernere caput Imperatoris Romani in nummis Regum Græcorum; uti adparere potest ex variis nummis Cæsaris Augusti a Thraciæ Regulo Rhœmetalce cusis, inter Augusti nummos Tab. XLI. Num. VI. & seqq. Quæ vero plura ad hujus nummi explicationem pertinent, cerni possunt apud *Petrum Seguinum* atque *Ezech. Spanhemium*. Pertinet nummus ad Herodem Agrippam, Judææ regem, amicum Claudii, & pluribus beneficiis Imperatori Claudio obstrictum.

NUM. 11.

Vacat.

NUM. 12.

Non adest capitis epigraphe.

ΔΙΟΣ (*JOVIS*) *Caput Jovis laureatum, ante quod stella cernitur.*

Patinus, qui picturam nummi primus edidit Arg. Ed. p. 103. Paris. p. 81. addit, cognomen Jovis in nummo fuisse erosum.

NUM. 13.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡμανικος Lυκάβαντος I. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS ANNO X.*) *In alio* IA. (*ANNO XI.*)

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ (*IMPERATOR*) *Caput barbatum, ante quod puer ex cornucopiæ erumpit, pone caput aliud est cornucopiæ.*

Nummus est Ægyptius, caput barbatum flumen Nilum designat; cornuacopiæ ubertatem agri Ægyptii propter Nili inundationem. Pueri sæpissime Nilo fluvio adpingi solent, incrementum fluvii denotantes. Uterque nummus servatur in *Museo Theupolit.* p. 1099. & in *Nostro*, ex *Thesauro Regio* depinxit *Andr. Morellius.*

NUM. 14.

Inscriptio partis primæ similis præcedenti vel sequentibus esse videtur.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. (*IMPERATOR*) *Caput Africæ elephantinis exsuviis & proboscide tectum.*

Passim in Imperatorum nummis ejusmodi ornatu conspicua est Africa. Nummum hunc & præcedentem vulgavit *Patinus* Ed. Arg. p. 193. Paris. 80.

NUM. 15. 16.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. Lυκάβαντος Α. *in altero* Β. (*IMPERATOR ANNO I. vel II.*) *Victoria gradiens cum corolla & palma.*

Spectare hi typi nummique videntur ad victoriam Claudii per Galbam & Gabinium de Chattis atque Marsis relatam, anno Imperii ejusdem primo.

NUM. 17. 18. 19. 20.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος. (*CLAUDIUS AUGUSTUS GERMANICUS*) *vel*, ΤΙϐέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣΑΡ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR*) *vel*, ΤΙϐέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput Claudii laureatum cum astro ante faciem.*

Λυκάϐαντος Β. *vel*, ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάϐαντος Β *pro quo numero in aliis* Γ. *vel* Ε. (*IMPERATOR ANNO II.*) *vel*, *III. vel*, *V. Bos cornupeta.*

Primus ex quatuor hisce nummis servatur in *Thes. Regio*; secundum vulgarunt *Sebast. Ericius* & *Carolus Patinus*, exstatque idem in *Museo Farnes.* tertius in *Museo nostro* est, ut & in *Theupolitano* p. 1098. Quartum non inveni. Bos cornupeta fertilitatis est symbolum, isque typus Ægyptiis nummis bene convenit. Memoriam muneris & venationis servari typo illo credidit *Sebast. Ericius*, dum ita scribit p. 106, ,, Claudii ,, nummus in parvo ære, cum pulchra patina viridi, Græca, caput Claudii cum astro habet ,, in area, atque hac inscriptione ΤΙ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙΣΑΡ. i. e. *Tiberius Claudius Cæsar*. Ab altera ,, parte ferociens cernitur taurus, qui sublato altero pede iratus capite & cornubus minari videtur. Adscribuntur hæ literæ ΑΥΤΟΚΡΑΤ. i. e. ,, *Imperator*. Signatus hic nummus fuit in aliqua ,, civitate Græca, cujus nomen in nummo non ,, legitur, in honorem Claudii. Taurus vero ferociens atque cum impetu proruens robur insigne denotat, cujus videlicet symbolum apud ,, antiquos taurus fuit; prouti animadvertere licet ex aliis nummis Græcis, qui Imperatorum Romanorum capita non habent. Robur ,, illud forsitan per adulationem civitas illa Græca adsignavit Principi Romano. Sed forsitan ,, non errabimus, si dicamus, servare nummum hunc memoriam venationis alicujus, in ,, qua tauri ejusmodi ferocissimi fuerunt exhibiti, sive festi alicujus anniversarii, quod in ,, Campo Martio fuerit exhibitum per venationes ,, ferarum. Mentio ejusmodi lætitiæ est apud *Suetonium* in Vita Claudii Cap. XXI. *Præterea Thessalos equites, qui feros tauros per spatia Circi agunt, insiliuntque defessos, & ad terram cornibus detrahunt. Gladiatoria munera plurifaria, ac multiplicia exhibuit. Anniversarium in castris prætorianis, sine venatione, apparatuque; justum, atque legitimum in septis.* &c.

Hæc *Ericius*, quæ vero ille narrat de ejusmodi ludicro, in quo Thessali feros tauros eo modo oppugnare solebant, egregie patent ex nummo quodam Pheræorum in Museo Saxo-Gothano, atque Festo Ταυροκαθαψιῶν, quod depingitur inter Marmora Oxoniensia. Utrumque vide in Dissertatione nostra de Lit. Gr. varia Scriptura &c. Tom. I. Scriptorum de Linguæ Gr. Pronunciatione p. 292. Verum hic Claudii nummus & similes ad terram Ægyptiam ejusque fertilitatem spectant.

NUM. 21. 22.

ΤΙϐέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput Claudii laureatum cum astro ante faciem.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΛυκαϐαντοςΓ. *In altero* Λυκάϐαντος Β. (*IMPERATOR ANNO III. vel II.*) *Hippopotamus.*

Prior ex his servatur in *Museo nostro*, ut & in *Theupolitano*, in quo vulgatur pag. 1098. Vulgavit & depinxit eumdem *Carolus Patinus* Ed. Argent. p. 104. & Paris. p. 81. Secundum ex *Thesauro Regio* depinxit *Morellius*. Hippopotamus, Nili incola, Ægypti est symbolum.

NUM. 23.

Capitis epigraphe a reliquis non multum discrepare videtur.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. (*IMPERATOR*) *Leo gradiens, infra est frumenti spica.*

Leo quoque Africæ est symbolum, spica ejusdem Provinciæ fertilitatem designat.

NUM. 24.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Caput Claudii laureatum.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάϐαντος ΙΑ. (*IMPERATOR ANNO XI.*) *Dextra caduceum tenens cum duabus spicis & totidem papaveribus.*

Hoc quoque fertilitatis est symbolum & simul pacis. Quare celebratur hoc typo pax & fertilitas Ægypti sub Principe Claudio.

NUM.

NUM. 25. 26. 27.

ΤΙβέϱιος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαϱ ΣΕΒαςος ΓΕΡΜάνικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput Claudii laureatum.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωϱ (*IMPERATOR*) *Aquila insistens fulmini. In primo adscribitur* Λυκάβαντος ΙΑ. (*ANNO .I.*) *in secundo* Λυκάβαντος ΙΓ. (*ANNO XIII.*) *In tertio idem annus, qui in secundo adest, notatur, sed aquila respiciens pingitur.*

Jam a temporibus Ptolemæorum nihil frequentius in Ægyptiorum nummis, quam aquila, adparet. Unde haud mirum Africæ quoque & Ægypti symbolum in hisce nummis Imperatoriis esse aquilam, sicut in Regum Ptolemæorum nummis, fulmini insistentem. Secundus nummus, quem ex *Thes. Regio* repræsentavit *Morellius*, invenitur quoque apud *Carol. Patin.* Ed. Argent. p. 103. Paris. p. 80. in *Museo Farnes.* Tab. XVII. Num. 7. inter Claudianos, & denique in *Museo Theupol.* p. 1099. Tertius in *nostro Museo* servatur.

NUM. 28.

Inscriptio capitis non multum a præcedentibus abludere videtur.

ΑΥΤΟΚΡΑτωϱ Λυκάβαντος ΙΑ. (*IMPERATOR ANNO XI.*) *Dextræ junctæ.*

Concordiæ hoc est symbolum. Vulgavit nummum *Car. Patinus* Ed. Arg. p. 104. Paris. p. 81.

TABULA IX.

PERSEQUITUR NUMISMATA CLAUDII ÆGYPTIA EX MEDIO ÆRE, EXHIBET DEINDE LATINA ET GRÆCA EX ÆRE MINIMO.

NUM. 1.

ΤΙβέϱιος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαϱ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡΜΑνικος Λυκάβαντος Ι. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUTUS GERMANICUS ANNO X.*) *Caput Claudii laureatum.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωϱ. (*IMPERATOR*) *Sex spicæ in fasciculum colligatæ intermedio caduceo alato.*

Pacem & fertilitatem Ægypti sub Imperio Claudii benigno denotat typus. Exstat hic nummus in *Museo nostro*, ut & *Theupolit.* p. 1099.

NUM. 2.

Epigraphe eadem, caput idem.

ΑΥΤΟΚΡΑτωϱ. (*IMPERATOR*) *Septem spicæ in fasciculum colligatæ sed sine caduceo.*

Et hic nummus, qui ejusdem ubertatis amplissimæ testis est, in *Museo nostro* invenitur, ut & in *Theupolit.* p. 1099. Utrumque ex *Thes. Regio* delineavit *Andr. Morellius.* Posterior exstat quoque apud *Patin.* p. 104.

NUM. 3. 4. 5.

Vacant.

NUM. 6.

Capitis inſcriptio videtur eſſe hæc:

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣτὸς ΓΕΡΜΑνικος. *Claudii caput laureatum.*

ΕΠΙ ΤΙΤΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ . . . . . ΛΟΥ. (*SUB TITO JULIO . . . . . LU.*) (*Figura muliebris ſtans, dextra tenens bilancem, læva duas ſpicas.*

Juſtitiam Claudii, atque ubertatem rerum omnium ſub Imperio ejus laudat hic typus. Diligentiam Claudii in jure dicundo commemorat *Suetonius*, qui cap. XV. notat *cauſſidicos ſolitos patientia ejus abuti.*

NUM. 7.

Epigraphe capitis incognita mihi eſt.

. . . . ΩΧ. *Diana Epheſia cum verubus.*

Plures in Aſia minore fuere urbes, quæ Dianæ Epheſiæ cultum receperunt, ejuſque Deæ imagine nummos ſuos exornarunt. Quam itaque hujus nummi epigraphe adeo eroſa ſit, nihil ut inde certum vel veroſimile conjectura poſſimus adſequi, aliud integrius erit exſpectandum exemplar.

NUM. 8.

Neque hujus pars anterior nobis eſt cognita.

ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ . . . . ΙΑ. (*HERCULIS . . . .*) *Pharetra cum arcu.*

Nomen Herculis ad Deum Herculem ſpectat, cujus arma cum pharetra & arcu exprimuntur. Sed cognomen ejuſdem Herculis periit, literis eroſis; ita ut neque de illo, neque de urbe Græca, in qua ſignatus fuerit nummus, judicium ferri poſſit.

NUM. 9. 10.

Poſterior numerus vacat, prioris epigraphe a parte capitis hæc ſolet eſſe: Tiberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator. Caput Claudii nudum.

ROMae ET AUGuſto. Ara; hinc & inde Victoria in cippo.

Frequens hic typus ſolet eſſe minimi æris in nummulis ſub Tiberio IMP. VII. ſignatis; ſed in Claudio non tam frequenter occurrit. Quare hunc ex *Theſ. Regio* depinxit *Andr. Morellius*; Invenitur ſimilis in *Muſeo Theupoli*. p. 401.

NUM. 11. 12. 13.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGuſtus. Manus bilancem tenens ſubſcriptis hiſce literis P. N. R.

PONtifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator COnSul DESignatus ITerum, in area nummuli Senatusconſulti eſt nota.

vel,

PONtifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ COnSul II. in area nummuli ſimilis eſt nota Senatusconſulti.

Videtur providentia Auguſti Claudii haud levis fuiſſe reſpectu monetæ Romanæ, ejuſque valoris. Hinc eſt, quod tot nummos Auguſti aliorumque, qui ante Claudium imperarunt, Principum, invenire licet, qui ſub Claudii Principatu incuſas notas acceperunt, prouti videre licet Tom. I. in Auguſto. Literas igitur P. N. R. cum aliis Antiquæ rei ſtudioſis puto explicandas eſſe: *Pondus Nummi Romani.* Uterque nummulus ſervatur in *Muſeo* noſtro aliiſque; nota *Theſ. Comitis Schwartzburg.* hiſce a *Morellio* eſt adpicta. Habet & *Muſeum Theupoli*, p. 794. 795.

NUM. 14. 15. 16.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus. Modius.

PONTifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator COnSul DESignatus Iterum. in area est nota Senatusconsulti.

vel,

PONTifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ COnSul II. in area itidem Senatusconsulti nota.

Curam annonæ in Claudio typus nummulorum horum laudat; non illam videlicet tantum, qua providit ut frumentum Urbi undique adveheretur; sed ne iniqua ejusdem atque fraudulenta esset mensura. Optime ita hi nummuli cum iis, qui præcessere conveniunt; nam sicuti illi ad æquum pondus monetæ spectarit, sic hi ad mensuram æquam & justam. Utriusque cura Principe digna est, de utraque solicitum fuisse Claudium patet. Delineavit eosdem ex *Thes. Regio* noster *Morellius*; servantur & in *Museo nostro*, ut & *Theupoli.* p. 794. 795.

NUM. 17. 18.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGustus. Modius.

PONtifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ COnSul III. in area est nota Senatusconsulti.

Patet repetitum fuisse hujus nummi typum sub Claudio diversis ejusdem Consulatibus, adeoque Senatum haud levem eam curam circa justam dimensionem frumenti existimasse. Servatur & hic in *Museo Theupoli.* p. 796.

NUM. 19.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus. Caput Claudii laureatum.

Colonia Campestris Julia Babba. Decreto Decurionum. Palma arbor cum dactylis.

Capitis illam, quam produximus, inscriptionem habet hic nummulus in *Museo Theupolitano*, ubi occurrit p. 667. Sed apud *Vaillantium* Tom. I. p. 154. hæc illi adsignatur epigraphe: *TIberius CLAUdius Germanicus CAESar.* Explicatio hujus nummi apud eumdem *Vaillantium* ibidem inveniri potest; qui recte juxta *Harduinum* statuit typo Palmæ arboris respici ad antiquam Babbensium ex Tyro atque Phœnicia originem; eodem enim respicit ejusdem civitatis Africanæ typus in nummulo sequente. Ex *Thes. Regio* depictus est per *Morellium.*

NUM. 20.

Epigraphe nummuli ab utraque parte præcedenti est similis.

In aversa exhibetur Taurus aquis innatans.

Babbenses hoc quoque typo ad originem, uti dixi, Tyriam respexerunt. Raptus enim Europæ, filiæ Agenoris, typo tauri in quem mutaverat se Jupiter, innuitur.

NUM. 21.

TIberius CLAUDius CAISAR ut scribitur in Museo Theupolian. p. 667. uti apud Vaillant. Tom. I. p. 156. TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus. Caput Claudii laureatum.

V. VIII. Duæ aquilæ legionariæ signis militaribus impositæ.

Pertinet nummus ad Coloniam Berytum, ut docuit *Jo. Vaillant.* illuc enim deductæ fuerunt legionum V. Macedonicæ & VIII. Augustæ veterani.

NUM. 22.

TIberius CLAUDius CAESAR AUGustus Caput Claudii laureatum.

CORinthus, TIberio CLAUDio OPTATO II. VIRo. Figura militaris, stans in cippo, dextra vexillum tenet.

Deductæ coloniæ symbolum exprimi existimo, quoniam tum ara poni & vexillum erigi solebat. Hæc enim posterior *Vaillantii* Tom. I. p. 157. expositio commodior est priori, quæ refertur ad receptam ex clade Variana aquilam. Nulla hic aquila, sed signum militare; Claudium hunc Claudii Cæsaris libertum fuisse haud difficulter largior.

NUM.

Num. 23.

Capitis inscriptio mihi incognita est.

TIberio CLAUDio OPTATO II. VIRo CORinthus. in circulo; intus vero in corolla ex apio scribitur ISTHMIA.

Festivitatem ludorum sacrorum, quæ Corinthi sub Imperio Claudii atque decemviratu Tiberii Claudii Optati fuerunt celebrati, hic nummulus testatur.

Num. 24.

CLAUDius CAESar AUGustus Pater Patriæ. Claudii caput laureatum.

CORinthus OCTAVIO LUSCINO ITERum II. VIRo. Templum sex columnarum in rupibus.

Corinthii; qui nummum hunc in honorem Claudii signarunt, descripserunt in eo Templum Veneris in rupe, quæ Acrocorinthus dicebatur. Commendari sese Claudio illo potissimum typo rati sunt, propter originem gentis Juliæ ex Venere. Vide *Vaill.* Tom. I. p. 158. Invenitur Nummus in *Museo Theupol.* p. 668.

Num. 25.

CLAUDius CAESar. Caput Claudii laureatum.

CORinthus OCTAVIO LUSCINIO II. VIRo ITERum. Pegasus a rupe exsiliens.

Alluditur in typo ad fabulam Pegasi, qui dum in Acrocorintho bibit ad Pirenem fontem, captus a cive Corinthio Bellerophonte fertur, teste *Strabone* Lib. VIII. p. 379. Vide *Vaillantium* Tom. I. p. 158.

Num. 26. 27.

Vacant, incipiuntque deinceps nummi iterum Græci, sed ex minimo ære.

Num. 28.

ΑΥΤοκράτωρ ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔιος ΓΕΡΜάνικος ΣΕΒαστὸς (*IMPERATOR TIBERIUS CLAUDIUS GERMANICUS AUGUSTUS*) *Caput Claudii laureatum.*

ΑΙΓΑΕΩΝ ΕΠΙ ΙΟΥλιου ΚΛΑΣΟΥ ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΥ (*SUB JULIO CLASO ARTEMIDORO, ÆGEORUM*) *Æsculapius stans, dextra baculo nixa, læva herbam sive ramusculum gerens.*

Nummulus hic, quem ex *Thesauro Regio* depinxit *Andr. Morellius*, testatur Æsculapii in Ægea, Æolidis urbe, cultum.

Num. 29. 30. 31. 32. 33.

ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ (*ÆZANITARUM*) *Jupiter stans, dextra aquilam tenet, læva hastam.*

Æzanitas in Phrygia insigni cultu Jovem Philalethen fuisse veneratos tot ab iisdem illo typo cusi nummi ostendunt. Nam præter Num. 29. ex *Thes. Regio* depromtum, sequuntur tres alii. Inter quos qui Num. 30. signatur, ex *Christinæ Reginæ Museo* Magistratus nomen præfert, videlicet Antiochi, legitur enim ΕΠΙ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. qui sequitur *Socratis*, postremus (nam Num. 33. vacat) *Lysaniæ* nomen habet; qui & ipse ex *Thesauro Regio* depromtus est. Num. 31. similis invenitur in *Museo Theupoliano* p. 843. ubi a parte capitis laureati legitur . . . . ΚΛΑΥΔΙΟϹ . . . . Possideo ipse integerrimum, qui caput Claudii laureatum exhibet cum hac (quam communem quatuor hisce nummis esse reor) epigraphe: ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. (CLAUDIUS CÆSAR) ab altera parte juxta Jovem Philalethen legitur: ΕΠΙ ΜΗΝΟΓΕΝΟΥ ΤΟΥ ΝΑΝΝΑ. (SUB MENOGENE NANNÆ vel NANNATI filio) descrepante ab hisce *Morellii* nummis Magistratus nomine.

TABULA IX.

QUÆ COMPLECTITUR
RELIQUA GRÆCA
UT ET
EX MS. H. GOLTZII.
CLAUDII
NUMISMATA.

NUM. 1. 2. 3.

ΑΙΖΑΝΙΤΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΑΙCΑΡΑ (*ÆZANITARUM qui CLAUDIUM CÆSAREM colunt.*) *Caput Claudii laureatum lævam versus.*

ΕΠΙ ΛΟΛΛΙΟΥ ΙΕΡΑΚΟC (*SUB LOLLIO HIERACIS FILIO*) *vel* (*ut in altero*) ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΙΕΡΑΚΟC (*CLAUDIO HIERACIS FILIO*) *Jupiter Philalethes, ut in nummis posterioribus Tabulæ præcedentis.*

In hisce Æzanitarum nummis populi nomen ad partem capitis Claudii ponitur. Lollius & Claudius, Hieracis filii, videntur fuisse fratres. Prior nummus ex *Thesauro Regis Galliæ* est desumtus.

NUM. 4.

ΜΥΩΝΟΣ ΣΥΝΑΡΧΙΑ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. (*MYONIS, SYNARCHIA ANTIOCHENSIUM*) *Victoria gradiens utraque manu palmam tenens.*

Olim aliter hic nummus legebatur. *Patinus* enim, qui primus eumdem vulgavit p. 78. legebat ΜΥΩΝΟΣ ΣΥΝ ΑΓΧΙΑΛ. ΑΡΟΧΕΩΝ. Quam lectionem amplexus *Tristanus Sanct-Amantius* hanc dedit interpretationem: *Myonis cum Anchialo Arocheorum.* Pro explicatione deinde hæc addidit: „ Innuit hæc inscriptio cives Myonis & Anchiali „ Arocheorum Victoriæ statuam sive Colossum „ erexisse in honorem Claudii. Est vero Myon „ urbs satis celebris, sita inter Phocidem & Locros Ozolas, alias Myonia adpellata. *Thucydides* ejus incolas Myonenses vocat Lib. III. atque ita describit: Πρῶτον μὲν ἐς τοὺς ὁμόρους αὐτοῖς Μυονέας, ταύτῃ γὰρ δυσεμβολώτατος ἡ Λοκρὶς. i. e. „ *Et ante omnes Myonenses sibi finitimos, qua parte* „ *Locris inaccessa est maxime.* Eo me ablegavit „ *Stephanus*, scribens: Μύων, πόλις Λοκρῶν ἐν τῇ Ἠπείρῳ, οἱ πολῖται Μύωνες, ὡς Θουκυδίδης τρίτῃ· λέγονται καὶ Μυωνεῖς. i. e. *Myon urbs Locridis in Epiro, cives Myones, ut Thucydides in III. Dicuntur & Myonenses.* Loci ejusdem *Thucydidis* meminit quoque *Pausanias* Lib. VI. quærens qua „ occasione populi ejus nomen clypeo fuerit inscriptum Jovi dedicato; cui Pausaniæ Μύωνες, „ i. e. *Myonenses* vocantur. Libro X. quoque, „ ubi iterum ejus urbis & populi est mentio, urbem *Myoniam* vocat, sitamque scribit alto in „ loco. Et hæc quidem in specie respectu urbis „ *Myonis.* De Anchialo sive Anchialea atque „ Arocheis major restat difficultas. Neque enim „ ad Ciliciam pertinere potest, neque credi illa „ Anchialus, quam *Plinius* commemorat Lib. IV. „ Cap. 11. in Mysia sitam, loco ubi Mesembria „ est, ut nec illa, quam in Illyride collocat *Stephanus.* Omnes illæ urbes longius a Phocide „ Locrisque Ozolis absunt. Præterea nullam apud „ Antiquos mentionem fieri video Arocheorum, „ qui credi debent regionem illam, in qua sita „ urbs hæc Anchialus, habitasse. Plura igitur de „ hisce haud dicam, nisi quod fluvium invenerim „ navigabilem in Locride Italiæ sive Magnæ „ Græciæ, quem *Plinius* Lib. III. Cap. 4. adpellat *Arocham*, eosque qui circum habitant *Arochæos* dici adfirmat; sic ut potuerit ibi exstitisse „ quoddam oppidum Anchialus vocatum, quod „ antiquum aliquod adfinitatis societatisque vinculum habuerit cum Myonensium urbe atque altera Locride " Ecce quam canoras nugas excitare possit perversa nummi lectio atque literarum, quæ nonnunquam obscuriores ductus per antiquitatem ærisque usum habent, perceptio mala. *Myonis* nomen hic non civitatis alicujus, sed viri, qui magistratum gesserit, est, atque ipsa civitas Antiochia, illa scilicet, quæ in Caria sita fuit,

fuit; vox autem ΣΥΝΑΡΧΙΑ *Magistratus collegium* origine sua denotat. Servatur in *Thesauro Regio.*

NUM. 5. 6.

Vacat.

NUM. 7.

ΚΑΔΟΗΝΩΝ ΕΠΙ ΜΕΛΙΤΩΝΟΣ ΑΣΚΛΕΠΙΑΔΟΥ (*CADOENORUM SUB MELITONE ASCLEPIADIS FILIO*) *Jupiter stans, dextra aquilam læva hastam tenens.*

Cadoëni Phrygiæ minoris civitatem inhabitabant. Jovis Philalethis, sive Laodiceni cultum testantur sculpta ejus in ære suo imagine. Id modo fecisse vidimus Æzonitas, accedent mox & Clazomenii; qui omnes ex vicina Syria religionem illam transtulerunt in civitates suas. Ex *Museo Christinæ Reginæ.*

NUM. 8.

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΕΤΟΥΣ ΙΓ. (*CÆSARIENSIUM ANNO XIII.*) *Caput muliebre turritum & velatum.*

Annorum numerum (in Morelliano nummo detritum) ex *Vaillantio* addidimus. Is p. 13. testatur extare eumdem in *Museo D. Dron.* Pertinet ad Cæsaream Palestinæ, quæ annos Imperii Claudii nummis suis inscripsit.

NUM. 9.

ΚΛΑΖΟΜΗΝΩΝ. (*CLAZOMENORUM.*) *Minerva stans ægide armata, læva hastam tenet, dextra pateram.*

Minervæ cultum testatur typus. Clazomene nobile Ioniæ fuit oppidum.

NUM. 10.

ΚΛΑΖΟΜΗΝΩΝ ΕΠΙ ΥΓΕΜΟΝΟΣ ΑΣΚΛΕΠΙΑΔΟΥ. (*CLAZOMENORUM SUB HUGEMONE ASCLEPIADIS FILIO.*) *Jupiter Philalethes.*

Credi posset in literis sub imagine stantis Jovis reponi debere Η. pro Υ. ut titulus Magistratus, non nomen proprium exprimeretur, sicuti factum video in delineatione hujus nummi (nam uterque, & hic & præcedens, ex *Museo Christinæ Reginæ* depromtus est) apud *Petrum Sancti-Bartolum*, sed neque is Magistratus in Clazomeniorum nummis invenitur; neque permittere illam lectionem videntur puncta, quæ ante literas ΜΟΝΟΣ indicant quasdam propter æruginem legi non potuisse; ut taceam per Ω non per Ο. antepenultimam pingi debuisse literam. Quare videntur aliquot literæ erosæ, quæ in medio protraxerint Hygemonis Asclepiadæ filii nomen, una enim ex illis litera, Ε scilicet, legitur. ΕΠΙ ΥΓΕ . . . . ΜΟΝΟΣ &c. Nota, in his nummis scribi ΚΛΑΖΟΜΗΝΩΝ pro ΚΛΑΖΟΜΗΝΙΩΝ.

NUM. 11.

ΚΥΔΩΝιάται (*CYDONIORUM*) *Lupa parvulo ubera præbens.*

Refertur typus ad historiam fabularem de Mileto quam narrat *Antoninus Liberalis* in Metamorphosi Cap. XXX. Natus puer ex furtivo Apollinis concubitu cum Acacallide, Minois filia, qui a matre metu Minois in sylvam expositus fuit. Ibi lupæ per vices puero ubera præbuerunt; puer, ubi adolevit, Creta excessit, atque in Ioniam devectus, ibi ex nomine suo Miletum urbem condidit. Ex *Museo Francisci Dronii*, in ædibus D. Thomæ ad Luparam Canonici.

NUM. 12.

ΜΙΛΗΣΙΩΝ (*MILESIORUM*) *Templum sex columnarum.*

Miletus, uti modo dictum est, Creta oriundus, urbem in Ionia Miletum condidit. Celeberrimum ibi Didymæi Apollinis fuit Templum, quod passim antiqui Scriptores commemorant, ejus hic sistitur prospectus.

NUM. 13.

ΜΙΛΗΣΙΩΝ (*MILESIORUM*) *Leo rugiens stat, lævum adtollens pedem anteriorem, atque ad stellam respicit.*

Sidus illud ad quod respicit leo, Apollinis est; ipse quoque leo Soli facer.

NUM. 14. 15.

ΤΙΒέειον ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΚΑΙCΑΡΑ . . . . *reliqua videntur fuisse* ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ CΕΒαστὴν (*TIBERIUM CLAUDIUM CÆSAREM, AGRIPPINAM AUGUSTAM scilicet colunt*) *Capita jugata Claudii laureati & Agrippinæ.*

ΜΟCΤΗΝων ΕΠΙ . . . . . ΡΕΩΝ. *ex nummo Musei nostri integrior lectio hæc est:* ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΚΑΙCΑΡΕΩΝ ΜΟCΤΗΝΩΝ, (*SUB CLAUDIO CÆSARIENSIUM MOSTENORUM*) *Amazon in equo dextra bipennem super humeros tenens.*

Elegantis hujus nummuli, quem ex *Museo Regio* depinxit *Morellius*, lectio apud *Jo. Vaillantium* p. 13. sic concipitur ΕΠΙ . . . . ΜΟCΤΗΝΩΝ. Vera autem lectio est, quam ex meo nummulo repræsentavi. Ex quo amplius quam apud *Vaillantium* atque *Morellium* cognoscitur Mostenos Cæsareënses sese adpellasse, grandi aliquo beneficio scilicet ab Imperatore Romano accepto. Isque titulus in laudato nummulo solo adparet; in reliquis enim Mostenorum nummis non invenitur. Mostena urbs fuit Lydiæ, uti patet ex addita ejus terræ adpellatione in nummo Hadriani apud *Vaillantium* p. 35. ΜΟCΤΗΝΩΝ ΛΥΔΩΝ. *Mostenorum Lydorum.* Magistratus nomen in nummis signarunt in nummis L. Veri & Gallieni; & potuit is Claudius, qui in meo nummo legitur, ex libertis fuisse Claudii Imperatoris. Amazonis typus, in Mostenorum nummis passim occurrens originem fabularem respicit, quasi condita urbe a quadam Mostide Amazone.

NUM. 16.

ΤΙΒέριΘ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR GERMANICUS*) *Caput Claudii nudum dextram versus.*

ΓάιΘ ΚΟΗΛΙΟΣ ΒΑΛΒΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ Γ. (*CAJUS COELIUS BALBUS PROCONSUL anno III.*) *in circuitu, & Monogramma efficiens literas* ΝΕΙΚΑΙέων (*NICAEENSIUM*) *in area.*

Vide de hoc nummo *Thesaurum Morellianum* priorem, sive *Famil. Rom.* p. 106.

NUM. 17.

ΑΡΤΕΜΙς ΠΕΡΓΑΙΑ (*DIANA PERGÆA*) *Dea habitu venatricis.*

Pamphyliæ ad Cestrum fluvium urbs exstitit Perga, Dianæ cultu maxime clara, cui inde Pergææ cognomen accessit. *Pomponius Mela* Lib. I. Cap. 14. *Duo validissimi fluvii, Cestros & Cataractes.* Paullo post: *Inter eos Perga est oppidum, & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocant, templum.* *Strabo* Lib. XIV. p. 983. Πέργη πόλις, καὶ πλησίον ἐπὶ μετεώρε τόπε τὸ τῆς Περγαίας Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ἐν ᾧ πανήγυρις κατ᾽ ἔτος συντελεῖται. i. e. *Urbs Perga, & prope eam in editiore loco Dianæ Pergææ templum, ad quod singulis annis facer est conventus.* Ephesiæ Dianæ ritu Deæ erat simulacrum, pingebatur enim multis uberibus prædita, sicuti adparet ex Maximini nummo æreo insigni, in quo signum est Dianæ Pergææ, hinc & inde columba, supra illam sol, & luna crescens. Vide eumdem apud *Montfauconium* in *Supplementis* Tom. II. Tab. IV. Num. 8. Ipse quoque argenteum majoris moduli possideo Trajani, in quo ejusdem Deæ imago in templo distylo adparet; a quo aliud & diversum, sed argenteum itidem numisma, publicavit *Carolus Patinus* in *Thesauro* p. 64. cum inscriptione in templi peristylio DIANæ PERGææ. Uti venatrix Dea in hoc Claudii nummo depingitur, quod & Ephesii sæpissime fecerunt.

NUM. 18.

ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ ΑΜΑΣΕΑΣ (*SARDIANORUM AMASEAS*) *Minerva cum ægide ad pectus stat extenta dextra, clypeo nititur cui hasta adsistit.*

Inter Germanici Cæsaris nummos Claudii hunc nummum retulisse videtur *Vaillantius* p. 10. ubi pro ΑΜΑΣΕΑΣ legit ΜΝΑΣΕΑΣ. atque hoc modo inter Germanici Cæsaris nummos recensetur: „ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. Caput Germanici nudum. ΜΝΑΣΕΑΣ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Pallas stans, dextra pateram, „ sinistra hastam, in imo clypeus erectus." Additur tertii esse moduli atque ex *Museo Regio*. Vel itaque erravit in nummi lectione *Morellius*, vel Germanico sub Mnasea, Claudio sub Amasea cum simili Minervæ typo signarunt nummos Sardiani. Et hic quidem Claudii ex *Thes. Schwartzb.* nunc *Saxo-Gothano* depromtus est.

NUM. 19. & 20.

Vacant.

NUM.

NUM. 21.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαρ CΕΒΑCτὸς ΓΕΡΜΑνικος (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput Claudii laureatum versus lævam cum stella.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος Β. (*IMPERATOR ANNO II.*) *Bos cornupeta.*

Depictus est ex Museo *Dronii*. Habeo similem in quo notatur annus tertius. Ægyptia hæc sunt Numismata, ut & quæ sequuntur.

NUM. 22.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙσαρ CΕΒΑCτὸς ΓΕΡΜΑνικος (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR AUGUSTUS GERMANICUS*) *Caput Claudii laureatum versus lævam cum stella.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος Β. (*IMPERATOR ANNO II.*) *Septem spicæ colligatæ.*

Servatur Nummus hic in *Museo nostro*. Typus ejus, ut & præcedentis, ad fertilitatem Ægypti spectant.

NUM. 23.

Capitis epigraphen ab illis nummis qui præcedunt discrepare non existimo. In meo ad caput quoque adest stella.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος Δ. (*IMPERATOR ANNO IIII.*) *Victoria gradiens cum corolla & palma.*

Ex *Museo Dronii* hic quoque nummus depromtus est, nos servamus similem.

NUM. 24.

Eadem epigraphe & caput idem.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος Ι. (*IMPERATOR ANNO X.*) *Manus dextra tenens geminas spicas & totidem papavera, caduceo intermedio.*

Pacem, pacisque bona, fertilitatem & annonæ abundantiam typus designat. Inventitur in *Museo Theupol.* p. 1099. & in *Museo nostro.*

NUM. 25.

Epigraphe eadem & caput idem.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος Ι. (*IMPERATOR ANNO I.*) *Dextræ junctæ.*

Pacis & concordiæ symbolum. Ex *Dronii* nummo depictus est typus. Invenitur & in *Museo nostro*, & apud *Patinum* p. 104.

NUM. 26.

Epigraphe (ut videtur) eadem, caput idem.

Λυκάβαντος Ι. (*Anno X.*) *Bufo.*

Ex *Museo Regio.*

NUM. 27.

Epigraphe eadem, caput idem.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος Β. *in Meo* Γ. (*IMPERATOR. ANNO II. VEL III.*) *Hippopotamus.*

Nilo hoc animal familiare esse solet, quare in Ægyptio hoc nummo exprimitur.

NUM. 28.

Vacat.

NUM. 29.

Sine Epigraphe. Claudii caput laureatum; post illud lituus est.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ (*IMPERATOR*) *Duo cornuacopiæ decussatim posita, super quæ tria capita juvenilia, medium juvenis, quæ ad latera sunt, virginum.*

Liberos Imperatoris Claudii in raro hoc ex *Thesauro Regio* nummulo exprimi adparet. Medium caput Britannici est, reliqua duo Antoniæ minoris atque Octaviæ.

NUM.

NUM. 30.

Epigraphe & caput, ut supra.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Λυκάβαντος, *IA.* (*IMPERATOR ANNO XI.*) *Dextræ junctæ.*

Pacis & concordiæ solitum symbolum.

EX MSS. HUBERTI GOLTZII. DEPROMTI NUMMI.

NUM. 31.

CONCORDIAE AVGVSTI. Sedet Dea capite velato, dextra tenens pateram, læva duplex cornucopiæ.

Concordia inter Claudium atque Agrippinam, Neronis matrem, innui videtur.

NUM. 32.

COLonia AGRIPPINA AVGusta. Colonus agens boves.

NUM. 33.

COLonia CAMALODVNum. Colonus agens boves.

NUM. 34.

COLonia IVLia TAVRinum AVGusta. Colonus agens boves.

Coloniæ hæ atque urbes notæ sunt. Nummis fides habebitur, si quis illos ostendere possit.

NUM. 35.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ (*CYZICENORUM NEOCORORUM*) *Palma arbor cum fructibus.*

Cyzicus sub Hadriano primam adepta fuit Neocoriam, secundam sub Caracalla. Ad fictos itaque & falsos relegandus hic nummus est.

NUM. 36.

ΚΟΙΝΩΝΙΑ ΛΑΚΩΝΙΚΩΝ (*LACONUM CONCORDIA*) *in Laurea.*

NUM. 37. & 38.

Vacant.

TABU-

TABULA XI.

EXHIBENS

NUMMOS MESSALINÆ, UXORIS CLAUDII.

NUM. 1. 2.

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙος ΚΑΙσαρ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡΜΑΝικος ΑΥΤΟΚράτωρ Λυκάβαντος Γ. (*TIBERIUS CÆSAR AUGUSTUS GERMANICUS IMPERATOR ANNO III.*) *Caput Claudii laureatum.*

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΚΑΙσαρος ΣΕΒΑΣτου (*MESSALINA CÆSARIS AUGUSTI.*) *Figura muliebris ſtans capite velato, dextra duas tenet icunculas pueriles, læva ſpicas & papaver cubito columnæ innixa. Juxta caput Claudii in aliis nummis notantur anni* Δ. E. ϛ. *i.e. IV. V. VI. Vide* Muſeum Theupolianum *p.* 1109.

Meſſalinæ hic ſiſtitur effigies, famoſiſſimæ inter uxores Claudii Imperatoris, quæ in proverbium muliebris intemperantiæ, veluti libidinis monſtrum, abiit. Per icunculas quas manu tenet ſignificantur liberi, quos ex Claudio habuit, Britannicus & Octavia. Ipſa trium Numinum repræſentat ſymbola, Pudicitiæ ſcilicet, capite velato; Conſtantiæ per columnam, cui lævo cubito innititur; Cereris, per papaver & ſpicas quas ſiniſtra manu gerit. Solet hic nummus argenti aliquid intermixtum cum ære habere, prouti plura ejuſmodi Numiſmata, Ægyptia vulgo dicta, paſſim inveniri ſolent. Servatur in *Theſauro Brandenburgico*, editus a *Laur. Begero* Tom. II. p. 619. ut & *Muſeo Theupoliano* p. 1109. in *Noſtro* aliiſque.

Repudiata, quæ juveni admodum deſponſata fuerat, Lepida, amiſſa ante conſummatum matrimonium Livia Medulliana, repudiata deinde propter adulterii crimen Plautia Urgulanilla, & repudiata dein pariter nulla juſta de cauſſa Ælia Petina, ex qua Antoniam filiam (a Nerone poſtea occiſam) habuit, uxorem duxit Claudius Valeriam Meſſallinam, Barbati Meſſallæ, conſobrini filiam. De qua hæc in ſcripta retulit *Triſtanus* Tom. I. p. 191. „ Valeria Meſſalina quinta Claudii uxor exſtitit, atque illi conjuncta longiori temporis ſpatio, quam reliquæ, fuit. „ Quæ & præ illis quæ præceſſerunt Auguſtæ prima titulum tulit. Vix turpior magis, impudentior atque flagitioſior ulla in Hiſtoriis agnoſcitur femina: ſic ut Claudius coactus fuerit eamdem propter tot crimina & turpitudines (nam & abſente illo publice Silio cuidam nupſerat) occidere. Hinc ſuam naſcendi ſortem hiſce apud Senecam in ſui nominis Tragœdia plangit infelix Octavia:

„ *Gravi Deorum jam pridem noſtra domus*
„ *Urgetur ira: prima quam preſſit Venus*
„ *Furore miſeræ dira Genetricis meæ,*
„ *Quæ nupta demens nupſit inceſta face,*
„ *Oblita noſtri, conjugis, legum inmemor.*
„ *Illo ſoluta crine, ſuccincta anguibus,*
„ *Ultrix Erinnys venit ad Stygios toros,*
„ *Raptaſque thalamis ſanguine exſtinxit faces;*
„ *Incendit ira Principis pectus truci*
„ *Caedem in nefandam, cecidit infelix parens*
„ *Heu noſtra ferro! meque perpetuo obruit*
„ *Exſtincta luctu, conjugem traxit ſuum,*
„ *Natumque ad umbras; prodidit lapſam domum.*

„ Tacitus, Suetonius, Joſephus, Dio aliique auctores ſatis multa de eadem proferunt, quæ horrorem incutere caſto lectori poſſint, paucis vero verſibus naſo Satyrico condit *Juvenalis*, quæ multas aliorum inplere poſſint paginas. Quatuor etiam lineis *Plinius* Lib. X. Cap. 60. quæ ſufficiant comprehendit, ſcribens: *Meſſallina, Claudii Cæſaris conjunx, hanc regalem exiſtimans palmam, elegit id in certamen nobiliſſimam e proſtitutis ancillam mercenariæ ſtipis, eamque die ac nocte ſuperavit quarto & vigeſimo concubitu.* Unicum (neque forſitan ex Claudio) habuit filium Britannicum, unicam quoque filiam, quæ Neroni nupſit, Octaviam. „

NUM. 3.

Similis Meſſalinæ nummus, ſed juxta ſtantem ejus figuram in dextra area additur lituus, ad Pontificatum Claudii ſpectans.

NUM. 4. 5.

VALERIA MESSALINA *AVGusta CYTHERONTE II. VIRo. Caput Messalinæ.*

TIberius CLAVDIVS CAESAR AVGustus GERMANICVS. Caput Claudii laureatum

Profert nummulum hunc *Jo. Vaillantius* in Lib. *de Coloniis* p. 162. ubi illum Corintho Coloniæ adsignat, cui sententiæ accedo.

NUM. 6.

CN. M . . . CYTHERON . . . Caput Messalinæ..

Capitis picturam sive epigraphen non addidit in pictura sua manu picta *Andr. Morellius*, sed non videtur discrepare a præcedenti *Vaillantii* nummo. Verum additum videtur in ipso nummo fuisse alterius Duumviri nomen, cujus literae hæ supersunt CN. M. . . . tamquam innueretur Cnei Magni nomen.

NUM. 7. 8.

VALERIA MESSALINA AVGVSTA. Caput Messalinæ.

TIberius CLAVDIVS CAESAR AVGustus GERManicus. Caput Claudii nudum.

Primus hunc rarissimum Messalinæ nummum eruit *Octavianus Strada a Rosbach* p. 49. deinde *Francisc. Angelonus* Tab. XLIX. Num. 14. edidit & *Sebastianus Ericius* p. 209. vulgarunt eumdem *Carolus Patinus* inter *Numism. Imp.* p. 106. & in *Sueton.* Claud. Cap. XXVI. atque *Tristanus* Tom. I. p. 188. ubi jubet nos consulere quæ ante dixerat, & supra ad Num. 1. adlata sunt. Licet neque Coloniæ neque Duumvirorum adscribatur nomen, signatum tamen Corinthi fuisse nummum suspicor.

NUM. 9. 10.

ΟΥΑΛΕΡΙΑ ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. (*VALERIA MESSALINA AUGUSTA.*) *Caput Messalinæ.*

ΤΙϐέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑνικος ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*TIBERIUS CLAUDIUS CÆSAR GERMANICUS AUGUSTUS.*) *Caput Claudii nudum.*

Non adscribitur nomen urbis, in qua signatus fuit hic Messalinæ nummus. Vulgatum inveni a *Strada* Num. 52. & apud *Patinum* p 83. seu 106. ut & ad *Sueton.* p. 269. Servatur quoque in *Museo Theupoliano*, ut ejusdem Descriptio testatur p. 844.

TABULA XII.
AGRIPPINÆ, CLAUDII UXORIS POSTREMÆ, NUMISMATA.

NUM. 1. 2.

TIBERIVS CLAVdius CAESar AVGustus AGRIPPina AVGVSTA. Capita jugata Claudii laurea ornati & Agrippinæ.

DIANA EPHESIA. Dianæ Ephesiæ signum cum verubus.

Insigne hoc numisma argenteum majoris moduli, apud Ephesios cusum, Claudio propter novas nuptias ab iisdem oblatum fuisse videtur. Proprium illorum Numen, Diana Ephesia, posteriorem nummi partem exornat.

Quæ de hac Agrippina operæ pretium est cognoscere, breviter hisce persecutus fuit *Jo. Tristanus* Tom. I. Comm. Historicor. p. 192. „ Agrippina, Germanici & Agrippinæ filia, sexta Claudii uxor fuit, quamvis ex fratre Germanico „ neptis ejusdem exstiterit. Atque ita filia fuit, „ soror, neptis, uxor, atque nata Cæsarum & „ Imperatorum; videlicet Germanici, Caligulæ „ Claudii & Neronis. Duabus rationibus permotus uxorem illam duxit Claudius. Prima, consideratione politica; erat enim filia Agrippinæ,

„ næ, neptis Augusti, *ne femina expertæ fecunditatis, integra juventa, claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret*, inquit *Tacitus* Lib. XII. Cap. 1. Quo potissimum argumento Lolliam Paullinam vicit. Altera ratio decori fuit. Ælia Petina enim jam ante per ipsum, Lollia Paullina per Caligulam repudiata fuerat. Videbatur enim inprudenter facturus, si reduceret Petinam, quam jam ante exegerat, quum & ipsa magis erat ju- venis, & ipse quoque ætate minor. Ut Lolliam caperet, prohibere videbatur decus & majestas Imperatoria, repudiatam scilicet jam ante a Caligula. Quum præterea male audiret eadem in vulgus propter ornatum muliebrem ditissimum exquisitis gemmis unionibusque pretii inæstimabilis, quæ omnia variarum provinciarum, quibus majores ejus præfuerant, vulgo vocabantur spolia, ut adnotat *Plinius* Lib. IX. Cap. 25. Sed & *Dio* Lib. LX. nos docet Agrippinam egregie causam suam atque astute adjuvasse, atque nihil prætermisisse quo juvaretur. Itaque cognitum habens, facile Claudium accendi posse pulchritudine formæ atque illecebris muliebribus, quum iisdem abunde esset instructa, crebro Claudium, uti patruum, visitare solebat, solaque cum ipso commorans, eo blanditiis suis pertraxit, ut durare sine eadem vix posset, atque toro suo destinare haud dubitaret. Inter futuræ illius Agrippinæ felicitatis signa geminam superne a dextra parte caninam dentem ponit *Plinius* Lib. VII. Cap. 16. *Quibus in dextra parte gemini superne a canibus cognominati, fortunæ blandimenta pollicentur, sicut in Agrippina Domitii Neronis matre: contra in læva.* Quæ quidem levis & inanis est observatio. Nam & ipsa Agrippina, ubi ad desideratam omnibus modis pervenit potentiam, filiumque suum Neronem Imperatorem vidit, nequaquam felix vocari potuit, sed continuis curis atque infortuniis exercita. Summa enim illa ambitio, quæ cuncta illam moliri fecit, ut filium suum Neronem ad Imperium sanguine & venenis promoveret, sperans fore ut una cum illo regnaret, eamdem decepit, neque aliud adtulit præmium, nisi ut digne sceleribus suis periret, & quidem ejusdem filii jussu. Quod licet exsecrabili parricidio peractum fuerit, tamen justo factum fuit judicio Dei, ut scilicet pessima hæc femina & venefica, quæ boleto venenato maritum Claudium sustulerat, atque domum, in quam nubendo venerat, corruperat, ipsa quoque necaretur a pessimo inter ingratos filio, omnium simul mortalium crudelissimo & scelestissimo."

N U M. 3. 4.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ CΕΒΑCΤΗ. (*AGRIPPINA AUGUSTA.*)

ΕΙΡΗΝΗ Λυκάβαντος ΙΒ (*PAX ANNO XII.*) *Caput muliebre spicis coronatum cum spicis ad pectus.*

„ Effigiem (inquit *Tristanus* Tom. I. Comm. Histor. p. 193. Deæ Veneris sub effigie Pacis *Occo* sic describit: *Venus frumenti spicis coronata* Verum apud *Augustinum* insuper duæ spicæ ex sinu ejusdem prodeunt. Sæpius hujus Deæ Veneris effigies occurrit in nummis Romanis a Julio Cæsare usque ad Galbam percussis, etiam ut alia numina per effigiem suam designet; tamquam sub cujus peculiari tutela credebatur domus Julia & Augusta, quæ videri volebat originem ab ipsa trahere. Cernitis hic Agrippinam, Augusti abneptem, nuptam viro ejusdem domus, atque patruo suo, duorum Numinum mista effigie, Veneris & Pacis, honoratam. Neque, ut puto, sine ratione: Pax enim socia Veneris, & Charitum adpellatur apud *Aristophanem* in Acharnensibus. Imo & Venus & Pax unum Numen idemque, ubi ejus rei hanc dat rationem:

„ Πάντα γὰρ ἐκ σέθεν ἐστὶν, ἐπεζεύξαο δὲ κόσμον.
„ *Omnia nam ex te, tu invexisti fœdera mundi.*

„ Talis itaque existens, hominibus tranquilla Pacis commoda ministrat, quæ sunt abundantia & fertilitas. Hinc *Solon* in Poëmate, quod *Ponticon* vocavit, placido non turbido pelago natam adserit isto versiculo:

„ *Nasceris e pelago, placido Dea prosata mundo.*

„ Ubi natam mari dicit, pacem ut mundo adportet. Mater quoque Naturæ dicta fuit, sive ipsa Natura; unde dicit *Artemidorus* Lib. II. Cap. 42. quod si quis Deam illam in somniis conspicetur, felix illud sit omen agricolæ. Ἀγαθὴ δὲ καὶ γεωργοῖς, φύσις γὰρ εἶναι καὶ μήτηρ τῶν ὅλων νενόμισται. *Bona est & agricolis. Natura enim & mater Universi esse creditur.* Recte itaque spicea corona illi convenit. Possunt eadem hac figura depingi sub unius Numinis typo Ceres & Pax, nam, ut canit Orpheus ubi de Cerere loquitur Hymno XXXIX.

„ Εἰρήνη χαίρουσα, καὶ ἐργασίαις πολυμόχθοις.
„ *Pace eadem gaudet atque agricolæ laboribus.*

„ Magis quoque juxta Ovidium Fastor. Lib. IV.

„ *Pace Ceres læta est, & bos; orate coloni*
„ *Perpetuam pacem, pacificumque ducem.*

„ Et quidem hæ spicæ, quæ nobis (ut dixi) significant pacem omnis abundantiæ esse caussam, *Hesiodum* mihi malum videntur facere consiliatorem, dum Lib. I. Operum & Dierum, dicit non convenire lites fori illis, quibus haud plena frugibus sint granaria, si quidem ipse divitibus iisdem verbis commendare illas velit. Quum utique stultitia maxima sit, divites vitam jurgiis, litibus, bellisque agitare, quam beate & tranquille vivendo ducere possint lætam & placidam."

N U M. 5. 6.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ CΕΒΑCΤΗ. (*AGRIPPINA AUGUSTA.*) *Caput Agrippinæ spicis coronatum*

ΕΥΘΗΝΙΑ Λυκάβαντος ΙΒ. (*ABUNDANTIA ANNO XII.*) *Caput Deæ, sive Agrippinæ habitu Deæ, spicis coronatum, cum tribus ad pectus spicis.*

Capita Deæ atque Agrippinæ eodem fere filo in hujus generis nummis, qui in Ægypto cusi sunt, depingi solent. Vulgatus est a *Patino* in

in Num. Imp. p. 85. & exſtat in *Muſeo Farneſ.* Tab. XVIII. Num. 2.

NUM. 7. 8.

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ (*in aliis* ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ) ΣΕΒΑΣΤΗ. (*AGRIPPINA AUGUSTA.*) *Caput Agrippinæ ſpicis ornatum.*

ΕΥΘΗΝΙΑ Lυκάβαντος ΙΓ. (*ABUNDANTIA ANNO XIII.*) *Deæ caput (ſive Agrippinæ) ſpicis coronatum cum tribus ad pectus ſpicis.*

Servatur ſimilis nummus in *Muſeo Theupoliana*, ut docet ibidem ejus deſcriptio p. 1103.

NUM. 9. 10.

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΓΥΝΗ (*AGRIPPINA CLAUDII UXOR*) *Caput Agrippinæ.*

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς ΒΡΙΤάννικος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS, BRITANNICUS.*) *Caput Claudii nudum.*

Servatur hic nummus in *Muſeo Theupoliano* p. 844. Edidit quoque ad *Suetonium* in Claudio Cap. XXVI. *Carolus Patinus.*

NUM. 11.

AGRIPPINA AUGUSTA. Caput Agrippinæ.

CORinthus MANio ACILIO II. VIRo. Figura togata ſtans, dextra pateram tenet, læva chartam convolutam.

Matris Agrippinæ vultum à parte priore ſignarunt Corinthii, filii Neronis ab altera parte effigiem togatam, quam ſcipionem eburneum læva manu tenere exiſtimat *Jo. Vaillantius* in Lib. de Coloniis p. 163. & quidem ut ſymbolum Proconſularis imperii, de quo legimus apud *Tacitum* Annal. Lib. XII. Cap. 41. *Virilis toga Neroni maturata, quo capeſſendæ Reipublicae habilis videretur, & Cæſar adulationibus Senatus libens ceſſit, ut viceſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret: atque interim deſignatus, Proconſulare imperium extra Urbem haberet, ac Princeps juventutis adpellaretur.* Verum longius ſolet eſſe ſceptrum eburneum, neque media manu prehendi. Paſſim vero tales ſtatuæ antiquæ occurrunt & effigies in nummis togatæ, quæ ejuſmodi chartulam convolutam læva manu tenent.

NUM. 12.

AGRIPPINA AUGUSTA. Caput Agrippinæ.

MANio ACILIO II. VIRo. Figura togata ſtans, ut ſupra; ex adverſo figura muliebris ſerpentem tenens.

Figura hæc muliebris Hygeia eſt, quam & familia Acilia, ad nomen ſuum adludens, in denariis ſuis Romanis expreſſit. Ex qua familia videtur fuiſſe hic Acilius Corinthi Duumvir, qui deam illam, tamquam conſervatricem ſalutis Imperatoriæ, in hoc nummo expreſſit, ut recte *Vaillantius* p. 164. ubi nummi hujus averſa pars depingitur, ſicuti p. 163. ejus qui præceſſit. In utroque vacuum aliquod in inſcriptione eſt ſpatium, punctulis, tamquam ibidem aliquid deſit, ſignatum. Prior nummus in *Muſeo Theupoliano* recenſetur p. 669. ſed periit ibi nominis Duumviri inſcriptio. Sæpiſſime vero in Corinthiorum aliorumrumque nummis unius tantum Duumviri invenitur nomen, dum alter Duumvir ſuo tantum nomine itidem nummos ſignavit. Collegam Manii Acilii in Duumviratu ſuſpicor fuiſſe Publicium Regulum. Recenſetur enim in *Muſeo Theupoliano* p. 669. ſimilis Agrippinæ nummus Corinthi cuſus, in quo duæ ſunt figuræ togatæ, Claudius ſcilicet & Nero, & Publicii Reguli, tamquam Duumviri, adſcribitur nomen. Confirmat conjecturam Claudii Imperatoris nummus, eodem tempore Corinthi ſignatus, cujus averſa pars his verbis recenſetur in *Muſeo Theupoliano* p. 668. „ . . . . „ PUBL. . . . . . . COR. Figura togata ſtans, dextra pateram porrigit figuræ muliebri pariter „ ſtanti & ſerpentem gerenti." Ibi ex adducto modo ejuſdem *Muſei* nummo patet legendum integre eſſe: PUBLICIO REGULO. qui ſcilicet Duum-vir fuit una cum Manio Acilio, quare & alium & ſimilem cum Collegæ ſui typum nummo ſuo impreſſit, prouti & ſæpiſſime factum videmus in Triumviris monetariis urbis Romæ in *Theſ. Morelliano* Famil. Romanar.

NUM. 13.

AGRIPPINA AUGUSTA. Caput Agrippinæ.

COLonia Auguſta Aroe Patrenſis GENIUM ſcilicet colit. Duæ figuræ togatæ ſtantes dextras jungunt.

Vaillantius p. 166. ubi hunc Coloniæ Patrenſis nummulum depingit & explicat, duas profert de ſtantibus figuris opiniones, alteram exiſtiman-

mantium depingi Britannicum atque Neronem, quam damnat, quia Britannicus nondum, patre vivo, sumserat togam virilem. Altera, quam ipse adprobat, supponit Claudium & Neronem depingi, adeoque statuit adoptionem Neronis ad Imperii spem exprimi, prouti frequens in nummis solet esse typus adoptantis & adoptati dextras jungentium. Potuerat & sententiam suam corroborare pictura Claudii, qui stans a dextra parte globum læva manu (si picturam adcuratius inspicias) tenet; quod in Britannicum nequaquam quadrare potest. Est igitur elegans hic nummulus adoptionis Neronianæ a Patrensibus celebratæ symbolum.

NUM. 14. 15.

ΙΟΥΛΙΑ ΑΓΡΙΠΠίνα. (*JULIA AGRIPPINA.*) *in Corona laurea.*

ΤΙβέριος ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹτός. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Palmæ duo rami decussatim positi, sub quibus* Λυκάβαντος ΙΔ (*ANNO XIV.*) *legitur.*

Cusus in Judæa nummulus est.

NUM. 16. 17.

ΤΙβέριον ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ (*TIBERIUM CLAUDIUM AUGUSTUM, AGRIPPINAM AUGUSTUM scilicet colunt.*) *Adversa Claudii laureati & Agrippinæ capita.*

Αὖλος ΓΕΣΣΙΟΣ ΦΙΛΩΠΑΤΡΙΣ ΣΜΥΡΝαίων. (*AULUS GESSIUS PATRIAE AMANS SMYRNAEORUM.*) *Victoria gradiens dextra vestis partem superiorem ad faciem adtollit, læva demissa caduceum gerit, ad pedes est serpens.*

Elegans hic nummulus, qui & in *Museo nostro* servatur, Pacis & Victoriæ exhibet in uno Numine symbola. Plus semel ab Antiquariis, sed passim vitiose depictus fuit, uti apud *Stradam* Num. 46. & apud *Tristanum* Tom. I. p. 188. Veriorem & magis adcuratam picturam dedit *Andr. Morellius* in Thes. Famil. Roman. in Fam. Gessia Num. 3. Quare priores lectionem ejus adsequi non potuerunt, ut patet ex *Tristano*, qui rationem dat, cur in Smyrnæorum adpellatione litera Z. pro Σ. legatur. Nobilissimi ejus Antiquarii nummum hunc explicantis, hæc fere verba sunt: „ ΚΑ.... „ ΣΕΒ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΣΕΒ Effigies Claudii atque „ Agrippinæ quæ se invicem respiciunt. Ab altera parte legitur ΨΙΛΩ ΠΑΤ. ... ΧΡΕΣΧΙΟΥ ΖΜΥ. „ Similem nummum depinxit *Strada*, verum longe aliam quam quæ in nummo exstat (sicuti sæpius illi contigit) exhibet lectionem. Credidit „ itaque sic in nummo suo legi ΥΙΩΠΑΤΡΙΣ ΤΕΣΣΟΙΣ ΖΜΥ. quod nequit esse. In meo enim distincte lectio quam exhibui observatur; nomen „ vero ΧΡΕΣΧΙΟΥ proprium esse existimo alicujus „ Prætoris qui Chreschius fuerit dictus; atque extitisse in nummo antequam pars ærugine corrumperetur, ΕΠΙ ΧΡΕΣΧΙΟΥ. *sub Chreschio.* Totam itaque epigraphen sic lego: ΨΗΛΩ ΠΑΤΡΙΣ „ ΕΠΙ ΧΡΗΣΧΙΟΥ. & ante depictam imaginem ΖΜΥ. „ vel hoc ordine: ΕΠΙ ΧΡΗΣΧΙΟΥ ΨΙΛΩ ΠΑΤΡΙΣ. „ *Sub Chreschio Psilo patria. Zmyrnæis.* Vel: *Psilo patriæ sub Chreschio, Smyrnæis.* Sensum vero „ huic inscriptioni dare, Oedipi est opus. Id „ modo dicam, solum inter antiquos Geographos „ *Plinium* mentionem facere insulæ cujusdam „ Psile dictæ, quæ ad Ioniam pertineat, Libro „ VI. Cap. 31. Smyrna vero quum & ipsa in „ Ionia sita fuerit, videtur hæc insula ejus fuisse „ ditionis, atque antiquum insulæ nomen Psilo „ fuisse, atque ex illa insula dominis Smyrnæis „ Victoriæ colossum missum fuisse sub Chreschii „ Prætura ad honorandam Claudii consecrationem. Tenet enim Victoriæ signum altera manu „ bullam, puerile apud Romanos ornamentum, „ ad collum pendens, altera vero hastam cum „ corona in summa ejusdem parte, atque globulo in infima. Graditur ante illam serpens erecto capite." In hisce *Tristani* verbis multiplex est error. In corrupta nummi sui inscriptione Oedipum nequaquam præstitit. Pro bulla frustra accepit vestis partem, quam ad pectus adtollit figura muliebris. Sic enim non modo Pax in aureis argenteisque Claudii nummis, sed passim Nemeses in æreis Græcis Smyrnæorum depingi solent. Deinde in hasta ejusque ornatu egregie deceptus fuit, quum caduceum pro ima hastæ parte acceperit, & lineam quamdam, quam ærugo in nummo ipsius fecisse videtur, pro hastæ parte superiore atque corona capit. Pergit deinde hoc modo: „ Ante vero quam inquiramus „ quid hic sibi typus velit, notari debet scriptura „ urbis Smyrnæ, cujus nomen initiali litera Z. „ pro Σ. olim scribi solebat. Sed plurimi nummi, & inter illos proxime quem proferam, „ Neronis similem scripturam exhibent. Confirmat „ quoque eamdem inscriptio vetus apud *Gruterum* „ p. 225. quam & alia *Lipsiana* adjuvat. Prima „ hæc est:

„ DIVO IVLIO
„ CIVIT.
„ ZMYRNAEORVM.

„ Altera vero hæc:

„ D. M.
„ PRIMAE VIXIT ANN. X.
„ M. I. D. XXIX. C. S. H. ST.
„ TL. VIRGVLA ET ZMYRNAE PARENT.
„ FIL. KARISSIMAE FECERVNT.

„ In *Varronis* itidem Lib. I. de Re rustica, ubi „ in Editis est *Vitis apud mare Zmyrnæ*, testatur „ *Victorius* in antiquis MSS. scribi *Zmyrnæ*. Quod „ probat in Dialogo, Vocalium judicio dicto, „ Lucianus his verbis: Μηδέποτε ἐγκαλέσωσι τῷ Ζῆθα, „ σμά-

„ σμάραγδον ἀποσπάσαντι, καὶ πᾶσαν ἀφελομένῳ τὴν Σμύρναν. i. e. *Neque enim unquam accusavi literam Z, quæ mihi σμάραγδον abstulit, & totam Smyrnam surripuit.* Quantum vero ad figuram muliebrem adtinet, existimo designari victoriam Claudii Britannicam per Legatos adquisitam, eorum prudentia atque felicitate administrato ibidem bello. Specialia magis super hanc dicturi sumus in Vespasiani quodam nummo, qui similem Claudiano PACI AVGVSTÆ inscriptionem sicuti & typum habet. Quod vero Britannicæ victoriæ nummum adscribam, facit hastæ pictura, quam portat Victoria. Certo scilicet genere armorum utebantur Britanni, hastaque in cujus parte superiori æneum erat pomum, quod ad terrorem hostium concutere solebant. *Dio Cassius* Lib. LXXVI. Τὰ δὲ ὅπλα αὐτῶν, ἀσπὶς καὶ δόρυ βραχὺ, μῆλον χαλκοῦν ἐπ' ἄκρου τοῦ στύρακος ἔχον, ὥστε σειόμενον κτυπεῖν πρὸς κατάπληξιν τῶν ἐναντίων. Εἰσὶ δὲ αὐτοῖς καὶ ἐγχειρίδια &c. *Horum arma sunt scutum, & hasta brevis, in cujus superiori parte pomum est ex ære, ut dum concutitur, hostes sonitu perterrefaciant. Pugiones quoque habent &c.* „

NUM. 18. 19. 20.

Caput Agrippinæ sine inscriptione.

Λυκάβαντος Δ. *in alia* Λυκάβαντος Η. (*ANNO VI. VEL VIII.*) *Duæ spicæ inter totidem papavera.*

Ægyptiis hisce nummulis fertilitas & bonitas terræ Ægiptiæ commendatur.

NUM. 21. 22.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΗ ΤΙΒερίου ΚΛΑΥΔίου ΚΑΙσαρος. (*AGRIPPINA TIBERII CLAUDII CAESARIS.*) *Caput Agrippinæ.* ΤΙΒέριος ΚΛΑΥΔιος ΚΑΙΣΑΡ ΓΕΡΜΑΝΙκος. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS.*) *Caput Claudii nudum.*

Notari debet ordo inscriptionis ad Caput Agrippinæ, quem sic in hac pictura apud *Morellium* inveni.

TABULA XIII.

COMPLECTENS NUMISMATA

CLAUDII BRITANNICI.

CLAUDII IMPERATORIS

ET MESSALINÆ FILII.

NUM. 1. 2.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*CLAUDIUS BRITANNICUS CAESAR.*) *Caput Britannici nudum.*

ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ (*ALABANDENSIUM*)

Figura nuda stans dextra pateram, sive vasculum tenens, læva extensa, ad pedes est cervus. Pluribus nummum hunc Britannici rarissimum, in Caria ab Alabandensibus signatum, explicavit Eruditissimus Abbas *Petrus Seguinus*, quem vide in *Numism. Selectis* p. 129.

De Britannico, ex descriptione *Tristani* Tom. II. p. 198 hæc habe: „ Britannicus, Claudii filius atque Messalinæ, antea Germanicus vocabatur. Verum Claudius, Britannia recepta, Germanici nomen cum Britannico mutare eumdem jussit. Ejusdem Claudii facilitas, qui sese ab Agrippina gubernari sinebat, in caussa fuit ut Agrippinæ filius Nero præponeretur Britannico. Per ejus enim muliebris pestis ambitionem color quærebatur stultitiæ Claudianæ, quasi per ætatem immaturus Imperio esset Britannicus. Ubi his artibus ad imperium pervenit Nero, invidia male usurpatæ dominationis

„ non

non aliter ſolvi poſſe videbatur, niſi ſublato illo, cui jure competebat Imperium. Ad ſolita itaque matris Agrippinæ confugit veneficia, atque una cum Britannico cœnam ſumens, porrecto venenato cibo eumdem ſuſtulit, ut teſtatur *Ælianus* in Lib. de Animal. V. Cap. 29. *Suetonius* tamen in Veſpaſiano Cap. II. ſcripſit miſtum illi in poculo fuiſſe venenum, unde quum per familiaritatem Titus quoque bibiſſet aliquid, diu male ſe habuerit; qui quum poſtea perveniſſet ad Imperium, Britannici (quocum familiariter vixerat) recordatus, ſtatua eumdem aurea & equeſtri eburnea honoraverit. Confer & *Tacitum* Annalium Lib. III. Laudat Britannicum plangitque his verſibus Tragœdiæ, quæ Octavia inſcribitur, auctor:

„ *Tu quoque exſtinctus jaces,*
„ *Deflende nobis ſemper, infelix puer,*
„ *Modo ſidus Orbis, columen Auguſtæ domus,*
„ *Britannice.*

Vix quatuordecim annis vixit. De moribus & ingenio Britannici puerilis ejus ætas judicium ferre vix ſinit. Id tamen ex *Tacito* liquere videtur, illum ingenio haud fuiſſe deſtitutum. Quin & dediſſe haud leve intrepidi animi ſignum atque indignationis injuriæ ſibi factæ. Accidiſſe enim Saturnalibus diebus, quibus læta agere ſolebant, quibuſque forte Neroni regnum obvenerat, ut is pro imperio juberet Britannicum exſurgere & progreſſum in medium, cantum aliquem incipere, ſperans fore ut irrideretur. Tum ille traditur conſtanter exorſus fuiſſe carmen, quo evolutum ſeſe ſede patria rebuſque ſummis ſignificaret. Quæ legi uberius apud eumdem Scriptorem poſſunt Annal. Lib. XIII. cap. 15. Commotus illis Nero odius vita Britannicum, ſicuti imperio jam ante, ſpoliare decrevit. „ Hæc *Triſtanus* pro notitia Britannici. Laudavimus autem ſupra *Petrum Seguinum*, eruditiſſimum Abbatem, in typi hujus explicatione. Teſtatur *Seguinus*, qui poſt *Triſtanum* ſcripſit, ejuſque ſententiam modeſte refutavit, nummum ſuum primæ eſſe magnitudinis; pariter ſcilicet ut de illo teſtatur, cujus & typum nactus fuerat, *Triſtanus*. Is itidem in Gallia exſtitit, atque olim ad Dominum *Claudium Peireſcium* pertinuit, uti diſcimus ex *Jo. Triſtano* in Comm. Hiſtor. Tom. I. p. 200. ubi hanc hujus nummi typique exhibet explicationem. „ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Claudius Britannicus Cæſar.* Effigies Britannici, filii Claudii, ſine corona. Ab altera parte legitur: ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. Cernitur ibi nuda Dei alicujus effigies, levi palliolo tantum tecti, pectore aperto; dextra is tenet gemmam pretioſam; modus enim quo eamdem tenet, denotat dignum illo Numine pretioſum ejuſmodi eſſe lapidem pulchritudine atque pretio. Læva manu tenuem tenet ſcipionem ſeu virgam; ante pedes ejus equus eſt.

„ Nummus hic, qui magnitudine ſua ad Medalliones adpropinquat, olim exſtitit in incomparabili Theſauro omnium ſingularitatum, Domini de Peireſc, dum viveret Conſiliarii Regis in Parlamento Provinciæ, de quo & ante cum laude locutus ſum; utrum vero in eodem adhucdum inveniatur is nummus neſcio. Audivi enim furto illi magnum fuiſſe nummorum numerum ablatum. Hujus quidem archetypon ipſe non vidi, ſed communicavit cum pluribus aliis nummis mecum Reverendus Pater *Sirmondus*, pro humanitate ſua, fuſum juxta eumdem archetypum, & inde facta hujus typi pictura eſt. Commendat ſeſe nummus hic propter effigiem juvenis Principis, quam exhibet, Claudii patris nomine, cognomine Britannici adpellati; rationem cognominis ſupra dedimus. Adpellatur inſuper Cæſar. Averſa nummi pars valde eſt notabilis; depingit enim nobis ſub quibuſdam figuris & adtributis urbis ſuæ Genium, Deum *Alabandum*, quem Alabandenſes fuerunt venerati. Neque enim dubito quin hæc Dei ejus ſit pictura, ipſaque eadem adumbrari Britannicum. Scribit enim *Stephanus*, quod Car quidam, Euippus nomine, *Alabandam* urbem condiderit in Caria, Ioniæ terra, prope fluvium Mæandrum, atque *Ababandam* vocaverit ex filii Alabandi nomine, quem ex Maeandri filia Callirhoë ſuſtulerat. Is vero Alabandus ſic vocatus (inquit) fuerat a victoria quadam in pugna inſigni equeſtri: Ἀλάβανδα (hæc verba ejus ſunt) ὅ ἐστι κατὰ τὴν Καρῶν φωνὴν, ἱππόνικος, ἄλα μὲν τὸν ἵππον, βάνδα δὲ τὴν νίκην καλοῦσιν. Ἔνθεν καὶ παρὰ Ῥωμαίοις βάνδον τὴν νίκην φασίν. i. e. *Nomen hoc Carum lingua ſignificat victoriam in equo, nam* ἄλα *illis equum,* βάνδα *victorem denotat. Et inde Romani quoque victoriam Bandum adpellant.* Quæ poſteriora exiſtimo a ſciolo quodam *Stephano* adpoſita fuiſſe. Græci enim ſeu Romani nunquam victoriam *Bandum* vocarunt, ſed vexillum militare, quod equitibus erat proprium. Quod etiam ad tempora ſeriora, Conſtantini Magni ſcilicet, referri debet; uti nos Leges militares & Tacticæ Imperatoris Leonis, Theophylactus Simocatta, Conſtantinus Porphyrogenetus aliique plures docent. Et hinc apud Melitenſes adhuc in uſu eſt vox *Bandiere*, atque in Gallia *Banniere*. Quæ ratio abunde ſufficit pro figura equi ſtantis ad pedes imaginis hujus Herois. Quid vero deſignet id quod dextra manu tenet Alabandus, haud facile dixerim. Si annulus eſt cum gemma, lapiſve aliquis pretioſus, præſto ad interpretationem eſt *Plinii* locus Lib. XXXVII. cap. 7. ubi nos docet pulcherrimos Carbunculos prope Alabandam inveniri. *Principalem habent* (inquit) *Carbunculi, a ſimilitudine ignium adpellati, cum ipſi non ſentiant ignes, ob id a quibuſdam Apyroti vocati. Horum genera Indici & Garamantici, quos & Chalcedonios vocavere, propter opulentiam Carthaginis magnæ. Adjiciunt Æthiopicos & Alabandinos in Orthoſia caute naſcentes, ſed qui perficiantur Alabandis.* Haud itaque ſine ratione dici poſſent Alabandenſes Heroem ſuum ſive ſemideum depinxiſſe cum equo atque tenente dextra manu pretioſum Carbunculum. Et forſitan ejuſmodi Carbunculum inuſitatæ magnitudinis equumque dono dedit Civitas Britannico. Primus, apud quem Alabandenſium fit mentio, *Herodotus* eſt, poſt illum *Polybius*, qui in Excerptis Legationum Cap. XCIII. dicit quod Rhodii vicerint Alabandenſes & Mylaſenſes. Poſt illos *Cicero* de Natura Deorum Lib. II. ſic ſcripſit: *Alabandum ſanctius colunt, a quo eſt urbs illa condita, quam quemque nobilium Deorum* &c. atque in Epiſtola ad Trebatium; *Quare peto a te, ut & eos, & Alabandenſes jubeas Ecdicos Romam mittere.* Videtis primo loco Ciceronem cum *Stephano Byzantino*, cultum Herois Alabandi vindicare Alabandenſibus. Poſt illos *Gratius* in Cynegetico verſu 46. retium & cannabis Alabandicæ mentionem facit, laudans ejus in venationibus pro capiendis apris uſum:

„ *At*

,, *At pauper rigui custos Alabandicus horti,*
,, *Cannabicas nutrit sylvas, quam commoda nostro*
,, *Armamenta operi gravis est tutela, sed illis*
,, *Tu licet Æmonios includas retibus ursos.*

,, Existimo ibidem pro *rigui*, quod *Barthius* restituit pro *rigidi*, quod in inpressis exstat, esse legendum, *Pauper at exigui*; melius enim conjungitur cum *pauper*, quamvis propter luxum male audiverint Alabandenses. Nam nulla tam beata est terra quin pauperes alat, & miseros æque ac dites rusticos. Per *pauper* itaque illam rusticanam denotat plebem Gratius, quæ suis laboribus parvum colebat agellum. Cannabis ibi natæ laudem habet *Plinius* Lib. XIX. *Cannabia vellitur post vindemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur, optima Alabandica, plagarum præcipue usibus.* *Titus Livius* Lib. XXXIII. juxta *Flori* Epitomen, notat Alabandenses Templum urbi Romæ exstruxisse, inque ejus, ut Deæ, honorem instituisse Ludos Sacros, Jovique Capitolino misisse donarium coronam auream quinquaginta pondo, trecenta praeterea scuta equestria. Cæterum *Stephanus* notat, quod propter urbis hujus felicitatem, luxum incolentium, vitamque solutam & diffluentem, in proverbium venerit Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη. *Alabanda Carum beatissima.* Quod convenit cum censura Juvenalis, Satyra III. versu 70. luxum Alabandensium carpentis post *Strabonem*, qui Lib. XIV. ita scripserat: Τρυφητῶν δ᾽ ἐστὶν ἀνθρώπων καὶ καπυελιζῶν, ἔχουσα ψαλτρίας πολλάς. i. e. *Qui urbem hanc habitant, voluptatibus admodum sunt dediti, convivia læta celebrant pluresque habent psaltrias.* Quoad situm urbis, *Strabo* XIV. asini clitellis instrati instar esse adfirmat, propter monticulos scilicet varios, qui circumjacentes urbi hanc illi figuram dent. Unde & per lusum lepide dixit *Apollonius Malacus*: Alabanda esse Asinum scorpionibus onustum, quia scilicet regio illa undique scorpionibus abundat. Vidit quoque *Goltzius* nummum apud Alabandenses cusum in honorem Caracallæ, ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ, ut hic, inscriptum. sed quoniam nec ibi, nec passim, typos nummorum simul addit, inutiles ejusmodi illius sunt inscriptiones. ,, Hæc *Tristanus*; verum ut de equi pro cervo pictura, & de carbunculo pro patera, nihil dicam; ad *Seguini* facile parabilem librum Lectorem amando. At Poëtæ *Gratii* emendatio mihi placere non potest. Recte enim ibi *rigui* legitur. Nam si respicias ad cultum quem poscit cannabis, postquam recisa ab radicibus est, omnino aquæ requiruntur riguæ, ad emolliendos juncos, atque putrefacienda cannabis exteriora ligamina, quod apud nos non soli rustici norunt. Quare ad laudem commodumque recepta Gratii lectio spectat. *Hortos riguos*, qui amnibus & aquis irrigantur, sic quoque dixit Ovidius Metamorph. Lib. VIII. versu 646.

Quodque suus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis.

Idem alibi passim, plurimique præterea scriptores.

Num. 3. 4.

ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. (*BRITANNICUS.*) *Caput Britannici nudum.*

ΝΙΚΟμηδείας ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙ ΜΙΝΔΙΟΥ ΒΑΛΒΟΥ (*NICOMEDIAE METROPOLEOS SUB MINDIO BALBO.*) *Triremis, supra quam (inquit* Jo. Vaillantius *p.* 15.) *caput Britannici galeatum cum thorace, notatque sese vidisse illum nummum apud* Falknerum.

In illa recensione *Vaillantius* omittit duas illas figuras armatas & paludatas, quæ ad latera capitis galeati observantur, quæque ad Claudium atque Neronem spectare videntur. In *Thesauro Morelliano* Fam. Rom. quoque nummum hunc depinxit *Morellius*, ubi cerni potest in Familia Mindia. Verum ante *Morellium* passim fœde legebatur ejus epigraphe, eratque adeo ridiculus interpretantium & vanus labor; prouti & ex ipso *Tristano* liquere potest, cujus, pro more, subjecimus Interpretationem ex Comm. Histor. Tom. I. p. 188. ,, In nummo hoc juvenis Principis, quem *Strada* (num. 41.) protulit, deinde *Occo* & *Cambdenus* atque *Ortelius*, caput juvenis Principis Britannici cum solo nomine ejus deprehenditur. Quod ad aversam spectat partem, *Cambdenus* in docta sua atque curiosa patriæ, Magnæ Britanniæ, descriptione, nummum hunc ad Claudium refert, contra sententiam *Occonis* atque *Stradæ*, quos potius sequor. Legit idem Inscriptionem hoc modo: ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΕΠΙΜΙΝΑΙΟΥ ΒΑ. *Strada* pessime legit: ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΕΠ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΒΑΛΟ Ν ΚΟ. Aliquanto melius *Occo* ita constituit: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟΣ ΕΤΙΜΙΝΑΙΟΥ ΒΑΛΟ. ΝΙΚΟ. Cum *Ortelio* tamen existimo, quod nec ille, nec ipse *Occo*, adsecuti fuerint veram lectionem, vel quod admodum vitiosa sit, sic ut nobis, quibus ipsum nummum inspicere non contigit, multo difficilius sit de vera ejusdem lectione judicium ferre. Conjicio tamen forte legendum esse: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΕΠΙΝΕΙΟΥ ΒΑΛΟΙΟΥ, seu potius ΒΑΛΟΙΩΝ. Apud *Ptolemæum* enim ΕΠΙΜΕΝΕΙΟΝ Macedoniæ urbs est, habetque significationem urbis maritimæ sive navalis urbis, quæ habeat portus & armamentarium navale. Potuit illa Macedoniæ urbs & portus sui nomine, & suo vocata fuisse, sic ut antiquum ejus nomen fuerit ΒΑΛΟΙΟΝ. Novit enim ejus nominis urbem in Macedonia *Stephanus*, &, ut verosimile videtur, in exigua parte hujus provinciæ maritima, quæ Αὐλοὶ *Ptolemæo* nominatur. Vocat enim is hoc ΕΠΙΝΕΙΟΝ, *Aulorum civitatem*, sive ΑΥΛΩΝ ΠΟΛΙΝ ΕΠΙΝΕΙΟΝ. Notat id nomen maritimum locum in longitudinem porectum ad litus maris ubi sinus est. Inscriptionem itaque hanc sic capio: *Metropolis* (secundo casu) *Epineii Baloi*, sive *Baloiorum*. Quodque hanc confirmat conjecturam, est ipse nummi typus, qui dimidia ratis est bellica, supra quam inter duas figuras armatas, ex quibus supra ratem stat altera hastam manu tenens

„ te caput eſt, ſive effigies ſtatuæ, Britannici ſive alius, galeatæ. Credibile vero eſt in Britannici gratiam fabricatam fuiſſe navem, ſive ut Romam deportaret effigiem ejus, coloſſum, vel ſtatuam, excellentis artificis ejuſdem urbis opus. Potuerunt enim ex hæreditate materna ad Britannicum pertinere Alabandenſes. „ Sed conſule quæ ad *Morellii Theſaurum* ſcripſimus.

NUM. 5. 6.

Nummus hic ratione typi & inſcriptionis nihil diſcrepat a primo hujus Tabulæ Britannici nummo, ſed minor mole eſt, tertiæ fere magnitudinis.

Vulgavit majoris moduli ſimilem (uti dixi) in Selectis ſuis, *Seguinus*, ex cujus Cimelio in *Theſaurum Regium* tranſiit. Servatur & in ære flavo in *Muſeo noſtro*, ſed valde detritus. Inter argenteos referri video (ſi verus eſt & genuinus) in *Muſeo Farneſiano*, ubi aſini figuram videtur præferre animal.

NUM. 7. 8.

ΤΙΒέριος ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαςὸς ΓΕΡμάνικος ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. (*TIBERIUS CLAUDIUS, CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS, MESSALINA AUGUSTA.*) *Capita Meſſalinæ comtum, & Claudii laureatum adverſa.*

ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. (*BRITANNICUS, CAESARIENSIUM.*) *Statua Britannici togata.*

Inſignis rariſſimuſque (ut omnes Britannici) hic eſt nummus, in quo Cæſarienſes cultum ſuum erga Claudium ejuſque domum oſtendunt, erecto forſitan in honorem Claudii atque Meſſallinæ templo, poſita certe Britannico, quod figura togata innuit, ſtatua; quamvis togæ tum (præſertim vivente matre Meſſalina) inmaturus erat Britannicus, de quo apud *Sueton.* in Vita Claudii Cap. XLIII. *Cumque inpuberi teneroque adhuc, quando ſtatura permitteret, togam dare deſtinaſſet, adjecit: Ut tamdem populus Romanus verum Cæſarem habeat.* De Britannico ex Dione teſtatur Xiphilinus, quod flore ætatis atque corporis proceritate inter æquales eminuerit. Britannicus, inquit: τῇ δὲ σώματι ἀκμῇ καὶ ὑπὲρ τὸ τῶν ἐτῶν ἀεὶ μὲν ἄνθη.

NUM. 9. 10.

ΝΕΡΩΝ ΒΡΕΤΑΝνικος ΚΑΙCαρες. (*NERO BRITANNICUS CAESARES.*) *Capita adverſa Neronis & Britannici.*

ΙΛΙΕΩΝ CΚΑΜΑΝΔΡΟC (*ILIENSIUM SCAMANDER*) *Fluvius recubans cum arcu & arundine.*

Inſignem hunc nummum, quo gratiam ſibi apud hæredes Imperii, Cæſares, quæſiverunt Ilienſes, vulgaverat *Morellius* jam in Specimine Tab. XVI. Num. 1. 2. Nobilis antiquitate, ſed iis temporibus vix inveniendus, depingitur in nummo Scamander.

NUM. 11. 12.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Caput Neronis nudum.*

ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*BRITANNICUS CAESAR.*) *Caput Britannici nudum.*

Adpoſita lilii nota docet ex *Theſauro Regio* depictum a *Morellio* fuiſſe nummum; dedit ſimilem, ſed rudiorem, ex *Muſeo Comitis Jo. Lazari Patavini* in Nummis Imp. Gr. *Jo. Vaillantius* p. 15.

NUM. 13. 14.

ΒΡΙτανικος Lυκάβαντος. . . . . (*BRITANNICUS ANNO . . .*) *Palma arbor.*

ΚΑΙCΑΡ ΝΕΡΩΝ. (*NERO CAESAR.*) *Clypei duo & ſpicula decuſſatim poſita.*

In Judæa cuſum hunc fuiſſe nummulum (ubi & Neroni multi exigui ejuſmodi ſignati ſunt) Palma arbor docet.

NUM. 15. 16.

BRITANNICUS CAESAR AUGuſti Filius PRINceps JUVENTutis. Britannicus in equo haſtatus.

TIberius CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. In area eſt nota Senatuſconſulti.

Ad *Goltzianos* hunc nummum ablegandum atque ex ejuſdem *Goltzii* MSS. depictum a *Morellio* fuiſſe exiſtimo.



SIGEBERTI HAVERCAMPI
COMMENTARIUS
IN NUMISMATA
CLAUDII NERONIS.
TABULA I.
COMPREHENDENS CAPITA NERONIS
SEU
PRIMAS NUMISMATUM EJUS PARTES.

NUM. I.

NERONI CLAUDIO DRUSO GERManico COnsuli DESIGnato. Caput Neronis juvenile, sine laurea.



uoniam morem illum passim tenuit *Schlegelius*, ut vitam Imperatoris Numismatum explicationi præmitteret, idem facere lubet, sed *Tristani* verbis, qui Vir summi fuit judicii, doctrinæ inmensæ, atque eloquentiæ haud mediocris. Loquitur is (quem Latine loquentem ex Gallico, quo scripsit, sermone, fecimus) ita de prodigio hoc vitiorum atque propudioso Imperatore: „ Filius exstitit Nero Cnei Domitii & Agrippinæ, Romæ fuit „ natus die Decembris quartodecimo anno V. C. „ DCCLXXXIX. salutis XXXVIII. Consulibus A- „ cronio Proculo & Pontio Nigrino, occidit se „ ipsum natus annos triginta atque duos circiter, „ postquam regnaverat annos tredecim, menses „ septem, viginti octo dies.

„ Fuit Nero statura pene justa, vultu pulchro „ magis quam venusto, oculis cæsiis & hebetiori- „ bus, ore pleniore, capillo subflavo, cervice obe- „ sa, ventre projecto, gracillimis cruribus, toto- „ que corpore maculoso & fœdo. Facie præterea „ erat rubicunda, sic ut cum in theatro caneret „ coram populo, præ contentione, toto & corpo- „ re & facie inflammaretur, ut in Nerone *Lucia-* „ *nus*, si modo ejus est Dialogus, testatur. Hæ „ qualitates erant corporis pantheræ hujus, tigri- „ dis, monstri naturæque prodigii. Quantum ad „ animum ejus, apparebit satis ex illis quæ per „ occasionem infra dicturi sumus; præterea ve- „ teres Historici abominandam ejus luxuriam sæ- „ vitiamque satis operose descripserunt. Quare so- „ lum nunc persequar in hoc Commentario cu- „ riosiora quædam, quæ reficere Lectorem pos- „ sint, dum inter sæva & fœda detestandi Princi- „ pis versatur. Primo itaque animadverto Ne- „ roni tam obtusam oculorum fuisse aciem, ut „ propius admota vix satis bene cognosceret, „ quare remota melius videbat. *Neroni* (inquit „ *Plinius* Lib. XI. cap. 37. *oculi, nisi cum conni-* „ *ve-*

„ *verit, ad prope admota hebetes.* Quod sine dubio „ ansam Poëtæ Lucano, qui infesto illum prose- „ quebatur odio, dedit, ut, de Nerone agens, „ hæc scriberet Lib. I. haud procul ab initio:

„ *Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe;*
„ *Nec polus adversi calidus qua vergitur Austri;*
„ *Unde tuam videas obliquo sidere Romam.*

„ Quibus respicit ad vitium oculorum in Nero- „ ne; neque possum mihi imaginari dicturum hæc „ fuisse Poëtam, nisi voluisset sine aperto risu „ pungere Neronem sub specie laudis. Natura e- „ nim tantopere libertatis amans fuit Lucanus „ (quod & passim Poëma ejus ostendit) ut capita- „ li odio (licet occulte) tyrannicas Neronis actio- „ nes prosequeretur, tandemque una cum aliis „ contra illum conspiraverit. Quare certissimum, „ cuncta ejusmodi, quæ libro primo operis (quod „ ad deplorandam libertatem amissam factum a „ Poëta fuit, utpote cum Pompejo exstinctam) „ inveniuntur, dicta fuisse ut taxaret actiones „ Neronis, tamquam libertatis, legum, bono- „ rumque oppressoris; sed quæ ambiguo sensu stu- „ diose involvuntur. Sic quando prædictis ad- „ jungit:

„ *Ætheris immensi partem si presseris unam;*
„ *Sentiet arcis onus.*

„ Facile judicare est, respici ad tumorem ventris „ Neroniani, neque enim alias hac inventione, „ nimium quæsita, usus fuisset. Eumdem Nero- „ nem, qui, Deorum æmulator invidus, Bacchus „ & Apollo videri volebat Poëtices atque Musicæ „ facultate, quum sacra eorumdem popularetur, „ hisce tacite perstingit:

„ *Sed mihi jam Numen, nec si te pectore vates*
„ *Accipiam, Cyrrhea velim secreta moventem*
„ *Sollicitare Deum, Bacchumque avertere Nysa;*
„ *Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.*

„ Hisce, quibus Diis iisdem præferre Neronem „ videtur, atque ab illo, contemtis Numinibus eo- „ rumque Oraculis, inspirari, ad ejus adludit sa- „ crilegia. Quasi diceret: Si te plenus sim, qui „ verum te Apollinem prædicas, Poëta fiam, „ atque uti talis te quoque Cyrrha & Nysa exi- „ gam, prouti tu Genios loci præsides, veluti fal- „ sos, pepulisti, te ipsum ibi ut locares tamquam „ Apollinem unicum verumque Bacchum. Ne- „ que argumentis destituitur hæc interpretatio. „ *Themistius* enim Oratione V. animadvertit, quod „ mirifice fuerit conturbatus, quum ad Apollinis „ venisset Oraculum. Ibi enim quum citharœdi, „ velut si Deus ipse foret, habitu adparuisset, nullo „ illi honore habito corona quoque de capite de- „ cussa fuisse fertur. Atque hæc fuit ratio, quod „ (uti testatur *Dio* Lib. LXIX.) Apollinis Oracu- „ lum & Cyrrhæ antrum destruxerit, quumque fœ- „ dasset misere illa loca, militibus concessit, quasi „ ipse solus Apollo haberi vellet. Nysæ quoque „ idem verosimile est fecisse, vel finxit *Lucia-* „ *nus*, ut comparationem inter illum Bacchum- „ que instituat. Irridet quoque Neronem in tran- „ situ, sed prudenter, quod Isthmum perfodere „ tentaverit; & quidem eleganter admodum in- „ stituta magnifica comparatione inter Crassum „ atque Isthmum, tamquam qui divideret frangeret- „ que violentiam Cæsaris & Pompeji, quos ma- „ ribus Ionio Ægæoque comparat. Innuit enim „ quod tamdiu quam potentia Crassi constituta „ fuerit inter vires & ambitionem Cæsaris atque „ Pompeji, impediti hi duo fuerint insurgere „ contra se invicem mediamque Rempublicam „ legesque submergere atque delere. Sed post- „ quam Parthica arma submovissent rupem illam, „ quæ inpetum contrarii utriusque maris divide- „ ret clauderetque, concurrisse eadem tanta violen- „ tia ut simul subsideret Libertas antiqua:

„ *Qualiter undas*
„ *Qui secat, & geminum gracilis mare separat*
„ *Isthmos,*
„ *Nec patitur conferre fretum, si terra recedat;*
„ *Ionium Ægæo franget mare.*

„ Imo nisi me mea fallit opinio, oblique eumdem „ Imperatorem tangit, tamquam qui Sole me- „ lior auriga videri voluerit, simulque Romam „ incenderit:

„ *Seu sceptra tenere,*
„ *Seu te flammiferos Phœbi transcendere currus,*
„ *Telluremque nihil mutato Sole timentem,*
„ *Igne vago lustrare juvat.*

„ Nihil clarius dicere potuit, quum præsertim „ idem *Lucanus* Poëma composuerit, quod voca- „ verit. *Catacausmum Iliacum*, de quo nihil nobis „ superest nisi exiguum hoc fragmentum, quod „ citat Grammaticus *Planciades:*

„ *Haud aliter rapium transverso limite anheli*
„ *Flammatum Phaëtonta poli.*

„ In quibus adparet, quantum duobus istis locis „ sibi ipsi similis sit *Lucanus*. Meminit Poëmatis „ ejus *Statius* in *Lucani Genethliaco* hisce versibus:

„ *Dices culminibus Remi vagantes*
„ *Infandos Domini potentis ignes.*

„ Juvat conjecturam nostram *Statius* quum *vagan-* „ *tes ignes* vocat *Lucani* nostri *ignem vagum*, ut „ unam eamdemque scilicet exprimat rem. Nero „ autem insanum in modum videri volebat bel- „ lam habere vocem, quum illa tamen raucidula „ esset & inamœna, prouti speciatim adnotat *Lu-* „ *cianus*, unde passim irrideri solebat, sed caute, „ magnum enim alias erat periculum. Quare & „ omni opere studuit illam perficere atque adhi- „ bitis remediis, qualibus choraulæ solebant, eam- „ dem reddere suavem & canoram, victuque il- „ lis diebus tenui & adcommodo (describente „ *Plinio* Lib. XIX. Cap 6.) utebatur. Imo, ut „ idem adnotat Lib. XXXIV. Cap. 18. plum- „ beam supra pectus ponebat laminam ad conti- „ nendum spiritum, credens, ut addit *Lucianus* „ in Dialogo, qui inscribitur Nero, ne ipsas qui- „ dem Musas melius canere. Quare & Epirotæ „ cuidam, cui dulcior vox validiorque Nerone „ erat spiritus, honos is effosso jugulo feralis ex- „ stitit. Quod igitur crederet longe infra se ci- „ thara canere Apollinem, neque Musas cantum „ suum posse æquiparare, Solisque cursum seu „ Phœbi quadrigas sua vinci aurigatione, facetiis „ seque lætitiæ modis Bacchum, Maronemque vin- „ cere, atque Satyras & Silenos omnes lu- „ dicris venereis lusibusque superare; quæsivit „ modum quo cunctis Diis major inveniretur. „ Quare Magiæ se addixit, verum quum vanissi- „ mam illam comperisset artem (teste *Plinio* Lib.

 „ XXX.

„ XXX. Cap. 2.) eamdem dereliquit; quare judicat idem Auctor falsitatis vanitatisque merito convinci artem, quam reliquerit, talemque pronunciaverit Nero. Nam (quod ad laudem ejus dictum sit) fovit coluitque insigniter omnes artes Nero; ingenium habebat, sanitatem & divitias, quas profundere in doctas artes & pro gloria sua poterat. Quare nescio an magis vanitati ejus quam magnanimitati sit tribuendum, quod perfodere Isthmum voluerit, atque ita superare gloriam Agamemnonis, qui Eubœam a Bœotia separasse dicitur; & Darii, qui Bosporum ponte junxit, quo traduceret in Scythiam exercitum suum; Xerxis denique, qui Athon montem perfodit, factoque ibidem freto classem transvexit. Nihil sane moram operi injicere potuit præter Vindicis motum Principi nunciatum. Præsertim vero inter bonos Poëtas numerari meruit. Primus præ reliquis laudat hunc ejus versum *Seneca* Lib. I. Quæstion. Natural.

„ *Colla Cytheriacæ splendent agitata columbæ.*

„ *Ut ait* (inquit) *Nero disertissime.* Testatur quoque *Plinius* Lib. XXXVII. Cap. 3. Poppæam ejusque comæ pulchritudinem versibus ab eodem celebratam fuisse. *Tacitus* Lib. XV. Cap. 50. *Quinctianus, mollitia corporis infamis, & a Nerone probroso carmine diffamatus.* Poëta *Martialis* Lib. VIII.

„ *Carmina qui docti nota Neronis habet.*

„ Adde Juvenalem Satyra VIII. qui tamen ea haud laudat, ut nec Persius, qui eadem adferens irridet Sat. I.

„ *Condere sic versum didicit: Bercynthius Attyn,*
„ *Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin,*
„ *Sic costam longo subduximus Apennino;*
„ *Torva Mimalloniis inplerunt cornua bombis*
„ *Et raptum vitulo caput ablatura superbo*
„ *Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis,*
„ *Euion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.*

„ Ad quæ vetus Scholiasta dicit, versus illos esse Neronis. Idem ad hemistichion illud:

„ *Nulla tibi vendo Iliade,*

„ adnotat: *Non tibi illud dem, si mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas; scripsit enim Nero Troicon.* Corrupisse Poëticam artem nihilque lectu dignum scripsisse Neronem adfirmat *Quintilianus* in Dialogo de Oratoribus. Irridet eumdem Lucianus, notatque quod inter alia in Achaja in theatro cecinerit Hymnos a se compositos in laudem Neptuni, Amphitrites, Melicertæ & Leucotheæ. Plura disces, si conferas quæ ad *Persii* Satyram VIII. in Commentario suo scripsit doctissimus *Casaubonus*. Addo, quod vivente Nerone moris fuerit, ut ejus carmina ad citharam vel aliter canerentur, atque fuisse ejusmodi Cytharœdos, qui salarium acciperent, atque obtundendo obvios cogerent audire se canentes, & præmium aliquod tribuere; prouti adnotat *Philostratus* Lib. IV. Cap. 3. & simile quid ipsi Apollonio & comitibus ejus obvenisse. Occurrisse enim ejusmodi illis citharœdum, qui servare sese dixerit unam ex chordis, quam in Ludis Pythiis pulsasset Nero, atque ubi cecinisset ipse compositas a Nerone tragœdias, Orestem, Antigonen, aliasque, argentum exegerit ceperitque ab Apollonio & comitibus. Sed & *Eusebius* in Apologia sua contra Hieroclem, testatur sacerdotem Cereris renuisse sacris Eleusiniis initiare Apollonium, quod is inter alia indecore ad lyram cantasset Neronis versus, atque pro hoc studio argentum a comitibus metu a Nerone incusso extorsisset. Hisce ludicris similibusque addictissimus bellus hic Imperator, stipatus nocte diuque erat hominibus ejusmodi generis, atque ipse quoque nocte per plateas & popinas atque lupanaria vagari solebat, atque obvios quosque vexare, unde nonnunquam, si validiorem offendisset, acceptis plagis probe mulctatus domum redibat; quæ sane convenit delectatio homini vesano atque furioso. Habebat idem præsto remedium, quo nocturnis grassationibus lividam & contusam faciem illineret, ex thapsiæ radice aliisque, uti commemorat Plinius XXX. Cap. 25. compositum. Quid de monstri ejus incestis sceleratisque amoribus dicemus? obliterari melius est. Sufficit dicere Britanniæ Reginam ejus temporis generosam Neronem adpellasse *Neroniam* & *Domitiam*, & *malum Citharœdum*, teste *Dione* Lib. LXII. Quibus sane omnia dixit. Indignus quippe fuit viri ferre nomen; quare ipsi, infamium ejusdem amorum respectu, Britannica illa Regina muliebria indidit nomina. Spectat eodem quod scribit *Augustinus* Lib. V. de Civitate Dei Cap. 19. *Qui autem contemtor gloriæ, dominationis est avidus, bestias superat, sive crudelitatis vitiis, sive luxuriæ, cujus vitii summitatem, & quasi arcem quamdam Nero Cæsar primus obtinuit. Cujus fuit tanta luxuries ut nihil ab eo putaretur virile metuendum; tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur.* Dici denique potest longitudinis imperii ejus respectu, quod omnium qui ante vel post illum exstiterint Imperatorum fuerit perniciosissimus. Non illi quidem cessit Caligula, sed diutius imperavit Nero. Verissime itaque Antiquus aliquis Scriptor apud *Jo. Saresberiensem* dixit Lib. VI. Polycratici ejusdem, sive de Nugis Curialium Cap. 15. *Imperium Romanum fere exhaustum est & divulsum Nerone imperante, cujus gula fere omnia devoravit, maculavit libido, exhausit avaritia, fregit ignavia, luxuria cum superbia exinanivit. Hic nullam vestem bis induit, ut vel in aliquo cæteris singulis gloria præluceret. Sed dum Romæ permansit, totum orbem fecit inglorium. Quidquid aliorum quæsivit industria, hujus inertia fere amisit.* Ut sane meruerit nocentissimus ille mortalium perire fulminis illo ictu, quo inter bibendum excussum e manibus calicem & ambusta mensæ utensilia illo cœnante scribunt *Dio* & *Eusebius* in Chron. & *Tzetzes* Chiliad. III. Histor. 6. Horribilis quoque Cometes, cujus metuendum lumen toto fere ejus Imperii (sicuti suo loco adprobaturi sumus,) duravit tempore, quid aliud innuit quam barbaras tot inlustrium virorum cædes, quas homicida ille, occisis quoque matre Agrippina, & conjugibus Poppæa & Octavia, perpetravit? Tandem infelix & ipse mille mortes merito sensit, dum pavidus & tremens violentam turpemque sibi instare mortem sentiens, vix valuit pugione jugulum fodere, inepto sæpe vitæ correptus desiderio. *Suetonius* certe egregie admodum atque exacte tragicam vitæ Neronianæ catastrophen persequitur. Miror autem quod *Apollinaris Sidonius*, sanctis gravibus-

„ que

„ que vir moribus, in illa morte Neronis aliquid laudandum invenerit, tamquam degener iste aliquid virile in capessenda morte ostendisset. Hoc enim ipsi dat elogium in Panegyrico Aviti versu 106.

„ *Et vir morte Nero tristi.*

„ Nam, vel juxta Ethnicorum in ejusmodi casu ratiocinia, indignus omnino fuit ista laude Nero, quasi qui fortiter mortem tulerit. Fuit enim per omne vitæ tempus molli animo atque timido, quem in ipsa mortis exspectatione nihil æque turbaverit, quam sententia Senatus in illum lata, scilicet ut nudus a carnifice, collo furcæ inserto, usque ad necem verberaretur. Denique in extrema necessitate vix ferrum jugulo admovit, ictum, nisi juvante aliquo ex præsentibus, perferre non potuit. Aniles fabulas in morte Neronis non persequar, inter quas Chronicon Alexandrinum inter alia ejusmodi farinæ scribit necatum fuisse a Judæis, quod Pilatum condemnasset; sed adducam potius testimonium *Egesippi*, qui Lib. IV. Cap. 20. post *Suetonium* scribit, ita mortis metu fuisse adtonitum, ut exclamaverit antequam sese feriret: *Qualis artifex pereo!* sive ut verba ejus narrant idem *Egesippus* Lib. IV. de Hierosolymitano Excidio cap. 20. *Glycas* & *Manasses* in Annalibus: *Qualem, o Jupiter, citharœdum mortales amittunt!* Adeo ridiculus in illo adfectu erat, tamque parum cordatus circa res alias. Ponam itaque hic illi pro Epitaphio quod lepida femina, doctaque Poëtria, Sulpicia fingit pœnæ vice sustinere apud Inferos:

„ *Proh scelera! o Superi, cruciat quæ pœna*
„ *Neronem?*
„ *Num rota, num saxum, num saxa fugacia*
„ *vexant?*
„ *An vultur pendensque silex, an fervet in undis?*
„ *Illum comburat Phlegeton lacerentque cerastæ;*
„ *Hydra voret, raptentque canes, semperque fla-*
„ *gello*
„ *Torva Megæra secet, nec sit requiesque mo-*
„ *dusque.*

„ *Plinius* Lib. XVII. Cap. 21. narrat rem incredibilem, quam tamen adseverat contigisse; quod scilicet ante mortem ejus, pro ostento magnæ rerum mutationis, Oleæ aliquot una cum ipsa terra soloque in quo satæ erant (pertinebat campus ad Vectium Marcellum Equitem Romanum) ad alterum latus viæ in campum Marrucinum fuerit translatus, quodque iste campus, mutato loco, sedem occupaverit, ubi olivetum antea exstiterat. Senatus denique, abolendæ gratia Neronis memoriæ, usum monetæ illius capite signatæ interdixit, quod elicio ex *Arriani* in Epictetum Commentario Lib. IV. Cap. 5. ubi legitur: Τίνα ἔχει τὸν χαρακτῆρα τοῦτο τὸ τετράσσαρον; Τραϊανοῦ. Φέρε. Νέρωνος. ῥῖψον ἔξω, ἀδόκιμόν ἐστι, σαπρόν. *Cujus effigiem habet quadrans iste? Trajani. Cape. Neronis. Abjice, nihil enim valet ac nullius pretii est.* "

NUM. 2.

NERONI CLAUDIO DRUSO GERManico COnsuli DESIGNato. Neronis caput nudum lævam versus.

Nero Claudius ex gente Domitia, divisa in familias Calvinorum & Ahenobarborum, atque familia Ahenobarborum fuit. Quare, quum post adoptionem eum ex consuetudine Britannicus, jam frater, Ænobarbum salutasset, gravissime id tulit, & ut subdititium apud patrem arguere conatus est, teste *Suetonio* in Nerone Cap. VII. Unde & postea, *obvii inter se, Nero Britannicum nomine, ille Domitium salutavere. Quod ut discordiæ initium, Agrippina multo questu ad maritum defert: sperni quippe adoptionem* &c. apud Tacitum Lib. Annal. XII. Cap. 41. Claudii nomen per risum illi a Cajo datum in contumeliam mater Agrippina accepit. *Sueton.* in Nerone Cap. VI. *Ejusdem futuræ infelicitatis signum evidens die lustrico exstitit: nam C. Cæsar, rogante sorore, ut infanti, quod vellet, nomen daret, intuens Claudium patruum suum, a quo mox Principe Nero adoptatus est, ejus se dixit dare: neque id ipse serio, sed per jocum, & adspernante Agrippina, quod tum Claudius inter ludibria aulæ erat.* Adoptatus ab Imperatore Claudio fuit *undecimo ætatis anno. Sueton.* ibid. Cap. VII. Ante adoptionem dicebatur L. Domitius, uti discimus ex Tacito Annal. Lib. XI. Cap. 11. *Sedenti Claudio Circensibus ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent; interque eos Britannicus Imperatore genitus & L. Domitius adoptione mox in Imperium & cognomentum Neronis adscitus, favor plebis acrior in Domitium, loco præsagii acceptus est.* Idem ibid. Lib. XII. Cap. 26. *Cæterum actæ Principi grates, quæsitiore in Domitium adulatione. Rogataque lex, qua in familiam Claudiam & nomen Neronis transiret.* Avi Drusi nomen in iis nummis gerit, qui ante Principatum sub Claudio, vel initio ejusdem cusi sunt. Cusos fuisse nummos hos primo post adoptionem anno patet, quo consul designatus dicitur, anno enim post, mortuo jam Claudio, Consulatum gessit.

NUM. 3.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR. Caput Neronis nudum, lævam versus.

Statim post mortem Claudii signati ejusmodi nummi sunt; postquam videlicet inter Divos retulerat, quem morari amplius inter homines non putabat sibi conducere.

Num. 4.

NERO CLAUDius CAESar DRUSUS GERManicus PRINCeps JUVENTutis. Caput juvenile Neronis, ſine corona, verſus dextram.

Statim ut a Claudio adoptatus fuit Domitius, Nero jam dictus, una cum Britannico (quod Græci utriuſque nummi teſtantur) *Cæſaris* nomen accepit, & *Princeps juventutis* dictus fuit, adeoque amplum gradum ad Imperatoriam quandoque poteſtatem adeptus eſt. Et hoc eſt illud quod legitur apud Tacitum Annal. Lib. XII. Cap. 25. *C. Antiſtio M. Suilio Coſſ. adoptio in Domitium auctoritate Pallantis feſtinatur. Qui obſtrictus Agrippinæ ut conciliator nuptiarum, & mox ſtupro ejus inligatus, ſtimulabat Claudium, conſuleret Reipublicæ, Britannici pueritiam robore circumdaret. Sic apud Divum Auguſtum, quamquam nepotibus ſubnixum, viguiſſe privignos: a Tiberio, ſuper propriam ſtirpem, Germanicum adſumtum. Se quoque accingeret juvene, partem curarum capeſſituro. His evictus, biennio majorem natu Domitium filio anteponit, habita apud Senatum oratione in eumdem, quem a liberto acceperat, modum.*

Num. 5.

NERONI CLAUDIO DRUSO GERManico COnSuli DESIGNATO. Caput Neronis juvenile nudum, dextram verſus.

Vide quæ dicta ſunt ſupra ad Num. II. ſimiliter inſcriptum, ſed aliorſum verſo capite.

Num. 6.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR. Caput Neronis juvenile laureatum, lævam verſus.

Cuſi hujuſmodi nummi ſtatim poſt mortem Claudii.

Num. 7.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR AUGuſtus GERMANICUS. Caput Neronis laureatum, verſus lævam.

Num. 8.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR AUGuſtus GERMANIcus. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, cum globo ad infimam colli partem.

Sæpius in Imperatorum nummis, præſertim Neronis, Galbæ, atque Veſpaſiani, ejuſmodi globus cernitur ſub collo a parte anteriore, Symbolum videlicet Imperii in univerſum Orbem.

Num. 9.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR AUGuſtus GERMANICUS. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

Omnes hi nummi Neronis caput ſatis juvenile exhibent, cuſi videlicet primis Imperii ejuſdem annis.

Num. 10.

Vacat.

Num. 11.

NERO CAESAR AUGuſtus IMPerator. Caput Neronis nudum, lævam verſus.

In hoc nummo prima vice *Imperator* vocatur Nero, poſtquam videlicet Imperii ejus anno II. Vologeſes, Parthorum Rex, a Corbulone victus, obſides tradiderat. De quo Tacitus Annal. Lib. XIII. Cap. 9. *Metu enim Corbulonis, quem ſucceſſorem Quadrato miſerat Nero, Vologeſes, quo bellum ex commodo pararet, an ut æmulationis ſuſpectos per nomen obſidum amoveret, tradit nobiliſſimos ex familia Arſacidarum.* De quibus quum contentio inter Quadratum & Corbulonem oriretur, *Nero, quo componeret diverſos, ſic evulgari juſſit: Ob res a Quadrato & Corbulone proſpere geſtas laurum faſcibus Imperatoriis addi.*

NUM. 12.

IMPerator NERO CAESAR AUGUſtus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

Præmittitur hic nominibus Neronis *Imperatoris* titulus, quatenus videlicet non bellicæ gloriæ titulus, ſed proprium Imperii erat decus; quod mox Claudio ſublato obtinuerat. *Tacitus* Annal. Lib. XII. Cap. 69. *Inlatuſque caſtris Nero, & congruentia tempori præfatus, promiſſo donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator conſalutatur.*

NUM. 13.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Neronis nudum, lævam verſus.

NUM. 14. 15.

Vacant.

NUM. 16.

NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

Juventa egreſſus Nero in hujuſmodi nummis obeſam, quam illi *Suëtonius* adſcribit, oſtendit cervicem, & virile robur raſa, quæ jam provenerat, barba ſatis denſa.

NUM. 17.

NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

NUM. 18.

NERO CAESAR AUGuſtus. Caput ejuſdem laureatum, dextram verſus.

NUM. 19.

NERO CAESAR. Caput ejuſdem laureatum, dextram verſus.

NUM. 20.

NERO CLAUDius CAESAR. Caput ejuſdem laureatum, dextram verſus.

NUM. 21.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

NUM. 22.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus. Caput ejuſdem laureatum, lævam verſus.

NUM. 23.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus. Caput ejuſdem, ut ſupra.

NUM. 24.

NERO CLAUDIUS CAESar AUGuſtus. Caput Neronis, ut ſupra.

Omnes hi nummi tantum in eo diſcrepant, quod literas in nominibus & titulis magis vel minus producant ſive integre ſcribant, quod in nummis ſolemne eſt.

NUM. 25.

NERO CAESAR AUGuſtus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, lævam verſus. Ante faciem eſt monogramma aliquod.

In nummis, qui vulgo adpellari ſolent Conturniati, monogramma illud obſervatur. Ex quibus vero literis conflatum ſit facile animadverti poteſt, videlicet ex P. & E. Verum quid hæ ſignificent, difficile eſt divinare. Protulimus ejuſmodi Numiſmata in libello de Nummis Conturniatis, neque enim ſoli Neronis nummi illa inſigniri ſolent nota, quæ inciſa, & in quibuſdam nummis etiamnum argento plus minus inpleta adparet. Neque Neronis temporibus cuſi illi Nummi Conturniati ſunt, verum poſtea ſub Chriſtianis Principibus, nam ſub Conſtantino Magno ejuſque ſucceſſoribus, haud minus in Circenſes inſaniit vulgus quam ſub

ſub primis Imperatoribus. In illis Conturniatis omnium fere Imperatorum invenias imagines, a Julio Cæſare uſque, ut & virorum doctorum, imo & equorum curſu nobilium.

NUM. 26.

NERO CLaudius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, cum laureo ramuſculo inciſo ante faciem.

Hujuſmodi quoque nummi ex genere Conturniatorum ſunt; nam & ille ranuſculus æri inciſus argento inpleri ſolebat. Neque monetæ uſum ejuſmodi nummi obtinuerunt, verum tantummodo Spectaculis & Circenſibus ludicris inſervierunt; aliquanto etiam majores eſſe ſolent, quam qui ſunt primæ magnitudinis, atque circulum exſculptum habere in ambitu, unde, veluti tornati, Contorniatorum ſive Conturniatorum nomen obtinuerunt.

NUM. 27.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, verſus lævam.

NUM. 28.

IMPerator NERO CLAUDius CAESar AVGuſtus. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, ante faciem anguis ſeſe erigens prorumpit.

Nota circumfertur hiſtoria Neronis, adhuc infantis, de qua Tacitus Annal. Lib. XI. Cap. 11. *Vulgabaturque adfuiſſe infantiæ ejus dracones in modum cuſtodum, fabuloſa & externis miraculis adſimulata; nam ipſe, haudquaquam ſui detractor, unam omnino anguem in cubiculo viſam narrare ſolitus eſt.* Amplificat Suetonius in Nerone Cap. VI. *Gratia quidem & potentia revocatæ reſtitutæque matris uſque eo floruit, ut emanaret in vulgus, miſſos a Meſſalina uxore Claudii, qui eum meridiantem, quaſi Britannici æmulum, ſtrangularent. Additum fabulæ eſt, eoſdem dracone e pulvino ſe proferente conterritos refugiſſe. Quæ fabula exorta eſt, deprehenſis in lecto ejus circum cervicalia ſerpentis exſuviis: quas tamen aureæ armillæ ex voluntate matris incluſas dextro brachio geſtavit aliquamdiu: ac tædio tamdem maternæ memoriæ abjecit: rurſuſque extremis ſuis rebus fruſtra requiſivit.*

NUM. 29.

IMPerator NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, dextram verſus.

NUM. 30.

IMPerator NERO CAESAR. Caput Neronis ſimiliter dextram verſus, ſed corona radiata inſigne.

NUM. 31.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum lævam verſus.

Quamvis, ut animadvertit Tacitus Annal. Lib. XI. Cap. 25. promiſcuum *Patris Patriæ cognomentum*, tamen *ex inmenſis quibus cumulabatur honoribus, tantum Patris Patriæ* (inquit Suetonius in Vita ejus Cap. VIII.) *nomine recuſato propter ætatem.* Serius itaque titulum illum adſcivit Nero, quod quo anno ſecerit, inquirit *Ezech. Spanhemius* De Uſu & Pr. Numiſm. Tom. II. p. 447.

NUM. 32.

IMPerator NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, verſus lævam.

NUM. 33. 34.

NERO CAES. (in altero CAESAR) AUGuſtus IMPerator. Caput Neronis laureatum lævam, verſus.

NUM. 35.

Vacat.

TA

TABULA II.

ADHUC COMPLECTENS

CAPITA NERONIS

CUM INSCRIPTIONE

LATINA.

NUM. 36.

NERO CAESAR AUGuſtus GERManicus IMPerator. Caput Neronis nudum lævam verſus.

NUM. 37. 38.

NERO CAESAR AUGuſtus GERManicus IMPerator. Caput Neronis laureatum, in priori nummo verſus lævam, in poſteriore verſus dextram.

NUM. 39.

NERO CAESAR AUGuſtus GERManicus IMPerator. Nudum Neronis caput, verſus dextram.

NUM. 40. 41. 42.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Neronis laureatum dextram verſus, in altero verſus lævam. In tertio ſine corona laurea dextram verſus vertitur.

NUM. 43.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERMANicus. Caput Neronis laureatum lævam verſus cum globo infra ad collum.

NUM. 44.

Vacat.

NUM. 45.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERMANICus. Caput Neronis nudum lævam verſus.

NUM. 46.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanius Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis nudum, verſus lævam.

NUM. 47.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanius Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis ſimile, ſed laureatum cum globo infra collum.

NUM. 48.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanius Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput ſimile, ſed corona radiata inſigne, & ſine globo.

NUM. 49.

Vacat.

NUM. 50.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate, IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis radiata corona inſigne, verſus dextram.

NUM. 51. 52.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Neronis caput nudum; in priore nummo verſus lævam, in poſteriore verſus dextram vertitur.

NUM. 53. 54. 55.

NERO CLAVDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Capita Neronis dextram verſus converſa ſunt; primum ex illis ſine laurea eſt, globumque habet infra collum; ſecundum laureatum ſed ſine globo, tertium laureatum item cum globo.

NUM. 56. 57.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRIbunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Vertuntur capita verſus lævam, laureata ſunt, poſterius ſub collo globum exhibet.

NUM. 58.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERMANicus IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum lævam verſus, cum globo infra collum.

NUM. 59. 60.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis radiata corona ornatum, verſus lævam converſum in priore nummo, in poſteriore verſus dextram.

NUM. 61.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput iterum Neronis radiatum verſus lævam, ſed cum globo ad collum.

NUM. 62. 63.

IMPerator NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ. Capita Neronis laureata, prius verſus lævam, poſterius verſus dextram partem reſpicientia.

NUM. 64. 65.

IMPerator NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ. Capita ſimilia Neronis ſed corona radiata inſignita.

Num. 66. 67.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Capita Neronis, nudum alterum, alterum laureatum, verſus lævam.

Num. 68. 69. 70.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Capita Neronis, nudum alterum, alterum laureatum, verſus lævam.

Omnia hæc Neronis capita corona radiata exornantur; duo priora verſus lævam partem, tertium verſus dextram reſpicit. Diſcrimen in literis eſt, quod *Germanici* nomen in primo & tertio ſcribatur tribus literis GER. in ſecundo quatuor GERM.

TABULA III.

QUÆ COMPREHENDIT

NERONIS NUMISMATA GRÆCA.

Num. 71.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙCαρ CEBαςός. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Neronis laureatum, lævam verſus.*

Num. 72. 73. 74. 75.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙCΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *in aliis ad latera ſcribitur, in aliis in circuitu nummi, in aliis partim ad latus, partim in circuitu. In omnibus caput Neronis nudum eſt, verſus lævam, excepto Num. tertio, in quo verſus dextram flectitur.*

Num. 76.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙ. . . . . ΑΥΤοκράτωρ. (*NERO CLAUDIUS CAESAR IMPERATOR.*) *Caput Neronis laureatum.*

Num. 77. 78. 79.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Medium ex his caput laureatum eſt, reliqua duo nuda reſpiciunt, primum lævam partem, reliqua dextram.*

Num. 80.

ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΑΙΣαρι ΣΕΒΑςῷ. (*NERONI APOLLINI CAESARI AUGUSTO.*) *Caput Neronis laureatum.*

Refertur hic titulus & nummus, ſicuti plures alii, qui illum citharœdi habitu exprimunt, ad illam inſaniam, qua vel ipſi Apollini ſeſe credebat voce & muſica præſtare.

NUM. 81.

ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. (*NERONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Neronis nudum, lævam versus.*

NUM. 82.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙCΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Caput Neronis radiata corona insigne, versus dextram.*

NUM. 83.

ΟΘΩΝ ΚΑΙCΑΡ. (*OTHO CAESAR.*) *Caput Neronis laureatum, corona radiata insigne, quod mutato Imperatoris nomine in Othonem transformare voluerunt falsarii.*

NUM. 84. 85. 86.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙCΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Priora duo capita nuda sunt, tertium laureatum, primum versus dextram, secundum & tertium, sinistram respiciunt. In secundo, inscriptio per rectas lineas ad latera ponitur.*

NUM. 87.

ΝΕΡΩΝΑ ΚΑΙΣΑΡΑ. . . . . (*NERONEM CAESAREM. . . .*) *Caput Neronis laureatum, versus lævam.*

NUM. 88.

ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

NUM. 89.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙCΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Neronis caput laureatum, lævam versus.*

NUM. 90.

ΝΕΡΩΝΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ. (*NERONEM AUGUSTUM.*) *Neronis caput laureatum, lævam versus.*

NUM. 91.

ΝΕΡων ΚΑΙCαρ. . . . . (*NERO CAESAR. . . . .*) *Caput Neronis laureatum lævum versus. Collo inpressa cernitur nota viri nudi hastati, Jovis forte.*

NUM. 92.

ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣ. . . . . (*NERO CLAUDIUS CAESAR. . . .*) *Neronis caput laureatum, lævam versus.*

NUM. 93.

ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO AUGUSTUS.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

NUM. 94.

ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡος ΣΕΒΑΣΤΟΥ. (*NERONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Neronis laureatum humeris ægide circumdatis.*

Ægide sive squammata lorica humeri Neronis in hoc & sequentibus aliquot nummis ornantur, tamquam si doctus Princeps in tutela maxime foret Minervæ; artes sane omnes egregie fovisse Neronem constat.

NUM. 95.

ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡος ΣΕΒαστȣ. (*NERONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

NUM.

N U M. 96, 97.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CAESAR AUGUSTUS.*) *In utroque Nummo Caput Neronis laureatum lævam respicit, humeri ægide circumdantur, atque inde ad collum exsilit serpens.*

Respicit serpens fabulam infantiæ Neronis, quam supra adtigimus ad Tab. I. Num. 28. Quam sic in Historia *Dionis* enarratam invenimus: Προϊόντος δὲ χρόνου λεβηρὶς περὶ τὸν αὐχένα τοῦ Νέρωνος παιδίου ἔτ' ὄντος εὑρεθεῖσα παρέδωκε τοῖς μάντεσι λέγειν, ὅτι ἰσχὺν παρὰ τοῦ γέροντος μεγάλην λήψεται. ἐπειδὴ τὸ γῆρας διὰ ταῦτα οἱ ὄφεις ἐκδύεσθαι νομίζονται. i. e. *Procedente tempore exsuviæ serpentinæ circa collum pueruli adhuc parvi Neronis inventæ, occasionem dedere hariolis dicendi, quod in senectute magnas vires accepturus esset; quia sic exsuere senectam creduntur serpentes.*

N U M. 98.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς Λυκαβαντος ΙΒ. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS ANNO XII.*) *Neronis caput radiata corona insigne, cum pharetra clausa ad humeros.*

Qui Apollo vocari & existimari volebat in terris, ornatu ejusdem Dei in Græco hoc nummo effulget, pharetra humeros ornatus.

N U M. 99.

ΝΕΡΩΝ. (*NERO.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

N U M. 100.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιος ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CLAUDIUS AUGUSTUS.*) *Caput Neronis radiatum, versus dextram.*

N U M. 101.

ΝΕΡΩΝΑ CΕΒΑCΤΟΝ. (*NERONEM AUGUSTUM.*) *Neronis caput nudum, lævam versus.*

N U M. 102.

ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ. (*CAESAR DIVUS DIVI FILIUS.*) *Caput Neronis radiatum, dextram versus.*

Mentionem hujus nummi atque inscriptionis facit Inlustriss. *Ezechiel Spanhemius* de Usu & Præst. Numism. Tom. II. p. 491. Cujus sane inscriptio & adulatio Græca in memoriam mihi revocat, quod legi apud Tacitum in fine Lib. XV. Annal. atque extremo Capitis ultimi: *Reperio in commentariis Senatus, Cerialem Anicium, Consulem designatum,* (factum hoc fuit post detectam punitamque conjurationem Pisonianam) *pro sententia dixisse: ut templum Divo Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tamquam mortale fastigium egresso, & venerationem hominum merito: quod ad omina olim sui exitus verteretur. Nam Deum honor Principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.*

N U M. 103.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

N U M. 104. 105.

. . . . ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ CΕΒΑCτὸς. (*NERO IMPERATOR AUGUSTUS.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus. Posterior nummus in nota incusa literam S. exhibet, incertum qua de caussa.*

NUMISMATA
CLAUDII NERONIS,
EX AURO.
TABULA IV.

NUM. 1.

NERO CLAUDius CAESar DRUSUS GERManicus PRINCeps JUVENTutis. Caput Neronis juvenis nudum, dextram versus, uti Tab. I. Num. 4.

SACERdos COOPtatus IN OMNia CONLegia SUPRA NUMerum EX Senatus Consulto. Tripus, Capeduncula, lituus, patera.

Editus ante hic nummus atque explicatus fuit in *Museo Farnesiano* Tab. V. Num. 1. inter *Num. Arschot.* Tab. VIII. Num. 2. 3. a *Laurentio Begero* in Thes. Brandenb. Tom. II. p. 623. Honores hi omnes congesti in Neronem privignum, præterito Britannico fuerunt, ut primum virilem togam sumsit. Tacitus Annal. Lib. XII. Cap. 41. *Ti. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orfito Coss. virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reip. habilis videretur. Et Cæsar adulationibus Senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno Consulatum Nero iniret: atque interim designatus, Proconsulare imperium extra Urbem haberet, ac Princeps Juventutis adpellaretur.*

NUM. 2. & 3.

NERONI CLAUDIO DRUSO GERManico COnSuli DESignato. Caput juvenile Neronis ut Tab. I. Num. 5.

EQUESTER ORDO PRINCIPI JUVENT. in aliis JUVENTUTIS. In medio clypeo, in cujus media area discus est sive parvus clypeolus.

Eodem tempore & eadem ratione hic honor in Neronem properatus fuit. Invenitur in *Museo Farnesiano* Tab. V. Num. 2. inter *Numism. Arschot.* Tab. VII. Num. 11. & 12. Vidi similem in *Museo Wildiano* & *Marckiano.*

NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 17.

AUGUSTUS GERMANICUS. Statua togata, capite radiato, dextra tenet oleæ ramum, læva victoriolam globo insistentem.

Elegans ad hunc typum est Commentarius *Tristani* Tom: I. p. 211. quem pro more adscribam. „Nero (inquit) stans exhibetur, capite ra-
„ diis ornato, dextra tenens oleæ ramum, læva
„ victoriolam cum palma. *Occo* credidit Clau-
„ dium depingi atque inscriptionem ad illum
„ pertinere. Verum illi adsentiri nequeo. Epi-
„ theton, sive cognomen Germanici, æque e-
„ nim Neroni quam Claudio datum fuit in Hi-
„ storiis atque in Nummis; præterea satis ad-
„ paret epigraphen illam: AUGUSTUS GER-
„ MANICUS, partem reliquam esse ejus quæ
„ in antica nummi parte inchoatur, ut integre
„ sit; NERO CAESAR AUGUSTUS GER-
„ MANICUS. Radiato autem capite tamquam
„ Sol depingitur, & prouti describitur Latinus
„ apud *Virgilium* Lib. II. Æneidos:

„ *Cui tempora circum*
„ *Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,*
„ *Solis avi specimen.*

„ Ipse *Seneca* in Apocolocynthosi sua ipsum Soli
„ comparat hisce versibus:

„ *Qualis, quum primo tenebris Aurora solutis*
„ *Induxit rubicunda diem, Sol adspicit Orbem*
„ *Lucidus, & primos e carcere concitat axes,*
„ *Talis Cæsar adest, talem jam Roma Neronem*
„ *Adspiciet, flagrat nitidus fulgore remisso*
„ *Vultus, & adfuso cervix formosa capillo.*

„ Introduxerat antea Phœbum sic de Nerone
„ loquentem:

„ *Ille mihi similis vultu, similisque decore*
„ *Nec cantu nec voce minor.*

„ Qua

„ Quare vix satis vituperare Senecæ queo imprudentiam, quod tam stultas, per ejusmodi adulationes vanas & ridiculas, in Nerone foverit cogitationes. Auctoritas sane Præceptoris eruditionis tantæ, famæque sapientiæ tam incliti, ægre puto persuadere illi potuit, quod revera is esset, qui in carmine diceretur. Quare ipse deinde Nero comitatu quinque millium Prætorianorum militum opus habuit, quum Apollinem sive Phœbum sese simularet; ut illi videlicet, juxta, *Dionem*, alte exclamarent: Καλὸς Καῖσαρ, ὦ Ἀπόλλων, ὦ Αὔγουστε, εἷς ὡς Πύθιος, μά σε Καῖσαρ, οὐδείς σε νικᾷ. *Quam venustus Cæsar; ô Apollo, ô Auguste, unus tamquam Pythius, nemo te, Cæsar, per ipsum, nemo te vincit.* Pariter Apollini sive Soli Neronem compararunt Græci, & inter illos Soli Rhodiorum *Antiphilus* in Epigrammate, quod legitur in Anthologia Lib. I. Cap. 58. atque sic incipit:

„ Ὡς πάρος ἀελίου, νῦν Καίσαρος ἡ Ῥόδος εἰμὶ
„ Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων.

„ Et reliqua, quæ sic fere sonant: *Rhodus, quæ hactenus Solis insula credita fui, nunc etiam sum Cæsaris, & æque ab utroque radios luminis recipio. Quod si antea tenebris obscurata decus & gloriam amiserim, novum hoc Astrum mihi diem reddidit O Sol! Effulsit liquido æthere Nero suoque post te lumine omnia illustravit. Quid dico? plura dicam Ille me olim emergere mari fecit; hic me, quum fere perdita & penitus essem submersa, restituit.* Elogii ejus fons est, quod libertatem perorante Nerone receperant Rhodii (vide *Tacitum* Annal. Lib. XII. Cap. 58.) qua multati a Claudio (juxta Dionem Lib. IX.) fuerant, eo quod cives Romanos aliquot injuria adfecerant. Adde *Suetonium* in Claudio Cap. XXV. Rhodiis quoque deinde omnibus modis favit; & observavit *Dio* Chrysostomus Orat. XXXI. & XXXIII. quod urbem istam veluti sanctam & sacratam fuerit veneratus, adeoque eam dilexerit ut nullam ibidem statuam sustulerit, quum per universam Græciam pulcherrima quæque veterum artificum signa per Cratonem quemdam seu Acratum auferret; sic ut Delphenses solos quingentis spoliaverit statuis, juxta *Pausaniam* Lib. X. Præter hoc Rhodiorum epigramma inveniuntur quoque nummi ibidem in honorem ejus cusi, quique Neronis gerunt nomen, atque Victoriæ typum, in memoriam scilicet sacrarum ejus victoriarum ex Ludis Olympicis & Pythicis. Nummus ejusmodi ab *Ericio* adlatus (inter Neronianos p. 224.) inscribitur ΡΟΔΙΩΝ. Depingitur in eodem Victoria palmam atque coronam tenens. Præmium Neroni in iisdem ludis datum, scyphus, ad pedes Victoriæ visitur. Scyphum enim illum victoriæ præmium Neroni datum fuisse existimo, æque ac palmam atque coronam, juxta Græcum morem, quem commemorat *Pausanias* in Eliacis, *Homerus* Iliad. Lib. I. *Nonnus* Dionysiac. Lib. X. *Virgilius* Æneid. Lib. V. aliique. Pro qua interpretatione consule quæ narrat *Suetonius* in Nerone Cap. XXII. ex cujus verbis proclive erit intelligere, non esse rosam, quam, ut vult *Ericius*, Victoria tenet, sed coronam. Vide quoque *Egesippum* Lib. III. in initio Cap. primi. Verum, ut ad radiatam Neronis in nummo nostro veniamus effigiem; credo eadem figurari colossseam figuram, quam pingi in similitudinem faciei suæ fecit sub tholo altitudinis viginti sex pedum, quæ fulmine post icta atque consumta fuit, teste *Plinio* Lib. XXXVI. Cap. 7. vel quod potius colosseam illam Neronis referat imaginem, quam juxta exemplar Colossi Rhodiensis erigi jusserat, cum capite radiato, altitudinis CXX. pedum, Zenodori opus; quem Colossum postea Soli dedicavit Vespasianus, teste *Plinio* Lib. XXXIV. Cap. 7. & quem tangit *Martialis* versu hoc Lib. I. Ep. 10.

„ *Hic ubi sidereus propius videt astra Colossus.*

„ *Plinius* quoque (quod notandum est) septem ejus radios enumerat longitudinis pedum XXII. cum dimidio. Zenodorus idem aliam statuam Dei Mercurii in Galliis fecit, Colosseam itidem; pedum quadringentorum, teste eodem *Plinio* Lib. I. Fitque mihi verosimillimum, factum illum Neronis fuisse Colossum ad Rhodii imitationem, eo tempore, quo Epigramma illud condidit *Antiphilus*.„ Huc usque *Tristanus*. Et quidem Colossus ille Neronis in vestibulo domus aureæ stetit. *Suetonius* in Nerone Cap. XXXI. *Vestibulum ejus fuit, in quo Colossus centum viginti pedum staret ipsius effigie.* Quod autem *Tristanus* dicit de scypho, in quo *Ericium* reprehendit, in eo ipse fallitur. Nam & revera rosa est non scyphus, quod ante Victoriæ cernitur pedes; prouti mihi ex ejusmodi (quales ipse vidi & servo) nummis patet. Properanter quoque nimis *Ericium* legit, cujus verba sunt: *Ha per riverso una figura di una Vittoria, che con là destra mano tiene una corona, e nella sinistra ha alcune palme, & inanzi ad essa Vittoria scorgesi un fiore, che io stimo sia una rosa.* Quibus significat ab altera nummi parte Victoriam depingi, quæ dextra manu coronam teneat, læva palmæ aliquot ramos; ante Victoriam vero surgere florem, quem rosam esse existimat. Depictum hunc, eo quo dixi modo, nummum, una cum parte capitis, videre licet inter *Numismata Pisana*, sive in *Museo Corrariano*, ut & in *Thesauro Caroli Patini*, & denique in *Thesauro Morelliano* Imp. Rom. In quibus omnibus picturis rostro navis (quod symbolum potentiæ navalis Rhodiorum) insistit Victoria.

NUM. 5.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Neronis caput laureatum, ut Tab. I. Num 21.

AUGUSTUS AUGUSTA. Statua togata & radiata stans, dextra pateram tenet; læva hastam; pone eamdem stat figura muliebris velato capite, dextra pateram læva duplex cornucopiæ.

Quibus hæ statuæ fuerint positæ docet inscriptio; videlicet Augusto, uxorique ejus Liviæ sive Juliæ Augustæ. Qui quoniam post mortem inter Divos relati sunt, inde pateras manu tenent; superiore corporis parte nuda pingitur Livia, & radiata corona exornatur Augustus hastaque.

que. Augusto & Liviæ statuas hoc modo fuisse erectas a Nerone, mirari haud debemus; Imperium enim *a pietatis ostentatione orsus* fuit juxta *Suetonium* in Nerone Cap. IX. Quare ibidem Cap. X. *ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti præscripto imperaturum se professus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit.* Postea quoque quum ex Græcia certatim illi coronæ deferrentur, *citharæ a judicibus ad se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit.* ibid. Cap. XII. Nummum hunc aureum depingunt quoque *Laur. Begerus* in Thes. Brand. Tom. II. p. 625. *Num. Arschot.* Tab. IX. Num. 1. 2. *Æneas Vicus* a *Du-Vallio* editus Tab. XLVI. Num. 10. aliique. Vidi pulcherrime cusum in *Museo* quondam *Marckiano.* Servatur & in *Museo Theupol.* p. 133.

NUM. 6.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, ut supra.

ROMA. Roma spoliis insidens, dextra victoriolam tenet.

Passim in *Museis* Antiquariorum invenitur hic nummus, ut & in *Museo Farnesiano* Tab. VI. Num. 1. *Theupoliano* p. 134. inter *Numism. Arschot.* Tab. IX. Num. 12. & alibi.

NUM. 7.

IMPerator NERO AUGustus Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 31.

JUPPITER CUSTOS. Jupiter sedens, dextra fulmen, læva hastam tenens.

Cusi forsitan hujus generis nummi aurei atque argentei fuerunt, postquam detecta conjuratione Pisoniana, salutem suam Jovi cordi esse crederet Nero, quo tempore legitur Nero pugionem, qua cædem instituere cogitaverant, sacrasse apud Capitolium atque IOVI VINDICI inscripsisse, apud *Tacitum* Annal. Lib. XV. Cap. 74. Depingitur quoque inter *Numism. Arschot.* Tab. IX. Num. 9. Exstat in *Museo Farnes.* Tab. V. Num. 3. & alibi passim.

NUM. 8.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 21.

VESTA. Templum Vestæ rotundum.

Respicit sine dubio typus ad ædem Vestæ a Principe instauratam. Arserat enim in ferali illo Romæ incendio. *Tacitus* Annal. Lib. XV. Cap. 41. *Numæque regia, delubrum Vestæ cum Penatibus populi Romani exusta.* Depingitur similis aureus nummus inter *Numismata Arschot.* Tab. IX. Num. 4. sive in *Rubenii* Edit. Tab. XX. Num. 17.

NUM. 9.

NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 16.

vel,

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum ut Tab. I. Num. 21.

JANUM CLVSIT PACE Populi Romani TERRA MARIQue PARTA. Jani Templum clausum.

Noti hi nummi sunt, & similes, ex omni metallo cusi, quum Nero A. U. C. 811. *Janum geminum clausit tam nullo quam residuo bello.* ut scribit Sueton. in Nerone Cap. XIV. Priorem nummum vidi in *Museo Marckiano*, posteriorem in *Wildiano.* Vulgarunt *Laur. Begerus* in Thes. Brand. Tom. II. p. 623. *Num. Arschot.* Tab. IX. Num. 6. Invenitur & in *Museo Farnes.* Tab. VI. Num. 5. & in *Museo Theup.* p. 133.

NUM. 10.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, ut supra.

PACE Populi Romani UBIQUE PARTA JANUM CLUSIT. Templum idem.

Inter reliquos, qui hujusmodi nummos inlustrarunt, consule *Ezech. Spanhemium* Tom. II. p. 641. Vulgavit jam olim hunc nummum *Æneas Vi-*

Vicus, & invenitur quoque inter *Numism. Arschot.* Tab. IX. Num. 7.

NUM. 11.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum ut Tab. I. Num. 26.

CONCORDIA AUGUSTA. Dea sedens, dextra pateram, læva cornucopiæ.

Inter matrem Agrippinam, Neronemque filium, videbatur in initio Imperii vigere concordia, quae typo hoc celebratur. Servatur similis nummus in *Museo Theupoliano.* p. 133.

NUM. 12. 13.

NERO CLAUDIUS CAEsar AUGustus. Caput Neronis laureatum, versus lævam.

LEIBERTAS. Caput Deæ Libertatis.

Non potuit teterrimo Tyranno minus conveniens dari typus. Libertatis, si quid residui spiritus in paucis ejus temporis Senatoribus, oppressor sævissimus ignotam sibi & inimicam Deam falsissime jactat in rarissimo ex *Thes. Regio* nummo.

NUM. 14. 15.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 16.

SALUS. Dea sedens, lævo cubito sellæ innixa, dextra manu pateram tenens. In altero nummo inscriptio ponitur sub hac imagine, in altero ad latera.

Positus hic in nummis typus fuisse videtur tamquam Deæ custodis salutis Principis, non quasi illam Neroni valetudine adversa adflicto reddidisset. Fuit enim, verba sunt Suetonii Cap. LI. *Valetudine prospera; nam qui luxuriæ inmoderatissimæ esset, ter omnino per XIIII. annos languit, atque ita, ut neque vino, neque consuetudine reliqua abstineret.* Servatur similis nummus in *Museo Theupol.* p. 134. & in *Museo Farnes.* ex quo vulgatum licet cognoscere Tab. VI. Num. 1. Adde *Numism. Arschot.* Tab. IX. Num. 12. vel ex Edit. *Rubenii* Tab. XXI. Num. 13.

NUM. 16. 17. 18. 19.

NERO CAESAR AUGustus IMPerator. Caput Neronis nudum, ut Tab. I. Num. 11.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Potestate. Corona quernea, intus legitur EX Senatus Consulto.

Al.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Potestate III. COnSul II.

Al.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Potestate III. Pater Patriæ.

Al.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Potestate IIII. Pater Patriæ.

Omnes hi nummi voces EX *Senatus Consulto* coronæ querneæ inclusas habent, in testimonium, quod ex Consulto sive Decreto Senatus Coronæ ejusmodi Civicæ Neroni delatæ fuerint. Videlicet erat tum adhuc aureum illud Neronis quinquennium, quo callide inpuram sævitiam & reliqua obtegebat vitia. Ex his Num. 16. depingitur in *Num. Arschot.* apud *Rubenium* Tab. XX. Num. 2. Num. 17. quem & in *Museo Marckiano* vidi.

NUM. 20.

NERO CAESAR AUGustus. Additur in aliis IMPerator, in aliis GERManicus IMPerator. Caput Neronis ut supra.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Potestate V. Pater Patriæ EX Senatus Consulto. Figura galeata stans, dextro pede galeam & scutum premit, læva manu clypeum tenet, cui dextra inscribit.

Virtutem Augusti, ut puto, hæc figura repræsentat, atque ejusmodi statuam credo ex Senatus Consulto erectam fuisse dedicatamque; quæ scilicet victorias Neronis in Armenia sub ductu Do-

Domitii Corbulonis reportatas, veluti clypeo inſcriberet.

NUM. 21.

Vacat.

NUM. 22.

NERO CAESAR AUGuſtus IMPerator. Caput Neronis nudum, uti Tab. I. Num. 11.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Poteſtate V. COS. IIII. Pater Patriæ. Corona quernea, in qua legitur: EX Senatus Conſulto.

Vide quæ diximus ſupra ad Num. 16. 17. 18. 19.

NUM. 23.

Epigraphe eadem, caput idem.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Poteſtate VII. COnSul Pater Patriæ. EX Senatus Conſulto. Cereris effigies, quæ capite velato ſtat, dextra demiſſa duas ſpicas, læva longam tædam tenens.

Cereri Auguſtæ dicatam a Senatu Romano exiſtimo imaginem propter curam annonæ, quam geſſerat Imperator. Servatur ſimilis in *Muſeo Theupoliano* p. 133.

NUM. 24.

Epigraphe eadem, caput idem.

PONTIFex MaXimus TRibunicia Poteſtate VII. COnSul IIII. Pater Patriæ. EX Senatus Conſulto. Figura militaris galeato capite, veſte ſuccincta ſtans, læva haſtam tenet, dextra parazonium quod adgenu adplicat; dextro pede galeam & ſcutum premit. Servatur ſimilis in Muſeo Theupol. p. 134.

Vide quæ diximus ad Num. 20. Nam & hoc modo Virtutis Auguſtæ expreſſas fuiſſe imagines credibile eſt.

NUM. 25.

Epigraphe ſimilis, caput idem.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Poteſtate VIII. COnSul IIII. Pater Patriæ. EX Senatus Conſulto. Cereris Auguſtæ typus, ut ſupra.

Vide quæ diximus ſupra ad Num. 23.

NUM. 26.

Epigraphe ſimilis, caput idem.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Poteſtate IX. COnSul Pater Patriæ. Figura tunicata, capite galeato, læva haſtam tenet, dextra parazonium genu inpoſitum, dextro pede galeam & ſcutum premit.

Aliam interpretationem dedit *Jo. Triſtanus Sanctamantius*, qui figuram hanc virilem de ipſo Nerone cepit, atque his fere verbis typum interpretatur *Comm. Hiſtor. Tom. I. p.* 210. „Cernitur Imperator ſtans, pede globum calcans, „ læva manu haſtam tenens ſive ſpiculum. Credo „ hoc typo per adulationem ſignificari, quod robur ejus atque fortitudo univerſo terrarum Orbi dominetur, quo & adludere aliquo modo „ ejus nomen videtur. Vox *Nero* enim a *Neriene* „ deſcendit, quæ Dea eſt fortitudinis, quam Mars „ amat; teſte *Martiano Capella* Lib. I. Cap. 2. „ *Certumque eſſe Gradivum Nerienſis Nerinæ conjugis amore torreri.* Inter Deas quoque nominat „ *Ennius* hoc Epigrammate:

„ *Te Anna, & Peranna Panda* ἠ Λατώ *Pales*,
„ *Nerienes, & Minerva, Fortuna ac Ceres.*

„ Atque ab hoc nomine ferunt *Nerones* dictos fuiſſe fortes viros atque robuſtos. Sic *Gloſſarium* „ interpretatur *Nerones* ἀνδρείως, i. e. robuſtos homines atque viriles. Invenitur & alius ſimilis „ nummus Neronis, in quo Roma pede globum „ premit, adſcripta voce ROma. Quod ibi pede globum ſive orbem premit, deſignat non alios imperio ejus inveniri terminos quam terræ „ rotunditatem. *Egeſippus* Lib. II. Cap. 9. de Romanis agens, dicit: *In ipſorum enim nomen elementa etiam tranſierunt, in quos etiam tranſivit Orbis terrarum, qui Romano Imperio clauditur & definitur; denique a pleriſque Orbis Romanus adpellatur. Nam ſi verum quæramus, terra ipſa infra Imperium Romanorum eſt.* Quod quaſi pro nummi ejuſdem explicatione ſcriptum eſt. Altius „ quoque ſurgit Poëta Epigrammatarius Alpheus „ Mityleneus, qui florentibus maxime rebus Romanis hoc condidit Epigramma:

„ Κλεῖε

„ Κλεῖε θεὸς μεγάλοιο πύλας ἀκμῆτας Ὀλύμπου,
„ Φρούρει Ζεῦ ζαθέαν αἰθέρος ἀκρόπολιν.
„ Ἤδη γὰρ καὶ πόντος ὑπέζευκται δορὶ Ῥώμης,
„ Καὶ χθών, οὐρανίη δ' οἶμος ἔτ' ἐς ἄβατος.

„ Quod Gallicis verſibus ita interpretati ſumus:

„ *O Dieu fermez du Ciel les huis impenetrables,*
„ *O Jupin garde bien tes murs inexpugnables,*
„ *Car la pique Romaine, a ce Tout ſubjugué,*
„ *Et pour paſſer encore à vous cherche le gué.*

„ Occurrit elegans illud Epigrammation in *Antho-*
„ *logia Epigrammatum* Lib. I. Cap. 5. „ Hæc *Tri-
ſtanus*. Ex quibus adparet illud fuiſſe ſcutum a pi-
ctore, qui pro galea, quam ſimul cum ſcuto pe-
de premit figura virilis, quam de virtute Augu-
ſta interpretati ſumus, pinxerit globum.

NUM. 27.

*PONTIFex MAXimus TRibunicia Pote-
ſtate TR. P. VIII. COS. IIII. Pa-
ter Patriæ.*

Virtus iterum Auguſta exprimitur, ſicuti Num. 20. niſi quis contendat ipſam depingi Romam, quæ Imperatoris ſui victorias clypeo inſcribat. Cui repugnare nolim. Vulgavit inter aurea Numiſm. Arſchot. *Rubenius*, ſed male omiſſo COS. IIII. Tab. XX. Num. 11.

NUM. 28.

*PONTIFex MAXimus TRibunicia Pote-
ſtate VIIII. COS. IIII. Pa-
ter Patriæ.*

Typus, ut nihil a præcedente diſcrepat, ita eamdem quoque habet interpretationem.

NUM. 29.

*PONTIFex MAXimus TRibunicia Pote-
ſtate X. COS. IIII. Pa-
ter Patriæ.*

Occurrit inter aurea Numiſm. Arſchot. *Rubenii*, Tab. XX. Num. 9.

NUM. 30.

*PONTIFex MAXimus TRibunicia Pote-
ſtate X. COS. IIII. Pa-
ter Patriæ.*

Vide quæ ſupra ad ſimiles nummos dicta ſunt.

NUM. 31.

Capitis epigraphen non novi.

Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Muſarum aliqua longa induta palla canit cithara; niſi malimus, ipſum Neronem depingi.

Infra Tab. XII. Num. 19. & 20. occurrunt ſimiles nummi ex ære; quos vide, ut & *Ezech. Spanhemium*, Tom. II. p. 491.

NUM. 32. 33. &c.

Vacant.

TABULA V.

NUMMI NERONIS ARGENTEI MAXIMI MODULI.

NUM. 1. 2.

DIVUS CLAUDius AUGUSTi GERMANICi PATER. Caput Claudii laureatum, lævam versus.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR AUGustus GERManicus. Caput Neronis juvenis nudum, lævam versus.

Statim post mortem Claudii cusum hoc numisma fuit, postquam videlicet, veluti in scena, cum funebri oratione a Seneca composita, prodiisset Nero, de qua consuli potest *Tacitus* Annal. Lib. XIII. Cap. 3.

NUM. 3. 4.

ΝΕΡΩΝ ΑΓΡΙΠπίνα. (*NERO AGRIPPINA.*) *Capita adversa Neronis juvenis & matris Agrippinæ.*

ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ. (*CAESAR DIVUS DIVI FILIUS.*) *Claudii caput radiatum dextram versus.*

In aversa hujus numismatis parte ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ (DIVI FILIUS) vocatur Nero, adeoque illa connecti cum inscriptione anticæ partis ΝΕΡΩΝ (NERO) debet. Neque enim Divi filius ullo modo fuit aut vocari potuit Claudius. Sed statim post mortem Claudii, uti præcedens Numisma, sic hoc quoque cusum fuit. Quamvis enim, quum omnes honores in Divum jam non vivum Claudium congererentur, *Testamentum* (quæ verba *Taciti* sunt in fine Lib. XII. Annalium) *tamen haud recitatum, ne antepositus filio privignus, injuria & invidia animos vulgi turbaret*; Nero tamen, in hoc numismate nihil invidiam veretur, & præterito Britannico, sese Divi Claudii filium vocat, quasi hoc colore sese commendaturus populo Romano.

NUM. 5.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR AUGustus GERManicus. Caput Neronis juvenile laureatum; ut Tab. I. Num. 7.

AGRIPPINA AUGUSTA MATER AUGUSTI. Caput Agrippinæ lævam versus.

Quum in initio Imperii fere cuncta matri permiserit Nero, hoc quoque insigne Numisma in utriusque honorem signatum fuit.

NUM. 6.

Partis prioris Inscriptio mihi non succurrit.

ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗΣ Lυκάβαντος ΕΡ. (*AGRIPPINAE AUGUSTAE ANNO CV.*) *Caput Agrippinæ, matris Neronis.*

Antiochiæ fuisse cusum numisma adposita æra denotat.

Num. 7. 8.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣΤος. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. (*NERO CAESAR AUGUSTUS. AGRIPPINA AUGUSTA.*) *Capita adverſa Agrippinæ & Neronis juvenile atque laureatum.*

ΘΕΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ. (*DIVUS CLAUDIUS.*) *Caput Claudii radiatum, lævam verſus.*

Qui in ſimili numiſmate Latino ſupra Num. 3. 4. vocatur Divi filius Nero, in hoc nummo, titulo Auguſti, cum matre Auguſta occurrit.

Num. 9.

ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ. (*NERONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Neronis laureatum, cum ægide & ſerpente ad collum, ut Tab. III. Num. 26.*

Aquila expanſis alis fulmini inſiſtens; ante eamdem palmæ ramus eſt, pone duplex annorum numerus, alter, (ANNO VI.) alter ΗΡ. (*ANNO CVIII.*) *qui diverſas æras denotant.*

Signati hujuſmodi nummi ſunt Antiochiæ in Syria. Quare Epocham ibidem tum in uſu reſpicit numerus ΗΡ. qui CVIII. annum denotat; alter numerus ad annos Imperii Neronis ſpectat, atque denotat annum VI. Cuſus itaque nummus eſt quinquennio poſtquam Vologeſus a Corbulone victus obſides tradidiſſet; videlicet A. U. C. 813. qui incidit in annum CVIII. Antiochenſium Epochæ Julianæ. Adeoque biennio poſtquam Armeniam ſubegit Corbulo; atque Tiridatem coëgit Armeniæ regnum a Nerone accipere, clauſuſque deinde Romæ Janus fuit; ipſo autem illo anno, quo Quinquennale certamen Romæ inſtituit Nero. De hac æra Antiochenſium, ſive Epocha Juliana videri poteſt *Jo. Vaillantius* in Numm. Imp. Gr. p. 253. & Eminentiſſ. *Noriſius* De Epochis Syromaced. p. 524. Servatur ſimilis nummus in *Muſæo Farneſiano.*

Num. 10.

Epigraphe eadem, caput idem.

Aquila pariter expanſis alis fulmini inſiſtens; cum literis Imperii Neronis numeralibus Ζ. (*ANNO VII.*) & ΘΡ. (*ANNO CIX.*) *epochæ ſcilicet Julianæ.*

Anno poſt præcedentem ſignatus hic nummus eſt, quem protulit in Theſauro ſuo p. 54. *Carolus Patinus*, ut & ad Suetonium p. 289.

Num. 11. 12. 13.

Epigraphe præcedentibus non videtur eſſe diſſimilis.

ΕΤΟΥΣ ΑΙΡ. Θ. (*ANNO CXI. & ANNO IX.*) *in altero:* ΕΤΟΥΣ ΒΙΡ. Ι. (*ANNO CXII. & anno X.*) *in tertio:* ΕΤΟΥΣ ΕΙΡ. ΓΙ. (*ANNO CXV. & ANNO XIII.*) *Aquila expanſis alis fulmini inſiſtens, ante illam palmæ ramus eſt.*

Omnes hi nummi Antiochiæ ſignati ſunt anno U. C. 816. 817. 820. ſive 821. nam ab auctumno Antiochenſium annus Epochæ Julianæ incipiebat; adeoque recte in poſtremo nummo ultimus Neronis vitæ imperiique obſervatur annus, videlicet XIII. *Suetonius* in Nerone Cap. XL. *Talem Principem paullo minus XIV. annos perpeſſus terrarum orbis; tandem deſtituit.*

Num. 14. 15. 16.

Vacant.

TABULA EADEM NUMMI NERONIS ARGENTEI SOLITI MODULI.

Num. 17.

NERO CLAUDius CAESar DRUSUS GERManicus PRINCeps JUVENTutis. Caput Neronis juvenis nudum, dextram versus, uti Tab. I. Num. 4.

SACERdos COOPtatus IN OMNia CONLegia SUPRA NUMerum EX Senatus Consulto. Tripus, capeduncula, lituus, patera.

Argenteus hic nummus exstat in *Museo Farnesiano*, ubi depingitur Tab. XV. Num. 1. Vide explicationem inter aureos.

Num. 18.

NERONI CLAUDIO DRUSO GERManico COnSuli DESignato. Caput juvenile Neronis ut Tab. I. Num. 5.

EQUESTER ORDO PRINCIPI JUVENT. in aliis JUVENTUTIS. In medio clypeo, in cujus media area discus est sive parvus clypeolus.

Et hujus & reliquorum argenteorum explicationem vide inter aureos. Vulgavit inter alios *Laur. Begerus* in Thes. Brand. Tom. II. p. 625. Exstat & in *Museo Furnes.* Tab. XV. Num. 2. servatur & in *Museo nostro*.

Num. 19. 20.

NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 17.

AUGUSTUS GERMANICUS. Statua togata, capite radiato, dextra tenet oleæ ramum, læva victoriolam globo insistentem.

De Colosso Neronis, quem in vestibulo Domus aureæ posuit, supra in aureis nummis explicavimus.

Num. 21.

NERO CAESAR AUGUSTUS. Neronis caput laureatum, ut Tab. I. Num. 21.

AUGUSTUS AUGUSTA. Statua togata & radiata stans, dextra pateram tenet, læva hastam; pone eamdem stat figura muliebris velato capite, dextra pateram, læva duplex cornucopiæ tenens.

Vidi similem nummum, eleganter cusum, in *Museo Marchiano*.

Num. 22.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR. Caput Neronis juvenile laureatum, lævam versus.

Servantur hic & sequentes quatuor in *Museo nostro*.

Num.

NUM. 23.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum ut Tab. I. Num. 21.

vel

NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 21.

vel

IMPerator NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 32.

Sæpius repetitus fuit hic typus cum variis capitis inſcriptionibus, ut teſtaretur Nero, Jovi cuſtodi ſalutem ſuam fuiſſe cordi, detecta conſpiratione Piſoniana. Vide *Muſeum Farneſ.* Tab. XV. Num. 16. & *Laur. Begerum* Theſ. Brand. Tom. II. p. 625.

NUM. 24.

NERO CLAUDius DIVI CLAUDii Filius CAESAR AUGuſtus GERMANIcus. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, cum globo ad infimam colli partem.

De reſtitutione Templi Veſtæ, quod arſerat cum plurima Urbis parte, ſupra ad aureos dictum eſt.

NUM. 25.

NERO CAESAR AUGuſtus IMPerator. Caput Neronis nudum, lævam verſus.

Sub Deæ Concordiæ (cujus varia Romæ erant Templa) habitu depingitur Agrippina, integra adhuc inter filium matremque concordia.

NUM. 26.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Neronis nudum, lævam verſus.

Dea Salus eadem ratione, qua Jupiter Cuſtos, in Neronis nummis depingi potuit, certe pro voto, ut incolumem ſervarent Dii.

TABULA VI.
NUMISMATA NERONIS ÆREA MAXIMI MODULI.

NUM. 1. 2.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum dextram verſus.

ROMA. Roma ſpoliis inſidens habitu Heroinæ, ſive Amazonis, dextra tenet victoriolam, lævâ parazonium.

Sola magnitudo & pondus raritatem hujus nummi auget, quum in exiguo & medio ære nullius fere ſit pretii: Invenitur & depingitur quoque inter *Medalliones Regios.* Tab. II. Num. 7.

NUM. 3. 4.

Vacant.

NUM. 5. 6.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator. II. Caput Neronis radiatum lævam verſus.

SECURITAS AUGUSTI. Dea Securitas, ſedens ſuperiore parte corporis nuda, læva caput fulcit, dextra haſtam tenet; ante illam ara eſt cum foco, adjacent tæda ardens & galea.

Reperitur hoc Numiſma inter Selecta Abbatis *Franciſci Du Camps* a *J. Vaillantio* edita, Tab. IX. Num. 1. p. 9. Parta ſcilicet virtute Domitii Corbulonis ingenti gloria, clauſoque Jani templo, ſecure agebat ſub Nerone Imperium Romanum, atque incenſis armis, quod tæda ardens cum galea ſignificat; ſacrificia, & ſupplicationes Diis offerebantur, quod ara cum foco docet.

NUM. 7. 8.

Portus Oſtienſis cum ſolito Neptuni & navium typo atque epigraphe AUGUSTI Senatus Populusque Romanus OST. C.

ANNONA AUGUSTI CERES. Dea ſedens coram ara cui modius inponitur, dextra facem gerit, lævam extendit ad figuram ſeminudam, ſtantem ante illam cum cornucopiæ. Typus hic incuſus eſt.

Rariſſimum hoc Numiſma, quod per errorem monetariorum pro antica parte, qua caput Imperatoris ſolet exprimi, duas diviſorum Numiſmatum partes averſas accepit, fuit quondam apud Abbatem *Franciſcum du Camps*, cujus vide Selecta Numiſmata, edita per *Jo. Vaillantium* p. 9. Tab. X. Num. 1. Typorum explicationem daturi ſumus in Numiſmatibus majoris moduli, ubi iidem occurrunt Tab. X. Num. 16. 17. contenti hoc loco dixiſſe nobis viſum pulcherrimum illum Medallionem, in cujus averſa parte portus Oſtienſis exhibetur, una cum capite Neronis, apud Comitem *Fredericum de Thoms*; quod quidem Numiſma maximi moduli, magnitudine & pondere conſpicuum, inter rariſſima & præclariſſima eſt numerandum.

TABULA EADEM.
NUMMI NERONIS CONTURNIATI.

NUM. 9.

AENEAS. Æneas patrem Anchiſem humeris portans, puerum Aſcanium, ſive Iulum, manu ducit, qui ſequitur patrem non paſſibus æquis.

Haud incommode hic typus in nummo Neronis obſervatur, ſi ſpectemus quod ſcribit de eodem *Tacitus* Annal. Lib. XII. Cap. 58. *Utque ſtudiis honeſtis, & eloquentiæ gloria niteſceret, cauſſa Ilienſium ſuſcepta, Romanum Troja demiſſum, & Juliæ ſtirpis auctorem Æneam, aliaque haud procul fabulis, verum facunde exſecutus, impetrat ut Ilienſes omni publico munere ſolverentur.* Ceterum de hiſce Nummis Conturniatis peculiarem libellum ante viginti annos conſcriptum in lucem emiſi, in quibus plurima hujus generis Numiſmata depinguntur & explicantur.

Ab eo tempore (multa enim vidi & nonnulla ipſe poſſideo.) obſervavi cuncta fere ejuſmodi referre fabricam, ut videantur iisdem fere temporibus cuſi. Nequaquam enim eorumdem ars adſurgit ad tempora illorum, quorum capita in iis ſignantur, ut Neronis, Veſpaſiani, Trajani aliorumque Imperatorum. Quare omnes ejuſmodi Nummos Conturniatos Conſtantini, ejuſque poſterorum atque ſucceſſorum temporibus, ſignatos fuiſſe exiſtimo. Illis enim inſania, Chriſtianorum quoque, in Circenſes erat incredibilis.

Neque in alium uſum, quam Circenſium hos nummos inſerviiſſe mihi perſuadeo, quicunque is fuerit, nam & argento cælata olim habuerunt in antica parte monogrammata & figuras inciſas, prouti hodieque ex multis adparere poteſt. Typorum materia unde libuit deſumta eſt, ſed tamen ut plurimum nobiles aurigas equoſque celebrat, qua-

quare nullius Imperatoris facies tam crebro in iisdem occurrit, quam Neronis, qui aurigandi studio a pueritia mire insanivit. *Sueton.* in Nerone Cap. XXII. *Equorum studio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, plurimusque illi sermo, quamquam vetaretur, de Circensibus erat: & quondam tractum Prasinum agitatorem inter condiscipulos querens, objurgante magistro, de Hectore se loqui mentitus est.* Virorum Doctorum quoque effigies nonnullæ occurrunt in anticis partibus, ut Homeri, Horatii, Sallustii, Apulei &c.

NUM. 10.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 27.

SABINAE. Raptus Sabinarum.

Possedisse videtur simile Numisma, *Sebastianus Ericius*, Nobilis Venetus, qui de eodem p. 226. ita scribit: „ Numisma Neronis, ætate juvenili, pulchri metalli, magnum, hanc habet inscriptionem: NERO CLADIUS (sic) CAESAR AUG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. Ab altera parte cernuntur aliquot matronæ, quæ timore atque consternatione plenæ fugam trepide corripiunt: una inter easdem in terram prolapsa per vim a quodam juvene arripitur. Ædificia vero quædam figura pyramidum post juvenes cernuntur; in ima ora legitur SABINAE. Cusum Numisma Romæ haud fuit, sed in aliqua civitate Romano subdita Imperio, in honorem Neronis. Raptus Sabinarum ab altera parte signatus fuit in memoriam historiæ ejus, quam operose commemorat *Livius* Lib. I. Decadis primæ. Ille itaque Sabinarum raptus, quod & inscriptio declarat, in nummo depingitur, quod factum quum plurimum ad novæ civitatis incrementa contulerit, credimus isto typo originem indicari Romanam, prouti in aliis nummis fieri solet typo lupæ lactantis Romulum & Remum, atque congressu Martis, ex cælo descendentis, cum Rhea Sylvia. Ædificia, quæ post juvenes adparent, in Pyramidum formam, urbem Romam, ubi hæc festa celebrata fuere, & raptæ Sabinæ, denotant. Sed mirari licet inscriptionem capitis. Legitur enim ibi NERO CLADIUS CAESAR pro CLAUDIUS, sicuti in cunctis aliis hujus Principis nummis legitur. Quod certum est, factum fuisse, ut nonnunquam contingit, errore monetarii. „ In hisce Ericii verbis ferri non potest, quod metas Circi sive obeliscos pro urbis Romæ accipiat ædificiis. Neque unquam Sabinarum raptus Romanæ originis typus exstitit. Typus itaque ejusmodi haud immerito ad Ludos Circenses spectat; invenitur & nummus Conturniatus cum simili typo, qui Alexandri Magni caput ab antica parte exhibet.

NUM. 11.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriae. Caput Neronis laureatum, ut Tab. II. Num. 46.

OLYMP. - M. - - A. Victor auriga in citis quadrigis, d. scuticam, l. corollam tenet; palmis capita equorum exornantur, utpote qui victoriam celeritate sua consecuti sint.

Nomen forte victoris aurigæ exprimitur, sed literæ quædam detritæ illud minus integrum exhibent; at in *Museo Theupoliano* p. 773. integra lectio est OLYMPICA. quod forte pro *Olympionica* scribitur, ut ita non nomen proprium sit, sed victoriæ titulus.

NUM. 12.

Vacat.

NUM. 13.

Sedet Jupiter, dextra demissa tenens fulmen; læva hastam, inter duas figuras viriles nudas, pallio ab humero dependente; ex quibus altera læva hastam tenet. Sub pedibus Jovis sedentis est figura virilis medio emicans corpore, atque brachia pandens natantis ritu.

Verosimillimum est, non in sola urbe Constantinopoli, sed per plerasque nobiliores urbes, in quibus ejusmodi Circi erant, & Circenses celebrabantur, hujus generis nummos in usu fuisse. Quare hoc Numisma Antiochiæ cusum existimo, atque in eo depingi Jovem Antiochenum sedentem inter Castorem & Pollucem, Dioscoros, cum fluvio Oronte ad pedes, typo urbis Antiochiæ.

Num. 14.

NERO CLaudius CAESAR AUGustus GERManicus IMPerator. Caput Neronis laureatum, ante quod insculptum cernitur monogramma, quale observatur Tab. II. Num. 25.

Sine epigraphe. Cybele sedens cum stante Atye in citis quadrigis leonum.

„ Neronis Numisma magnum, operis exstantis, æreum, hanc a capite Neronis (inquit „ *Sebastianus Ericius* p. 222.) habet inscriptionem: „ NERO CLAUD. CAESAR AUG. GER. „ P. M. TR. P. IMP. P. P. Ab altera parte „ pulcherrimus est currus, cui insidet Dea cum „ altera quadam figura. Currum trahunt quatuor „ ferocissimi leones. Romæ signatum hoc Numisma non fuit, sed extra Italiam, in aliqua „ civitate, quæ peculiari honore adficere Neronem voluit. Currus cum leonibus ad Deam Cybelem pertinet, & quatuor, ut dixi, leonibus „ vehitur. Figura, quæ juxta Deam cernitur, „ ad unum ex Corybantibus pertinere judico, qui „ scilicet fingebantur huic Deæ ministrare. Neque nota Senatusconsulti additur. De Dea Cybele, sive Berecynthia, alibi satis dictum est. „ Atys, qui Deæ in curru adstat satis notus Antiquariis ex pileo Phrygio reliquoque ornatu est. Quod leonum quadrigas Conturniatis inpresserint ratio forsan est igneus spiritus, quem victoribus adsignabant equis, qui veluti volitare super terram, quæ Cybele & Vesta veteribus erat, videbantur. Imo in ipso Circo Leonum effigies statui solebant, Deæque Leoni insedentis, uti ex aliis Nummis atque Monumentis patet. Adservatur hoc numisma in *Museo Farnesiano* Tab. II. Num. 5. ubi inter Nummos Vespasiani similis typus invenitur, sedente tamen Phrygio isto juvene ad dextram Deæ aurigantis, Tab. V. Num. 2. Quo respicit quoque sacerdos Gallus genitalia sibi secans, qui typus invenitur infra inter nummos Vespasiani Conturniatos Num. 16.

Num. 15.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGustus GERMAnicus TRTibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum.

Sine epigraphe. Fabula Scyllæ, quæ succincta monstris marinis, unum ex nautis capillo praehensum in mare præcipitat, ubi duo jam ante deturbati cernuntur; a canibus & monstris marinis devorandi.

Quoniam ad Ludos quoque spectabant Naumachiæ, inde similes Scyllæ typos videntur Conturniatis nummis inpressisse.

Num. 16.

Sine epigraphe. Imperator telo leonem inpetens.

Ad venationes spectat, in quibus leonem ferire præcipua dexteritatis & roboris erat laus.

Num. 17.

Sine epigraphe. Venatio cervorum & leporum.

Notum est, sæpissime venationes in circo fuisse datas. De Neronis avo Domitio *Suetonius* in Nerone Cap. IV. *Venationes & in Circo & in omnibus urbis regionibus dedit.* Inter nummos Augusti Conturniatos similem habuimus typum, Tomo I. Tab. XXIII. Num. 19.

Num. 18.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 27.

Sine epigraphe. Ludi Circenses cum omni ornatu Circi, omnibusque ejus ædificiis.

Anterior hujus nummi pars cognoscitur ex *Sebast. Ericio*, qui ita scripsit p. 233. „ Nummus Neronis grandis, pulchri metalli, ætate „ valde juvenili, cum palmæ ramo ante faciem „ inciso, atque hac epigraphe: IMP. NERO „ CAESAR AUG. P. MAX. Ab altera parte Circus est cum metis suis, atque obelisco in medio „ sui. Ab utraque Circi parte celeres decurrunt „ quadrigæ. In honorem Principis, qui juvenili „ ætate hisce Circensibus delectabatur signatus „ fuit nummus. De quibus in Vita ejus Cap. XI. „ Suetonius hæc scripta reliquit: *Spectaculorum „ plurima, & varia genera edidit, juvenales, circenses, scenicos ludos, gladiatorium munus.* &c & aliquanto post Cap. XXII. *Equorum studio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit; plurimusque illi sermo, „ quamquam vetaretur, de Circensibus erat.* Postea „ scribit: *Sed cum inter initia Imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam „ minimos circenses secessu commeabat, primo clam, „ deinde palam, ut nemini dubium esset, eo die utique adfuturum. Neque dissimulabat, velle se palmarum numerum ampliare.* Et aliquanto post: „ *Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari voluit „ sæpius; positoque in hortis inter servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in „ circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent.*

„ Cer-

„ Cernimus in nummo hoc Neronem juvenem, „ ea ætate, qua apud *Suetonium* deſcribitur ludi- „ cro illi plurimum indulſiſſe. Palma quoque illa „ ante faciem victoriam ſignificat ab illo reporta- „ tas. Circus autem ſpatium erat illi ludicro de- „ ſtinatum, in quo equorum quadrigarumque ce- „ lebrabatur curſus. Sed ſignatum hoc Numi- „ ſma fuit in memoriam Circi Neroniani, quem „ fecit Nero ad celebrandam Naumachiam, qua- „ drigarum curſum, aliaſque, quas plurimum ama- „ bat, atque præbere populo ſolebat, feſtivita- „ tes. Fuere ſane varii Circi Romæ. Circus Ma- „ ximus, Neronianus, Flaminius, Agonius, Tra- „ janus, Caracallæ, aliique. Ajunt in illo Ne- „ ronis Circo Cæſaris fuiſſe obeliſcum, in quo „ conditos ejus cineres crediderunt, qui & ipſe „ Obeliſcus hodie integer conſpicitur. „ Huc uſ- que *Ericius*. De laureo ſive palmæ ramuſculo, jam alibi diximus, neque ad Neronem quidquam attinet.

NUM. 19. 20.

Vacant.

TABULA VII.

NUMMI ADHUC CONTORNIATI NERONIS.

NUM. 1.

Capitis epigraphe videtur ſimilis eſſe Nummo ſequent

OLYMPIAS REGINA. Generoſiſſima mater Alexandri Olympias in pulcherrime adornato lectulo recumbit, lævo cubito delphino innititur, atque dextra draconem paſcit ſive nutrit.

Si tempore Neronis fuit cuſus nummus, adumbrari mater ejus Agrippina poſſet; quæ mulier haud minores gerebat ſpiritus, quam olim illa Magni Alexandri generoſa mater. Sed in aliorum quoque Imperatorum nummis Conturniatis iſte typus invenitur, & omnes poſterioribus temporibus cuſi fuiſſe videntur.

NUM. 2.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, hinc & inde palmæ ramus; in Theſ. Theupol. p. 774.

Sine epigraphe. Eadem Olympias pari fere modo decumbens, ſed in lectulo minus belle exornato.

De ejuſmodi nummis eorumque parte antica hæc ſcripta reliquit *Sebaſt. Ericius p.* 220. „ Numiſma Neronis, malæ artis, cum hac in- „ ſcriptione: IMP. NERO CAESAR AUG. P. „ MAX. Ab altera parte veluti lectulus eſt, cum „ figura accubantis deſuper, Lectiſternium eſſe „ judico. Nota Senatuſconſulti non additur. Apud „ Romanos in uſu erant Lectiſternia, eorumque „ uſus ex *Livio* aliiſque patet. Leguntur hæc a- „ pud Livium Lib. V. *Gravis peſtilenſque omnibus* „ *animalibus æſtas excepit urbem; cum inſanabili* „ *pernicie; quando nec cauſa nec finis inveniebatur,* „ *libri Sibyllini ex S. C. adlti ſunt. Duumviri ſa-* „ *cris faciundis, Lectiſternia tunc primum in urbe* „ *Romana facta per dies VIII. Apollinem, Lato-* „ *namque & Dianam, Herculem, Mercurium, at-* „ *que Neptunum, tribus quæ ampliſſimæ tum appara-* „ *ri poterant, ſtratis lectis placavere. privatim quo-*

„ *que id ſacrum celebratum eſt tota urbe, patentibus* „ *januis; promiſcuoque uſu rerum omnium in propatulo poſito, notos ignotoſque paſſim advenas in hoſpitium ductos ferunt; & cum inimicis quoque benigne & comiter ſermones habitos, jurgiis & litibus temperatum, vinctis quoque demta in eos dies vincula, religioni deinde fuiſſe, quibus eam opem tuliſſent, vinciri.* „ In Capitolio quoque tribus Diis, Jovi, Junoni, Minervæ Lectiſternia parari ſolebant. Jovis imago in lectulo reponebatur, ſtabant vero in ſedibus ſuis Juno & Minerva. Lectiſternii inſuper meminit *Livius* Lib. VII. his verbis: „ *Eo nihil dignum memoria actum, niſi quod pacis deûm expoſcendæ cauſa (tum poſt conditam urbem lectiſternium fuit.* „ Quæ de Lectiſternio habet, ægri ſunt ſomnia, pro nummi interpretatione. Si vidiſſet *Ericius* præcedens Numiſma, in quo matris Alexandri adſcribitur nomen, in alia omnia abiiſſet. Notum eſt quod apud veteres matronas in deliciis fuerint ſerpentes innoxii, quibuſcum ludere, quorumque frigore delectari ſolebant. Servantur Neronis duo numiſmata ejuſmodi in *Muſeo Farneſiano*, Tab. III. Num. 3. & 4. alter a parte capitis inciſum habet palmæ ramum, alter Monogramma PE.

Num. 3.

DIVA FAUSTINA AUGuſta. Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pateram effundit ſuper aram ignitam, læva tenens cornucopiæ.

Adparet ex hoc typo, quod in ejuſmodi Conturniatis nummis inpreſſerint quoque typos nihil ad Circum & Ludicra pertinentes.

Num. 4.

Sine epigraphe. Minerva, veluti curſu ſe abripiens, læva clypeum tenens, reſpiciens, dextra veluti aliquid poſt ſe demonſtrat, comitantur fugientem dracones, poſt Deam tria ſunt papavera, ante eamdem flos alius clauſo calyce.

Si velimus hunc typum emblematice interpretari, dicere poſſumus, ſapientiam prudentiamque longe fugere inertiam & ſoporem, ſeſeque ad novas ſemper & florentes ſpes extendere, earumque cogitatione ingenium ſuum acuere.

Num. 5.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, ut Tab. II. Num. 56. Sed ante faciem conſpicitur monogramma, quale obſervatur Tab. I. Num. 25.

Sine epigraphe. Serpens ingens, in ſpiras arrectus, caput exſerit verſus poma in ara adpoſita, pone ſerpentem eſt arbor.

In Commentariis Hiſtoricis hunc quoque nummum inluſtravit *Jo. Sanctamantius* Tom. I. p. 221. & poſt recenſitam capitis inſcriptionem ita commentatur: „ A poſtica parte, quæ ſine epigraphe eſt, ingens adparet ſerpens, qui ſub umbra arboris ſeſe convertit ad adpetitas in ara fruges, poma, & placentas, quæ devorat, juxta deſcriptionem *Arnobii* Lib. VII. ubi de Æſculapio, ſub ſerpentis forma latente, ita ſcribit: *Quid ergo dicimus? Æſculapius ille, quem prædicatis, Deus præſtans, ſanctus Deus, ſalutis dator, valetudinum peſſimarum propulſator, prohibitor & exſtinctor; ſerpentis eſt forma & circumſcriptione finitus, per terram reptans, cœno natus ut vermiculis mos eſt, ſolum mento radit & pectore, tortuoſis voluminibus ſe trahens, atque ut pergere prorſus poſſit, partem ſui poſtremam conatibus prioris adducit, & quoniam legitur uſus cibis etiam, quibus vita in corporibus inmoratur, habet patulas fauces, quibus cibos transſvoret oris hiatibus adjectitiis* &c. Adſeverare non auſim quod Æſculapium deſignet hic Serpens, præſertim in hoc nummo; ſerpentes enim illis temporibus colebantur non modo tamquam Dii ſervatores & Salutares, Θεὺς Σωτῆρας vocabant (licet contra, ut ſcribit *Theodoretus* Sermonum Sacrarum III. animalia hæc veneno atro plerumque interire faciant eos, qui iiſdem nimis adpropinquant) ſed & tamquam felices bonoſque Genios. Unde & Genios locorum per Serpentes depingere ſolebant. Sic ut Serpentes, forte in ædibus, Templis, antris, vel juxta aras obvios, veluti Numina venerati fuerint Gentiles. Sed Nero per matris Agrippinæ artificia perſuaſus fuit vitam ſuam ſeſe debere, ſuamque magnitudinem Serpenti, qui dormientem olim, parvulum, (juxta *Suetonium*) protexiſſet, atque exterruiſſet miſſos a Meſſalina, qui occiſuri erant. Quare ea forſan de cauſſa Serpens in hoc nummo exprimitur; vel ex veteri traditione, quam tangit *Virgilius* Lib. V. qua credebatur Æneas (unde genus ſuum deduci volebat) augurium magnitudinis futuræ fortunarumque accepiſſe, quum tenderet in Italiam. Quum videlicet, ipſi poſteriſque bonum augurium adpareret Serpens grandis, quem ex monumento ſepul-

„ cra-

„ crali parentis Anchisæ, cujus invocaverat ma-
„ nes, viderat procedentem;

„ *Dixerat hæc, adytis cum lubricus anguis ab imis*
„ *Septem ingens gyros, septena volumina traxit,*
„ *Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras.*

„ Adjungit deinde adpositas in ara fruges com-
„ edisse:

„ *Obstupuit visu Æneas, ille agmine longo,*
„ *Tandem inter pateras, & levia pocula serpens,*
„ *Libavitque dapes, rursusque innoxius imo*
„ *Successit tumulo, & depasta altaria liquit.*

„ Videtur itaque typus hic spectare ad istam hi-
„ storiam seu fabulam; quare in ejusdem memo-
„ riam atque conservationis suæ, quum adhuc
„ puerulus esset, per draconem; videtur draco-
„ nem aliquem insignis magnitudinis aluisse in
„ quadam sacrata sylva, quod arbor in nummo
„ indicare videtur. Ita *Ælianus* nos docet Lib.
„ X. Cap. 6. quod in sacro nemore Lanuvino
„ nutritus ejusmodi fuerit Serpens, cujus ego
„ quidem historiam curiosam sum adlaturus ad
„ Græcum Faustinæ Numisma, in quo Dea Salus
„ visitur ab altera parte. Quibus adjungi possit,
„ quod retuli ad quintum Marci Aurelii nummum
„ de dapibus, quas Serpentibus ejusmodi adpone-
„ re solebant. *Valerius Flaccus*, ubi persuadere
„ nobis conatur, ex augurali disciplina sequi hinc
„ omne genus felicitatis, antiquissimum ostendit
„ morem adponendi in aris ejusmodi dapes Ser-
„ pentibus, quos scilicet loci Genios credebant,
„ factumque fuisse idem docet ab Argonautis
„ Lib. III.

„ *Dixerat, & summis frondentibus intulit aris*
„ *Libavitque dapes, placidi quas protinus Angues,*
„ *Umbrarum famuli, linguis rapuere coruscis.*

„ Adde quæ narrat insuper *Ælianus* Lib. XI. Cap.
„ 17. de Dracone in turre quadam nutrito placen-
„ tis aliisque dapibus mellitis. Quin & citatus
„ modo *Valerius Flaccus* Lib. I. ubi de Dracone,
„ custode velleris aurei agit, fingit nutriri melli-
„ tis a puella, quæ illum ad rapiendos cibos vo-
„ ce evocare solebat:

„ *Tantoque silet possessa Dracone*
„ *Vellera, multifidas Regis quem filia linguas*
„ *Vibrantem, ex adytis cantu dapibusque vocabat,*
„ *Et dabat hesterno liventia mella veneno.*

„ Denique *Strada* simile Numisma vidit, sed
„ quum, ab ærugine læsum, haud satis integrum
„ nactus fuerit, credidit inscriptionem fuisse Græ-
„ cam. „ Hucusque *Sanctamantius*. Neque tamen inde sequitur manifeste errasse *Stradam* in lectione Numismatis ejus quod adtulit in Opere suo Num. 48. Nam, præterquam quod has ibidem literas Græcas videtur fuisse adsecutus ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔ. . . . . dextram versus convertitur Neronis caput laureatum, quod apud *Tristanum* lævam partem respicit; præterea monogramma illud ex E & P. conflatum, quod in Latino hoc nummo adparet, in Græco Stradæ non animadvertitur. Denique quum constet hunc *Tristani* nummum esse ex Genere Conturniatorum, qui scilicet longe post Neronis tempora sub Christianis Principibus (ut liquere videtur ex omnium inter se similitudine) cusi sunt; potuit typus Græci illius (quem Strada depingit) nummi, in quo Serpens versus dextram partem, non versus lævam, ut in *Tristaniano* nummo pingitur, translatus fuisse ad Conturniati Latini typum.

NUM. 6.

Sine epigraphe. Stat Apollo, toto corpore nudus, dextra laurum protendens, innixus lævo cubito tripodi, cui circumvolvitur anguis, atque lyra sive cithara inposita cernitur.

Notior, ex *Suetonio* præsertim, est stultus in Nerone Musicus amor, unde & ipse in quibusdam nummis tamquam Apollo citharœdus prodit, in aliis vero Neronis caput ab una parte, ab altera Apollinis citharœdi conspicitur. In hoc itaque Apollo Pythius laurum, quem manu tenet, porrigere Imperatori, utpote omnium victori, videtur.

NUM. 7. 8.

ROMA. Insidens armis, stola corpus induta pingitur Roma, dextra tenens globo insistentem victoriolam, læva hastam, ad latus nota est Senatusconsulti. In altero deest vox ROMA. ipsa vero Amazonis exprimitur habitu, læva parazonium tenens.

Quamvis in hisce nummis Senatusconsulti adpareat nota, nequaquam tamen antiquis temporibus per triumviros monetales cusi hi nummi sunt. Verum illi, ex quorum officina prodierunt, sine delectu secuti sunt typum antiqui nummi prout invenerant. Inter Vespasiani nummos Conturniatos Num. 10. similiter Romæ sedentis est typus.

NUM. 9.

Sine epigraphe. Columnæ, lævo pede, insistit nuda figura militaris, capite galeato, dextra tenens hastam, læva clypeum cum scalis.

Insignis hæc figura Statuam Martis habet, qui in rarissimo, qui penes me est Septimii Severi nummo, isto habitu portantis scalas depingitur; ut

ut & in Vespasiani nummo conturniato Num. 12. ubi proræ ratis inprimere lævum pedem figura Martis videtur.

NUM. 10.

Senatus Consulto. Victoria volitans cum clypeo.

Et hujus nummi typus ex antiquiore, sine delectu, petitus est.

NUM. 11.

Sine epigraphe. Victoria gradiens cum palma & corolla.

Capitis laureati inscriptio in Museo Theupoliano *p. 775. dicitur esse NERO CLAUDius CAESar AUGustus.*

NUM. 12.

Senatus Consulto. Figura muliebris velata & stolata sedens, læva hastam tenet, dextra sacrificat super tripodem accensum.

Transponuntur in nummo hoc, in quo Pietatis typus est, literæ, quas in vetustiore nummo invenerant.

NUM. 13.

Senatus Consulto. Figuræ duæ, virilis altera togata, dextra chartulam, læva palmam tenens; muliebris altera, superiore parte corporis nuda, semirecumbens dextram manum supra caput adtollit, læva palmam tenet, ad dextram partem illi adjacet fax ardens.

Quid sibi velit ejusmodi typus, haud facile est divinare. Mulieres quoque nonnunquam ad ludos & spectacula admissas scimus. Fax ardens quasi cursum cum lampade (qui mos olim apud Græcos vigebat) innuit. In literis S. C. pro C. inperitus monetarius literam Græcam E. depinxit.

NUM. 14. 15. 16.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum cum monogrammate ante faciem, ut Tab. I. Num. 25.

LAURENTINUS (pro quo ad Sueton. in Nerone p. 324. Carolus Patinus legit LAURENTinum AUGusti) in secundo LAURENTIN. in tertio nihil legitur. Organum hydraulicum cum adstantibus figuris, quae in primo & secundo nummo situlas pro haurienda aqua dextra tenent.

Pluribus hujus generis nummos & cum his ipsis typis inlustravimus in libello de Nummis Contorniatis. Videamus nunc quid ad eorumdem explicationem adferat *Tristanus*, cujus in Comment. Histor. Tom. I. p. 218. hæc fere sunt verba: „ IMP. NERO CAESAR. AUG. P. MAX. „ Neronis laureatum caput cum hac nota ante „ faciem EP. superpositis literis. Ab altera par„ te adparet vox LAURENTINUM. Verum „ tres postremæ literæ vix percipi queunt. Spe„ ctatur ibi instrumentum hydraulicum ex fistulis „ in ordinem disparilem compositis, prouti Pa„ nis fistula vel Syrinx figurari solet. Conne„ ctuntur invicem in medio per transversum lig„ num. Inpositum cernitur cavæ cistæ seu pu„ teolo (uti ex imagine adparet) in cujus medio „ fistula seu antlia adparet, quæ machinam sive „ instrumentum hydraulicum intrat. Ad latus „ virilis est figura stans, læva manu tangens ali„ quam ex fistulis, dextra vero elevans exiguum „ aliquod instrumentum, quod figuram ferrei li„ gonis habet, inferius in medio rotundum ali„ quid est lancis sive catini figura, per cujus me„ dium foramen, in concavum veluti vasculum „ ovale cupæ instar formatum, descendit idem „ instrumentum, lusumque suum per parvam per„ agit fistulam seu canalem. Ad latus magni „ instrumenti hydraulici, inferiore loco, lauri cer„ nitur ramusculus.

„ Romanæ fabricæ non est hic nummus, ne„ que tam pulchram artem ostendit, sic ut diu „ hæserim antequam veram ejusdem picturam „ invenire potuerim. Tandem credidi unum ex „ instrumentis hydraulicis depingi, quibus mire, „ juxta *Suetonium* Cap. XLI. sibi placebat Nero, „ præsertim quod novæ artis & ignoti generis „ essent. *Reliquam diei partem* (inquit *Suetonius*) „ *per organa hydraulica, novi & ignoti generis cir„ cumduxit, ostendensque singula, de ratione ac dif„ ficultate cujusque disserens; jamque se prolaturum „ omnia in theatrum adfirmavit, si per Vindicem li„ ceat.* Magis etiam Cap. LV. *Sub exitu quidem „ vitæ palam voverat, si sibi incolumis status perman„ sisset proditurum se partæ victoriæ ludis etiam, & „ choraulam & utricularium, ac novissimo die histrio„ nem,*

nem, *saltaturumque Virgilii Turnum*. Instrumentum illud hydraulicum quodam modo (quantum ad fistulas ejusdem) simile est pneumaticis nostris, quibus in Ecclesiis utimur organis, qualia eleganter describuntur ab Imperatore Juliano in Epigrammate Græco, unde ignorantia adparet *Constantini Manassis*, qui inventum eorumdem adscribit Imperatori Theophilo. Ut itaque aliquid amplius pro declaratione typi adferamus, sciendum est, Neronem, ut cantus suos populo Romano ipsa varietate magis adprobaret, novi inventi & ignoti antea fecisse organa, quæ sonum redderent per aquæ agitationem antlia factam. *Organarius* vocari ejusmodi musicus solebat. *Glossæ: Organarius* Τ- δραυλ&. Belle rem exprimit *Claudianus* in Panegyrico ad Manlium, his versibus:

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderatur ahenæ,
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat undas.

Magis expresse *Porphyrius* in Panegyrico hisce versibus;

Hæc erit in varias species aptissima cantus,
Perque modos gradibus surget fœcunda sonoris,
Aere cavo & tereti, calamis crescentibus aucta.
Quis bene suppositis quadratis ordine plectris
Artificis manus in numeros clauditque aperitque
Spiramenta, probans placidis bene consona rythmis.
Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi discors
Hinc atque hinc animæque agitant.

Primum inventorem apud Ægyptios & Æthiopas invenio fuisse Moysem, juxta *Eustathium*, Archiepiscopum Antiochensem, in Hexaëmeron. Apud Græcos vero inventum hoc Ctesibio adscribitur, prouti testantur *Vitruvius* Lib. X. Cap. 12. & *Athenæus* Lib. IV. Exactam quoque descriptionem suppeditat *Vitruvius* Lib. eodem cap. 30. pro interpretatione aversæ partis nummi. Fateri tamen oportet, neminem fore, qui comprehendere possit modum illum novamque illam inventionem, quam Neroni in musicis hisce organis adtribuit; atque ad eorumdem intellectum opus fore, ut unguibus !atque rictibus Cerberi elapsus mirus ille Organista orbi artem suam ostentet, illam ut percipiamus. Melius quodammodo judicium ferre possumus de illius instrumenti musica, quod proditurum Neronem *utricularium* scribit *Suetonius*. Illi enim instrumento simile nostrum est quod Galli *Cornemuse* adpellari solent, cujus lusus aliquo modo hoc disticho exprimitur in *Virgilii* Copa:

Copa Syrisca caput Graja redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria famosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Sed & *Dio Chrysostomus* Oratione LXX. in fine, laudat dexteritatem ingenii in Nerone (quamvis nomine illum non adpellet) quoad artem pingendi, fingendi, tibia sonandi atque utriculandi, ut quæ Magnos Principes minus decerent. Hæc ejus sunt verba: Φασὶ δὲ γράφειν (dicit *Dio Chrysostomus*) καὶ πλάττειν ἱκανὸν αὐτὸν εἶναι, καὶ αὐλεῖν τῷ τε στόματι καὶ ταῖς μασχάλαις ἀσκὸν ὑποβάλλοντα. ὅπως ἀποφύγῃ τὸ αἶσχος τὸ τῆς Ἀθηνᾶς. *Ferunt autem eum fingendi pingendique gnarum fuisse canendique ore tibias, subjicientem axillis utrem, ut effugeret id turpe quod Minerva detestata est.* Quum igitur tam operose ineptiis istis deditus fuerit Nero, mirari haud debemus, in nummis Neronis similia quoque inveniri. Præter hoc Numisma, servo præterea aliud, pariter magni æris, ut hoc; in quo instrumentum idem hydraulicum depingitur, sed cum duabus signis virilibus & sine inscriptione, prouti depingi curavi, quod ipsum Numisma minus bene quam prius servatum est. Inscriptionem vocis LAURENTIUM atque literam A. quæ sequitur, effingere existimo atque legi debere, sive scribere voluisse monetarios, *Laurentinum Augusti*, ut scilicet *Laurentinum* dictum fuerit illud instrumentum hydraulicum; sive quod Laurenti, quæ Latinorum quondam exstitit metropolis, fuerit fabricatum (quæ Civitas juxta Geographos & Lauro-Lavinium & Lavinium adpellata fuit) sive quod Nero lauretis ibidem & nemoribus vicinis usus fuerit, inde ut confici curaret tubas seu canales, quales alias ex ferro albo sive orichalco fieri solent. Laureta enim ibidem erant plurima & nemora, Jovi indigeti atque Apollini dicata. Vide *Plinium* Lib. I. & *Herodianum* in Vita Commodi. ,, Posterior ex his nummis servatur in *Museo Farnesiano*. Vide ejusdem Tab. IV. Num. 1.

NUM. 17.

IMPerator NERO CAESAR Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, lævam versus, ante faciem inciditur Victoria currens cum palma,

Sine epigraphe. Tres viri stantes in columnatione sive porticu ad mensam, in qua reposita videntur numismata.

Conjecturæ tantum, incertæ licet, in incertis locus est. Puto igitur hic depingi abacum, & locum ubi dividebantur hujusmodi nummi Conturniati in usum Circensium. Servat simile numisma *Museum Farnesianum* Tab. III. Num. 5.

NUM.

NUM. 18.

Sine epigraphe. Stant duo viri circumagentes aliquid, quod intus in quadrilatera figura cernitur, una ex illis figuris duas fistulas læva manu tenet; tertia figura virilis, quæ post quadrilateram figuram stat & dextra acuminatum aliquid elevat.

Depingi in hoc nummo existimo arcam illam, cui, Num. 14. 15. 16. sed clausæ, insistunt in inæqualem ordinem dispositæ fistulæ. Arca hæc aperta in hoc nummo depingitur ab uno latere, ut scilicet perspici possit, quo pacto intus agitetur aqua ad animandas spiritu fistulas, per duos illos viros, qui instrumentum aliquod motorium aquæ circumrotant. Ea de caussa fistulas duas, ut de hydraulico organo intelligatur, altera figura manu læva tenet. Quod tertia figura dextra elevat, simile videtur esse illi, quod in reliquis nummis supra similes viri tenent.

NUM. 19.

ANNONA AUGUSTA CERES. Sedet Dea Ceres, læva spicam tenens super humerum, dextram extendens ad aram mediam cum spicis & modium, quæ in medio sunt. Stat ex adverso Annona Augusta, læva tenens cornucopiæ.

Desumtus hic typus est ex vetusto Neronis nummo qui occurrit infra Tab. X. Num. 17. sed Cereri pro face spica data fuit.

NUM. 20.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 27. Ante faciem inciditur Monograuma PE.

Sine Epigraphe. Tres figuræ, media virilis nuda stans, manibus post terga positis. Ex adverso sedet figura muliebris vestita, quæ, dextra manu sellæ imposita, lævam faciei admovens, anteriora viri stantis contemplatur, posteriora figura juvenilis, post virilem figuram sedens respicit.

Obscurior hujus typi ratio est, quam ut divinando sensum adsequi sperem. Similem typum vulgavit *Laurent. Begerus* in Thes. Brand. Tom. II. p. 622. Potest figura illa nuda, stans, quemdam captivum designare, muliebris sedens, Provinciam lugentem. Tertia respiciens, designare quietem vicinæ hostibus Coloniæ Romanorum.

TABULA VIII.
NUMMI
CONTURNIATI
NERONIS.

Num. 1.

Sine epigraphe. Auriga victor dextra manu frenum tenet equi victoris, læva palmam.

Num. 2.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum cum palma inciſa ante faciem, ut Tab. I. Num. 25. palma exſtat ibid. Num. 26.

Sine epigraphe. Imperator eques duos hoſtes proſternit.

Hanc capitis inſcriptionem ex *Ericio* habemus, qui p. 222. nummum exhibet, aitque extra Romam ſignatum fuiſſe in honorem Neronis, qui hoſtes ex equo proturbat.

Num. 3.

Sine epigraphe. Imperator haſtatus in equo & decurrens, præcurrente milite. Capitis inſcriptio ſequenti nummo videtur eſſe ſimilis.

Num. 4.

NERO CAESAR AUguſtus. Caput Neronis laureatum.

DECURSIO. Imperator cum haſta decurrit in equo, præeunte vexillifero, & ſequente alio milite.

Servatur hic nummus in *Muſeo Theupoliano* unde capitis epigraphe hauſta eſt p. 774. Typus ex antiquo Neronis nummo eſt deſumtus.

Num. 5.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus Pontifex MAXimus. Caput Neronis laureatum, ut Tab. I. Num. 27. ante faciem inciditur palmæ ramus.

EUTIMUS NIKATORUS. Victor athleta cum corona, palma, atque ſcutica in quadrigis lentis.

Contemplati nummum hunc atque interpretati ſunt *Ericius* atque *Triſtanus*, ex quibus poſterior ad priorem provocat. *Sebaſtiani Ericii* I. p. 231. interpretatio itaque hæc eſt: „ Numiſma „ Neronis ex ære pulchro, grandi, ætate juve„ nili admodum, cum inciſa palma ante faciem, „ atque hac in circuitu inſcriptione: IMP. NE„ RO CAESAR AUG. P. MAX. Ab altera par„ te cernitur quadriga cum quatuor equis, in „ quo ſtat auriga dextra ſcuticam atque coronam „ gerens, læva palmam; ſub quadrigis in imo „ aliæ duæ palmæ connectuntur, legiturque in „ cir-

circuitu nummi EUTHYMIUS. Quantum video, signatus nummus Neroni hic extra Romam fuit, illi ut blandirentur propter aurigandi studium, quo impensius æquo delectabatur. Quare de illo scribit *Suetonius Tranquillus* Cap. XXII. *Equorum studio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, plurimusque illi sermo, quanquam vetaretur, de Circensibus erat: & quondam tractum prasinum agitatorem inter condiscipulos querens objurgante pædagogo, de Hectore se loqui ementitus est. Sed cum inter initia Imperii eburneis quadrigis quotidie in abaco luderet, ad omnes etiam minimos Circenses secessu commeabat, primo clam, deinde propalam, ut nemini dubium esset eo die utique affuturum. Neque dissimulabat, velle se palmarum numerum ampliare. Qua re spectaculum multiplicatis missibus in serum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum greges ducere. Mox & ipse aurigare, atque etiam spectari voluit sæpius: positoque in hortis in servitia, & sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent.* Et in alio loco dicit Suetonius idem, loquens de Nerone: *Aurigavit quoque plurifariam. Olympiis vero etiam decemjugem, quamvis id ipsum in Rege Mithridate carmine quodam suo reprehendisset.* Unde videmus, signatum fuisse hunc nummum in memoriam cursus ejusmodi quadrigarum. Figura quadrigis insistens Neronem depingit aurigæ habitu, qui scuticam manu teneat, coronam atque palmam, in testimonium victoriæ, & quod ut victor (juxta *Suetonium*) coronatus fuerit; victoriasque ejusdem plures docent duæ colligatæ in imo nummi palmæ. Nomen EUTHYMIUS, quod in ambitu legitur præstantissimi quondam aurigæ seu quadrigarii (pycten vel pugilem adpellare debuerat) fuit in Ludis Olympicis, tam celebris olim, ut tamquam Deus adoratus fuerit. Ita de eodem scriptum reliquit *Plinius* Lib. VII. Cap. 47. *Consecratus est vivus sentiensque oraculi ejusdem jussu, & Jovis Deorum summi astipulatu, Euthymius Pycta, semper Olympiæ victor, & semel victus. Patria ei Locri in Italia, ibi imaginem ejus & Olympiæ alteram eadem die tactam fulmine, Callimachum, ut nihil aliud miratum video, deumque jussisse sacrificari, quod & vivo factitatum & mortuo, nihilque adeo mirum aliud, quam hoc placuisse Diis.* Alter itaque Euthymius in hoc nummo vocatur Nero propter insignem aurigandi artem, cui crebras similes victorias ex istorum temporum adulatione dprecantur. „ Huc usque *Ericius*. Apud *Jo. Tristanum Sanctamantium*, Commentar. Histor. Tom. I. p. 217. hæc leguntur: „ Typus nos docet, quod Nero, adepta quadrigis in Olympicis ludis victoria, Hieronicæ more quadrigis victricibus vectus fuerit. Mire enim ejusmodi laude elatum fuisse eumdem nos docet Suetonius in Nerone Cap. XXIV. & XXV. *Aurigavit etiam plurifariam &c. Reversus e Græcia Neapolin, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos Hieronicarum est; simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam, coronam capite gerens Olympicam, dextra manu Pythiam gestans.* Et eo quidem tempore nummum hunc in Neronis honorem cusum arbitror. Corona enim & palmæ hæ ostendunt victorem eumdem exstitisse in illis certaminibus; Στεφανίδας & Φυλλίνας adpellabant, propterea quod certarent ibi propter coronas & palmas, vile pretium nisi gloriæ honos accederet; discrepantes itaque longe ab illis, quas Ἀργυρείας, ab argento, quod victores accipiebant dictas, collocato in scaphis aureis vel argenteis, juxta Pollucem Lib. III. Cap. 30. Imo haud dissimile vero videtur, Locrenses nummum hunc signasse. Euthymius enim, sub cujus nomine adumbratur in hoc ære victor Nero, pugil & athleta celeberrimus, ex illa Italiæ urbe fuit oriundus, ubi quoque tamquam Deus divinis honoribus cultus fuit. Mentionem nummi hujus fecerunt *Sebastianus Ericius & Constantinus Landus*, verum nihil ultra adtulerunt ad ejus explicationem præter ea quæ *Plinius* Lib. VII. Cap. 47. de Euthymio isto dicit. Quare plura quædam de illo proferre lubet. *Pausanias* Lib. VI. adpellat Εὔθυμον, *Euthymum*, atque pro filio fluvii Cæcinæ atque Aristiclis cujusdam habitum fuisse adserit; quodque in singulari quadam pugna devicerit Dæmonem Temesum adpellatum, pro servanda virgine pulcherrima, quam regionis illius incolæ cogebantur Dæmoni isti sacrificare; quodque eamdem deinde magnificentissimis sibi junxerit nuptiis. Pariter *Strabo* Lib. VI. eumdem Εὔθυμον, *Euthymum* adpellat, ut & *Ælianus* Hist. Lib. XVIII. ubi addit Locrenses quotannis solitos fuisse tributum Dæmoni Temeso persolvere, quodque ille in Templo suo, quod inaccessum erat, servabat omne quod quotannis illi pendebatur, sed quod eumdem devicerit fortissimus Euthymus, pluraque eumdem reddere coëgerit, quam acceperat; unde factum proverbium in eos qui malis artibus divites facti erant: Ὅτι αὐτοῖς ἀφίξεται, ὁ ἐν Τεμέσῃ ἥρως. Vide *Suidam*. „ Hæc *Tristanus*. In quibus illi de Locrensibus nequaquam adsentiri possum. Tempore Neronis enim Italiæ urbes non signarunt nummos; & est hic nummus Contorniatus, in quo cunctis aurigis honos Euthymi proponebatur ad stimulum, sicuti & aliorum nobilium victorum nomina pariter in ejusmodi nummis scribuntur. Et hinc diserte legitur ad similem typum in Conturniato (quem *Anselmus Bandurius* protulit) Honorii Imperatoris nummo: EUTIMI VINCAS. Quoniam autem ille Euthimus, qui *Eutimus* in pictura Morelliana, *Euthymius* apud *Ericium*, & in pictura nummi *Tristani* scribitur *Eutymus*, semper Olympiæ victor, una excepta vice exstiterit; hinc Nicatoris i. e. Victoris cognomen in infima nummi parte gerit, producta in NIKATORUS voce Græca. In *Museo Farnesiano* similis Neronis nummus observatur Tab. IV. Num. 2. Sed aversa pars aliquantum detrita videtur.

Num. 6.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate, IMPerator Pater Patriæ. Neronis caput laureatum, ante quod palmæ ramus est.

STEFANAS. Athleta victor stans in quadrigis victricibus, dextra coronam atque scuticam tenens, læva palmam.

Operæ pretium est (inquit *Tristanus* Tom. I. p. 222.) investigare quisnam ille sit Athleta de

depictus tam honorifice in quadrigis victricibus, in hoc Numiſmate maximi moduli, in Magna Græcia ſignati, tamquam ſæpius in ludis ſacris victor. Oportet enim valde celebris ut fuerit, cui Neronem comparaverint; quem ſcilicet ſub hujus Athletæ habitu in averſa parte Numiſmatis depinxerunt, extollentes hac comparatione virtutem ejus, dexteritatem, robur & agilitatem in omnibus Circi aliorumque ludorum exercitiis. Quo videlicet pariter modo Locrenſes Neronem (quod & poſtea in Trajano fecerunt) compararunt Heroi ſuo atque celeberrimo Athletæ Euthymio; Trajanum quoque eumdem Filino Coïi. Quod ſi conjecturæ locus eſt, propter Stephanæ Athletæ nomen, crediderim Corinthium patria fuiſſe illum victorem. Fuit enim Achaja (uti notum eſt) campus falſarum Neronis laudum, quum illuc Roma divertiſſet, atque plures coronas, quas non meruerat per adulationem conſequeretur, *Nec contentus harum artium experimenta Romæ dediſſe, Achajam petit*, inquit *Suetonius* Cap XXII. & aliquanto poſt, Cap. XXIII. *Certamina deinceps gravia obiit.* Capite dein ſequenti: *Aurigavit quoque plurifarie; Olympiis vero etiam decemjugem: quamvis id ipſum in Rege Mithridate carmine quodam ſuo reprehendiſſet*, &c. Quod vero exiſtimem Corintho, Metropoli Achajæ, oriundum fuiſſe Stephanam Athletam, facit quod & *D. Paulus* iis temporibus cujuſdam Stephanæ Corinthii ejuſque univerſæ familiæ mentionem faciat in Epiſt. I. ad Corinthios Cap. ultimo: *Obſecro autem vos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quoniam ſunt primitiæ Achajæ.* & mox: *Gaudeo autem in præſentia Stephanæ & Fortunati & Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſuppleverunt; refecerunt enim & meum ſpiritum & veſtrum.* Ex quibus patet, D. Pauli illum Stephanam haud ignotum aut ignobilem fuiſſe hominem, habuiſſe etiam amplas atque adcommodas ædes ad recipiendos Chriſtianos fratres eoſque liberaliter fovendos. Nequaquam vero inde elicere eſt, fuiſſe illum Stephanam Pauli Athletam noſtrum, licet & tempus, & locus, & nomen inſerviant, fueritque ipſe ex idololatra per D. Paulum ad fidem Chriſtianam converſus, atque inter Athletas Chriſti adſcitus. Nequaquam enim credibile eſt Corinthios, pleroſque idololatras, præſertim vero Magiſtratus urbis Corinthi, quum nummos ſignarent cum effigie Neronis, poſuiſſe ab altera parte Chriſtiani hominis effigiem; multo minus quod homo Chriſtianus celebraverit Ludos Idolorum cultui dedicatos. Credo potius Stephanam Athletam fuiſſe ex majoribus Stephanæ illius, cujus mentionem facit D. Paulus; eumque propter inſignes victorias in ſacris Ludis reportatas, Semideum honoribus & cultu Heroico a civibus fuiſſe adfectum; quare illi potiſſimum Neronem in hoc Numiſmate adſimilarunt. Stephanas quoque Paulinus ſub Claudio floruit, cujus Imperatoris anno ſecundo Epiſtolam ſuam priorem ad Corinthios ſcripſit Apoſtolus. Satis eſt, quod veroſimile videatur Stephanam illum ex familia ſive poſteris exſtitiſſe Athletæ Stephanæ iſtius, quum & illud nomen commune valde apud Conrinthios fuiſſe potuerit & acceptum gratumque propter ſignificationem boni ominis, Coronæ videlicet, qua honorabantur Athletæ, poſtquam in ſacris certaminibus victores exſtitiſſent.,, Huc uſque eruditiſſimus *Triſtanus*, cui hactenus obloqui nolo, quod Stephanas ille Athleta quondam Corinthius natione fuerit. Quum vero proprium magis videatur eſſe nomen quam gentile, illa quæ de Paulino Stephana adducuntur, difficillime cum hoc Stephana conciliari poſſunt, vel Stephanæ ejus familiam tangere. Deinde (quod ſæpe dixi) nummus eſt Conturniatus, neque Neronis (ut videtur) temporibus cuſus, ſed poſtea, quum omnes illi nummi Conturniati ſignarentur ſub Chriſtianis Principibus; quod & Trajani & Honorii nummi firmare videntur, qui æque Euthymii Athletæ effigiem exhibent; neque tamen aurigandi ſtudio & futilibus illis exercitiis deditus fuerit gravis vir & Imperator Trajanus. Multo minus apud Coïos Trajano Conturniatus quoque nummus cum Filini nomine & effigie ſignatus fuit, quum Coi nummos ſuos Græce inſcripſerint, Athleta vero iſte Cous Filinus tantum in Nummis Conturniatis, ſicuti alii celebres Olympionicæ, pro lubitu eorum, qui ejuſmodi nummos ſignarunt, poſitus fuerit. Imo inter Conturniatos Alexandri Magni effigie notatos pariter is typus & Stephanas, adſcripto nomine, in ejuſmodi quadrigis cernitur. Vulgavi quoque in libro de Nummis Conturniatis Apollonii Tyanei ſimilem fere nummum, in quo legitur STEFAN. NIKA.

NUM. 7.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRIbunicia Poteſtate II. Pater Patriæ. Caput Neronis.

Sine epigraphe, in qua, propter ſignata puncta, certæ literæ periiſſe videntur.

Nummum hunc vel ſimilem cum duobus aliis ſupra depictis adduxit atque vulgavit *Carolus Patinus* ad Suetonium p. 304. iiſque illuſtrandis hæc *Suetonii* ex Cap. LIII. adducit verba: *Deſtinaverat etiam qui Apollinem cantu, ſolem aurigando æquiparare exiſtimaretur, imitari & Herculis facta.*

NUM. 8.

Sine epigraphe. Elegans depingitur venatio; Imperator ex equo urſum poſt ſe jaculo inpetit, ſub eodem venator lancea aprum excipit.

Ad venationes in Circo ſpectat nummus, cujus typo quoque virtus Imperatoris celebrari videtur.

NUM. 9.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate, IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum.

Sine epigraphe. Venator juxta arborem ferit aprum ex luſtro egreſſum atque a cane adpetitum.

Typus hic in aliorum Imperatorum Conturniatis quoque obſervatur. Nummus hic ſervatur in *Muſeo Theupol.* p. 774.

NUM. 10.

Sine epigraphe. Venatio urſarum in Amphitheatro.

NUM. 11.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus MAXimus (ſic) Caput Neronis laureatum lævam verſus, cum inciſo ante faciem monogrammate PE.

Sine epigraphe. Taurorum venatio, vel, Milo Crotoniates, utraque manu taurorum cornua prehendens, ſubtus aratrum cernitur.

Depingitur utraque nummi pars in *Muſeo Farneſio* inter nummos Neronis Tab. III. Num. 6.

NUM. 12.

Sine epigraphe. Vir nudus inſiliens taurum cum urſo depugnat.

Vel gemina pugna ſeu venatio in hoc nummo, taurorum videlicet & urſarum exhibetur, vel ea agilitate prædíti fuerunt rebus ejuſmodi adſueti, ut inſilientes tauros eorum inpetu contra urſos uti ſciverint, quod hic typus deſignare videtur. Niſi urſus adeſſet poſſet ad Ταυροκαθαψίαν reſpici, in quo feſto feros tauros inſiliebant nudi juvenes eoſque cornubus prehenſos ad terram detrahebant.

NUM. 13.

Sine Epigraphe. Juvenis nudus & haſtatus ſtans, dextra equum ſtantem demulcet, coram ſedente figura virili atque ſtante alia muliebri.

Inter Nummos Conturniatos inveniuntur ſimiles, qui caput Alexandri Magni a parte anteriore exhibent. Quare Alexandri juvenis hæc eſt effigies, in domando Bucephalo dexteritatem ſuam Philippo patri matrique Olympiadi adprobans. Vide libellum noſtrum de Nummis Conturniatis.

NUM. 14.

Sine epigraphe. Triumphus Bacchi. Sedet ipſe ſuperiore corporis parte nuda, dextra botrum ſupra caput tenens, læva thyrſum, in curru a lyncibus tracto, Baccho advolat Cupido, ad latus adcurrit Baccha duas inflans tibias, Pan & Satyriſcus ante lynces ſtantes, cum iiſdem ludunt. Sub hoc typo in ima area perſonæ Bacchicæ viriles & muliebres cernuntur, palmæ ramis incumbentes, cum Baccho puero globo inſedente in medio.

Omnis hic ornatus ad Bacchi cultum ſpectat, & quoniam apud Antiquos in Dionyſi ſive Bacchi feſtis novæ Tragœdiæ recitari ſolebant, hinc perſonæ illæ ſcenicæ in imo nummo & palmæ Poëtarum victrices depinguntur. Nummi hujus meminit *Antonius Auguſtinus* Dialog. p. 170. Habuit eumdem *Sebaſtianus Ericius*, ſed male injuria temporis habitum, unde picturam ejuſdem haud recte dedit, neque interpretationem adſequi potuit. Quoniam tamen inde anteriorem nummi partem cognoſcimus, verba *Ericii*, quæ haud multa ſunt, adponemus ex Libro, quem inſcripſit *Veterum Nummorum Explicationem*, ſeu, Italicè, *Dichiaratione di Medagli Antiche*, p. 220.
„ Neronis Numiſma magnum, ex pulchro me-
„ tallo, cum hac inſcriptione: NERO CLAU-
„ DIUS. Ante faciem inciſum monogramma ex
„ PE. argento repletis literis. Currus eſt ab altera
„ parte, cui Dea inſidet, coronam ſuper caput
„ tenens altera manu, poſt currum figura cerni-
„ tur

„ tur manibus conjunctis. Currum gemini trahunt leones, & ante leones duæ sunt figuræ. „ Subtus literæ sunt ut videtur barbaræ, quæ „ propter æruginem cognosci nequeunt. Currus „ est Cybeles, quam Matrem Deorum vocabant „ veteres, & cujus currum fingebant trahi a geminis-leonibus. „ Ex hisce *Ericii* verbis, & amplius ex pictura, quam dedit, nummi, adparet non de alio quam de hoc Conturniato illum loqui; quem quoque in Thesauro suo depinxit *Carolus Patinus*, & cujus aversa pars pariter addi solet Nummis Conturniatis, qui Alexandri Magni caput præferunt.

NUM. 15.

AGIT SPE TESEUS. Puerulus nudus, capite galeato, qui juxta se habet clypeum & spiculum, in terga Centauri adscensurus, dextram manum humero ejus inponit; ipse Centaurus læva lyram tenens, lævo crure arreptum puerum in adscensu prioribus pedibus ingeniculatus adjuvat.

Depingi existimo Achillem, qui quum a matre Centauro Chironi fuerit traditus erudiendus, ab illo ad artem lyræ & equitandi inter alia institutus fuit. Quo hujus nummi typus respicit. Theseus, cujus nomen per ignorantiam monetarii sine adspiratione scribitur, fingitur sibi proposuisse Achillem, ut exemplar, quod imitaretur.

NUM. 16.

Sine epigraphe. Figura muliebris sedens sub arbore, corporis parte superiore nuda, Centauri manus, tamquam illum obtestetur oretve, prehendit.

Typus hic una cum præcedente ad eamdem fabulam spectat. Depingitur videlicet in hoc nummo Achillis mater Thetys, uti Dea corporis parte superiore nuda; ipsa manus Centauri Chironis adprehendens illum obtestatur ut filii Achillis educationem suscipiat, illumque suis artibus erudire velit. Sicuti autem inter illas equitandi erat ars, ita typi hi ad Nummos Conturniatos & Circensia Ludicra faciunt.

NUM. 17.

Sine epigraphe. Figura galeata & armata, dextram adtollens, stat inter figuram muliebrem sedentem stolatam, velato capite, læva tenentem cornucopiæ, atque virilem, sedentem pariter, superiore corporis parte nuda. Figura hæc dextra hastam, læva globum tenet, atque a stante ante ipsam Victoria coronatur; ante figuram muliebrem sedentem stat aquila, & in imo nummo duæ figuræ recumbunt muliebres, quæ cornua copiæ manu altera gerunt, altera ratem tenent vel leonem demulcent.

Operosus hic typus magnitudinem Romanam, ejusque præcipuum auctorem respicit. Sedent in illo Augustus Deus, veluti Orbis moderator, qui jam totus erat Romanus, quum Africa per mulierem mulcentem leonem indicari possit, Asia & Europa per mulierem dextra tangentem ratem. Ex adverso Augusti deprehenditur Livia sedens habitu Deæ Annonæ; militaris figura, quæ stat in medio dextram elevant, Neronem significare potest, jactantem ita generis sui nobilitatem. Similis fere typus occurrit inter Augusti nummos Conturniatos Tom. I. Tab. XXIII. Num. 10. sed ibi Tiberii stat effigies inter sedentes Augustum atque Liviam; alia tamen stantis figuræ est pictura, quæ nihil discrepat in Conturniato quodam nummo, qui a parte antica Homeri habet effigiem, cum inciso post cervicem palmæ ramo. Verum ibi in infima nummi ora cernuntur Neptunus cum tridente & delphino, atque figura muliebris seminuda cum bove. Quo typo indicatur, Imperio Romano maria & terras subesse. Qui nummus servatur in *Museo Farnesiano.*

NUM. 18.

Sine epigraphe. Sedet figura muliebris stolata, capite turrito, dextram elevans, læva tenens hastam. A dextris adstat figura virilis, dextra pedum tenens, læva hastam, caput pileo Phrygio tegitur. A læva cernitur figura muliebris stans, capite turrito, læva hastam tenens; dextra coronans figuram muliebrem sedentem. Ad latera figuræ muliebris sedentis quatuor sunt Sphynges alatæ, in imo duæ fluviorum figuræ.

Non minus præcedente operosus est hujus nummi typus, cujus adpositæ Sphynges, una cum reliquis, Oedipo conjectore opus habent. An Imperium Romanum, sive urbs Constantinopolis,

quæ mihi per ſedentem illam figuram muliebrem exprimi videtur, innuitur veluti domina rerum terra marique? Fluviorum ſive Marium in imo poſitus typus & Dea Cybele turrita ſive Veſta, quæ coronat figuram muliebrem ſedentem id innuere poſſunt. Sed quorſum figura illa cum pedo & pileo Phrygio ad dextram? An ea Atyn qui paſſim Magnæ Matri comes additur, depingit? Quid ſibi volunt Sphynges numero quatuor? Typi verum intellectum nondum adſequi poſſum. Ponitur averſa hæc pars etiam in illis nummis Contorniatis, qui a parte anteriore caput Alexandri Magni exhibent.

Num. 19.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus Caput Neronis ætate juvenili.

Sine epigraphe. Piſcium marinorum quatuor genera. Depinguntur ſcilicet Polypus, Sepia, Cammarus & Pompilus.

Numiſma hoc conſiderarunt *Sebaſtianus Ericius* p. 228. & *Jo. Triſtanus* Tom. II. p. 213. Ex quibus *Ericius* adfirmat æreum ſuum nummum, grandem atque exſtanti opere eſſe, pulchro viridi colore obductum. In ejus interpretatione ſeſe multum torquet, reſque fere huc redit: „ Numiſma hoc, uti rarum novique valde typi, „ ſic inſignem mihi movit admirationem, quod „ quum paſſim Veteres nummos ſignaverint in „ honorem vel adulationem Principum, hujus tamen nummi typus ea referat, quæ ad Neronis „ dedecus & infamiam faciant: quare non puto „ Romæ fuiſſe ſignatum. Si fictus vel adulterinus foret hic nummus, rejicere eumdem ſine „ interpretatione poſſemus. Verum aperte antiquus & ſine omni falſitatis ſuſpicione eſt; quare declarandus ejus typus eſt, prouti illum invenimus. Primo itaque dicimus non fuiſſe cuſum Romæ, ſed in alia quadam civitate, cujus „ nomen non exprimitur. Piſcium depictorum „ typus non poteſt niſi in malam ſumi partem, „ Neroniſque contumeliam. Et primo quidam „ piſcis marinus (*pompilum intelligit*) hominis odioſi & nefandi eſt ſymbolum, ut profanum enim „ illum habebant ſacerdotes Ægyptii, quare non „ tantum eſu ejus abſtinebant, verum etiam fugiebant nomen ejus, neque cum piſcantibus „ nautiſve loqui de illo volebant, quare ſymbolum illis erat omnis malitiæ, atque hominis luxurioſi, laſcivi, a Muſis & Gratiis alieni. Per „ Sepiam intelligebant iidem Ægyptii virum, qui „ magna de ſe excitata exſpectatione, nequaquam „ promiſſa inplebat; ſimulatorem præterea falſumque fideique minime conſtantis. Per Polypum „ intelligebant in genere Principem, ſed in ſpecie Tyrannum civiumque ſuorum oppreſſorem. „ Quin & eum, qui proprias facultates abjiciat, „ per ejuſmodi piſcem deſignarunt. Per Cammarum ſive fluviatilem cancrum hominem intelligunt, qui bonis & honeſtis carens principiis „ inpudentur omnium fallit exſpectationem. Talem vero fuiſſe omnino Neronem, qui vitam „ ejus deſcripſit *Suetonius* docet ubi de eo ſcribit „ Cap. XXVI. *Petulantiam, libidinem, luxuriam, avaritiam, crudelitatem, ſenſim quidem primo & occulte, velut juvenili errore exercuit: ſed ut tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia non ætatis eſſe.* Quod quidem primi piſcis naturæ „ convenit. Et ſicuti conceptam ab illo exſpectationem fefellit, atque initia Imperii bona atrocitate ſcelerum porro corrupit, ita ſepiæ piſci „ ſimillimus ea ratione exſtitit, juxta *Suetonium* „ Cap. X. *Atque ut certiorem adhuc indolem oſtenderet, ex Auguſti præſcripto imperaturum ſe profeſſus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occaſionem omiſit.* „ Narrat deinde quomodo in pejorem quotidie mutatus, tamdem peſſimus evaſerit. Tyrannus „ quoque exſtitit crudeliſſimus, inque eo polypi „ piſcis emblema inplevit; fuit enim crudeliſſimus luxuria, inſuper & prodigalitate infamis. „ *Divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat, quam profuſionem; ſordidos ac deparcos eſſe quibus ratio impenſarum conſtaret; prælautos, vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent*; ait „ *Suetonius* Cap. XXX. Fluviatilis autem Cancri „ induit naturam, dum increſcentibus vitiis, nihil amplius diſſimulavit, *Paulatim vero invaleſcentibus vitiis, jocularia & latebras omiſit, nulla diſſimulandi cura, ad majora palam erupit*; *Suetonio* teſte Cap. XXVII. Atque ita Nero, quamvis apud omnes in initio Imperii bonam de ſe „ ſpem excitaſſet, relicta tandem ſimulatione omnes decepit. Sic ut in typo hujus nummi, „ veluti in ſpeculo, omnia ejus vitia, totaque „ adumbretur vita & indoles. Quare exiſtimo „ cuſum fuiſſe nummum ad contumeliam ejus „ in aliqua civitate, quæ callide ſub obſcuris „ hiſce ſymbolis intelligentibus indicare voluerit inmanis hujus belluæ vitia. Vulgus enim „ hominum hæc non capit ſed ſoli (ut dixi) intelligentes. Et ſic hodieque vituperari occulte „ (neque enim ob metum palam talia facere homines audent) Tyranni ſolent atque deſcribi. „ Quantum vero ad illos piſces in averſa parte „ nummi depictos, ſi quis meliorem adferre poſſit interpretationem, lubens gratias illi agam „ atque honorem habiturus ſum. Sunt & qui „ credunt, quod averſæ partes horum nummorum, qui non magnam artem peritiamve ſummam magiſtri oſtendant, & in Græcia cuſi „ ſint, fabuloſa multa, quod & ex aliis nummis „ adparere poſſet, contineant. „ Huc uſque *Ericius*; cujus interpretatio nequaquam *Triſtano* placuit; quare is meliorem exſculpere conatus fuit, atque in hunc modo ſemper eodem typo diſſeruit. „ Quatuor Neronis capite ſignatus nummus „ ab altera parte piſces exhibet, videlicet polypum, ſepiam, cammarum, & pompilum. „ Explicationem huic typo dat *Ericius*, qualem „ ipſi Pierius ſuus in Hieroglyphicis ſuppeditavit, ad illum enim paſſim ſolet refugere. Melior autem inveniri poteſt; ut ſcilicet dicamus „ cuſum fuiſſe in aliqua urbe Græca eo tempore „ quo Neroni ex Poppæa conjuge nata fuerit filia „ Claudia. Adumbrat enim typus quatuor piſces „ nativitatis die in cæna adhibitos. Nato enim infante, qui adfuerant, lavare primum manus ſolebant, deinde circumferre curſu per ædes atque „ cir-

„ circa focum infantem eumdem. Post eam festivitatem qui sanguine erant proximi pro epulo donabant sepias, polypos aliosque pisces. Docent nos id Eubulus & Euphippus apud Athenæum Libro IX. ut & Etymologici auctor, præter Suidam & Apostolium Adag. LXXXIX. Verum Suidas ad hæc verba, δεκάτην ἑστιᾶσαι, insuper adjungit, quod soliti fuerint Athenienses decimo postquam natus fuerat infans die convocare amicos & proximos, ut coram illis nomen daretur infanti, eosque deinde sacrificiis peractis fuisse simul epulatos. Cujus moris meminit quoque Aristophanes in Avibus atque in Lysistrata. Verum præterquam quod totum hoc Græci fuerit moris, adpellataque fuerint 'Αμφιδρόμια apud eosdem hæc solemnia, Latino non facile exprimenda vocabulo, dubitatio oriri haud injuria poterit utrum ad ejusmodi morem typus nummi possit respicere. Sed tamen primo loco considerare oportet (quod & Ericio visum fuit) extra Romam signatum fuisse Numisma, atque in aliqua Magnæ Græciæ civitate, ubi videlicet ritus Græci Latinique inter se fuerint commisti, 'Αμφιδρόμια videlicet Græcorum cum Romanorum Nominalibus, quod scilicet festum ab inpositione nominis sic apud posteriores dicebatur. Accedit natura horum piscium notabilis, propter quam æque in ejusmodi cæremoniis Nominalium potuerint adhiberi, quam in Græcorum festo, quod 'Αμφιδρόμια adpellabant. Ratio enim quod præ aliis piscibus, hisce potissimum in illa festivitate epulabantur, eorumdem fuit fœcunditas, ut optima ratione puerperio adhiberi potuerint. Aristoteles enim Histor. Animal. Lib. V. atque Athenæus Lib. VII. testantur admirabilem esse fœcunditatem polyporum ut & sepiarum; quod & Plinius adfirmat Lib. IX. Cap. 51. Secundum Aristotelem vero, adducto loco, sepiæ sæpissime sunt gravidæ, atque generationi ut apud homines masculus & femina operam dare solent cammari. Testatur insuper Diocles apud Athenæum, polypi carnem venereum adpetitum vehementer accendere, atque fortes ad amoris arma reddere qui vescuntur. Quartus piscis, quem quidem neque Ericius neque Occo nomine exprimunt, juxta descriptionem quam Lib. VII. facit Athenæus, non alius mihi videtur esse quam pompilus. Juxta ejus enim testimonium cum Venere communem ex Cæli sanguine habet ortum, atque amori plurimum & servit & conducit. Figura ejus apud Rondeletium Lib. VIII. Cap. 4. cerni potest, atque satis apte in ipsius nummi hujus typo exprimitur. Verum Ericius sepiam non bene depinxit, si quidem is piscis in ejus nummo expressus fuerit, quem juxta veram & naturalem ejus formam depingi curavi. „ Denique post Tristanum typum eumdem contemplatus fuit Ezech. Spanhemius in præclaro Libro de Usu & Pr. Numism. ubi p. 202. & 203. ita scribit: „ Erizzo ad denotandam Neronis impietatem, sævitiam, libidines, signatum hunc nummum credit, cui certe suffragari non possum. Si Lucano enim forte licuit, ut viderunt jam viri docti, & aliquando pluribus ad elegantissimum Poëtam docebimus, Neronem oblique sub laudum involucris perstringere; non proinde existimabimus, nummum auctoritate publica & florentis Principis imagine percussum eum in finem, ut vitia ejus ad infamiam illo ære signaret. Tristanus aliquanto opportunius refert ad natales „ Claudiæ Neroni e Poppæa genitæ, & festum illud Amphidromia, quinto a natali die celebrari solitum, quo inter alia Polypi, Sepiæ, aliique id genus pisces mitti a propinquis & familiaribus consueverant, sicuti ab Athenæo aliisque observatum. Sed obstare videtur tum, (ut jam vidit Tristanus) quod nos ille Græcus foret, nummus autem vel Romæ, vel certe in Romana Colonia sit percussus, ut liquet ex Latina epigraphe anteriori nummi parti adscripta; tum illud insuper, quod vulgo non Cæsarum, sed Augustarum vultus præferant nummi illi, qui fecunditatem domus Augustæ solebant indicare. Neque tamen alienum crederem, ad fecunditatem Poppææ respexisse, qui nummum cælandum curavere, quam & Nero ultra mortale gaudium accepisse dicitur apud Tacitum, Annal. XV. & Senatus votis, supplicationibus, Templo etiam Fecunditati decreto prosequutus. Opportune itaque in hujus fecunditatis memoriam, & incredibile illud Neronis gaudium inde conceptum, signati videntur ii Pisces; quos fecunditatis præcipuæ observant Aristoteles, Athenæus, Plinius. „ Hæc sunt, quæ de Neroniani hujus nummi typo differunt nobiles Antiquarii, quæ omnia concidunt si statuamus Conturniatum hunc (uti est) exsistere nummum, & nonnulla in ejusmodi nummis inveniri, quæ non exacte ad aliquam historiam vel antiquitatem exigi debent, utpote pro lubitu eorum, quorum cura signati fuere nummi, iisdem inpressa, cujus rei documentum etiam sequens exhibet nummus.

NUM. 20.

In area per crucem mediam quadrifariam dissectam hæ leguntur literæ BC RS TG FB.

Miram huic nummo pro libidine sua interpretationem dat Jo. Harduinus; apud quem in Operib. Select. p. 724. hæc leguntur: „ Priusquam vero de Nerone claudam epistolam, animadvertere te, amice, cupio, quanta esset supra Augustos Senatus Populique Romani auctoritas, ipso etiam Neronis Imperatoris ævo. Nam id adparet in illo præclaro numismate, quod nemo adhuc intellexit. Caput Neronis laureatum ab una parte exhibet, in altera hanc epigraphen, quæ significat *Benevolentiam Capta Romani Senatus: Togatam Gentem Fove Beneficiis.* Nummus est ex ære magno, in *Thesauro Regio*, & in *Museo nostro*; & *Mediobarbus* similem profert e suo. Cusus, ut ceteri ejus ætatis Latini, quos habemus, in Gallia Narbonensi, Gallis Neronem tacite admonentibus, si salvus esse cuperet, atque in principatu perstare, ut benevolum sibi senatum redderet Populumque Romanum. „ O lepidam explicationem & cerebro Harduini dignam. Nolim in re inani palpare veluti in tenebris.

TABU-

TABULA IX.

QUA DEPINGUNTUR

NUMISMATA CLAUDII NERONIS CÆSARIS, ÆREA PRIMÆ MAGNITUDINIS.

NUM. I.

Epigraphe capitis non multum videtur discrepare a sequentibus.

ROMA. Amazonis sive Heroinæ habitu spoliis insidet Roma, capite galeato, dextra tenens sceptrum, lævo cubito clypeo innixa, in quo lupa cum gemellis, Romulo & Remo, exhibetur.

Plura variæ picturæ Numismata Neronis Romæ effigiem exhibent, quod scilicet is incensam civitatem instauraverit. Fuisse enim antea *offensum deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum*, scribit *Sueton.* in Nerone Cap. XXXVIII. Quare, ut ex ruinis amplior surgeret, *Formam ædificiorum urbis novam excogitavit: & ut ante insulas ac domos porticus essent, de quarum solariis incendia arcerentur. Suetonio* eodem teste Cap. XVI. De eadem re *Tacitus* Annal Lib. XV. Cap. 43. *Ceterum Urbis quæ domui* (aureæ scilicet Neronis) *supererant, non ut post Gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erectæ; sed dimensis vicorum ordinibus, & latis viarum spatiis, cohibitaque ædificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus, quæ frontem insularum protegerent. Eas porticus Nero sua pecunia exstructurum, purgatasque areas dominis traditurum, pollicitus est.* Sedet itaque in hujus nummi typo Roma, veluti Regina sceptrum læva manu tenens; uti bellatrix galea tecta; ut victrix, spoliis insidens; originem suam in clypei pictura prædicans.

NUM. 2.

IMPerator NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIbunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 62.

ROma. Spoliis insidens Roma, non versus lævam, ut in præcedente nummo, sed versus dextram, galeato itidem capite, dextra tenet victoriolam, læva parazonium.

Discrimen typi hujus & præcedentis in eo consistit, quod ut bellatrix atque victoriis celeberrima in hoc & sequentibus nummis depingatur Roma, in illo autem tamquam Orbis Domina. Clypeus, qui in præcedente super galeam locatur atque originem urbis Romanæ exhibet, in hoc nummo non invenitur, galea vero conspicitur inter spolia a tergo clypeo incumbens oblongo.

NUM. 3.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIbunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 56.

ROMA. Spoliis insidens, ut supra.

Discrimen in eo est, quod galeam lævo pede premat, atque præter clypeum, quo lævo nititur cubito, tres post thoracem, cui insidet habeat clypeos. Exstat hic nummus in *Museo nostro.*

NUM. 4.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum dextram verſus, ut Tab. II. Num. 54.

vel,

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex MAXimus. TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum lævam verſus, cum globo infra collum, ut Tab. II. Num. 47.

ROMA. Inſidens ſpoliis ut ſupra.

In hoc nummo galeam quoque lævo pede premit Roma victoriis illuſtris, tribus vero lævo cubito innititur clypeis, ex quibus unus duobus reliquis eſt ſuperpoſitus. Servamus & hunc in *Muſeo noſtro*, ut & ſequentem.

NUM. 5.

IMPerator NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate XIII. Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum lævam verſus.

ROMA. Roma ſpoliis inſidens, dextra haſtam tenet, læva, quæ nuda eſt, neque, ut in præcedentibus, parazonium tenet, clypeo, qui ſcuto oblongo & galeæ impoſitus eſt, innititur.

Haſta Numinibus paſſim pro ſymbolo divinitatis additur, unde & Romæ ſimulacro. Servatur nummus in *Muſeo noſtro.*

NUM. 6.

Capitis epigraphe ignota mihi eſt.

ROMA. Roma ſpoliis inſidens, dextra victoriolam tenet.

Paſſim in præcedentibus nummis parazonium læva tenet Dea Roma, atque clypeo innititur, quod in hoc nummo non adparet.

NUM. 7.

IMPerator NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate XIII. Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram verſus.

ROMA. Spoliis inſidens Dea Roma dextra tenet victoriolam, læva haſtam.

Thoraci & quatuor clypeis inſidet Roma, duobus rotundis & totidem oblongis. Invenitur in *Muſeo noſtro.*

NUM. 8.

Capitis epigraphe a præcedentibus non videtur diſcrepare.

ROMA. Dea Roma ſpoliis inſidens, dextra tenens victoriolam, læva haſtam.

In hujus nummi typo tantum duo adparent clypei, præterea lævo pede Roma premit galeam, quæ in præcedente nummo non invenitur.

Num. 9.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 67.

ADLOCUTio COHortium. Stat in substructione Imperator una cum præfecto prætorio juxta ædificium, atque tres adloquitur milites, ex quibus duo priores signa tenent militaria.

Sæpius in Imperatorum nummis ejusmodi occurrunt Adlocutiones, jam inde a Caligulæ temporibus. In ejus enim nummis primum adparent. Vulgarunt hujus nummi Neroniani typum *Angelonus* & *Ericius*, hic p. 96. ille (sed minus perfecte & sine ædificio) p. 53. Num. 16. Occurrit quoque in *Museo Farnesiano* Tab. XCII. Num. 6. & servatur in *nostro*.

Num. 10.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus PONTifex MaXimus TRibunicia POTestate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram versus, cum globo infra collum.

CONGiarium I. DATum POPulo. Sedet Imperator togatus pro dividendo congiario in substructione, sedet ante eumdem in alia substructione figura togata cum cistula; adstant in eadem substructione Liberalitatis effigies cum tessera, atque Minerva tunicata & ægide armata, dextra tesseram, vel forte noctuam, (ut Meus nummus *innuere videtur) læva hastam tenens, adscendit tesseram acceptura figura civis Romani togata, puerulo comitata.*

Respicit elegans hujus nummi, qui in *Museo nostro* servatur, typus primam Neronis in publicum liberalitatem, sive primum ejus Congiarium populo Romano datum; ter enim dedisse nummi adfirmant, teste *Jo. Vaillantio* in Neronis Nummis rarioribus recensitis, Tom. I. Numism. Imp. p. 21. Initio itaque Imperii Neronis (& est satis juvenile in ipso nummo ejus caput) cusus fuit hic nummus, quum juxta *Dionem Cassium*, septemdecim natus annos nil tum animos donativo, atque simul (ut videtur) plebejam multitudinem congiario sibi devinxit. Spectant eodem *Taciti* verba Annal. Lib. XII. Cap. ult. *Inlatusque castris Nero, & congruentia tempori præfatus, promisso donativo, ad exemplum paternæ largitionis, Imperator consalutatur.* Repetitus deinde idem hic fuit typus in Congiario secundo, uti adparet ex pictura nummi illo tempore cusi, & inter *Numismata Pisana* publicati, atque alterius, depicti apud *Laurentium Begerum* (in quo noctuam quoque dextra tenet, sicuti in *Meo* Palladis effigies) Tom. II. p. 623.

Num. 11.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam versus, cum capite Medusæ in imo collo.

CONGiarium II. DATum POPulo Romano. Sedet Imperator in substructione, stat ante illum ex adverso figura, Præfectus (ut videtur prætorio) coram ædificio, juxta quod Deæ Minervæ cernitur signum. In imo adparet figura tunicata, atque altera togata accedens atque sinum pandens.

In hoc nummo *Morelliano*, Minerva, galeâ atque hastâ armata, dextram extendit nudam, qua quidem victoriolam tenet in pictura similis nummi apud *Angelonum* p. 53. & in *Museo Farnesiano* Tab. VII. Num. 5. Num IV. noctuam vero penes *Carolum Patinum* in Thesauro p. 143. Creditur signatus fuisse hic nummus A. U. C. DCCCXI. adeoque illud respicere Congiarium cujus mentionem facit *Tacitus* Annal. Lib. XIII. Cap. 31. *Ceterum Coloniæ Capua atque Nuceria, additis veteranis, firmatæ sunt, plebique Congiarium quadringeni nummi viritim dati, & sestertium quadringenties ærario inlatum est ad retinendam populi fidem.*

N U M. 12.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus PONTIFex MAXimus TRibunicia POteſtate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, verſus dextram, cum globo ad infimam colli partem.

vel,

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, verſus dextram, ſed ſine globo ad imam colli partem.

vel,

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator III. Simile Neronis caput, dextram verſus.

Vel denique,

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, in quibuſdam cum capite Meduſæ ad imam colli partem.

Fornix pulcherrimi artificii columnis & ſtatuis, quadrigis atque victoriis mire exornatus. Nulla adeſt inſcriptio præter Senatuſconſulti notam.

Variæ circa caput Neronis ſunt inſcriptiones, neque minor varietas ratione typi in averſa parte nos delectat. Alii enim in infima Fornicis parte pugnam militarem exhibent, alii non: in quibuſdam lemniſcus in aditu Fornicis ſuſpenſus cernitur, qui ab aliis abeſt. Omnes quadrigas, Victorias aliaſque icunculas adfabre ſculptas in ſumma parte exhibent, præcipue vero ad latus ingentem ſtatuam Dei Martis, corpore nudo, dextra longam tenentis haſtam, læva clypeum. Hujus enim Dei effigiem potius crediderim quam Neronis, quoniam toto corpore nuda eſt, atque inſiſtens quadrigis triumphalibus, in ſummo Arcus, clariſſime in Nummus meis cernatur Imperator. Ex dimenſione magnitudinis ingens fuiſſe coloſſus adparet, unde altitudo Fornicis ſive Arcus hujus triumphalis adparere poteſt. Creditur ſpectare ad erectos Neronis honori Arcus ejuſmodi propter victoriam Parthicam per Corbulonem relatam, monente *Tacito* Lib. XIII. Annal. cap. 41. *Ob hæc conſalutatus Imperator Nero; ex Senatuſconſulto ſupplicationes habitæ, ſtatuæque & Arcus, & continui Conſulatus Principi: utque inter feſtos dies, quo patrata victoria, quo nunciata, quo relatum de ea eſſet, aliaque in eamdem formam decernuntur.* Ubi Arcus illi fuerint erecti nos docet idem Scriptor Lib. Annal. XV. Cap. 18. *At Romæ tropæa de Parthis, Arcuſque medio Capitolini montis ſiſt ebn* Quare mirari non debemus inſignem illam varietatem nummorum, qui hujus Arcus renovant memoriam, cujus generis ſex variis profectos matricibus poſſideo, pulcherrimos omnes, & quorum ſupra recenſui juxta partem capitis inſcriptiones. Nummi hujus typum varii protulerunt Antiquarii, ex quibus *Laur. Begeri* pictor Tom. II. p. 624. peſſime clavam poſuit pro clypeo.

N U M. 13.

NERO CLAUDius (in aliis CLAUDIUS) CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, in altero cum globo ad infimam colli partem, in altero ſine globo, ut Tab. II. Num. 51. & 58.

DECURSIO. Nero armatus, nudo capite, dextra haſtam gerens, generoſo equo inſidens decurrit, juxta illum miles cum vexillo militari ſuper humeros, itidem in equo.

Sunt qui exiſtimant hujuſmodi nummorum typum pertinere ad Ludicrum Trojæ, cujus mentionem facit *Suetonius* in Nerone Cap. VII. *Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circenſibus ludis Trojam conſtantiſſime favorabiliterque luſit.* Ad quos ludos reſpexit quoque *Tacitus* Annal. Lib. XI. *Sedente Claudio Circenſibus Ludis, cum pueri nobiles equis Ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in Imperium cognomenque Neronis adſcitus; favor plebis acrior in Domitium, loco præſagii acceptus eſt.* Verum ii non animadverterunt quod nequaquam vivo Claudio Pontificis Maximi titulum, qui in hiſce nummis legitur, geſſerit Nero, vultuſque ejus virilis non juvenilis in antica parte appareat. Sed in ejuſmodi errores incidunt, qui ſolas tantum partes averſas conſiderant, neque capitis inſcriptiones curant vel cognitas habent. Nummi hi ut vulgares, paſſim apud Antiquarios depicti exſtant; uterque in *noſtro Muſeo* invenitur.

Num. 14.

*NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram versus ut in no*stro nummo. *In aliis laureatum, lævam versus, cum capite Medusæ ad imum collum, uti apud* Laur. Begerum *in Thes. Brand. Tom. II. p.* 624.

DECURSIO. Nero armatus & paludatus, capite laureato, dextra hastam tenens, decurrit in equo, præeunte milite cum vexillo militari, atque subsequente alio milite cum longo scuto.

Spectant hi nummi, videlicet, qui præcessit, hic ipse, & qui sequitur, ad varias Neronis decursiones ejusque exercitia equestria, quibus mirifice erat deditus. Nummus cum hoc typo rarior est eo qui præcessit; vulgatus est apud *Laur. Begerum* in Thes. Brand. Tom. II. p. 624. & ab aliis; spectatur quoque in *Museo Farnesiano* atque servatur in *nostro.*

Num. 15.

NERO CLAUDIUS CAESAR GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam versus, cum capite Medusæ ad pectus.

DECURSIO. Nero, capite nudo, paludatus atque hastatus, decurrit in equo, juxta illum cernitur eques alter cum vexillo militari.

In hoc nummo, qui itidem in *Museo nostro* exstat, versus dextram partem decurrit Nero, quum passim alias versus partem sinistram in Nummis Decursio hæc occurrat.

Num. 16.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Neronis caput laureatum, lævam versus, cum globo ad infimam colli partem, ut Tab. II. Num. 57. *in aliis sine globo cum capite Medusæ ad imum collum, ut in pulcherrimo* Musei nostri, *atque apud* Sebast. Ericium.

PORTUS OSTiensis AUGUSTI. Pulcherrimus Portus, cum ædificiis circumjectis atque septem intus navibus atque figura Neptuni sive Portumni in ejusdem introitu.

Hæc est pictura egregia illius Portus, quem inchoavit Claudius, perfecit Nero. De quo *Suetonius* in Claudio Cap. XX. *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo jam solo mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Phari quidem effigies in Nummi typo non adparet, sed columna, cui Neronis (ut videtur) colossea statua cernitur inposita. Inter hujus Portus Ostiensis procuratores exstitisse quemdam Claudii Imperatoris libertum, discimus ex antiqua lamina ærea, quæ servatur in Cimeliarchio Regio-Elect. Brandenburg. per *Begerum* vulgata in Notis ad Florum p. 54. Inscriptio hæc est:

CLAVDI.
OPTATI.
AVG. L.
PROC. PORTVS.
OSTIENSIS.

Vocatur *Portus Augusti* in nummo, quoniam Nero Augustus perfecerat inchoatum a Claudio: Egregium hunc nummum plures vulgarunt Antiquarii; inter quos *Sebast. Ericius* p. 216. *Franciscus Angelonus* p. 52. Num. VII. *Carolus Patinus* in Thes. p. 143. aliique; sed reticere nequeo, apud quosdam, literas, quæ sub Neptuni sive Portumni, ad introitum Portus, sunt effigie, non legi sicuti in hoc nummo S. POR. OST. C. Sic ut literæ S. C. prima scilicet & postrema significent Senatusconsulti notam, sed hoc modo S. P. Q. R. OST. C. quasi legendum foret *Senatus Populus Que Romanus OSTia Civitas* AUGUSTI. Verum in illis, ego vel sculptoris vel illius qui nummum de-

depinxit, arbitror eſſe vitium. Ceterum pulcherrimum Medallionem Neronis magnitudine & pondere inſignem cum hoc typo vidi apud *Comitem de Thoms*, in quo numerus navium in Portu uſque ad octo adſurgit.

Num. 17.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram verſus, cum globo ad collum, in alio, ſine globo, ut Tab. II. Num. 52. & 53.

vel,

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Neronis caput laureatum, lævam verſus, ut Tab. II. Num. 67.

ANNONA AUGUSTI CERES. Sedet Dea Ceres, læva tædam ardentem gerens, dextram, qua duas ſpicas tenet, extendit ſuper modium, qui aræ inſiſtit; ex adverſo ſtat Annona, quæ dextram lateri adplicat, læva cornucopiæ tenet, in medio prora navis cernitur.

Curam Annonæ commendat hic typus, quodque per naves ex Ægypto & aliunde advehi in Urbem frumentum curaverit Imperator, quodque inſuper juſta dimenſione fruges fuerint diſtributæ; prius prora navis indicat, poſterius modio indicatur. Uterque nummus ſervatur in *Muſeo noſtro* & paſſim notus eſt Antiquariis & editus.

Num. 18.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus Pontifex TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram verſus, ut Tab. II. Num. 54.

PACE Populi Romani TERRA MARIQue PARTA JANUM CLUSIT. Templum Jani clauſum.

J*anum geminum clauſit tam nullo quam reſiduo bello*, inquit *Sueton.* in Nerone Cap. XIII. Hujus celebritatis teſtes nummos aureos æreoſque omnis generis plurimos ſignari fecit Nero. Hic primæ magnitudinis editus eſt a *Carolo Patino* ad Sueton. p. 296. & in Theſauro p. 143. atque ab aliis. Servatur in *Muſeo noſtro.*

Num. 19.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram verſus, in alio, lævam verſus.

PACE Populi Romani TERRA MARIQue PARTA JANUM CLUSIT. Templum Jani clauſum.

Vertitur in horum nummorum typo lævam verſus porta Templi, quæ verſus dextram in præcedenti nummo collocata fuit. Uterque nummus in *Muſeo noſtro* ſervatur, editus eſt ab *Ericio* p. 219. ab *Angelono* p. 53. Num. VIII. aliiſque.

Num. 20.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

MACellum AUGuſti. Ædificium pulcherrimum tholo atque plurimis columnis exornatum, in medio ſtatua cernitur, ad quam per gradus adſcenditur.

Credibile eſt, innui hac inſcriptione atque typo pulcherrimo forum obſoniorum, quod dedicatum a Nerone atque *Macellum* dictum fuiſſe ex *Dionis* Lib. LXI. innuit Xiphilinus: Τότε μὲν δὴ (inquit) τοιαῦτα σωτήρια· ὡς δὴ ἔλεγεν, ἑώρτασε, καὶ τὴν ἀγορὰν τῶν ὄψων, τὸ Μάκελλον ὠνομασμένον, καθιέρωσε. i. e. *Tum equidem ejuſmodi ſacrificia pro ſalute ſua, quemadmodum ipſe ſcilicet ajebat, fecit; forumque obſoniorum, quod Macellum dicitur, dedicavit.* Vidi elegantiſſimum hunc nummum primi moduli in *Muſeo Comitis de Thoms.* Vulgarunt ſimiles *Sebaſt. Ericius* p. 117. *Leon. Auguſtin.* Tab. IV. Num. 18. *Laur. Begerus* in Theſ. Brand. Tom. II. p. 624. Exſtat & in *Muſeo Farneſiano* Tab. XIX. Num. 4. & 5.

NUM. 21. 22.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis radiatum lævam verſus.

SECURITAS AUGUSTI. Dea ſellæ inſidens caput dextra fulcit, læva haſtam tenet. Ante eamdem ara eſt cum foco accenſo atque face ardente.

Proprie nummus hic ſecundæ eſt magnitudinis, ſed propter duplicem circulum, & forſitan denſitatem ſuam a *Morellio* inter nummos primæ magnitudinis relatus fuit. Solet paſſim Securitas Auguſti vel Publica hoc pacto depingi; quod autem Ara accenſa ponatur ante deam ſedentem innuere videtur cultum religionis, quæ Securitate Auguſti (utpote quæ & Publica eſt Securitas) procuratur. Fax accenſa forſitan reſpicit ad connubia, quæ ſecurius pacis temporibus contrahuntur (Pace viget Securitas) quam quum bellis omnia perſtrepunt ſilentque inter arma leges. Quod vero ad Neronem ſpectat, Securitas Auguſti Reipublicæ fuit calamitas, neque unquam minus ſecure vixerunt Romani quam ſub inmani illa bellua.

NUM. 23.

Vacat.

NUM. 24.

ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΝΕΡΩΝ. (*i. e. CAESAR IMPERATOR NERO.*) *Caput Neronis laureatum, & radiatum, uti in primo nummo tabulæ ſequentis.*

ΤΩ CΩΤΗΡΙ ΤΗC ΟΙΚΟΥΜΕΝΗC Λυκάβαντος ΕΝΑΤꙋ. (*i. e. SERVATORI ORBIS. ANNO XI. infra eſt luna creſcens. In Laurea.*)

Memorabilem hunc nummum primus in lucem protulit *Carolus Patinus* in Notis ad Sueton. p. 305. Deinde bis repetiit Illuſtr. *Ezechiel Spanhemius*, primo ad Juliani Cæſares p. 276. deinde in Libro de Uſu & Præſt. Numiſm. Tom. II. p. 500. ubi notat Ægyptium eſſe nummum. Adnotat ad inſcriptionem nummi hæc idem *Patinus*: „Adludit quidem epigraphe ad Solis Ὀβελίσκον in Obeliſco maximo ſcriptum, quem Conſtantinus Magnus transferri Romam juſſit: inſcribitur ille: *Conditor Univerſi*, ΚΤΙΣΤΗΣ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. de quo *Ammianus Marcellinus* Lib. XVII.„ Apud quem *Ammianum* Capite ejuſdem Libri quarto, narratur is Obeliſcus antea exſtitiſſe Heliopoli in Templo Dei Solis. Verba ejus hæc ſunt: *Quod Deo Soli ſpeciali munere dedicatus, fixuſque intra ambitioſi templi delubra, quæ contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat.* Quare vix dubito quin caput Neronis, quod in anteriore parte nummi cernitur, non modo laurea ſed & radiis ornatum, depictum fuerit juxta exemplar Statuæ Coloſſeæ, quam in veſtibulo domus aureæ veſanus ille Imperator erigi juſſit. Servari ejuſmodi nummum apud Dominum *Coadjutorem de Glandeve* teſtatur *Spanhemius* ad Juliani Cæſares, atque itidem in *Muſeo Cardinalis de Maximis* exſtitiſſe docet *Jo. Vaillantius* in Nummis Gr. p. 18.

TABU-

TABULA X.
CONTINENS
TRIA
NERONIS
NUMISMATA GRÆCA
PRIMÆ MAGNITUDINIS,
LATINA
DEINDE PLURA SECUNDÆ
MAGNITUDINIS.

NUM. 1. 2.

ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΝΕΡΩΝ. (*i. e. CAESAR IMPERATOR NERO.*) *Caput Neronis laurea corona atque radiis decorum.*

ΡΩΔΙΩΝ. (*i. e. RHODIORUM.*) *Victoria proræ ratis inambulans, dextra sertum tenet, læva palmam. Ante pedes flos rosa cernitur; insulæ atque urbis symbolum.*

Vulgavit præstantissimum hunc nummum, quem *superbum* vocat, utpote in quo Nero Imperator a Rhodiis veluti Sol celebretur, *Carolus Patinus* in Thesauro p. 145. atque iterum ad Suetonium p. 291. Sed perperam utroque in libro canistrum sive corbem cum frugibus atque floribus ante pedes Victoriæ depictum cernas, cum revera sit Rhodi symbolum, flos rosa. Non modo id docet pictura nummi Morelliani, sed & inter *Numismata Pisana* non alio modo idem Neronis nummus depingitur Et Rhodii quidem vehementer Neronem amarunt, quod scilicet juvenili ætate pro iis Græce verba fecisset, ut legimus apud *Suetonium* in Nerone Cap VII. Quare cum nullum Numen majore prosequerentur veneratione quam Solem suum, quo nunquam carebant, Soli compararunt Neronem, radiosque solares ad lauream ejusdem addiderunt. Quin & *Neronenses* sese adpellarunt in quodam Medallione argenteo, allato per *Tristanum* Tom. I. p. 225. Cernitur a priore parte caput Solis, ut colebatur Rhodi, radiatum, cum epigraphe: ΡΟΔΙΩΝ ΝΕΡΩΝείων CEBACTΩΝ. (i. e. *Rhodiorum Neronensium Augustorum.*) Ab altera parte Victoria coronat tropæum, & scribitur ibi: ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ. quo significatur pendere nummum duas drachmas. *Antiphili Byzantii* elegantissimum epigramma, quod egregie hujus nummi typum illustrat, laudatum quoque a *Tristano*, legitur Lib. I. Anthologiæ Cap. LVII. Ep. ultimo, est vero tale:

Ὡς πάρος ἀελίε, νῦν Καίσαρος ἡ Ῥόδος εἰμὶ
Νᾶσος, ἴσον δ' αὐχῶ φέγγος ἀπ' ἀμφοτέρων.
Ἤδη σβεννυμέναν με νέα κατεφώτιζεν ἀκτὶς,
Ἅλιε, καὶ παρὰ σὸν φέγγος ἔλαμψε Νέρων
Πῶς εἴπω; τίνι μᾶλλον ὀφείλομαι; ὃς μὲν, ἔδειξεν
Ἐξ ἁλὸς· ὃς δ' ἤδη ῥύσατο δυομένην.

Id est:

Quæ prius Solis, jam Cæsaris Rhodus sum
Insula: æqualem vero jacto lucem ab utrisque.
Jam vero obscuratam me novus illuminavit radius;
O Sol, & juxta tuum lumen resplenduit Nero.
Quomodo dico? Cui plus debeo? ille enim demonstravit
E mari: hic vero jam liberavit mergendam.

Ligata oratione epigramma hoc ita vertit *Q. Sept. Flor. Christianus*:

Nunc sum Cæsaris, ut fueram Rhodus insula quondam
Solis: idem tribuit lumen uterque mihi.
Jam dudum exstinctam tua me lux, Phœbe, retexit,
Et nunc claravit me Nero luce sua.
Utri a me potior debeatur gratia? Nam me hic
Submergi vetuit; extulit ille mari.

NUM.

NUM. 3.

Partis prioris inscriptio mihi non est cognita.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. (*i. e. PERINTHIORUM*) *in corona civica.*

Adulationis monumentum Perinthii in hoc nummo reliquerunt; & quidem ut Neronem tamquam servatorem civium celebrarent, qui (ut postremus Tabulæ præcedentis docet nummus) videri volebat Servator universi Orbis.

NUM. 4.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. (*i. e. NERO CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

ΝΕΙΚΑΙΕΩΝ ΕΠΙ ΑΤΤΙΟΥ ΛΑΚΩΝΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. (*i. e. NICAENORUM, SUB ATTIO LACONE PROCONSULE.*) *Ara rotunda, lemnisco coronata, aræ inposita sunt cornuacopiæ cum corolla, atque Bacchica insignia, thyrsus, nebridis pellis, atque insuper malum sive globus. Ad dextrum latus in area est Capricorni signum, subtus quo globus cernitur.*

Explicationem hujus nummi, sive alterius huic simillimi, nisi quod Neronis nomen, ut Dei tutelaris, novique Bacchi, areæ inscribatur, invenire licet in *Thesauro* nostro *Morelliano* primo, sive Famil. Roman. p. 39.

NUM. 5. 6.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus GERManicus. Caput Neronis laureatum lævam versus.

Epigraphe eadem & caput idem Neronis, sed dextram versus.

Per incuriam monetarii Neronis hic nummus ab utraque parte inpressionem capitis accepit; quales nummi apud Antiquarios servari solent. Incipiunt hic Numismata secundæ magnitudinis.

NUM. 7. 8.

Vacant.

NUM. 9. 10.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis cum corona radiata, lævam versus, ut Tab. II. Num. 59.

ROMA. Spoliis insidens, atque lævo pede galeam in altero nummo premens Roma, dextra corollam, in altero nummo dextra victoriolam protendit, læva parazonium tenet.

De hujusmodi Neronis nummis egimus supra ad similes primæ magnitudinis. Servatur ex hisce primus in *Museo nostro.*

NUM. 11.

Capitis epigraphe & pictura conveniunt cum nummis præcedentibus.

ROMA. Roma spoliis insidens dextra hastam tenet.

In hujus nummi typo Roma, quæ Amazonis habitu in duobus præcedentibus depicta fuit, stolata cernitur, neque parazonium læva tenet, sed ipsam manum clypeo inponit, qui galeæ innititur, neque enim galea sub lævo pede, ut in præcedentibus adparet. Servatur & hic in *Museo nostro.*

NUM. 12.

. . . . . CLUSIT PACE Populi Romani TERRA . . . . Jani Templum clausum, sed evanescente figura, supra quem typum alter typus inpressus est, videlicet Romæ spoliis insidentis, ut supra Num. 9.

Notabilis hic nummus est, quod bis malleo fuerit subjectus, adeoque geminum typum ab hac parte receperit, vestigia enim alterius typi cum solita inscriptione ad Templum Jani clausum clarissime in illa adparent.

NUM. 13.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Neronis caput radiatum lævam versus, ut Tab. II. Num. 59.

PACE Populi Romani TERRA MARIQue PARTA JANUM CLUSIT. Templum Jani clausum foribus templi versus lævam partem locatis.

Habuimus similem typum inter nummos Neronis primæ magnitudinis. Exstat hic in *Museo nostro.*

NUM. 14.

NERO CAESAR AUGustus GERManicus IMPerator. Caput Neronis laureatum, versus lævam, ut Tab. II. Num. 37.

PACE Populi Romani UBIQue PARTA JANUM CLUSIT. Templum idem Jani sed foribus versus dextram partem locatis.

Et hic nummus in *Museo nostro* exstat, & supra in magno ære quoque invenitur.

NUM. 15.

NERO CAESAR AUGustus GERManicus IMPerator. Caput Neronis laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 37.

PACE Populi Romani UBIQue PARTA JANUM CLUSIT. Jani Templum clausum, foribus versus lævam partem locatis.

Hic quoque nummus in *Museo nostro* reperitur.

NUM. 16.

NERO CLAUDius CAESar AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Neronis caput, ut apud Tristanum.

Vel,

*IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Neronis caput nudum lævam versus cum globo ad infimam colli partem, ut in Mu*seo Farnesiano.

ARA PACIS. Ara variis figuris exornata; in superna parte sedent Abundantia & Virtus, sive Roma, in parte inferiore ingentes palmæ rami sculpti exstant.

Ad hujus nummi typum ita commentatur *Jo. Tristanus Sanctamantius* Tom. I. Com. Hist. p. 214. „Non equidem crediderim frequentatam „ admodum sub Imperio Neronis hanc fuisse „ Aram; sed rara in illa accensa fuisse sacrificia, „ quamvis eum in finem ab Augusto & Tiberio „ constituta fuerit. Neque enim ullo magis tem„ pore quam Neronis Imperio Romano Pax no-

 cuit;

„ cuit; sic ut multo magis Neronianis temporibus, quam quibus imperavit Domitianus, Poëtriæ *Sulpiciæ* hic versus adplicari queat:

„ *Romulidarum igitur longa & gravis exitium*
„ *Pax.*

„ Qui versus legitur in Satyra ejusdem scripta Domitiani temporibus. Vituperavit Pacem Neronianam satis aperte *Lucanus* hisce versibus ex Lib. I. 669.

„ ——*& superos quid prodest poscere finem?*
„ *Cum Domino Pax ista venit, duc Roma malorum*
„ *Continuam seriem, clademque in tempora multa*
„ *Extrahe, civili tantum jam libera bello.*

„ Quibus innuit, quod quamvis Imperium Romanum sub Nerone non fuerit agitatum bellis civilibus, exitiosa nihilominus æque illi Pax extiterit, per tyrannicas videlicet artes, quas sine fine exercuit Nero. Quæ Lucani animadversio satis evincit id quod plus semel dixi, perpetua Poëtam in principio Libri primi uti ironia. Certum enim est minus nociturum Reipublicæ Romanæ fuisse apertum bellum, quam in ipsa Pace crudele Neronis Imperium; ut quæ illi ad explendas voluptates servierit, atque ut inpune baccharetur per omne genus inpiæ crudelitatis atque prodigalitatis, quibus calamitatem Reipublicæ invexit inreparabilem. Neque tamen omnino belli expers ejus fuit Imperium. In Armenia enim gravia fuere bella, atque in Britannia cladem cum ignominia conjunctam accepit; sic ut in una parte ejusdem missa sub jugum fuerit legio, in altera vero provincia illa per aliquod tempus jugum Romanum excusserit. Utramque tamen Legati ejus iterum perdomuerunt. Respicit eo *Seneca Tragicus* in Thyeste Act. III. Neronem laudans versu 599.

„ *Ille qui donat diadema fronti,*
„ *Quem genu nixæ tremuere gentes,*
„ *Cujus ad nutum posuere bella*
„ *Medus, & Phœbi propioris Indus;*
„ *Et Dacæ, Parthis equitem minati.*

„ Primo versu laudatur Nero, ut qui Tiridati regium donaverit diadema, eique Regnum Armeniæ permiserit, composito bello per dexteritatem Corbulonis, qui eumdem Romanas adorare aquilas coëgerat, uti notat *Tacitus* Annal. Lib. XV. Itaque Jani clausit Templum, tamquam nullo amplius residuo bello, fundataque in perpetuum Pace; quam per risum commemorat *Lucanus*, de ejus agens duratione, & quam demum firmam sperare liceret, exemto rebus humanis Nerone, atque in Cælum recepto, ut ibi scilicet Apollinis, Bacchi vel alterius Numinis indueret nomen Numenque; sic innuens subtiliter, haud sperari bonam pacem posse Nerone vivo. Quo scilicet hi ejus collimant versus:

„ *Tum genus humanum positis sibi consulat armis*
„ *Inque vicem gens omnis amet, Pax missa per orbem*
„ *Ferrea belligeri compescat limina Jani.*

„ Quin & persuasum habeo, Neronem hanc dedicasse Aram in gratiam Ludorum suorum atque Certaminum Musicorum, quibus scilicet antiquitus fingebatur præsidere Dea Pax, unde eam sic apud Aristophanem invocat Trygæa:

„ Δέσποινα χορῶν, δέσποινα γάμων.

„ i. e. *Domina chororum, ludorum, Musicorumque certaminum, domina nuptiarum.* Ut sic Aræ illius exstructio facta fuerit a Nerone in imitationem Aræ cælestis, sive inter sidera receptæ, de qua Ara in Arateis Germanici Commentatio hæc habetur: *Quod quidam locatam inter astra dicunt, quod in eo Dii primum mutuo conjurationem fecerunt cum Jovis contra Saturnum bellum fecit, quod memoriæ non solum astris illatum, sed etiam hominibus hoc habere institutum, quia in agonibus & ludis quinquennalibus coronæ habentur & fœderis testes adhibentur, itemque vates per quos futura responderunt in sympostiis domibus consecrantur.* Id quod optime convenit cum typo nummuli Neronis, qui inscribitur: CERT*Amina* QUIN*Quennalia* ROM*æ* CON*stituta*; ex quo docemur Ludos ejusmodi atque Certamina Romæ a Nerone fuisse instituta. Ab altera illius nummuli parte cernitur Ara sive Mensa cum corona atque urna sive cantharo; adde *Tacitum* Lib. IV. „ Hæc fere *Tristani* sunt verba; cui tamen respectu erectionis Aræ, cujus in hoc nummo depingitur typus, consentire nequeo. Nihil enim magis verosimile mihi videtur, quam fuisse illam erectam eo tempore, quo Janum, pace ubique parta, clausit Nero.

NUM. 17. 18. 19.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Neronis radiatum, *lævam versus, ut Tab. II. Num. 59.*

MACellum AUGusti. Pulcherrimum ædificium cum multis columnis, tholo, gradibus &c.

Pictura in tribus hisce nummis, ex quibus duo priores in *Museo nostro* inveniuntur, hactenus discrepat, quod in altero nummo non adpareat Statua illa, quæ in medio ædificii in duobus reliquis locatur; in tertio autem Virtutem Augusti vel Romam ipsam in statuæ delineatione agnoscas. Statua enim illa nuda vel seminuda virilis, tamquam fere Jovis in primo adparet nummo, sed in tertio stat Roma vel Virtus habitu Amazonis, galeata, læva hastam tenens, dextra parazonium atque dextro pede globum calcat. Invenitur primus ex hisce nummis quum alibi tum quoque in *Museo Farnesiano*, verum ex eodem Tab. XIX. Num 4. alium hujusmodi nummum

mum a tribus hisce duobus modis discrepantem videre licet. Primo quidem figura illa virilis hastata stans in aditu ædificii juxta se utrimque aliam minorem habet statuam. Præterea integre totidem literis scribitur: MACELLVS AVGVSTI. quasi scilicet ab antiquis & *Macellum* & *Macellus* dicta fuerint. Notum est a Macello quodam latrone nomen Macelli fuisse derivatum, uti *Varro* & *Festus* docent. Leguntur enim hæc inter *Varronis* Fragmenta in Libris Rerum Humanarum: *Numerius Equitius Cupes, & Aomanius Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exsilium actis publicata sunt bona, & ædes ubi habitabant dirutæ: eque ea pecunia scalæ Deûm Penatium ædificatæ sunt. Ubi habitabant, locus erat ubi venirent ea quæ vescendi caussa in Urbem erant adlata. Itaque ab altero Macellum, ab altero Forum Cupedinis adpellatum est.* Quibus Censoribus id fuerit factum docet Festus: *Macellum dictum a Macello quodam, qui exercebat in Urbe latrocinium: quo damnato Censores Aemilius & Fulvius statuerunt, ut in domo ejus obsonia venderentur.*

NUM. 20.

Capitis epigraphe incognita mihi est.

Senatus PopulusQue Romanus OB CIVis SERvatos. in corona quercea.

Qui pestis erat Reipublicæ, veluti Servator civium per adulationem Senatus audit; neque enim libere sub tyranno loqui licebat.

NUM. 21. 22.

IMP. NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Neronis nudum, lævam versus, cum globo ad collum.

Vel,

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum (in alio radiatum) lævam versus.

GENIO AUGUSTI. Genius stans seminudus ante aram accensam sacrificat super eamdem, dextra pateram tenens, læva cornucopiæ.

Quanta in veneratione Genius fuerit Cæsaris vel unus *Tertulliani* docet locus ex ejusdem Apologetico Cap. XXVIII. *Citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæsaris pejeratur.* Sunt quoque hi nummi in *Museo nostro.*

NUM. 23.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum (in altero radiatum) lævam versus cum globo ad collum.

SECURITAS AUGUSTI. Sedet Dea Securitas in cathedra sive sella, quæ in summa parte in orbicularem exit figuram, caput dextra fulciens, læva hastam tenens. Ante illam ara est accensa, cum foco ardente.

Notus est hic Securitatis typus; & sub Nerone, clauso Jani Templo, Ara Pacis erecta, veluti secura erat Respublica, certe ab hoste externo, non Tyranno inmani, qui intus omnia fœdabat. Nummi cum utroque capitis ornatu in *nostro* servantur *Museo.*

NUM. 24.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum dextram versus.

SECURITAS AUGUSTI. Similis Securitatis typus.

Discrimen, præter capitis epigraphen diversam, in eo consistit, quod sella, cui Dea insidet, a parte superna rotunditatem illam, sive fulcrum capitis orbiculare non habeat. Subtus ponitur Senatusconsulti nota quæ in præcedente ad latera invenitur. Numerus II. quasi nota Monetrarii subtus invenitur in nummo præcedente. Et hic exstat in *Museo nostro.*

TABULA XI.

QUÆ PERSEQUITUR NUMISMATA

NERONIS CLAUDII

EX ÆRE MEDIOCRI.

Num. 1.

ANNONA AUGUSTI CERES inscribitur nummus, adeoque typo & epigraphe atque significatione similis est illi, qui ex ære magno occurrit Tab. IX. Num. 17.

Num. 2. 3. 4.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis.

CONCORDia AUG. vel CONCORDIA AUGUSTA. vel CONCORDIA Populi Romani. Sedet Dea Concordia dextra tenens pateram, læva hastam; pro hasta in nummo secundo & tertio est cornucopiæ, quod quidem in tertio duplex cernitur.

Jactant hi nummi Concordiam Augustam atque Populi Romani, quæ sane, nisi primis Imperatoris Neronis annis, admodum fuit fragilis.

Num. 5. 6. 7. 8.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis radiatum, lævam versus.

VICTORIA AUGUSTi vel AUGUSTI. Victoria gradiens versus lævam cum corolla & palma.

Hi quatuor nummi parum inter se discrepant. Typus spectare videtur ad Corbulonis in Asia res gestas vel Legatorum Imperatoris Neronis in Britannia. Secundus ex his observatur in *Museo nostro.*

Num. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus TRibunicia POTestate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, dextram versus cum globo ad collum.

Vel,

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus Pontifex MAXimus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis radiatum, dextram versus sine globo.

Vel,

IMPerator NERO CAESAR AUGustus Pontifex MAXimus Tribunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum cum globo ad collum, versus lævam partem.

Vel,

Vel,

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

Vel denique,

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis radiatum, lævam verſus.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria gradiens, dextra corollam tenet, læva palmam.

Omnes hi nummi ad eaſdem, de qua ſupra dixi, ſpectant victorias. Exiguum in eorumdem typo eſt diſcrimen. Servantur omnes in *Muſeo noſtro.*

NUM. 15.

NERO CAESAR AUGuſtus GERmanicus IMPerator. Caput Neronis laureatum, in altero meo verſus lævam, in altero verſus dextram.

Sine epigraphe. Victoria gradiens clypeum dextra tenet, cui inſcriptum legitur: Senatus PopulusQue Romanus.

NUM. 16.

IMPerator NERO CAESAR AUGuſtus Pontifex MAXimus Tribunicia Poteſtate Pater Patriæ. Caput Neronis nudum, lævam verſus.

Sine epigraphe. Victoria ſimilis.

Et hic nummus in *Muſeo noſtro* ſervatur. Diſcrimen vero inter hunc & præcedentem eſt, quod clypeum votivum, in quo inſcriptio illa legitur, in illo ante pectus teneat Victoria, in hoc autem ante ventrem.

NUM. 17.

IMPerator NERO CAESAR AUGUSTUS. Caput Neronis laureatum, lævam verſus, ut Tab. I. Num. 32.

Sine epigraphe vel nota Senatuſconſulti. Tria ſigna militaria.

Simillimus, quod ad typum, exſtat nummus Neronis ex argento. Fidem militum laudari vides. In *Muſeo Fæſchiano* invenitur.

NUM. 18.

PORtus OSTienſis AUGUSTI &c.

Quum typus & inſcriptio hujus nummi conveniant cum ſimili primæ magnitudinis Tab. IX. Num. 16. eo Lectorem remittimus.

NUM. 19. 20. 21.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERMANICus. in aliis: GERMANICUS. Caput Neronis radiatum, lævam verſus: in aliis, laureatum, dextram verſus.

PONTIFex MAXimus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Nero Citharœdi habitu. In tertio nulla adeſt ad typum inſcriptio.

Notiſſima eſt Neronis pro laude Muſices ejuſque certaminum gloria adipiſcenda inſania. Vulgarunt inter alios nummos hoſce *Carolus Patinus* ad Sueton. p. 306. *Laur. Beger.* in *Theſ. Brand.* Tom. II. p. 624. Priores duo in *Muſeo noſtro* inveniuntur.

NUM. 22. 23.

Vacant.

NUM. 24.

IMPerator NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator NERO CLAUDius CAESAR. Caput Neronis laureatum, lævam versus cum Angue prorumpente ante collum, ut Tab. I. Num. 28.

Nota Senatusconsulti in laurea.

De Serpente sive Angue ejusve exuviis ante collum Neronis, atque ratione ejus typi, diximus ad Tab. II. Num. 28. Creduntur hujus generis nummi signati fuisse Antiochiæ; posteriorem depinxit *Laur. Begerus* in *Thes. Brand.* Tom. II. p. 624. & ante illum *Carolus Patinus* ad Sueton. p. 289. Uterque exstat in *Museo nostro.*

NUM. 25.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUG. Caput Neronis nudum, in aliis radiatum, lævam versus ut apud Laur. Begerum *in* Thes. Brand. *Tom. II. p.* 625.

Colonia Campestris Iulia Babba EX CONSensu Decurionum. Pons cum tribus fornicibus.

Babba, urbs Cæsareæ Tingitanæ ad Guarguam amnem, nummum hunc in Neronis honorem signavit propter pontem insignem ibi (ut putat *Jo. Vaillantius* Tom. I. p. 168.) exstructum. Potuit tamen aquæductus ibidem excitatus illo typo innui. Juliæ cognomen docet colonos Julii Cæsaris beneficio illam urbem accepisse. Antequam insignis *Vaillantii* liber de Coloniarum Nummis in lucem prodiisset, non ita noti hujus Coloniæ erant nummi, ut patet ex erronea opinione *Jo. Tristani Sanctamantii*, qui de hujus nummi typo hæc fere scripta reliquit Tom. I. Comm. Hist. p. 216. „ Lego (inquit) EX CON*sensu Civitatum Campaniæ* II. i. e. *duarum.* Utrum rem acu tetigerim nescio. Suspicor autem Pontem hunc, qui „ tres habet fornices, innuere insigne aliquod Neronis opus, quod non sine summo labore potuerit perfici. Voluisse illum scilicet efficere (uti explicat *Suetonius*) *fossam ab Averno ad Ostiam usque, ut navibus nec tamen mare iretur, longitudinis per centum sexaginta millia: latitudinis qua contrariæ quinqueremes commearent.* Super ejusmodi canalem magnificentissimum hunc Pontem credo fabricatum fuisse a Nerone, ut sic ab una ripa transiri pedibus in alteram posset; tantæ amplitudinis exsistentibus fornicibus, ut nullo incommodo commeare contrariæ quinqueremes possent. Ut talis effoderetur fossa multas terras, colles, villas aliaque obvia occupavit atque diruit Nero, non sine gravi dominorum civitatumque proximarum damno. Videtur tamen nobis indicare hic nummus, quod consenserint in ejus Pontis atque canalis fabricam, sive respectu commodorum & emolumenti per navigationem inde consequendorum, sive quod pretia possessionum a Nerone persoluta fuerint. Quantum igitur judico, proximæ sibi invicem civitates, quæ ex eo opere maximum capiebant emolumentum, in hujus nummi inscriptione concurrunt; atque credo contigisse id eo potissimum tempore, quo supremam manum is Imperator imposuit exstruendo atque ornando Portui Ostiensi, qui & ipse Portus simili de caussa in nummis Neronis æternitati consecratus fuit. Revera autem Imperator Claudius non autem Nero Portum illum Ostiensem exstruxit, vel certe navigabilem fecit. Columnam ibidem exstitisse cum statua quæ lampadem manu teneret, observat *Antonius Augustinus* Dialogo III. Videtur itaque hoc illud esse opus Neronis, de quo *Statius* loquitur in *Via Domitiani*, ubi quum sic de Annibale esset locutus:

„ *Certe non Libycæ sonant catervæ,*
„ *Nec dux advena pejerante bello*
„ *Campaniæ quatit inquietus agros,*
„ *Nec frangit vada, montibusque cæsis,*

„ adjungit:

„ *Inducit Nero sordidas paludes.*

„ Deinde vero concludit idem Poëta, Neronis quidem opus pro commerciorum commodo, quod spectare videbatur, nihil nisi damnum dedisse accolis; Domitiani vero opus, Vias videlicet ejusdem publico usui maxime exsistere utiles." Huc usque *Tristanus*, qui vero fine excidit, quod Coloniæ Juliæ Babbensis nummi tum minus noti fuerint.

NUM. 26.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGustus GERmanicus. Caput Neronis radiatum.

Colonia Campestris Iulia Babba EX CONSENSU Decurionum. Bos cornupeta.

Existimat *Vaillantius* Tom. I. p. 168. typum hunc ludos & spectacula in honorem Neronis editos in hac Colonia significare. Verum nobis fertilis terræ signum esse videtur.

NUM. 27. 28.

NERO CLAUDIUS CAESAR. Caput Neronis laureatum, lævam versus, cum impresso signo sive literis incusis BAV. posterioribus invicem connexis.

Colonia Campestris Iulia Babba EX CONSEnsu Decurionum. Bos cornupeta.

Literæ illæ, quæ post Neronis tempora, forte sub Vespasiano, anticæ hujus nummi parti vi-

videntur fuisse incusæ, significant auctum eo tempore fuisse nummi pretium, sic ut B. significet *Bonum*, & AUG. *Augustum*. Certe inter nummos Augusti & Claudii in primo hujus Operis volumine ejusmodi notæ inveniuntur.

TABULA XII.
PERSEQUITUR
NUMISMATA
NERONIS CLAUDII.
SIGNATA IN COLONIIS
UT ET
IN GRÆCIS URBIBUS.

NUM. 1. 2.

Inscriptio anticæ partis horum nummorum mihi incognita est.

Colonia Campestris Iulia Babba EX CONsensu (in secundo EX CONSENSU) Decurionum. Victoria cum palma & corolla in primo, in secundo Palma arbor.

Antiquæ originis Punicæ symbolum videtur esse Palma; Victoria ad victorias Neronis respicit.

NUM. 3.

NERO CLAUDIUS CAESar AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Neronis radiatum.

COLonia IULia AUGusta CASSANDRENSis. Caput Jovis Ammonis.

Cassandria Macedoniæ urbs est, de qua Colonia & nummo hoc vide *Jo. Vaill.* Tom. I. pag. 170.

NUM. 4.

NERO CLAUDius CAESar; ut apud Morellium *in Fam. Fulvia, vel: NERO CLAUdius CAESAR AUGustus. Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

GENio COLoniæ CORinthi Quinto FULvio FLACCO II. VIRo. Genius seminudus stans (uti describit Vaillantius*) uti in hoc nummo atque altero* Morellii *modo laudato, depingitur, togatus, dextra globum tenet, læva cornucopiæ.*

Adulationis insignis hæc est species, qua veluti Genium suum venerari sese Neronem testantur Corinthii. Pateram manu tenere (uti passim pingi Genius solet) dicit *Vaillantius*, & sic quoque pingitur apud *Morellium* in Familia Fulvia. Verum si globum revera, ut pictura hæc innuit, manu tenet, profitentur Corinthii regimen Orbis esse penes illum, quem veluti Genium suum colebant, Neronem, seque ejus providentia omne genus ubertatis (quod per cornucopiæ significari solet) exspectare.

NUM. 5.

Capitis epigraphe mihi obvia non est.

COLonia IULia AUGusta. Colonus agens boves.

Colonia Romana Berytus in Phœnicia hujusmodi nummos, adscripto tantum conditoris sui Ju-

Julii nomine signavit; quare non dubito hunc nummo Beryto adsignare.

NUM. 6.

NERO CLAUDIUS CAESAR. Caput *Neronis nudum.*

COLonia Augusta Aroe PATRensis. Aquila legionaria inter duo signa militaria, quibus adponitur numerus XXII.

Sæpius jam in aliorum Imperatorum nummis typum hunc Coloniæ Patrensis vidimus, atque mentionem Legionis XXII. veteranorum in eamdem ab Augusto deductæ.

NUM. 7. 8.

NERO CAESAR AUGustus GERManicus. Caput Neronis laureatam, in aliis radiatum.

Colonia Patrensis ADVENTUS AUGUSTI. Triremis cum navigantibus, in altero, sine navigantibus.

Triremis prætoria in primo nummo adventum Neronis, quum ille in Græciam proficisceretur (quod & inscriptio testatur) indicat. Triremis altera in nummo secundo moram, ut videtur, quam in Græcia, studiis Græculorum suæque canendi libidini indulgens, traxit.

NUM. 9.

NERO CAESAR AUGustus GERManicus. Caput Neronis radiatum.

GENius COLoniæ NERonianæ PATrensis. vel GENio COLoniæ NERonianæ PATrensis. Genius seminudus stans ante aram sacrificat, dextra tenens pateram, læva cornucopiæ.

Quum Patrenses multis beneficiis adfecisset Nero, uti ex *Pausania* probat *Jo. Vaillantius* Tom. I. p. 179. simili adulationis specie usi qua Corinthii supra Num. IV. Imperatorem tamquam Genium urbis suæ, Neronianæ insuper ex nomine ejus (ut hic docet nummus) dictæ, celebrarunt.

NUM. 10.

Capitis epigraphe mihi ignota est.

Colonia Patrensis JUPITER LIBERATOR. Jupiter nudus stans, dextra aquilam tenens, læva hastam.

Posset videri cusus nummus oppressa conjuratione Pisoniana, sed quum Græciæ libertatem suam reddiderit Nero, præcipue Achajæ, illum ut Jovem Liberatorem coluerunt Patrenses, atque Neronis, ut Jovis imberbis, statuam in urbe sua erexisse videntur, cujus picturam servat hic nummus. Adde *Jo. Vaillantium* p. 179.

NUM. 11. 12.

NERO CLAUDius CAESAR AUGustus GERManicus. Caput Neronis laureatum.

Colonia Patrensis NERONI AUGUSTO. Hercules in primo nummo nudus, sine leonis pelle, dextra lateri inposita, læva clavæ innititur saxo inpositæ; in secundo nummo nudus itidem, læva leoninam pellem tenet, dextra clavam, quæ aræ inponitur.

Patrenses in hisce nummis Herculem, qui ut plurimum Olympicorum Certaminum institutor habetur, depinxerunt, quem vocarunt Herculem Augustum, quasi qui Augusto Neroni faveret, eique magno suo merito coronas Olympicas adjudicaret. Id tanto speciosius fecerunt Patrenses, quoniam, ut Apollinis, ita Herculis gloriam quoque adfectabat Nero, ejusque æmulari facta volebat. *Suetonius* in Nerone Cap. LIII. *Destinaverat etiam, quia Apollinem cantu, Solem aurigando æquiparare existimaretur, imitari & Herculis facta. Præparatumque leonem ajunt, quem vel clava vel brachiorum nexibus in amphitheatri harena spectante populo nudus elideret.* Et hinc acclamationes omnium præcipue Senatus, gratæ Neronis auribus, apud Dionem Lib. LXIII. p. 724. Ὀλυμπιονίκα οὐα, Πυθιονίκα οὐα, Αὔγουστε, Αὔγουστε, Νέρωνι τῷ Ἡρακλεῖ, Νέρωνι τῷ Ἀπόλλωνι. i. e. *Ova Olympionica, ova Pythionica, Auguste, Auguste, Neroni Herculi, Neroni Apollini.*

NUM. 13.

IMPerator NERO CAESAR. Caput Neronis laureatum.

Colonia Patrensis. DIANA LAPHRIA. Diana Venatrix stans, dextra lateri, læva arcui inposita, altero pede globum premit.

Diana Laphria Patris in arce habebat Templum, in quo erat Dianæ Laphriæ simulacrum

crum Ætolicum, quod vastata Æolia & Calydone Patrensibus donaverat Augustus, prouti ex *Pausania* docet *Jo. Vaillantius* Tom. I. p. 180. quem & ibidem consule de ratione cognominis Laphriæ.

Num. 14.

Vacat.

Num. 15.

NERO CLAUDius CAESAR GERManicus. Caput Neronis laureatum.

COLonia PTOLemais DIVOS CLAUDius. Colonus agens boves cum quatuor signis militaribus.

A Claudio Cæsare deducta Colonia Ptolemais & illi & Neroni nummos dedicavit. Quin & hoc ipso nummo benevolentiam erga novum ostendit Principem, successorem ejus, cujus, ut Conditoris sui, gratam recolebat memoriam. Quare & consecrationem ejusdem recolens, Divi Claudii nomen a postica parte scribi voluit, sicuti in antica Neronis, tum Principis.

Num. 16.

Vacat.

Num. 17.

NERO CLAUDius IMPerator CAESAR. Caput Neronis laureatum lævam versus.

ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ. ΔΙΡ. (*i. e. SUB CESTIO ANTIOCHENSIUM anno CXIV.*) *in laurea.*

Syriæ sub Nerone Præses Cestius Gallus innuitur, de quo atque hoc ipso nummo pluribus egimus in *Thesauro Familiar. Andr. Morellii* in *Fam. Cestia* p. 88. Hujus Cestii mentio est apud *Tacitum* Histor. Lib. V. Cap. 10. *Duravit tamen patientia Judæis, usque ad Gessium Florum Procuratorem. Sub eo bellum ortum, & comprimere captantem Cestium Gallum, Syriæ Legatum, varia prœlia ac sæpius adversa excepere. Qui ubi fato aut tædio occidit; missu Neronis Vespasianus* &c. Successorem itaque Vespasianum hic Cestius habuit, sicuti ipse Floro successerat.

Num. 18.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*AUGUSTUS.*) *Caput Neronis laureatum.*

ΑΣΚΑΛΩ ΑΟΡ. (*i. e. ASCALO anno CLXXI.*) *Figura muliebris turrita stans, dextra hastam tenet, læva acrostolium. Ante illam erigitur ara, post eamdem cernitur columba.*

Solitus hic Ascalonis urbis est typus, Semiramis videlicet; quam expositam olim infantem a matre Derceto partus pudore suffusa, iratamque sibi Venerem timente, columbas nutrivisse ferunt. De epocha Ascalonitarum vide Eminentissimum *Norisium* de Epoch. Syro-Macedonum Dissertatione v. p. 506. 507. Servatur hic nummus in *Gaza Regia.*

Num. 19. 20.

ΝΕΡΩΝ. (*i. e. NERO.*) *Caput Neronis laureatum lævam versus.*

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΑΛΡ. (*i. e. GADARENSIUM anno CXXXI.*) *Duo cornua copiæ, in primo decussatim positæ, in secundo postica sui parte invicem oppositæ.*

Gadara Cœlesyriæ fuit urbs, balneis suis celeberrima; illustravit eamdem, ejus nummos atque epocham Eminentiss. Cardinalis *Norisius*, quem vide de Epoch. Syro-Macedonum Dissertat. XII. Cap. IX. §. 1. p. 297.

Num. 21.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*i. e. NERO CAESAR.*) *Caput Neronis laureatum.*

ΓΑΔΑΡΑ. Lυκάβαλ⊗ ΑΛΡ. (*i. e. GADARENSIUM ANNO CXXXI.*) *Mulier turrita stans dextra coronam, læva tenens cornucopiæ, ad pedes lauri est ramus.*

Vide quæ diximus ad duos nummos præcedentes. Invenitur hic nummus in *Museo Theupoliano* p. 846.

NUM. 22.

Capitis epigraphe ignota mihi est.

ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ. (*COMMUNE GALATARUM.*) *Templum quatuor columnarum.*

Galatæ testantur Templum hoc communi consensu sumtibusque urbium suarum erectum fuisse, in honorem, ut videtur, Neronis.

NUM. 23.

Capitis epigraphe mihi incognita est.

ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ ΔΟΤ. *rescribe* ΖΟΤ. (*DAMASCENORUM ANNO CCCLXXVII.*) *Mulier rupibus insidens, extensa dextra, læva tenet cornucopiæ; sub pedibus est fluvius.*

De æra Damascenorum vide *Norisium* in Libro de Epochis Syro-Macedonum, Dissertat. II. p. 91. Usa videlicet Seleucidarum epocha fuit Damascus, atque sæpe hoc symbolo in nummis utitur. Exstat in *Museo Theupoliano* p. 845.

NUM. 24.

Capitis epigraphen non inveni.

ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΩΝ. (*DIANA EPHESIORUM.*) *Diana venatrix festinans, læva arcum, dextra telum depromens.*

Vulgaris hic Ephesiorum solet esse typus.

NUM. 25. 26.

ΝΕΡΩΝΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΚΜΟΝΕΩΝ. (*ACMONENSIUM qui NERONEM AUGUSTUM colunt.*) *Caput Neronis laureatum lævam versus, cum lunula ad verticem.*

ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ. . . . . (*SUB SEROTINIO CAPITONE.....*) *Jupiter sedens dextra tenens hastam.*

Similis Acmonensium nummus cusus in honorem Neronis depingitur apud *Haymium* in *Thesauro Britannico* Tom. II. p. 188. Num. ex quo discimus in dextra Jovis esse pateram. Præterea ex eodem nummo, atque ex alio Agrippinæ, Neronis matris, minoris moduli, docemur, quomodo literæ in hoc nummo deficientes, utpote erosæ, resarciri possint. Addi videlicet debet ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ, i. e. ET JULIÆ SEVERÆ. Verum Haymianus nummus ex alia matrice prodiit, neque enim tantum sub sella, cui insidet Jovis effigies, noctuam habet, sed & post Jovem in area sunt literæ ΦΙΧΑΡΤΟΥ. quæ quorsum spectent difficile est divinare; verum lectio insuper ad caput Neronis ita concipitur: ΝΕΡΩΝ CΕΒΑCΤΟC ΑΚΜΟΝΕΙC. i. e. NERO AUGUSTUS, ACMONENSES. Pro ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ quoque CΕΡΟΥΗΝΙΟΥ legit Numisma *Haymianum*, & ita in alio quoque scriptum legisse testatur idem *Haymius* atque explicat de *Sergenio Capitone*; pro quo dicit *Harduinum* malle ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΥ ΚΑΙΠΙΩΝΟC i. e. SERVILII CÆPIONIS. quæ sane nimia licentia est in emendandis numismatis, quæ non apographa sed autographa ejus sunt temporis, quo ipsi illi homines, qui in iis commemorantur, vixerunt atque viguerunt. Inprimis vero notabile est, quod & viri & mulieris nomen in hisce nummis occurrat; commemorantur enim Serotinius sive Servenius Capito, atque, ut puto, uxor ejus Julia Severa. Solent vero Archontum nomina Acmonensium inscribi nummis. Quare existimo hunc Capitonem fuisse Archontem, uxorem vero ejus, Juliam Severam, summam Sacerdotem Dianæ apud Acmonenses. Dianæ enim typus in nummulo Agrippinæ invenitur; atque ita (sicuti in multis Græcarum urbium nummis Sacerdotum nomina exprimuntur) apud Acmonenses in Phrygia id datum honori hujus Juliæ, Dianæ Sacerdoti fuisse, ut nomen ejus cum mariti Archontis nomine in nummi inscriptione conjungeretur. Conjecturam meam firmare videtur luna crescens ad caput Neronis, ut Dianæ Symbolum.

NUM. 27.

Capitis Epigraphe ignota mihi est.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. (*THESSALONICENSIUM.*) *in corona civica.*

Thessalonicenses universæ domui Cæsareæ valde fuere devoti, &, ut vidimus, multos atque memorabiles signarunt in ejus honorem nummos; quare & in hoc ut Servatorem civium salutant terrarum pestem Neronem.

NUM. 28.

Abest.

TABULA XIII.

QUÆ PERSEQUITUR

CLAUDII NERONIS CÆSARIS

NUMISMATA GRÆCA

SECUNDÆ MAGNITUDINIS.

NUM. I.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CAESAR.*)
Caput Neronis laureatum.

Εφεσίων ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΑΙΧΜΟΚΛΗΣ ΑΟΥΙΟΛΑ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. *EPHESIORUM NEOCORORUM AECHMOCLES AVIOLA PROCONSULE. Templum Dianæ Ephesiæ, quod quatuor ad frontem & totidem ad latera habet columnas.*

Aviolæ, qui ex Acilia fuere gente, omnes Manii prænomine dicti fuerunt. Hic verò Manius Acilius Aviola Proconsulari imperio Asiam rexit sub Nerone circa annum U. C. DCCCXV. Dignitatem eamdem viginti ante annis obtinuerat alius Manius Acilius Aviola, sub Cajo Caligula, potuitque is pater hujus Aviolæ exstitisse. Sub hoc itaque Aviola Proconsule Æchmocles quidam magistratum Ephesi gessit, atque nummos hujusmodi signari curavit; prouti Smyrnæ inveniuntur cusi nummi sub patre hujus (ut puto) Aviolæ, qui itidem præter Proconsulis nomen habent nomen Magistratus Smyrnensis, Menophanis cujusdem scilicet. Vide Commentarium nostrum ad priorem *Thesaurum Morellianum* p. 5. Invenitur nummus in *Thesauro Regio*.

NUM. 2.

Anterior hujus nummi pars mihi incognita est.

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. (*CAESARIENSIUM.*)
Hermathena.

Nummus hic refertur ad Cæsaream in Palæstina; male autem *Jo. Vaillantius* Minervam agnoscit telum vibraturam; debuerat enim dicere Hermathenam; est enim figura Palladis sive Minervæ Hermæ forma ab inferiore parte in acutum desinentis & basi inposita. Cultam Cæsareæ fuisse hac figura Palladem, hic docet nummus, qui itidem in *Thesauro Regio* adservatur.

NUM. 3.

Capitis epigraphe mihi nota non est.

ΖΕΥΣ ΚΩΙΩΝ. (*JUPITER COIORUM.*)
Caput Jovis.

Ne videlicet crederetur Æsculapii vel Hippocratis apud Coïos geniti caput, rectè Jovis nomen additur. Sine additione nominis passim illud caput occurrit in minutis illius insulæ nummis, qui ab altera parte Æsculapii serpentem præferunt sive baculum ejus serpentiferum; quique Imperatoris Romani vultum non exhibent. Et hic quoque nummus per lilii figuram *Thesauro Regio* adsignatur. *Nos* quoque similem sed sine inscriptione habemus minusculum, in quo ad Neronis faciem inscriptio ærugine erosa esse videtur.

NUM. 4.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Caput Neronis nudum lævam versus.*

ΓΑΙΟΣ ΠΟΣΤΟΥΜΙΟΣ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. (*CAJUS POSTUMIUS LAODICENSIUM.*) *Jupiter Philalethes stans cum hasta & aquila ante cippum, cui impositus est clypeolus inscriptus litera B. vel corolla cui eadem litera inserta est.*

Similem habuit vel forte eumdem nummum *Jo. Tristanus Sanctamantius*, ad cujus interpretationem hæc scripta reliquit Tom. I. Comm. Histor. p. 224.

p. 224. „ Nero depingitur fine corona, vultu „ juvenili, fic ut erat quum in damnum Britanni- „ ci, juxta *Suetonium*, proprio filio Neronem un- „ decim annos natum, præferret Claudius. Ab alte- „ ra parte legitur: ΓΑΙΟΣ ΠΟΣΤΥΜ. ΛΑΟΔΙΚΕΙΑΣ. „ (hæc minus recta lectio *Triftani* eft) *Cajus Po-* „ *ftumius Laodiceæ.* Cernitur vir longa vefte „ tanquam civis Romanus indutus, lævam exten- „ dens fupra parvum altare, dextra vero tenens „ aquilam. Ante figuram illam eft columna exi- „ gua, cui laurea corona infiftit, in cujus medio cer- „ nitur litera B. Rarus admodum (perfequitur „ *Triftanus*) hic nummus eft, quia haud crebro, „ præfertim in nummis Græcis, tam juvenili fa- „ cie occurrere Nero folet, vel folo infcripto „ Cæfaris nomine. Urbes hujus Provinciæ, Ilien- „ fium more, per Neronem juvenem ejufque „ patrocinio aliquem adeptæ favorem (per ma- „ trem idem & familiam Cæfarum, ad antiquum „ Ilium referebat originem) hoc monumento vi- „ dentur gratum animum voluiffe prædicare. „ Eum in finem Cajus Poftumius, qui videtur „ ibidem magiftratum five præfecturam geffiffe, „ votis earumdem obfecuturus, hanc in Neronis „ gratiam dedicavit aram, atque coronam colum- „ næ fuperpofitam, tamquam Numini bene de „ fe merito. Præ ceteris enim populis liberales „ erant Græci divinos honores benefactoribus „ fuis tribuendo, illisque domefticas aras erigen- „ do, atque corollis honorando. Unde crebra „ ejufmodi honorum mentio occurrit apud Au- „ ctores veteres, atque inter illos de columnis „ atque corollis iifdem inpofitis, quod & com- „ memorari videtur apud *Clementem Alexandri-* „ *num*, Stromatum Libro I. Quantum vero ad „ Neronem juvenem; aquila, columna, atque „ fuperpofita corolla, Afiatici hi, apud quos cu- „ fus nummus eft, fignificare videntur voluif- „ fe, fore ut feliciter Imperio Romano fruere- „ tur Nero, illudque felix redderet atque æterna „ laude florens per victorias fuas, procuraretque „ virtute fua ejus inconcuffam fecuritatem. A- „ quila enim gloriæ atque Imperii, & præcipue „ Romani, eft fymbolum, victoriæ corona, fir- „ mitatis atque conftantiæ columna. Sexdecim „ natus erat annos Nero, quum publice cauffam „ Ilienfium peroravit, quatuor aut quinque an- „ nis poft adoptionem ejus a Claudio factam in „ filii Britannici damnum. Docet enim nos *Sue-* „ *tonius*, adoptatum Neronem undecimo ætatis „ anno fuiffe. Ecce quæ Tacitus fuper hac re „ adfert in fine libri XII. *Decimo Junio & Q. Ha-* „ *terio Confulibus, fedecim annos natus Nero Octa-* „ *viam, Cæfaris filiam, in matrimonium accepit,* „ *utque ftudiis honeftis & eloquentiæ gloria notefce-* „ *ret, cauffa Ilienfium fufcepta, Romanum Troja* „ *demiffum, & Juliæ ftirpis auctorem Æneam, alia-* „ *que haud procul fabulis vetera facunde exfecutus,* „ *impetrat ut Ilienfes omni publico onere folverentur.*

Præter lectionem nummi, quam minus recte percepit *Triftanus*; neque fatis integre conceptam a *Carolo Patino*, cernas in Numm. Impp. p. 117. perperam quoque læva Jovis manus veluti arulæ cujufdam generi inponitur; haftam enim tenet, atque pro lacinia veftis, rubigine forte læfa aliud fe videre pictor credidit. Omnino enim haftam effe quod læva manu tenet Jupiter Philalethes patet ex fimillimo ejufdem urbis Laodiceæ nummo minoris moduli infra Tab. XVII. Num. 17. Litera B. quæ corollæ inferitur, annum fecundum denotare poteft imperii Neronis, ficuti in adducto modo nummulo fimiliter locata litera Z. annum feptimum; nifi malimus referre ad honorem Poftumii, ut fecunda vice eo functus fuerit. Præfides Syriæ fub Nerone fuere Ceftius Gallus & Mucianus, de Cajo Poftumio nihil legere memini; *Vaillantius* in Num. Gr. Impp p. 15. Præfectum tunc urbis Laodiceæ exiftimat fuiffe, & literam B. notare Præfectum tunc fecundo exftitiffe; at idem in Num. Fam. Rom. ad Fam. Poftumiam Tab. CXIX. Num. 19. Afiam ftatuit Proconfulari Imperio rexiffe fub Nerone; Laodicea enim hæc Phrygiæ adfignatur; tum vero annum fecundum ejufdem Proconfulatus denotat. Servatur nummus in *Thefauro Regio.*

NUM. 5.

Capitis epigraphe mihi non innotuit.

ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝΙΩΝ. (*LACEDAEMONIORUM.*) *Capita Diofcurorum pileis ftellatis tecta.*

Propria Lacedæmoniorum Numina, utpote in eorum terra genita, fuere Caftor & Pollux, Helenæ Tyndaridis fratres.

NUM. 6.

Neque hujus Neroniani nummi anterior facies mihi cognita eft.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. (*COMMUNE MACEDONUM.*) *Clypeus Macedonicus.*

Exftant nummi Macedonici argentei tetradrachmales, in quibus paffim clypeus ille Macedonicus adparet. Nummi ærei Imperatorum Romanorum apud Macedonas cufi, qualis hic nummus eft, & alter quem ego poffideo infcriptum ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΩΝΩΝ. i. e. AUGUSTUS, MACEDONUM, fæpe ejus generis clypeum exhibent. Exftat pofterior ille apud *Patinum* in Nummis Impp. p. 120.

NUM. 7.

Capitis epigraphe incognita mihi eft.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. (*METROPOLITARUM.*) *Caput Minervæ galeatum.*

Metropolitæ urbem hujus nominis in Phrygia habitabant. Minervam Iliadem coluiffe videntur, ejus enim galeatum hoc caput effe exiftimo. Exftitit nummus in *Gaza Reginæ Chriftinæ.*

NUM.

Num. 8.

Caput Neronis nudum ſine epigraphe. ΜΙΛΗΣΙΩΝ ΕΠΙ Τίτȣ ΔΑΜΑσία. *MILESIORUM SUB Tito DAMASIA. Apollo nudus ſtans, dextra cervum tenet, laeva arcum.*

Incidit in ſimilem nummum *Jo. Triſtanus Sanctamantius*, ſed in quo populi, a quo cuſus fuit, nomen ærugine perierat; præterea adſequi non potuit quid manibus teneret figura nuda, ſed aliud quid ſuppoſuit quam quod revera in nummo exſtat. Itaque doctam quidem ejus rei dedit interpretationem, ſed quæ nummo huic minus bene convenit. Adferre tamen libet quæ ille commentatur Tom. I. p. 230. „Effigies „ (inquit) Neronis ſine inſcriptione. Ab altera „ parte legitur: ΕΠΙ Τ. ΔΑΜΑ. quod explico *apud* „ *Damaſcum*, ſive: *Damaſcenorum ſub T.* Cernitur „ virgo, quæ ſerpenti patinam cum fructibus „ pro eſca offert. Pruna videntur ſive dactyli „ rite in patina diſpoſita. Erat Damaſcus „ metropolis Syrophœniciæ, *Damaſcius* apud Photium „ rationem denominationis ejuſdem indigetat „ his verbis: ὅτι Διόνυσος φασὶ Λυκοῦργον καὶ τοὺς ἑπομένους „ αὐτοῦ Ἄραβας καταγωνίσαιτο οἴνῳ ἀπ' ἀσκοῦ καταῤῥάνας „ τὴν πολεμίαν στρατιάν· ἐξ οὗ καὶ τὴν πόλιν ἐκάλεσε „ Δαμασκόν. *Quod dicunt Bacchum, Lycurgum &* „ *omnes Arabes comites ejus vino domuiſſe, cum ex* „ *utre exercitum irroraſſet hoſtilem, hincque urbem* „ *Damaſcum appellavit.* Hunc Damaſcum *Stephanus* „ dicit fuiſſe filium Mercurii, qui ipſi nomen „ hoc dederit, aliaſque addit circumſtantias. Verum „ longe antiquior hujus urbis origo eſt. Diſcimus „ enim ex *S. Hieronymo* in Quæſtionibus „ ſuper Geneſin, conditam fuiſſe Damaſcum ab „ Huzo Arami filio, vel ab Damaſco Eleazaro, „ Abrahæ domeſtico, qui illi hoc nomen dederit. „ Docet id *Hieronymus* ad Geneſeos Caput XV. „ *Dixitque Abraham: Domine Deus quid dabis mihi?* „ *Ego vadam abſque liberis: & filius Procuratoris* „ *domus meæ iſte Damaſcus Eleezer.* Non incongruum „ itaque videtur fructus quibus ſerpentem „ ex patina illa ſive patera paſcit virgo, „ ex eo eſſe genere, quibus Syria atque ager Damaſcenus „ maxime abundant; quales ſunt dactyli „ optimi ibidem ſaporis, magnitudinis quoque „ & coloris eximii. Solebat Auguſtus Imperator „ lepide Nicolaum Damaſcenum, qui plurimum „ illis delectabatur dactylis, Philoſophum „ Peripateticum, notare, ejuſque gratia Νικολάους, „ i. e. *Nicolaos*, adpellare dactylos, juxta Plinium „ Lib. XIII. Cap. 4. atque *Plutarchum* Lib. VIII. „ Quæſtionum Convivalium. *Athenæus* quoque „ dactylorum ſive prunorum Damaſcenorum „ peculiariter meminit Lib. II. Tanta enim „ palmarum arborum circa illam urbem erat „ multitudo, ut *Paulus Diaconus* Lib. VI. adnotet, „ Pompejum Magnum, quum ibidem degeret, „ iiſdem mirifice fuiſſe delectatum, atque propterea „ Damaſcenis pro palmetis proferendis „ agros donaſſe. *Aliquantulum* (dixit) *agrorum Damaſcenſibus* „ *dedit, quo lucus ibi ſpatioſior fieret,* „ *delectatus loci amœnitate & palmarum abundantia.* „ Laudat quoque Statius Lib. I. Poëm. ſexto, ubi *Piam Damaſcum* vocat:

Quod ramis pia germinat Damaſcus.

„ Penitus ſcilicet antiquam religionem Judaicam „ aboleverant Damaſceni, ritus Græcorum amplexi, „ tantaque erga Judæos evaſerant acerbitate, „ ut uno tempore octodecim millia trucidaverint; „ prouti invenire licet apud *Joſephum* Lib. VII. „ Cap. 34. Belli Judaici." Hæc *Triſtanus*, in quibus, quantum ad Abrahæ domeſticum ſive famulum, ille natione Damaſcenus fuit, non vero nomine Damaſcus, vel urbi illi originem dedit. In hoc nummo Mileſiorum Apollinis Branchidarum cernitur ſimulacrum, eodem fere ritu, quo in Alabandenſium nummo, cum capite Britannici ſupra inter Numiſmata ejuſdem vidimus; videlicet cervum manu tenentem. Vide quæ ibidem dicta ſunt. Servatur inſignis hic nummus in *Theſauro Regio.*

Num. 9.

Epigraphe capitis mihi incognita eſt:

ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ. (*DIONYSI CONDITORIS NICAEENSES*) *Ara cum foco, arae inſcribitur litera* Κ. *majuſcula.*

Hanc Aram in honorem Neronis erectam fuiſſe a Nicæenſibus exiſtimo, illique inſcriptam literam Κ. ſignificare Καίσαρι i. e. *Cæſari.*

Num. 10.

ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Caput Neronis nudum laevam verſus.*

ΝΕΙΚομηδέων Μάρκȣ ΤΑΡΚΥΙΤΙΟΥ ΠΡΕΤΑΝΙΚ. (*lege* ΠΡΕΙΣΚȣ ΕΞȣσίαν) ΑΝΘΥΠΑΤικὴν ΠΡΑΤΤΩΝΤΟΣ. (*NICAEENSIUM, MARCO TARQUITIO PRISCO PROCONSULARI POTESTATE PRAEDITO.*) *Ara cum foco.*

M. Tarquitius Priſcus ſub Nerone Bithyniæ cum Proconſulari poteſtate, uti hic nummus docet, præfuit. Avare ibi res adminiſtravit, unde poſtulantibus Bithynis repetundarum poſtea damnatus fuit, teſte *Tacito* Annalium Lib. XIV. Cap. 46. *Damnatus iiſdem Conſulibus Tarquitius Priſcus repetundarum, Bithynis interrogantibus magno Patrum gaudio, quia accuſatum ab eo Statilium Taurum*

rum Proconsulem ipsius meminerant. Plura de hoc Tarquitio dixi ad Thes. Familiar. p. 411. Iterum vero in hoc quoque Nicomediensium nummo cernitur illa Ara, quæ modo in nummo Nicæensium visebatur. In quam Aram inquisivimus quoque in Nicæensium nummo primi moduli supra Tab. X. Num. 4. Unde patet a Communi Bithyniæ erectam hanc aram fuisse Imperatori Neroni, quem scilicet haud minori dignabantur honore quam Conditorem suum Dionysum sive Liberum Patrem.

Num. 11. 12. 13.

ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒ. . . . (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS*) *Haec est inscriptio tertii nummi, quae & duorum reliquorum videtur esse. Caput Neronis laureatum laevam versus.*

ΡΩΜΗ (*ROMA*) *Romae caput galeatum cum clypeo & hasta ad pectus.*

Vel,

ΡΩΜΗ. (*ROMA.*) *Roma stans, dextra victoriolam tenens, laeva hastam super humeros.*

Vel denique,

ΡΩΜΗ Λυκάβαντος Ε. (*ROMA ANNO QUINTO*) *Roma sedens galeata, dextra victoriolam tenens, laeva parazonium.*

Nummi hi ex Ægyptiorum, sive Alexandrinorum, sunt genere; testes venerationis, qua dominam Orbis totius Romam prosequebantur. Tertius ex his in *Museo nostro* reperitur, habetque æri admixtum argenti aliquid.

Num. 14.

ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣτος ΓΕΡ.. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Neronis laureatum.*

ΔΗΜΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ Λυκάβαντος Ε. (*POPULUS ROMANUS ANNO QUINTO.*) *Figura virilis seminuda stans, dextra hastam tenens, læva cornucopiæ*

Quemadmodum urbem Romam, sic quoque Populum Romanum venerati sunt Alexandrini. Hunc tamquam Heroem & Semideum in hoc nummo depinxerunt. Neque enim caussæ quid est, ut cum *Carolo Patino* in Lib. de Num. Impp. p. 118. disputemus de hac inscriptione, atque ad Romaniam scilicet, Byzantii in Thracia partem confugiamus; nam Δῆμος Ρωμαίων, sive *Populus Romanorum*, non alius est quam *Romanus*, eumque pariter ut Senatum Romanum atque ipsam urbem Romam in veneratione Græcis fuisse mirari nemo potest. Invenitur nummus in *Thesauro Regio* & in *Museo Theupoliano* p. 1101.

Num. 15. 16.

. . . . . . ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Neronis laureatum lævam versus, cui stella adest ante collum.*

Θ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ. . . . . ΡΙΑ ΗΠΡ. L. ΙΔ. *Figura muliebris capite turrito, dextra caput humanum sustinet, læva hastam tenet; pedem dextrum proræ ratis inponit.*

Vel,

ΣΕΒΑΣΤΩΝ . . . . ΙΑΣ L. ΙΔ. *Typus idem.*

Conveniunt in eo doctissimi *Norisius* atque *Vaillantius*, hujusmodi nummos pertinere ad Samariam, urbem Palestinæ; verum detritas in ære literas atque semiperfectam inscriptionem diversimode legunt & explicant. *Vaillantii* lectio p. 17. hæc est: ΚΑΙΣΑΡΙΑ Η ΠΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΩΝ Μ. L. ΙΔ. & explicat: CAESAREA AB AUGUSTIS MAGNA ANNO XIV. Lectio autem & explicatio *Norisii* hoc modo procedit: Θεῶν ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΜΕγάλων ΣΑΜΑΡΙΑ ΗΠΡ. Λυκάβαντος ΙΔ. DEORUM AUGUSTORUM MAGNORUM SAMARIA, ANNO CLXXVIII. *imperii vero Neronis* ANNO XIV. Statuit is Imperatores Romanos sive Augustos apud Samaritas in Magnorum Deorum numerum fuisse relatos. Verba ejus inter alia hæc sunt in Lib. de Epochis Syromaced. Dissertat. V. p. 526. „ Herodes quum Samariam, dirutam „ olim urbem, restaurasset, eamdem de nomine „ Augusti Sebasten adpellavit, ac ibidem templum sesquistadii magnitudine ac pulchritudine cum quovis alio conferendum, eidem Augusto dicavit, ex Josepho Lib. XV. Antiq. Cap. 11. In eodem postea suam quoque statuam Cajus Cæsar consecrandam jussit, & ibidem dicata etiam videtur statua Claudii Augusti a Nerone inter Deos relati. Hinc provinciales Samariæ in eodem templo Augustos uti Deos adorabant. Cum vero bellum Judaicum desæviret, ac eodem circumquaque Samaritæ clauderentur, quo suum erga Romanos obsequium testarentur, eorumque gratiam caperent, nummos publico totius Provinciæ decreto scalpserunt cum epigraphe: *Deorum Au-*

„ *gustorum Magnorum Samaria* &c." Quam quidem sententiam proponit Eminentiss. *Norisius*, donec, integriore prodeunte nummo, melior prodeat; quæ quum nondum prodierit illi lubenter adhæreo. Æræ suæ annos in nummo posuerunt Samaritani, atque præterea annum imperii Neronis; qui quomodo conveniant anni docte ibidem persequitur laudatus *Norisius*. In secundo nummo epocha Samaritanorum non videtur exprimi; secundo præterea casu scribitur Samariæ nomen. In utroque idem typus est, videlicet Astarte dextra caput Osiridis tenens. Prior ex his servatur in *Thesauro Regio*.

NUM. 17. 18.

Sine epigraphe. Caput Neronis laureatum, dextram versus, cum lituo ante faciem.

ΣΙΔΩΝΟΣ ΘΕΑΣ Lυχ&Βαl.. ΕΟΡ. (*SIDONIS DEAE sive DIVINAE ANNO CLXXV.*) *Europa tauro vecta, læva cornu animalis tenet, dextra velum super caput fluitans.*

Similem nummum, sed sine adscripta æra, nactus fuit *Tristanus*, atque pro typi ejus illustratione hæc scripsit Tom. I. p. 226. & 227. „ Quamvis Europam Sidone, urbe Phœniciæ maritima, constet ut Deam fuisse cultam, non tamen hactenus illam invenire ut talem in antiquis monumentis nummisve licuit. Nummus „ Augusti atque Liviæ, quem suo loco explicavi, neque fabulam hanc neque effigiem ejus „ repræsentat; verum ipsam Liviam Veneris habitu. Attamen iste nummus nos docere videtur, quod haud magnam distinctionem fecerint „ Sidonii inter Europam, Agenoris filiam, atque „ ipsam Venerem; quum & ipsa Venus nulla alia „ apud eosdem fuerit quam Astarte, sive Astaroth, juxta *Procopium Gazæum* atque *Suidam*; „ ejusque Templum Ἀσάρτιον adpelletur apud *Josephum* in Libris contra Apionem, atque Astaroth in Lib. I. Samuelis Cap. ult. Notatur ibi „ quod eo detulerint ibique suspenderint Philistæi „ cæsorum in adverso prœlio Sauli filiorumque „ ejus arma. Docet quoque nos *Lucianus* in Dialogo de Dea Syria, quæ vulgo juxta testimonium Templi sui sacerdotum vocabatur Astarte, illam haud diversam esse ab Europa, cui „ in solatium patris Agenoris divinus cultus fuerit institutus; ut ita oblivisceretur raptus filiæ „ per Cretæ Regem Jovem, apud *Diodorum Siculum* Asterium adpellatum, Xanthum vero apud „ *Sanctum Augustinum* Lib. XVIII. de *Civitate Dei*. Confirmat præterea opinionem illam *Lucianus* ex Sidoniorum moneta, in qua tauro, id „ est, Jovi insidentem exprimi Europam adserit: „ καὶ τὸ νόμισμα Σιδόνιοι χρέονται, τὴν Εὐρώπην ἐφεζομένην ἔχει τῷ ταύρῳ τῷ Διΐ. Quibus similem huic „ Neroniano nummum a Sidoniis percusso innuere videtur, sive a Nerone sive ab alio cu- „ sum Imperatore. Quare testimonium *Luciani* „ omnino confirmatur hoc nummo. Qui vero „ Sidonis curiosam avet inspicere descriptionem, „ is adeat *Achillem Tatium* in initio Libri primi." Huc usque *Tristanus*. De Sidoniorum æra consuli potest Eminentiss. *Norisius* in Lib. de Epoch. Syro-Maced. Cap. V. Diss. IV. p. 414. & seqq.

NUM. 19.

Epigraphe partis anticæ incognita mihi est.

. . . . NAIΩN ΟΜΗΡΟΣ. (. . . . . . *SMYRNAEORUM HOMERUS.*) *Poëta Homerus palliatus Græco more, stans hastatus, ut & figura muliebris hastata pariter stans, manus jungunt.*

Quantopere Smyrnæi Homero Poëtæ; tamquam apud ipsos fluviumque Melen natum, gloriati fuerint, omnis testatur Antiquitas; & quum hanc illis palmam multæ civitates facere dubiam conati fuerint, delubro illi ut Deo in urbe erecto, vindicare civem suum voluerunt. Unus præ ceteris testis *Cicero* in Oratione pro Archia Cap. VIII. *Homerum Colophonii civem esse dicunt suum: Chii suum vendicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt.* Itaque in nummo hoc, qui servatur in *Thesauro Regio*, urbs Smyrna & Homerus Poëta manus, tamquam mater & filius, jungunt. Injuria temporis illam inscriptionis partem delevit, qua prima vocis Smyrnæorum syllaba atque nomen magistratus continebatur, sub quo signatus nummus fuit. Sub Nerone in Smyrnæorum nummis occurrunt Hermogenes, Trophonius, & qui in sequenti nummo memoratur A. Gessius Philopatris.

NUM. 20.

ΝΕΡΩΝΑ CΕΒΑCΤΟΝ. (*NERONEM IMPERATOREM scil. colunt.*) *Caput Neronis nudum, lævam versus.*

ΖΜΥ*ρναίων* ΕΠΙ Αυλ*ου* ΓΕΣΣΙΟΥ ΦΙΛΟΠΑ... (*SMYRNAEORUM SUB AULO GESSIO PHILOPATRIDE.*) *Homerus sellæ insidens, superiore corporis parte, Deorum ritu, nudus, dextra hastam puram super humeros tenet.*

Similem Homeri sedentis typum sub eodem Gessio cusum revocarunt Smyrnæi in ære minimo, ut adparet infra ex Tab. XVII. Num. 24.

De Templo Homeri, de Simulacro ejus atque nummo a Smyrnæis Homerico dicto, luculentum hoc exstat testimonium apud Strabonem Lib. XIV. p. 646. sive Ed. Almeloven. 956. ubi in descriptione Smyrnæ ita pergit: Ἔστι δὲ καὶ βιβλιοθήκη, καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου, καὶ ξόανον· ἀντιποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ· καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς Ὁμήρειον λέγεται: i. e. *Est & Bibliotheca & Homerium, scilicet Porticus quadrata Templum habens Homeri & simulacrum. Nam Smyrnæi quoque Homerum sibi acriter vindicant: & numisma quoddam æreum apud eos Homerium vocatur.* Quod ait de numismate æreo Homerio proprie dicto, convenire existimo illis æreis urbis Smyrnæ nummis, qui incredibili supersunt copia; atque Apollinis a parte priore caput laureatum exhibent, a posteriore parte Homerum sedentem, ut in hoc nummo, cum hasta, sed chartam convolutam manu altera tenentem, adscripto urbis & magistratus nomine. Apollinem cum Homero haud incongrue in iisdem signarunt Smyrnæi, juxta illud videlicet Anthologiæ Lib. I. Cap. LXVII. Τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἀπόλλων περὶ Ὁμήρου

Ἤειδον μὲν ἐγών, ἐχάρασσε δὲ θεῖος Ὅμηρος.

i. e. *Quæ dixerit verba Apollo de Homero:*

Hæc modulabar ego, scripsit divinus Homerus.

NUM. 21. 22.

Deleta ærugine est inscriptio. Caput Neronis laureatum lævam versus cum incerta nota literarum invicem connexarum.

ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. (*TRIPOLITARUM.*) *Capita Dioscurorum pileis & stellis exornata.*

Multi inter Græcos nummos inveniuntur, qui incusam aliquam notam habent, quacumque illud occasione & quocunque tempore factum fuerit. Nota quæ huic nummo incusa cernitur, ex connexis literis IMP. VESP. docet factum illud fuisse tempore Imperatoris Vespasiani, quo quidem, urgente aliqua necessitate, plures nummi Græci & Romani, simili nota incusa pretio sive valore aucti fuisse videntur. In Phœnicia & præsertim Tripoli insignis Dioscurorum fuit cultus, quod nummi Tripolitarum abunde docent. Exstat similis huic nummus Neronianus in *Museo Theupoliano*, sed sine incusa nota; epigraphe capitis in eodem pariter periit.

NUM. 23.

Capitis epigraphe mihi incognita est.

ΤΥΑΝΕΩΝ ΕΤους ΙΒ. (*TYANEORUM ANNO XIV.*) *Mulier tutulata sedens, dextram extendit, sive (ut notat* Jo. Vaillantius *p.* 17.) *pomum eadem tenet, læva cornucopiæ.*

Cappadociæ urbs Tyana hunc nummum signavit ultimo Neronis anno, ut docent adpositæ literæ numerales. Exstat in *Museo Regio.*

NUM. 24.

Neque in hoc nummo capitis epigraphen novi.

ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑC. (*COMMUNE PHRYGIAE.*) *Aquila expansis alis respiciens.*

Difficile foret divinando adsequi ad quam Phrygiæ urbem pertineat hic nummus, sive in qua cusus fuerit; nisi præsto adesset similis typus, quem cum eadem inscriptione tamquam ad Commune Phrygiæ pertinente, detexi in urbis Apameæ nummis. Exhibet insignis is nummus a parte priore adversa Neronis & Agrippinæ capita cum hac inscriptione: ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Nero Cæsar Augustus, Agrippina Augusta.* Ab altera parte legitur ΑΠΑΜΕΙΣ ΕΠΙ ΜΑΡΙΟΥ ΚΟΡΔΟΥ ΚΟΙΝΟΝ ΦΡΥΓΙΑΣ. i. e. *Apameënses sub Mario Cordo, Commune Phrygiæ.* Typus est aquila expansis alis respiciens, atque serpentem unguibus tenens. Serpens ille in altero hoc nummo, qui præter *Commune Phrygiæ* nihil literarum exhibet, detritus fuisse videtur. Marii Cordi nummum depinxit *Morellius* in Familia Maria in Thesauro priore.

NUM. 25. 26.

Vacant.

NUM. 27. 28.

ΝΕΡΩΝ ΠΑΤΡΕΩΝ. (*NERO PATRENSIUM.*) *Figura togata, extensa dextra in fornice sive Templo distylo.*

ΝΕΡΩΝΙ ΠΑΤΡ.... (*NERONI PATRENSIUM.*) *Dea Libertas stans, dextra tenens pileum.*

Nummus hic ab utraque parte typi inscriptionem habet ad Patrenses spectantem, non ve-

vero ab antica parte (uti passim solet fieri) caput Imperatoris. Docet autem Libertatis typus, qua occasione signatus fuerit nummus atque is honos Neroni habitus, ut statua ejus in fornice sive Templo distylo erigeretur. Neronis enim (ut docet adscriptum nomen) est statua sive effigies, non Spei, ut perperam existimavit *Jo. Vaillantius* p. 17. Quum videlicet exigentibus Græciæ civitatibus, ut apud se in sacris certaminibus divinam exhiberet artem, cupidissime id fecit, atque (ut adnotat in Vita ejus *Suetonius* Cap. XXIV. *Decedens deinde Provinciam universam libertate donavit: simulque judices civitate Romana & pecunia grandi. Quæ beneficia e medio stadio Isthmiorum die sua ipse voce pronunciavit.* Hac de caussa Patrenses & Templum illi & Statuam, ut Liberatori suo erexerunt, ipsamque Libertatem Deam in hoc nummo expresserunt: Statuam vero eamdem Neronis in Latino nummo Coloniæ hujus Patrensis nomine inscripto videre licet, basi inpositam, sed sine fornice infra Tab. XVI. Num. 40.

TABULA XIV.
QUÆ PERSEQUITUR
GRÆCA
NERONIS
NUMISMATA
EX ÆRE SECUNDÆ
MAGNITUDINIS.

NUM. 1.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CLAUDIUS AUGUSTUS.*) *Caput Neronis radiatum dextram versus.*

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Augusti radiatum.*

Nummi qui hac Tabula continentur fere omnes aliquid argenti admixtum habent, atque plerique sunt ex eo genere, quod Alexandriæ vel in Ægypto cusum existimatur. Genus Neronis commendatur in hoc nummo, utpote quod per Germanici a Tiberio factam adoptionem, ad Divum Augustum pertinebat. Hinc non modo Augusti, sed & Tiberii (vide Num. tertium) caput in hujus generis nummis invenitur. Et hanc veram esse caussam existimo, non illam, quasi ita prospicere memoriæ suæ voluerit Nero, ne post mortem aboleretur, fusis nummis, quod Caligulæ obtigisse norat. Quæ sententia est *Jo. Tristan. Sanctamantii*, scribentis in hunc fere modum, Tom. I. Comment. Histor. p. 237. „ Videtur timuisse „ Nero, ne post mortem suam, deleretur mone„ ta sua, atque ad alios funderetur usus, sicuti ex „ Senatusconsulto nummis Caligulæ evenerat. „ Quare ne omnes perirent, hujus generis in „ Græcia signari fecit, cum ratione existimans, „ fore ut propter vestigium nominis atque impres„ sam faciem Augusti, sua pariter in his nummis, „ nummique ipsi conservarentur." Verum alia, ut dixi, est ratio; videlicet Augusteum Neronis genus in iis prædicatur: quare præter Augusti faciem Tiberii quoque & Claudii in iisdem conspiciuntur. Præter hunc nummum, cujus utramque partem vulgavit *Tristanus* d. l. possideo ipse nummum talem, similiter ab utraque parte inscriptum, sed in quo Augusti caput laureatum est, ante Neronis autem faciem notatur insuper annus imperii ΙΓ. i. e. XIII. sive penultimus.

NUM. 2.

ΑΥτοκράτωρ ΝΕΡΩ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣΑΡ ΣΕβαστὸς ΓΕΡμανικός. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Neronis radiatum; ante collum sunt literæ numerales* ΙΓ. *i. e. ANNO XIII.*

ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*DEUS AUGUSTUS.*) *Caput Augusti radiatum.*

Hic nummus, qui in *Museo nostro* adservatur, ut & is qui præcedit, multum argenti admi-

miſtum habet. Similem agnoſcere licet in Catalogo *Muſei Theupoliani* p. 1102.

NUM. 3.

ΑΥτοκράτωρ ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικὸς Lυκάβαντος ΙΓ. (*IMPERATOR NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS ANNO XIII.*) *Caput Neronis radiatum dextram verſus, ut in* Meo, *& in* Muſei Theupoliani *p.* 1102.

Vel

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιος ΣΕΒΑΣΤΟΣ Lυκάβαντος ΙΓ. (*NERO CLAUDIUS AUGUSTUS ANNO XIII.*) *Neronis caput radiatum dextram verſus cum lorica ſquammata & ſerpente ad collum, ut apud* Triſtanum.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*TIBERIUS CAESAR.*) *Caput Tiberii laureatum verſus lævam.*

Etiam hic ex *Muſeo noſtro* nummus aliquid plus argenti habet, quam qui præceſſerunt. Tiberii faciem, tamquam paterni ſui avi per Germanicum expreſſit Nero, ut ſeſe commendaret poſteris per genus Imperatorum ex familia Julia, cui per ſanguinem vel adoptionem adnexus erat. Quod & ad ſimilem nummum l. c. verbulo adnotavit *Triſtanus.*

NUM. 4. & 5.

Anteriores horum nummorum partes ſeſe mihi non obtulerunt, Neroniani capitis inſcriptio in iiſdem non multum a præcedentibus diſcrepare videtur.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣτός. (*TIBERIUS CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Claudii nudum.*

Vel,

ΘΕΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ. (*DEUS, ſive Divus CLAUDIUS.*) *Caput Claudii corona ſimul laurea & radiata exornatum.*

Sicuti in præcedentibus docui Auguſti caput in aliis nummis hiſce Neronianis laureatum, in aliis radiatum inveniri; ita in hiſce nummis, pro lubitu, Claudii caput vel nudum, vel laurea atque radiis ornatum exhibuerunt. Niſi ſtatuamus primum ex his (quod nullum apotheoſeos addatur ſignum) vivo Claudio, & juvene etiamnum Nerone fuiſſe ſignatum.

NUM. 6.

Capitis epigraphe mihi non innotuit.

ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. (*AGRIPPINA AUGUSTA.*) *Figura muliebris velata & ſtolata ſedens, dextra ramum tenet, læva cornucopiæ.*

Figuram illam muliebrem capi de Agrippina debere docet addita inſcriptio. Sedet illa ornatu Deæ Pacis. Vulgavit nummum *Carolus Patinus* p. 121. verum ornatior hæc eſt pictura *Morelliana*, in qua Sirenes ſellam Agrippinæ exornare videntur.

NUM. 7.

Epigraphen anticæ partis non novi.

CEBACTH. (*AUGUSTA.*) *Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ſpicas tenens, læva longam tædam.*

Quæ modo habitu Deæ Pacis depingebatur Agrippina, in hoc nummo celebratur veluti Dea Ceres, quod & Latinis ejuſdem Agrippinæ nummis aliiſque novum eſſe non ſolet.

NUM. 9.

ΑΥτοκράτωρ ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικὸς Lυκάβαντος ΙΓ. (*IMPERATOR NERO CLAUDIUS AUGUSTUS GERMANICUS ANNO XIII.*) *Caput Neronis radiatum.*

ΔΙΟΣ ΟΛΥΜΠΙΟΥ. (*JOVIS OLYMPII.*) *Caput Jovis Olympii laureatum.*

Nummus hic & ſequentes aliquot ſpectant ad Certamina Sacra, quæ in Græcia obiit & in quibus victor pronunciatus fuit Nero. Ipſum itaque Jovem Olympium, tamquam qui gratularetur victrices coronas Imperatori Neroni in hoc nummo expreſſum videas. Servatur is in *Muſeo Theupoliano* l. c. Neque dubito quin ſimiliter legi

gi debeat alius Neronis nummus, in quo ΔΙΟΣ, sive JOVIS tantum superest nomen, apud *Tristan.* Tom. I. p. 236. differt ille respectu lectionis atque ornatus capitis. Juxta caput enim Neronis laureatum, ad cujus collum squammata lorica ornatum serpens prodit, legitur tantum: ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιΟ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαςός. i. e. NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS. Quem typum dum explicat *Tristanus*, ob defectum vocis *Olympii* minus recte rem tetigit. „ Effigies (inquit) Jovis „ lauro coronati. Effigies hæ duæ (Neronis & Jovis scilicet) demonstrant duos Monarchas, Cœli „ Terræque tanta invicem amicitia esse conjunctos, ut quum illius hic altaria sacrificiis, libaminibus, votisque impleret; ille, ut pietatis vicem redderet, Provincias ejus laurea palmisque „ impleret, relatis per duces Imperatoris de Barbaris."

NUM. 10. 11.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιΟ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαςὸς ΓΕΡμάνικΟ Λυκάβαντο ΙΔ. (*IMPERATOR NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS ANNO XIV.) Caput Neronis radiatum, dextram versus cum lorica squammata ad collum atque angue ibidem prorumpente.*

ΗΡΑ ΑΡΓΕΙΑ. (*JUNO ARGIVA*) *Caput Junonis Argivae velatum.*

In altero ex his nummis, priore scilicet (qui in *Museo nostro* invenitur) inscriptio circumdat oram nummi; in altero recta scribitur linea, sic ut prima vox post cervicem capitis muliebris, posterior ante faciem ejusdem scribatur. In Meo ante faciem Junonis astrum cernitur, sicuti & in nummo *Musei Theupoliani.* Junonis Argivæ Ædem sive Templum commemorat *Pausanias* in Laconicis, sive Lib. III. p. 239. atque addit fama ferri, dedicatam fuisse ab Eurydice, Lacedæmonis filia, Acrisii (Abantis filii) uxore. Argiva itaque Juno ad Lacedæmonios spectat; & tamen notat *Dio* Lib. LXIII. p. 721. Ἠγωνίσατο δὲ ἐν πάσι ὁμοίως πόλεσι ἀγῶνας ἐχούσαις πλὴν Ἀθηνῶν καὶ Λακεδαιμονίων· ταύταις γὰρ μόναις οὐδὲ ἐπεφοίτησε τὴν ἀρχήν. i. e. *Certavit in omnibus urbibus in quibus fiebant certamina, Athenis & Lacedæmone exceptis, quas urbes prorsus non adiit.* Sed notat *Suetonius* in Tiberio Cap. VI. Lacedæmonios fuisse *in tutela Claudiorum*; imo poterat in hoc nummo respici ad Neronis matrem Agrippinam, tamquam Junonem Argivam alteram, haud insolito Græculis adulandi artificio; sed negat hoc annus Neronis ultimus capiti adpositus.

NUM. 12.

Capitis epigraphe incognita mihi est.

ΔΗΜΗΤΕΡΑΣ Λυκάβαντο Δ. (*CERERIS ANNO IV.) Ceres velata stans, dextra tenens spicas, læva longam facem.*

Hic typus sine dubio Agrippinam respicit, cuso nummo, dum adhuc gratia apud filium valeret.

NUM. 13.

Αυτοκράτωρ ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔιΟ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαςὸς Λυκάβαντο ΙΓ. *vel* ΙΔ. *ultima litera enim ærugine corrupta est. (IMPERATOR NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS ANNO XIII. vel XIV.) Caput Neronis radiatum.*

ΝΕΜΕΙΟΣ *detritis reliquis literis, scriptum forte fuit* ΖΕΥΣ, *ut sit, JUPITER NEMEUS. Jovis Nemei caput laureatum.*

Jovis Nemei facies ad Ludos Nemeos spectat, in quibus, pariter ut in reliquis, coronas sacras adeptus fuit Nero. Exstat in *Museo nostro.*

NUM. 14.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαςὸς ΓΕΡμανικὸς, Λυκάβαντο ΙΑ. (*IMPERATOR NERO CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS ANNO XIV. Caput Neronis radiatum, dextram versus, cum lorica squammata ad collum atque angue prorumpente.*

ΠΩΣΕΙΔΩΝ ΙΣΘΜΙΟΣ. (*NEPTUNUS ISTHMIUS.) Caput Neptuni cum tridente. In Musei* mei *nummo ante faciem Neptuni stella est.*

Sicut duo ex præcedentibus nummis ad Certamina Olympica & Nemea, ita hic ad Isthmica spectat, & sequuntur mox Pythia; in omnibus enim illis vesanus Imperator specimina artis edidit, atque coronas sibi vindicavit. Aptissimi horum Certaminum typi sunt Dii, quibus dedicata erant.

NUM. 15.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔιΟ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑΣτὸς ΓΕΡμάνικΟ. (*IMPERATOR NERO CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS.) Caput Neronis laureatum.*

ΝΕΟ ΑΓΑΘΟ (*sic*) ΔΑΙΜΩΝΙ Λυκάβαντο Ε. (*NOVO BONO DAEMONI ANNO V.) Serpens erectus inter duas spicas & totidem papavera.*

In Ægyptio hoc nummo honos defertur Neroni tamquam novo Bono Genio (sub symbolo serpentis) cujus benignitate & providentia fruges copiosissime in illa frugum altrice terra proveni-

rent. Servatur in *Museo Theupoliano* p. 1101. sed ibi vitiose legitur.

Num. 16.

Inscriptio capitis similis præcedentibus esse videtur.

ΠΥΘΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ. (*PYTHIUS APOLLO*) *Caput Apollinis Pythii laureatum cum pharetra ad humeros.*

Quamvis in Pythiis quoque cecinerit & Pythii Apollinis cognomine gaudeat Nero, pessime tamen peculium Dei habuit, teste *Dione Cassio* Libro LXIII. p. 721. Τοῦ δὲ δὴ Ἀπόλλωνος, (εἴτ' οὖν ἀγανακτήσας ὅτι λυπηρά τινα προεῖπεν αὐτῷ, εἴτε καὶ ἄλλως μανεὶς) τὴν Κεῤῥαίαν ἀφείλετο, καὶ στρατιώταις ἔδωκε, καὶ τὸ μαντεῖον κατέλυσεν, ἀνθρώπους ἐς τὸ στόμιον, ἐξ οὗ τὸ ἱερὸν πνεῦμα ἀνῄει, σφάξας. i. e. *Apollini sive iratus, quod ei molestum & grave responsum dedisset, sive alio pacto insaniens, Cirrhæam regionem abstulit, eamque dedit militibus, & locum unde Oracula petebantur delevit; hominibus ad ipsum os, ex quo spiritus Dei mittebatur, interfectis.*

Num. 17. 18.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔιος ΚΑΙΣαρ ΓΕΡμάνικος Λυκάβαντος ΙΔ. (*IMPERATOR NERO CLAUDIUS CAESAR GERMANICUS ANNO XIV.*) *Caput Neronis radiatum versus dextram.*

ΑΚΤΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ. (*ACTIUS APOLLO*) *Caput Apollinis Actii laureatum (in altero laureatum & radiatum) cum astro ante faciem atque pharetra ad humeros.*

Prior ex hisce servatur in *Museo nostro*; sed & tertium habuit notabili capitis discrimine *Jo Tristanus Sanctamantius*, quem depingit atque ita describit Tom. I. p. 233. ,, ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς Λυκάβαντος ΙΒ. Effigies Neronis cum corona radiata atque pharetra post tergum. Legitur ab altera parte: ΑΚΤΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝ. i. e. *Actius Apollo.* Cernitur ibi effigies Apollinis Actii lauro coronati, cum Solis ante faciem astro, atque pharetra ad terga, pariter uti in Neronis, cujus faciem quodammodo refert, capite. Non sunt nummi, exceptis illis qui citharœdi habitu Neronem depingunt, vesaniæ illius luculentiores testes, quam hujusmodi, in quibus Apollo audiri voluit; tamquam scilicet ipse verus Apollo Deus foret, alter ille ad Dæmonum numerum relegandus esset. De Apolline Actio satis dictum est ad Augusti nummos, qui sub ejus Numinis specie cultus fuit. Occurrit autem in hoc nummo Nero tamquam Apollinis Actii illius, id est Augusti, æmulus & obtrectator; pharetra ad humeros suspensa, ut qui longe ferientibus telis suis haud minus uteretur contra Vologesum atque Parthos, quam Actius ille prior contra M. Antonium atque Cleopatram in pugna Actiaca. Fingitur propterea a *Juliano* in Cæsaribus, Silenus ad Apollinem accedens, atque coram Deo accusans Neronem, ut qui Apollini similis haberi voluerit. Tam enim temerarium eumdem esse dicit, ut pro Apolline haberi velit; interrogante autem Deo, quo pacto? addit: per lyram quam portet atque coronam lauream, ἐπί τε προσκιθαρίζει. Apud *Themistium* quoque in Oratione ejus V. introducitur Apollo, ut qui vindicaverit egregie illatam hanc sibi contumeliam: *Neque enim* (inquit) *multis postea seculis de Nerone Romanorum Imperatore dubitavi, tum cum ad hocce Templum venit, num ad me Deus aliquis venisset: sciebam enim sub hominis figura latere belluam. Quamquam ille quidem eo habitu venit, ut & citharam manibus teneret, & citharœdorum stolam gestaret, quam mihi gratam esse poëtarum ac pictorum opinio est. Sed quoniam ineptus ejus animus erat & absurdus: & Imperium omne non externis tantum, sed domesticis etiam cædibus repleverat, nedum illo introeunte gavisus sum, verum abhorrui omnino & abominatus sum, vittaque comam ejus implicans, exeunti coronam detraxi.* Quin & idem supra adductus Imperator Julianus, adjungit eodem loco, quod post accusationem Sileni Neronem torve intuitus fuerit Apollo, inpiumque illum atque sceleratum teterrimis adfici jusserit pœnis. Silenum itaque statim eumdem corripuisse, atque caput ejus decussa corona in Cocytum fluvium infernalem præcipitasse. Fuit certe Nero pessimus omnium ante se Imperatorum, qui Deos scilicet in gubernatione Imperii imitari volebat; remissus nimis atque negligens circa res Imperii, quæ curam vigilem & prudentiam cum animi moderatione requirebant; nimium vero attendens ad res futiles; adeoque, ut ait in Apollonii Vita Lib. V. *Philostratus*, Nero *citharam aptare forte noverat, at Imperium dedecore adfecit intendendo & remittendo.* Comparandus ea ratione (juxta *Dionem Chrysostomum* Orat. III) cum stulto illo Ægypti Rege Ptolemæo, cui ab insano tibia canendi studio Auleti cognomen fuit, qui Regnum canendo perdidit; de quo idem Orator agit Orat. XXXIII. ubi ad Alexandrinos dicit, Regem istum vesano suo tibiæ studio excidisse Regno, atque deliciis & tripudiis suis Alexandrinam perdidisse urbem. Quod si magis quis Neronis stultitiam & turpia desideret Imperatore Romano scire facta eorumque censuram, is adeat ejusdem *Dionis* Orationem XVI." Prior ex his in *Museo nostro* invenitur.

Num. 19. 20.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CAESAR*) *Caput Neronis nudum lævam versus.*

ΝΕΡΩΝ ΑΠΟΛΛΩΝ. (*NERO APOLLO*) *Caput idem Neronis nudum lævam versus.*

Singularis plane hic nummus est, quo Nero Cæsar verus Apollo declaratur, sic ut jam non sub Apollinis vultu adumbretur tamquam alter Apollo Imperator Nero, sed declaretur verus Apollo. Quo scilicet nomine vesanus ille Imperator acclamari sibi gaudebat, quum coram populo indignam Imperatori Romano citharœdi artem ostentasset. Ejusmodi acclamationes notavit *Dio Cassius* in fine Lib. LXI. p. 699. his scilicet verbis: Ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος, εἷς ὡς Πύ-

Πύθιος, μά σε Καῖσαρ, οὐδείς σε νικᾷ. i. e. *Quam pulcher Cæsar, Apollo, Augustus; unus veluti Pythius. Nemo te, per ipsum te Cæsarem, vincit Cæsar.*

Num. 21. 22.

ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ. *NERONI APOLLINI. Nero stans atque canens citharœdi habitu.*

ΝΕΡΩΝΟΣ. (*NERONIS.*) *Victoria gradiens, dextra tenens scutum, læva palmam.*

Quemadmodum primo casu in præcedenti nummo declaratus fuit ipse Apollo Nero, sic in hoc nummo legitur exclamatio vulgi huic Neroni Apollini passim per Græciam & ubicumque caneret, facta. Vix potuit Imperatore Romano turpius excogitari spectaculum. Quin si belluam istam caperet unquam aliquis pudor, tamen ille ipse non sine sanguine & sævitia fuit. Tradunt enim Corbulonem, qui maximas in Asia res gesserat, excitum honorificentissime fuisse a Nerone, sed postquam Cenchreas venisset, ab eodem occidi jussum prius quam in conspectum ejus veniret. Caussa hæc, juxta quosdam erat, ut scribit *Dio Cassius* Lib. LXXIII. p. 722. Κιθαρῳδήσειν γὰρ ἤμελλεν, ὥς τινες λέγουσι, καὶ οὐχ ὑπέμενεν αὐτῷ τὸ ὀρθοστάδιον ἔχων ὀφθῆναι. i. e. *Nero enim (ut quidam ajunt) quum statuisset cithara canere, orthostadium habens, ab eo se videri non sustinuit.*

Num. 23. 24.

ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΚΤΙ. . . . . (*NERONI APOLLINI CONDITORI. . . .*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

ΝΕΡΩΝΟΣ. (*NERONIS.*) *Victoria gradiens, dextra coronam, læva palmam.*

Pertinet huc *Suetonii* locus in Nerone Cap. XXII. *Instituerunt civitates, apud quas Musici agones edi solent, omnes citharœdorum coronas ad ipsum mittere Eas adeo grate recipiebat, ut legatos, qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret.* Apud eumdem Cap. XXV. *Sacras coronas in cubili circum lectos posuit. Item statuas suas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percussit.* Quibus postremis respicitur ad nummos Latinos. Verum in hoc Græco nummo eximie Neroni sese commendat illa civitas, quæ nummum hunc signavit, quæcunque illa sit, ærugine enim nomen periisse videtur. Vocat enim eumdem Κτίστην i. e. *Conditorem suum.*

Num. 25. 26.

ΝΕΡΩΝΙ ΑΠΘΛΛΩΝ. . . . (*NERONI APOLLINI.*) *Nero stans, citharœdi habitu, lyram pulsat.*

ΝΕΡΟΝΟC. (*NERONIS.*) *Victoria stans, dextra coronam tenens, læva palmam.*

Nusquam melius stultitia Neronis Imperatoris depingitur quam apud *Dionem Cassium* Lib. LXIII. p. 716. Ibi narrat, quomodo Consulibus Cajo Telesino & Suetonio Paulino, duo facta sint, quorum unum fuerit honestissimum, alterum turpissimum. Ὅ τε γὰρ Νέρων ἐν τοῖς κιθαρῳδοῖς ἠγωνίσατο, καὶ νικητήρια αὐτῷ μετὰ κρότων, ἐκ τῆς κιθαρῳδίας διδασκάλου ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ ποιησάμενος, ἡνιόχησε. i. e. *Nam Nero certavit inter citharœdos, eique victori magno applausu corona imposita est, perfectisque ludis citharœdorum in circo currus agitavit. Et p.* 718. Ὁ δὲ Νέρων ἐπὶ τούτοις καὶ ἐκιθαρῴδησε δημοσίᾳ καὶ ἡρματηλάτησε, τήν τε στολὴν τὴν πράσινον ἐνδεδυμένος, καὶ τὸ κράνος τὸ ἡνιοχικὸν περικείμενος. i. e. *Post hæc Nero cithara publice cecinit currusque prasina veste indutus, & galero aurigarum ornatus, agitavit.* Facta hæc in ipsa urbe Roma sunt. At in Græcia *in omnibus urbibus certavit*, teste eodem *Dione* ibid. p. 721. in quibus *fiebant certamina; ibique quotiescunque præconio opus fuit, Cluvio Rufo, viro Consulari, est usus. Athenas & Lacedæmonem excipio; quas ne visitavit quidem, quod in altera leges Lycurgi erant, contrariæ ejus instituto: in altera Erinnyes esse dicebantur. Præconium autem fiebat his verbis:* Νέρων Καῖσαρ νικᾷ τόνδε τὸν ἀγῶνα, καὶ στεφανοῖ τόν τε τῶν Ῥωμαίων δῆμον καὶ τὴν ἰδίαν οἰκουμένην. ἔχων γὰρ ὡς ἔλεγεν οἰκουμένην, ἐκιθαρῴδει τε, καὶ ἐκήρυττε, καὶ ἐτραγῴδει. i. e. *Nero Cæsar, victor hujus certaminis, coronat populum Romanum & suum Orbem terrarum. Quum enim Orbem terrarum in sua potestate esse diceret, cithara canebat, fungebaturque præconis officio, & tragœdias agebat.*

Num. 27. 28.

Vacant.

TABULA XV.

QUA COMPREHENDUNTUR

CLAUDII NERONIS

NUMISMATA GRÆCA

SECUNDÆ MAGNITUDINIS,

PLERAQUE ALEXANDRIÆ SEU IN ÆGYPTO CUSA.

NUM. 1.

ΑΥΤοκράτωρ ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹτὸς ΓΕΡμανικός. *Caput Neronis laureatum.*

ΕΙΡΗΝΗ Λυκάβαντος. Ε. (*Pax Anno V.*) *Figura muliebris stolata stans, dextra caduceum, læva galeam tenens.*

Bona pacis sub Nerone, primo scilicet ejus quinquennio, hoc typo celebrant Alexandrini; posita videlicet quam læva gestat Pax casside, laudat quietem & concordiam, cujus symbolum, caduceum, dextra tenet. Servatur in *Museo Theupoliano p.* 1101.

NUM. 2.

Epigraphe capitis a præcedente non discrepat.

ΟΜΟΝΟΙΑ Λυκάβαντος Ε. (*CONCORDIA ANNO V.*) *Figura muliebris stolata, sedens, dextra tenet pateram.*

Non abludit hujus typi significatio ab illo Pacis typo qui præcessit; Pax enim & Concordia geminæ veluti sorores sunt. Et hic nummus ibidem in *Thes. Theupoliano* occurrit

NUM. 3. 4.

Capitis Epigraphe non multum a sequentibus videtur discrepare.

Λυκάβαντος Ζ. (*ANNO VI.*) *in altero:* Λυκάβαντος ΙΒ. *ANNO XI.*) *Caput Isidis loto coronatum.*

Isidis & Serapidis capita trita solent esse Ægypti atque Alexandriæ symbola in omnium Imperatorum nummis.

NUM. 5. 6.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικός. (*NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS.*)

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. (*IMPERATOR.*) *Caput modio, qui linteo circum caput nectitur, tectum. Adscribitur* Λυκάβαντος Ι. (*ANNO X. in altero* Λυκάβαντος ΙΑ. (*ANNO XI.*) *Prior nummus in* Museo nostro *exstat.*

Serapidis caput, Alexandriæ, ut dixi, est symbolum, modio tegitur propter eximiam frugum ejus terræ ubertatem.

NUM. 7.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥΔΙος ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικος. (*NERO CLAUDIUS AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Neronis radiatum.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. *IMPERATOR.*) *Caput Serapidis modio atque corona radiata tectum.*

Eamdem hic typus cum præcedente habet explicationem, nisi quod corona radiata Solis tamquam fœcundantis Ægyptiam terram videatur innuere beneficium. Alexandrinos vero tacite Neronem tamquam Serapin suum sese colere his nummis videntur voluisse significare. Similem publicavit *Tristanus* Tom. I. p. 236. Sed in illo nota anni abest, quæ in hoc additur, videlicet Λυκάβαντος ΙΑ. i. e. *Anno XI.*

NUM.

NUM. 8.

Capitis epigraphen non novi.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ. (*IMPERATOR.*) *Caput barbatum inter duo cornuacopiæ, ex quorum altero prodit puerulus, alterum frugibus impletur.*

Fluvii Nili Ægyptiam terram fœcundantis hoc est symbolum. Caput enim barbatum designat ipsum Nilum fluvium; ex duobus cornucopiis, alterum cum puerulo exeunte, Nili crescentis incrementa atque mensuram denotat; alterum, frugibus impletum, provenientem inde terræ fertilitatem.

NUM. 9.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστος ΓΕΡμανικος. *Caput Neronis radiatum, lævam versus.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Lυκάβαντος ΙΒ. (*IMPERATOR ANNO XI.*) *Caput Africæ elephantis exsuviis tectum.*

Elephantorum nutrix fuit Libya, quare hoc symbolum adsumsit Africa, ut elephantinis exsuviis caput in publicis monumentis tegeret. In *Museo nostro.*

NUM. 10.

Epigraphe capitis a præcedente nummo non videtur discrepare.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Lυκάβαντος ΙΑ. (*INPERATOR ANNO XI.*) *Caput muliebre turritum & velatum.*

Urbis Alexandriæ in Ægypto est Genius, cujus caput turritum & velatum pro more in hoc nummo exprimitur.

NUM. 11. 12.

Prioris epigraphe circa caput nihil a præcedentibus, posterioris parum differre videtur.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Lυκάβαντος ΙΑ. *IMPERATOR ANNO XI.*) *in secundo tantum anni XI. nota scribitur. Caput muliebre galeatum cum hasta & clypeo ad pectus.*

Per bellicosam hanc figuram Dea Roma indigitatur.

NUM. 13. 14. 15. 16.

ΝΕΡΩ ΚΛΑΥδιος ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστος ΓΕΡμανικος. *Caput Neronis radiatum.*

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ Lυκάβαντος ΙΒ (*IMPERATOR ANNO XII.*) *sed in tribus sequentibus notatur annus XII. Depinguntur aquilæ vario positu.*

A temporibus Ptolemæi Soteris Aquila Regni Ægyptii (ut Antiquarii norunt) fuit symbolum. In primo ex his nummis aquila est respiciens; in secundo clavæ insistens cum palmæ ramo transversim ad pectus. Similis typus est in tertio, verum ibi clavæ non insistit; ut nec in quarto, ubi aquila versus lævam locatur, quum in duobus qui præcedunt versus dextram respiciat. Tertius ex his in *Museo nostro* invenitur.

NUM. 17. 18. 19. 20.

Vacant.

NUM. 21. *usque ad* 28.

Horum, quæ juxta caput est epigraphe mihi ignota est.

Inscriptiones pleræque maxima sui parte sunt detritæ, typi autem in illis occurrunt varii.

Ex hisce nummus qui notatur Num. 21. videtur adventum Imperatoris sive profectionem ejus innuere; depingitur enim navis vela faciens, ludentibus in æquore delphinis, literis aliquot (scilicet ΣΕΒΑΣ. . . :) superstitibus, quæ Neronis adventum significare videntur vel profectionem, sic ut per triremen vela facientem simile quid Num. 21. videtur innui. Literæ quæ legi possunt, sunt . . . . ΟΡΟΣ. . . . quasi scriptum fuisset ΠΟΡΟΣ, nisi posterior sit pars vocis ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. Num. 23. vacat. Num. 24. sine inscriptione est, atque ædificium depingit cum tribus fornicibus, aquis, quæ perfluunt, pervium. Dei Luni effigiem exhibet Num. 25. cum literis aliquot detritis, ex quibus hæ legi possunt: ΕΠ. . . . . ΡΑ. . . . ΤΟ . . . . . ΙΟΝΩΝ. . . . . Satis clarum videtur urbis nomen, in qua cusus fuit nummus, fuisse Mæoniam in Lydia sitam. Neronis cum aliis, sed sine nomine magistratus, cujus nomen in hoc quidem nummo scriptum sed temporis injuria deletum fuit, occurrit apud Mæones signatus nummus iridem cum Dei Luni effigie, apud *Jo. Vaillantium* p. 17. Scriptum itaque fuit ΜΑΙΟΝΩΝ. i. e. *Mæonum* Stat autem in utroque Deus Lunus, dextra pateram tenens, læva hastam. Elegans typus exhibetur Num. 26. Cupido tubam inflans, verum magna pars inscriptionis periit, his tantum residuis literis: ΚΟΙΝ. . . . . . Ω . . . . ΜΗΤΡΟ. . . . . Ex quibus discimus urbem, in qua signatus fuit nummus, vocari Metropolin alicujus Provinciæ, cujus Commune typum hunc signaverit, vel pertinere ad Metropolitas Phrygiæ. Jovis deinde caput laureatum habetur, deleta inscriptione, Num. 27. Palladis denique Victricis effigies, literis omnibus, excepta litera A. erosis. Stat dea; læva manu clypeo nixa, dextra tenens victoriolam. Signatus fuit nummus Atheniis.

TA-

TABULA XVI.

NUMISMATA

CLAUDII NERONIS

ROMÆ ATQUE IN COLONIIS

EX MINIMO ÆRE SIGNATA EXHIBET.

NUM. 1. 2.

NERO CAESar AUGuſtus IMPerator. Caput Neronis laureatum lævam verſus.

CERTAMen (in ſecundo CERTAmen) QUINQuennale ROMæ COnſtitutum. Menſa ſacra cum ornatu ſuo, corolla, vaſe anſato, gryphis atque diſco.

Illuſtrant hi nummuli *Suetonii* verba de hujus certaminis inſtitutione in Nerone Cap. XII. *Inſtituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, Muſicum, Gymnicum, Equeſtre, quod adpellavit Neronia.* Quo tempore id acciderit docet *Tacitus*, videlicet anno U. C. 813. *Nerone quartum Cornelio Coſſo Conſulibus* inquit Lib. Annal. XIV. Cap. 20. *Quinquennale ludicrum Romæ inſtitutum eſt ad morem Græci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova.* Poſt longiorem deinde diſputationem ſubjungit Cap. 21. *Sane nullo inſigni dehoneſtamento id ſpectaculum tranſiit. Ac ne modica quidem ſtudia plebis excuſare, quin redditi quamquam ſcenæ pantomimi, certaminibus ſacris prohibebantur. Eloquentiæ primas nemo tulit, ſed victorem eſſe Cæſarem pronunciatum.* Amplius Dio Caſſius in fine Libri LXI. p. 699. Ὑπὲρ δὲ δὴ τῆς σωτηρίας τῆς τε διαμονῆς τοῦ κράτους αὐτοῦ (οὕτω γάρ που προέγραψεν) ἀγῶνα πενταετηρικὸν κατεστήσατο, Νερώνεια αὐτὸν ὀνομάσας· καὶ ἐπ' αὐτῷ καὶ τὸ γυμνάσιον ᾠκοδόμησεν, ἔλαιόν τε ἐν τῇ καθιερώσει αὐτοῦ καὶ τοῖς βουλευταῖς καὶ τοῖς ἱππεῦσι προῖκα ἔνειμε. Τὸν μέντοι στέφανον τὸν τῶν κιθαρῳδῶν ἀνικεὶ ἔλαβε, πάντων ὡς καὶ ἀναξίων τῆς νίκης ἐκκληθέντων, κἀκ τούτου καὶ οἱ ἄλλοι αὐτῷ στέφανοι οἱ τῆς κιθαρῳδίας ἐξ ἁπάντων τῶν ἀγώνων ὡς καὶ μόνῳ ἀξιονίκῳ ἐπέμποντο. i. e. *Poſtea pro ſalute ac diuturnitate imperii ſui (ſic enim edixit) certamen quinquennale inſtituit, quod adpellavit Neronia, cujus cauſſa gymnaſium ædificavit, in cujus dedicatione equitibus ac ſenatoribus oleum gratis diſtribuit. Hic coronam obtinuit Citharœdorum, quos ipſe non vicerat, cæteris omnibus, ut indignis victoria judicatis: itaque reliquæ Citharœdorum coronæ ad eum ex omnibus, quaſi ſolus victoria dignus eſſet, poſtea mittebantur.* Secundus ex hiſce nummulis exſtat in *Muſeo Farneſiano.*

NUM. 3.

NERO CAESar IMPerator. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

Vel,

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus GERManicus. Caput Neronis nudum, dextram verſus, cum globo ad infimam colli partem.

Vel denique,

NERO CAESAR AUGuſtus IMPerator. TRibunicia POTeſtate Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum lævam verſus.

CERtamen QUINQuennale ROMæ COnſtitutum (in aliis CONſtitutum vel CONSTitutum.) Menſa ſacra ſimilis ut ſupra, cum urceo, corolla &c.

Explicatio hujus generis nummorum ex præcedente peti debet. Uterque in *Muſeo noſtro* invenitur; etiam tertius ille cum longiore capitis inſcriptione. Similes publicarunt, *Carolus Patinus* ad *Suetonium* p. 294. & *Laur. Begerus* in Theſ. Brand. Tom. II. p. 623. & *Sebaſt. Ericius* p. 106.

NUM. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

NERO CAESar AUGuſtus IMPerator. Caput Neronis nudum, lævam verſus.

TRibunicia POTeſtate Pater Patriæ. In duobus prioribus, in reliquis diverſimode ſcribitur. Roma galeata ſpoliis inſidens, dextra tenens corollam, læva parazonium.

Similes nummos ſupra ex auro atque argento vidimus, ibique explicavimus. Hi vero nummuli in typis nihil fere variant, niſi quod in qui-

busdam Roma galeam pede premat, inque nonnullis tres clypeos, in aliis duos clypeos post tergum habeat. In inscriptione Num. 5. litera S. cernitur ante frontem Romae, quod vitio monetarii factum est. Nam & ipse unum talem possideo in quo legitur TR. PONS. P. P. quod patet factum vitio, dum Pontificis Maximi titulum cum Tribunicia Potestate confudere Monetarii. Num. 6. hanc habet inscriptionem. TRI. (forte TR*ibunicia Potestate*) IMP*erator Pater Patriæ* PONT*ifex* MAX*imus*. Num. 7. hanc: IMP*erator* TRIB*unicia* POT*estate Pater Patriæ*. Num. 8. hanc: TR*ibunicia Potestate* CO*nsul Pater Patriæ*. Num. 9. hanc: *Pontif.* MA*ximus* TR*ibunicia Potestate Pater Patriæ*. In Num. 10. legitur: PONTIF*ex* MAX*imus* TR*ibunicia* POT*estate* IMP*erator Pater Patriæ*. In 11. denique: MAX*imus* (ut videatur PONT*ifex* positum a priore nummi parte) TRIB*unicia* POT*estate Pater Patriæ*.

NUM. 12. 13.

NERO CLAUDIUS CAESAR AUGUSTUS GERManicus. Columna cum inposita galea, adclines adjacent hasta & clypeus cum capite Medusæ.

PONtifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Oleæ ingens ramus cum baccis.

Videntur hujus generis nummuli respicere ad armorum & sapientiæ studium, quibus initio Imperii, magistris Burrho & Seneca, institutus fuit Nero.

NUM. 14. 15.

NERO CLAUdius CAESar AUGustus GERmanicus. Columna cum galea &c.

Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Similis Oleæ ramus.

Eodem tempore (ut ex inscriptione simili patet) signatus fuit hic nummulus, vulgatus olim ad *Antonii Augustini* Dialogos, atque in *Museo Farnesiano*. Servatur quoque in Museo nostro.

NUM. 16. 17.

NERO CLAUdius CAESAR AUGustus. Noctua aræ lemniscis ornatæ insistens.

TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Olivæ felicis ramus.

Noctua & Olea arbor Minervæ sunt symbola, ara ad religionem cultumque ejus Deæ respicit. Est itaque hic nummulus eodem referendus, quo duo præcedentes.

NUM. 18. 19.

NERO CLAUdius CAESAR AUGustus GERmanicus. Noctua aræ lemniscis ornatæ insistens.

Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IMPerator Pater Patriæ. Olivæ felicis ramus.

Ejusdem significationis est hic nummulus, cujus ille qui præcessit. Servatur in *Museo Farnesiano*, ut & in *Nostro:* sed & alium insuper possidemus, in quo lemniscus per mediam corollam aræ circumpositam transit; qualem fere delineatam videas apud *Jacobum Oiselium* Tab. LII. Num. 6.

NUM. 20.

IMPerator NERO CLAUdius CAESAR. Caput Neronis laureatum lævam versus.

Nota Senatusconsulti in laurea.

Antiochiæ signatus est hic nummus, cujus generis vidimus inter æreos Neronis secundæ magnitudinis.

NUM. 21. 22.

NERO CLAUDius CAESAR. Caput Neronis nudum lævam versus.

Ex CONsensu Decurionum Colonia Campestris Julia Babba. Caput barbatum cum pallio circa humeros, coram quo serpens; in altero barbatum est, humeris nudis, sine serpente.

Babba, urbs Cæsareæ Tingitanæ Claudio atque Neroni nummos signavit; & hunc quidem Neroni, occasione adoptionis ejus, ut in Libro de Coloniarum Nummis censet *Jo. Vaillantius* Tom. I. p. 167. Caput illud quod palliatos habet humeros ex adpicto serpente cognoscitur esse Æsculapii: alterum, torosa magis cervice nudisque humeris, videtur esse Herculis. Uterque apud Babbenses cultus fuisse videtur.

NUM. 23.

Inscriptio capitis mihi incognita est.

C. I. C. A. D. D. Colonus agens boves.

In qua Colonia hic nummulus cusus sit, mihi non liquet. Neque enim Cæsareæ Augustæ adjudicari potest,

poteſt, quia litera I. *Juliam* ſignificans, præcedit; neque Juliæ Celſæ, quia litera A. *Auguſtam* innuens, ſequitur. Præterea poſt Caligulam non inveniuntur Coloniarum nummi in Hiſpania ſignati. Forte ad Africæ urbem Achollam pertinet.

Num. 24. 25.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus. Caput Neronis nudum, in aliis laureatum, lævam verſus.

CORinthi TIberio CLAUDIO OPTATO II. VIRO. In altero: CORinthi Cajo JULIO POLYAENO II. VIRo. Bellerophon ſtans, equum Pegaſum fræno moderatur.

Notiſſima eſt fabula Bellerophontis; hunc, civem ſuum clariſſimum, ſæpiſſime nummis inpreſſerunt Corinthii. Uterque nummus ſervatur in *Muſeo noſtro.*

Num. 26. 27.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus. Caput Neronis laureatum dextram verſus, in nummo priore; in poſteriore, lævam verſus & ſine corona.

CORinthi TIberio CLAUDIO OPTATO II. VIRo. In altero: Caio JULIO POLIAENO II. VIRo. Corona ex apio, in medio legitur: ISTHMIA.

Innuit nummorum typus ſacras in Ludis Iſthmicis coronas, quæ temporibus Neronis dabantur ex apio arido, quum in Ludis Nemeis viride daretur apium. Omnium vero Ludorum coronas ſacras ad Neronem fuiſſe deportatas jam ſupra vidimus. Nummus prior ſervatur in *Muſeo noſtro*, poſterior editus fuit a *Carolo Patino* in Theſauro p. 116. & ad Sueton. 299. uterque a *Jo. Vaillantio* Tom. I. p. 171. 172. atque, addita parte priori ſive capite Neronis, ab *Andr. Morellio* in Theſ. Familiarum, in Fam. Claudia & Julia.

Num. 28.

NERO CLAUDius CAESar AUGuſtus GERManicus TRibunicia Poteſtate IMPerator Pater Patriæ. Caput Neronis laureatum.

CORinthi PUBlio VINICIO II. VIRo. Figura muliebris ſtans dextra pateram tenet, læva cornucopiæ ante virilem togatam itidem ſtantem.

Figura virilis togata ſine dubio ad Neronem pertinet; altera illa muliebris Genium urbis repræſentare videtur, quæ coram Imperatore veluti libat ex patera, gratulatura illi propter felicem in urbe Corintho adventum. Eſt quoque hic nummulus in *Muſeo noſtro.* Familia Vinicia Romae temporibus Auguſti nota fuit.

Num. 29.

NERO CLAUDius CAESAR AUGuſtus. In aliis: NERO CLAUdius CAESAR. Caput Neronis laureatum, lævam verſus.

Quinto FULvio FLACCO II. VIRo. Figura togata ſtans, dextra tenet pateram, læva cornucopiæ, adſcribitur GENius COLoniæ Corinthi.

Et in hac hujus nummuli pictura, & in altera, quam una cum parte ejus anteriore Familiæ Fulviæ inſeruit *Andr. Morellius*, Genium urbis ſive Coloniæ Corinthi toga indutum, eamque læva manu ſinuantem fecit, ſed *Jo. Vaillantius* Tom. I. p. 173. nudum deſcripſit depinxitque eumdem Genium, pallio tantum mediam corporis partem tectum. Depictus autem videtur tamquam ob adventum Imperatoris Neronis ſacra faciens.

Num. 30.

NERO CLAUDius CAESar AUGuſtus. Caput Neronis laureatum.

CORinthi. Quinto FULvio FLACCO II. VIRo. Sol, corona radiata, citas quadrigas agit, dextra tenens flagrum.

Notum ex II. *Pauſaniæ* libro, quomodo de Iſthmo apud Corinthum certaverint inter ſe Apollo & Neptunus, atque a Briareo, Iſthmum Neptuno, Apollini vero ſive Soli, promontorium, quod urbi imminebat, fuiſſe adjudicatum. Unde & Apollinis ſeu Solis quadrigas ſeſe vidiſſe in urbe Corintho adſerit idem auctor. Quas tanto lubentius in hoc nummulo expreſſiſſe videntur Corinthii, quod ſcirent aurigandi mirifico teneri ſtudio Neronem, quem veluti alterum Apollinem ejuſmodi typo ſeſe venerari profitebantur. Occurrit apud *Jo. Vaillantium* Tom. I. p. 173.

Num. 31.

NERO CLAUDius CAESar AUGuſtus. Caput Neronis laureatum dextram verſus.

CORinthi Quinto FLACco Lucio ANNIO II. VIRis. Venus in curru marino, quem trahunt Triton concham læva tenens, atque una ex Nereidibus inflans tibiam.

Hi Duumviri nummos cum ſimili typo in honorem Agrippinæ, matris Neronis, uti cerni poteſt in Agrippinæ nummis apud *Jo. Vaillantium* Tom. I. p. 164. Pulchritudinis & Gratiarum Deam elege-

elegerunt, ut ejusmodi typo Augustæ, quæ formæ lenocinio superbiebat, gratam rem facerent. Apud *Andr. Morellium* in Familia Annia utraque pars nummi depingitur, cujus aversa modo pars hic designatur, atque apud *Jo. Vaillantium* Tom. I. p. 174. Idem vero *Vaillantius* concham in manu Tritonis agnoscit, pro qua illi tædam largitus fuit *Morellius*. Est quoque hic nummulus in *Museo nostro*.

NUM. 32. 33.

NERO CAESar GERManicus AUGustus. Caput Neronis radiatum.

In altero scribitur: . . . . CLEANDRO II VIRo CORinthi. in altero: TIberio CLAUDIO II. VIRo Quinquennali CORinthi. In utroque depingitur figura togata stans, capite radiato, dextram exserens; priori adscribitur: ADLOcutio AUGusti; posteriori: ADVentus AUGusti.

Nullum relinquitur dubium, quin per figuram illam togatam, capite radiata corona ornato, ipse depingatur Nero, qui quum venisset Corinthum, ibi ad Græculos, mire ipsi blandientes, orationem commodam habuisse videtur; quos nimirum (ipsius Neronis sunt verba apud *Suetonium* in Nerone Cap. XXII. *& solos scire audire, solosque se & studiis dignos* prædicabat.

NUM. 34. 35.

IMPerator NERO CAESAR AUGustus. In aliis, legitur: NERO CLAUDius CAESar AUGustus GERManicus. Neronis caput laureatum dextram versus.

Caio JULIO POLYENO II. VIRo QUInquennali CORinthi. In altero nummo legitur: Tito CLAUdio OPTATO II VIRo QUInquennali CORinthi. Triremis prætoria cum vexillo & remigantibus, adscribitur: ADVentus AUGusti.

Plures nummulos cum variis typis signarunt Corinthii, ut exprimerent lætitiam suam propter adventum Neronis, qui in Græciam navigavit, ut ibi caneret, tragœdias ageret, atque currus agitaret, prouti pudendum hoc in Principe Romano studium sugillant omnes, qui Neronis res gestas scriptis reliquerunt. Hi vero Duumviri Quinquennales cognoscuntur ex hisce nummis (prior in *Museo nostro* quoque invenitur) simul gessisse illum magistratum.

NUM. 36.

ADVENTUS AUGusti CORinthi. Triremis prætoria cum vexillo.

Etiam hoc nummulo, quamvis non adscripto Duumviri nomine, adventum Romani Principis celebrarunt Corinthii. Exstat similis apud *Haymium* in Thes. Brit. in quo urbis Corinthi litera initialis tantum scribitur, habetque is ad caput Neronis laureatum hanc epigraphen: NERO CAESAR AUG*ustus* GERM*anicus.*

NUM. 37. 38.

NERO CAESAR AUGustus. Caput Neronis laureatum dextram versus.

Tito VENTIDIO FRONTONE II. VIRo CORinthi. Statua togata in Templo duarum columnarum; in altero nummo similis est statua togata, quam altera muliebris turrita coronat.

Duo insigniora sed diversa in honorem Neronis erecta monumenta in his nummis occurrunt. Prior videlicet nos docet exstructum Corinthi Templum fuisse in honorem Neronis, locatamque in illo Imperatoris imaginem. Posterior statuas duas colosseas a Corinthiis erectas docet, Neronis videlicet Imperatoris atque populi Corinthii eumdem, juxta priscum ejusmodi statuarum morem, coronantis. Primo similem offendit nummum atque vulgavit, sed cum inscriptione mutila, *Laur. Begerus* Tom. II. Thes. Brand. p. 622.

NUM. 39.

Lucius (ita hic, non Caius, legit Jo. Vaillantius *Tom. I. p. 176.) CANinio AGRIPPA II. VIRo CORinthi. Templum plurium columnarum cujus conspectus a latere est.*

Templum hoc videtur esse Veneris, in arce Acrocorintho, quod ex collatione nummi M. Aurelii, pariter Corinthi cusi, patet. Vulgatus is est a *Jo. Vaillantio* Tom. I. p. 270. atque a nobis inter numismata M. Aurelii secundi moduli in *Museo Reginæ Christinæ*. Forsitan in aditu ejusdem inter duas columnas priores statua illa, quæ supra Num. 37. occurrit, fuit collocata, neque enim abludit id a Græcorum artificio, ut cum Venere Dea conjungerent, qui Æneæ sese germen ferebat, Neronem.

NUM. 40.

NERO CAESAR AUGustus GERmanicus IMPerator. Caput Neronis laureatum.

Colonia Patrensis Cleandro P. Q. CO. DO. Statua togata basi inposita dextra extensa læva chartam involutam tenens.

Occurrit hic statua Neronis erecta a Patrensibus in Achaja, de qua statua vide supra p. 121. Fuit nummulus in possessione *Jo. Vaillantii*, ut ipse testatur Tom. I. p. 178. detritis vero aliquot literis, scilicet posterioribus. Possis non difficile ita explere *Pro Quæstore COloniæ Decreto Decurionum*, si scilicet in Colonia Patrensi Decuriones exstiterint.

TABULA XVII.

QUÆ PERSEQUITUR

NUMMOS SED GRÆCOS

NERONIS.

EX ÆRE MINIMO.

NUM. I. 2.

ΣΕΒΑΣΤὸς ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ. (*CAESAR IMPERATOR*) *Caput Neronis laureatum.*

Eadem hæc inſcriptio ab utraque cernitur parte, & ab utraque idem Neronis caput eſt laureatum: quod per monetarii errorem accidit. Altera vero pars notam literæ S. habet incuſam.

NUM. 3.

Sine epigraphe, caput Neronis laureatum.

ΕΠΙ ΒΑΣΙΛΕως ΑΓΡΙΠΠας ΝΕΡΩΝΙ Α. (*SUB REGE AGRIPPA NERONI ANNO I.*) *in Corona laurea.*

Signatus fuit hic nummus in Judæa, uti inſcriptio ejuſdem docet, ſub Rege Agrippa. Secundus hic ejus exſtitit nominis, Rex magnus, qui Judæos plurimis adfecit beneficiis, & ab illis eximie amatus fuit. Temporibus Veſpaſiani & Titi ſuperfuit, ut Flavii Joſephi ſcripta & Hiſtoria ſacra docent.

NUM. 4.

IMPerator CAESAR NERO CLAUdius. Caput Neronis laureatum lævam verſus.

ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. (*SUB CESTIO ANTIOCHENSIUM*) *in Corona laurea.*

Vide quæ diximus ſupra ad ſimilem nummum ſecundæ magnitudinis, qui exſtat Tab. XII. Num. 17.

NUM. 5.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΕΡΕΙΤΩΝ. (*APOLLONIERITARUM.*) *Apollo ſtans habitu muliebri, ſive ſacerdos ejus fæmina, dextra pateram tenens, læva citharæ nixa.*

Apollonieritarum urbs in Lydia ſita, vocari ſolebat Ἀπόλλωνος ἱερὸν, ſive *Fanum Apollinis.* Unde mirari haud debemus, ſi veluti tota Apollini ſacra, imaginem ejus Dei, prouti ibidem (ſicuti puto) colebatur, in moneta ſua expreſſerit.

NUM. 6.

ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΑΛΡ. (*Gadarenſium anno CXXXI.*) *Duo cornua copiæ decuſſatim poſita.*

Pro connexis ΑΜ. quæ pro æra in nummuli pictura inveniuntur debere ſcribi ΑΛΡ. patet ex ſimili nummo apud *Noriſium* in Libro de Epochis Syro-Macedonum, ut & ex altero, quem explicavimus ſupra Tab. XII. Num. 10. licet illi duo nummi non tertii, ut hic eſt, ſed ſecundi ſint moduli.

NUM. 7.

. . . . . ΔΑΛ. . . . . . *Ceres ſtans utraque manu longam facem in terra conſtitutam tenet.*

Longe major pars inſcriptionis eroſa eſt, ſic ut incerti ſimus, quænam urbs hunc nummulum ſignaverit. Forſitan cuſus fuit apud Lydiæ populum, Daldianos, quod tres literæ ſuperſtites videntur innuere.

NUM.

Num. 8.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. (*NERO CÆSAR*) *Caput Neronis juvenile nudum versus lævam.*

ΔΟΚΙΜΕΩΝ. (*Docimensium*) *Cybele turrito capite, junctis ad pectus manibus, stat inter duos leones.*

Docimeum sive *Docimia* (aliter enim ab aliis scribitur) *Stephano Byzantino* urbs est Phrygiæ, *Straboni* autem pagus prope Synnada non magnum oppidum. Decrevisse itaque videtur temporibus *Strabonis*, qui Libro XII. p. 397. Ed. Casaub. laudat propinquam lapidicinam Synnadici lapidis; additque ibidem, nomine Docimiæ venire apud Romanos, sed ab incolis vocari Docimaten & Docimeam. Elegans hic nummulus servatur in *Museo nostro*.

Num. 9. 10.

ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. (*THESSALONICA*) *in altero* ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. (*THESSALONICENSIUM*) *In utroque nummulo cernitur Victoria cum corona & palmæ ramo; in priore globo insistit.*

Thessalonicenses complures nummos in honorum domus Augustæ signaverunt. In his duobus videntur Neroni gratulari victoriam a Duce ejus Corbulone reportatam. Tertium, hisce seu secundo similem, invenire licet in *Museo Theupoliano*, sed in quo nomen urbis in secundo casu scribitur.

Num. 11.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. (*THESSALONICENSIUM*) *in Corona quernea.*

Veluti Servatori civium Coronam hanc Neroni offerunt Thessalonicenses; belluæ, quæ & Romam & Imperium perdere natus erat.

Num. 12.

ΝΕΡΩ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*NERO CÆSAR AUGUSTUS*) *Caput Neronis nudum.*

ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. (*THYATIRENORUM*) *Bipennis.*

Lydiæ urbs Thyateira bipennem in moneta sua signavit ratione originis, quod scilicet ad Amazonas eamdem, sicuti plures Asiæ Minoris urbes, referret. Possideo similem nummulum in *Museo meo* cum hac circa caput Neronis juvenile inscriptione: ΝΕΡΩΝ ΚΛΑΥΔΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΓΕΡμάνικ☉. i. e. *Nero Claudius Cæsar Germanicus.*

Num. 13. 14.

ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. (*CÆSARENSIUM*) *Fasciculus quatuor aristarum.*

Cæsarea, Palæstinæ urbs, eximiam agri sui fertilitatem in nummulis suis atque publica moneta laudare hoc typo solet.

Num. 15.

ΚΑΙCΑΡΕ .... ΜΗΤΡΟΠόλεως. (*CÆSAREÆ METROPOLIS*) *Mulier turrita rupibus insidens.*

Cæsarea hæc non videtur esse Cappadociæ, prius Mazaca dicta, quam Metropolis honore & titulo decoravit Hadrianus; sed Palæstinæ. Quam licet in aliis nummis non viderim nominari metropolin, in hoc tamen nummulo ille titulus exstare videtur. Caput certe Judææ in illa parte fuit atque adpellatur a *Tacito* Lib. II. Histor. Cap. 9. *Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* Vocabatur antea Stratonis Turris, sed eam Herodes pro magnitudine animi sui exornavit, atque splendidissimis decoratam ædificiis nomine Augusti adpellavit, ejusque colosseam imaginem parem Jovis Olympii ibidem dedicavit.

Num. 16.

ΚΥΜΑΙΩΝ. (*CUMAEORUM.*) *Prora navis.*

Nobilissima Æolidis in Asia urbs Cume, sita fuit inter Smyrnam & Phocæam supra Smyrnam ad mare Ægeum, unde & commodam suam stationem & potentiam navalem hoc typo jactat.

Num. 17.

ΛΑΟδικέων. (*LAODICENSIUM*) *Jupiter Philalethes stans ante cippum, cui corolla imposita, in medio corollæ est litera Z. Post Jovem ex corrosa inscriptione superfunt literæ ..... ΟΝΗC.*

Consuetum Laodiceæ urbis symbolum solet esse Jupiter Philalethes. Inscriptio vero magistratus, cujus nomen maxima sui parte periit, forsitan resarciri poterit legendo: ΖΗΝΩΝ ΖΗΝΩΝΟΣ. i. e. *Zeno Zenonis filii*, prouti legitur in nummo a Laodicensibus simul atque Smyrnæis cuso, apud *Haymium* in Thes. Britann. Tom II. p. 188. Num. 3. Quandoquidem vero iste nummus a Smyrnensibus simul atque Laodicenis in honorem Neronis signatus fuit, forsitan haud errabimus si idem de hoc nummulo statuamus, atque Smyrnæ urbis nomen per literam Z. laureæ coronæ inclusam, designari. Notissimum enim est & *Zmyrnam* & *Smyrnam* scripsisse veteres.

NUM. 18.

ΘΕΟΝ CΥΝΚΛΗΤΟΝ ΜΑΓΝΗΤΩΝ CΙΠυλη-νης. (*SACRUM SENATUM qui scilicet colunt MAGNETUM AD SIPYLUM.*) *Caput juvenile.*

Magnetes ad Sipylum montem specimen venerationis suæ erga Senatum Romanum exstare voluerunt hunc nummulum. Plurimi vero ejusmodi nummi sacri Senatus a variis populis cusi inveniuntur.

NUM. 19.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. (*COMMUNE MACEDONUM*) *Clypeus Macedonicus.*

Habuimus similem nummum Græcum ex ære medio supra Tab. XIII. Num. 6.

NUM. 20.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙCΑΡ. (*NERO CAESAR.*) *Caput Neronis radiatum, dextram versus.*

ΜΑΡΩΝΕΙΤΩΝ. (*MARONITARUM*) *Caput Bacchi juvenile.*

Falsarii hujusmodi Neronis nummum nacti, deleto Neronis nomine, substituerunt Othônis, ut videre est inter *Petri Seguini* Numismata Selecta p. 137. quam fraudem hoc Neronis producto nummo castigavit *Andr. Morellius* in Specimine Universæ Rei Nummariæ Antiquæ p. 209. Tab. XXI. Num. 1. 2. Maroneæ, Thraciæ urbis, vino nobilis, præcipuum fuit Numen Bacchus. Exstat in *Thes. Regio Gall.*

NUM. 21. 22.

ΝΕΡΩΝΟC ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΗΓΕΜΟΝΙΑ. (*NERONIS CLAUDII PRAEFECTURA.*) *Caput muliebre myrto (ut videtur) coronatum.*

ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ. (*PERPERENORUM.*) *Uvæ racemus.*

Protulit hunc nummulum atque delineavit *Andr. Morellius* in laudato libello Tab. XXI. Num. 2. & 3. ubi adnotat p. 210. *An Præfectura, quæ in eodem signata, ad Claudiorum aliquem, sive Imperatorem Neronem Claudium spectet, disquirant alii.* Illa disquisitione non opus est, si adtendamus vocem ΗΓΕΜΟΝΙΑ non debere connecti cum præcedentibus primæ partis nummuli verbis, sed cum illis quæ in parte posteriore sequuntur. Dicitur videlicet ibidem Præfectura Perperenorum nummum hunc Claudii Neronis signasse. Pro capite Neronis positum muliebre caput cernimus, quo videlicet *Præfectura* illa adscripta exprimitur, sed ita ut facies ejusdem sit adumbrata ad Octaviæ, quæ Neronis prima fuit uxor, formam. In pluribus nummis Perpereni uvæ suæ nobilitatem jactarunt. Sita autem fuit urbs Perperene in Æolide, juxta *Plinium*, vel in mediterraneis Mysiæ, secundum *Strabonem*. Servatur nummulus in Gaza *Collegii Soc. Jesu Claromontani, quod nunc Ludovici Magni est.*

NUM. 23.

CΙΔΗΤΩΝ. (*SIDETUM*) *Pallas gradiens dextra hastam tenens super humeros, læva parmam, ante pedes est malogranati, vel papaveris figura.*

SIDE, vel Sida, Pamphiliæ fuit urbs, Minervæ sive Palladis cultu insignis; plurimi enim argentei iique majoris moduli occurrunt nummi, in quibus a priore parte cernitur caput Minervæ, galea cristata ornatum, ab altera parte Victoria, ante quam similiter papaveris vel malogranati figura agnoscitur.

NUM. 24.

ΝΕΡΩΝΑ CΕΒΑCΤΟΝ. (*NERONEM AUGUSTUM scil. colunt*) *Caput Neronis laureatum lævam versus.*

Αυλος ΓΕCCΙΟC Ο ΦΙΛΟΠΑΤΡΙC ΖΜΥρ-ναίων (*AULUS GESSIUS PHILOPATRIS, sive patriam amans, SMYRNAEORUM. Homerus sedens, dextra hastam super humeros, superiore parte corporis nuda.*)

Numinis instar Smyrnæis Homerus fuit; illi in urbe sua Templum erexerunt, illi statuas, eumque præ cæteris urbibus æmulis sibi civem vendicarunt. Edidit quoque nummulum hunc (qui & in *Museo nostro* exstat) in Familia Gessia Num. 3. *Andr. Morellius.* Plures hujusmodi possideo nummos, non omnes æque asperos, sed in eo qui optime servatus est, non additum fuit prænomen Auli ad Gessii nomen.

NUM. 25.

ΝΕΡΩΝΑ CΕΒΑCΤΟΝ (*NERONEM AUGUSTUM scil. colunt*) *Caput Neronis nudum, versus lævam.*

ΖΜΥΡναίων ΕΠΙ ΕΡΜΟΓΕΝΟΥC ΚΛΑΡΟC (*SMYRNENSIUM SUB HERMOGENE, CLARUS.*) *Fluvii typus, juvenis nudus recubans, læva urnæ innixa, dextra longam tenens arundinem.*

Fuit clara urbs Smyrna, tum aliis innumeris bonis, tum quoque Melete amni, unde Melesi-

lesigenes dictus Homerus fuit. Sed præter Meletem, fluvios quoque Clarum atque Hermum habuit, ex quibus alter in hoc nummo facie juvenili exprimitur, alter vero senili in proxime sequenti. Exstat in *Museo nostro.*

N U M. 26.

ΕΡΜΟϹ ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ ϹΤΡΑΤΗΓΟϹ. (*HERMUS SMYRNAEORUM PRAETOR.*) *Fluvius nudo corpore decumbens facie senili, dextra tenens arundinem, læva urnæ innixa.*

Incognita mihi nummuli pars est anterior; ubi potuit adscribi nomen Prætoris, cujus dignitas tantum in aversa parte legitur. Nam Hermus, non Prætoris, sed Fluvii, qui in hac aversa nummi parte depingitur, nomen est. *Plinius* Lib. V. Cap. 29. *A Smyrna Hermus campos facit, & nomini suo adoptat.* &c. Nisi forte idem nomen fuerit &. Fluvio & Prætori, qui propterea Fluvii ejus typum elegerit.

N U M. 27.

ΤΗΙΩΝ. (*TEIORUM.*) *Bacchus stans cum thyrso atque cantharum effundens in tigridem.*

Teos, Ioniæ urbs, sæpissime hoc symbolo in nummis suis usa fuit, vini bonitatem & Bacchi cultum commendans,

N U M. 28.

ΤΙβερίȣ ΚΛΑΥδίȣ ΕΥΘΥΝΙΑ. (*TIBERII CLAUDII ABUNDANTIA*) *Caput muliebre peculiari fascia redimitum.*

Quoniam nummuli hujus pars antica mihi incognita est, vix aliquid certi de inscriptione hac statuere possum. Inscriptio illa nominis Tiberii Claudii ad Neronem pertinere nequit, neque magistratus alicujus, ut puto nomen est. Quare suspicor in antica parte exstare Neronis juvenis caput, in hac autem parte postica matrem ejus Agrippinam depingi: quæ ut Εὐθηνία i. e. *abundantia*, *annonæ fertilitas* &c. consideretur, eoque nomine adpelletur, sed simul indigitetur Tiberii Claudii esse conjux.

N U M. 29. 30.

ΝΕΡΩΝΑ ΚΑΙϹΑΡΑ. . . . . (*NERONEM CAESAREM. . . . .*) *Caput Neronis laureatum, lævam versus.*

ΕΠΙ ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΜΙΘΡΙΔΑΤΟΥ. (*SUB CLAUDIO MITHRIDATE*) *Bilancis figura.*

Pertinet rarus hic nummulus ad Mithridatem octavum ejus nominis, Ponti atque Bospori Regem, ultimum in Achemænidis, variis casibus sub Claudio & Nerone actum. Ab Imperatore Claudio Bospori Regno donatus fuit; prospera deinde & adversa fatigatus fortuna, Romæ ab Imperatore Galba fuit interfectus, quod cum Nymphidio, Præfecto Prætorii, qui Imperium adfectabat, conspirasset. Quæcumque de hoc Mithridate scitu digna sunt, variamque ejus fortunam fatumque, retulimus in Hist. Universali patrio sermone conscripta Tomo III. p. 65. 66. Bilancis figura, quæ in postica nummi cernitur parte, mensis cujusdam, divinis ibidem honoribus culti, est symbolum.

N U M. 31. 32.

ΕΠΙ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ. (*SUB MENANDRO*) *Papaver cum duabus spicis colligatum.*

Quum Magistratus tantum nomen proprium in hoc nummulo exstet, nihil certi de urbe, sive illa Smyrna sit, sive alia, definire possumus. Posterior Num. vacat.

N U M. 33. 34. 35.

ΝΕΡΩΝΟϹ. (*NERONIS.*) *in Laurea.*

ΚΑΙϹΑΡΟϹ Lυκάβαντος E. (*CAESARIS, ANNO V.*) *Palmæ ramus.*

Hi nummuli in Judæa cusi sunt, quod palmæ ramus, qualis in minutis ejusmodi Judaicis nummulis invenitur, ostendit: servantur hi quoque in *Museo nostro.*

N U M. 36. 37. 38. 39. 40.

ΝΕΡΩΝ ΚΑΙϹΑΡ. (*NERO CAESAR*) *Neronis caput nudum lævam versus.*

Sine epigraphe. Equus cum palma & astro.

Exigui admodum sunt hi nummuli, eum, qui numero secundus est, possideo, sed parum inter se discrepant. Equorum studium in Nerone commendant, atque aliquem ex victoribus equis, Neroni gratissimum, typo hoc celebrarunt Graeculi. Num. ultimus vacat.

TABU-

TABULA I.

QUÆ COMPLECTITUR
SER. SULPICII GALBÆ IMPERATORIS CAPITA,
EX INTERPRETATIONE
CHRISTIANI SCHLEGELII.

NUM. I.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Servii Sulpicii Galbæ, Cæsaris, qui, *Taciti* judicio, (Libro I. Histor. 49. 4.) *major privato visus, dum privatus fuit, & omnium consensu capax imperii, nisi imperasset,* (*a*) Historiam adgredimur, *Neronis*, successoris & *Othonis* antecessoris; quod olim jam portendi, ex observatione *Suetonii* in vita ipsius Cap. 6. fuit visum, dum scilicet, *Galba*, *Consul per sex menses ordinarius, L. Domitio, Patri Neronis, ipsi verò Salvius Otho, pater Othonis Imperatoris, succederet; non obscuro præsagio, quod medius inter utriusque filios futurus aliquando esset Imperator.* &, quod eo *ipso*, quo *Augustus* decessit, *anno*, Kal Januariis *virilem togam sumsisset*, non vanum fuit vel tunc augurium, ipsum, *exstinctâ Augusti domo*, in *Imperatorem* evasurum, diserte id quoque prodente *Dione*, Libro LVI. pag. 589: *Hæc ostenta Augusto adhuc in vivis morante acciderunt*, τοῖς δὲ δὴ ἔπειτα ἀνθρώποις καὶ τὸ τῶν ὑπάτων τό τε Σεργίου Σουλπικίου Γάλβου ἐνθύμιον ἐγένετο, ἐκεῖνοί τε γὰρ συγγενεῖς πῃ τοῦ Καίσαρος Αὐγούστου ὄντες ἦρχον, καὶ ὁ Γάλβας ὁ τὸ κράτος ὕστερον λαβὼν τότε ἐν αὐτῇ τῇ νουμηνίᾳ ἐς τοὺς ἐφήβους ἐνεγράφη. Ἐπεὶ οὖν πρῶτος μετὰ τὸ Αὐγούστου γένος ἐκ τῶν ἄλλων Ῥωμαίων ἐμονάρχησε, λόγον τινὶ παρέσχεν, ὡς οὐκ ἀπὸ ταὐτομάτου τότε ταῦτα ἀλλ' ἐκ δαιμονίου προβουλῆς ἐγένετο. *Posteris autem Consulum quoque, & Sergii Sulpicii Galbæ eventus, in omen tractus est: quorum illi tum Augusto genere juncti magistratum gessissent, quum fato is fungeretur. Galba autem, qui imperio deinde potitus est, ipsis Kalendis ejus anni Januariis virilem togam sumpsisset: isque, quia primus, post Augusti finitum genus, ex reliquis unus Romanorum summam rerum obtinuit; data est occasio sermoni quorundam, quasi tum ea non casu, sed divino quodam consilio evenissent.* Quicquid tamen hujus sit, vel *septem mensium* (*b*) tantum, hoc est

(*a*) Quorsum & respexisse videtur *Ausonius*, de ipso canens:

Spem frustrate Senex, privatus sceptra mereri
Visus es, imperio proditus inferior.
Fama tibi melior juveni: sed justior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

Atque huc pertinet quod *Tacitus* Libro I. Historiarum de eo habet: *Cui expeditius fuerat tradere imperium quàm obtinere.* Et alibi: *Ipsi medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus.*

(*b*) Ita siquidem *Suetonius* c. 23. *Periit imperii mense septimo.* *Dio* Libro LXIV. p. 731. & *Xiphilinus* in *Galba* p. 201: Ἀφ' οὗ ἦρξε μῆνας ἐννέα, καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς, *regnavit menses novem, dies tredecim*, *Zonaras* Annal. II. p. 191. Ἄρξαντι δὲ μῆνας ἐννέα, καὶ ἡμέρας τρεισκαίδεκα, οὗτος τέλος ἐγένετο, *imperii mense nono, & die decimo tertio hunc exitum habuit.* *Clemens Alexandrinus*: *mense septimo & die sexto.* *Epiphanii* codices viginti dies habent. *Eutropius* *Suetonio* adsentitur, quando Breviario Lib. VI. ita scribit: *Insidiis tamen Othonis occisus est, imperii mense septimo;* Itemque ex *Sexti Aurelii Victoris* Libris Excerpta: *Imperavit menses septem, diesque totidem;* Ac ipse *Aurelius Victor* Parte II. de Cæsaribus: *Ad lacum Curtium cæsus est, mense Imperii ac die septimo.* *Cassiodorus*: *Neroni successit Galba, qui regnavit mensibus* VII. *Egnatius*: *Jam grandis natu imperium septimestre majore hominum ab initio favore, quam læto successu tenuit* Sed cum *Xiphilino* & *Dione* facit omnino *Ant. Pagi* in *Dissertatione hypatica* p. 38. & 203. ac in Prolegomenis N. XIX. itemque

Nori-

eſt breviſſimum exercuit *imperium*, quod illi *puero* adhuc prædixiſſe *Auguſtum* narrat *A. Suetonius* Cap. IV. dum ſcribit: *Conſtat, Auguſtum puero adhuc, ſalutanti ſe inter æquales, apprehenſa buccula, dixiſſe:* Καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς παρατρώξῃ, *ET TU FILI IMPERIUM NOSTRUM DEGUSTABIS.* Sed *Conſuli* jam, *eidemque accito*, idem vaticinatum fuiſſe *Tiberium*, clarè refert *Tacitus* Annal. VI. 20. 3. *Non omiſerim*, ſcribens, *præſagium Tiberii, de Sergio Galba, jam Conſule: quem accitum, & diverſis ſermonibus pertentatum, poſtremò Græcis verbis in hanc ſententiam allocutus: ET TU GALBA QUANDOQUE DEGUSTABIS IMPERIUM, ſeram & brevem potentiam ſignificans. Obvio* verò *noviter marito* hoc factum fuiſſe, refert *Dio* in *Tiberio*, Libro LXVII. p. 616: Οὕτω δ' οὖν τὸ πεπρωμένον ἑκάστῳ τῶν πρώτων καὶ ἐξήτασε καὶ ἠπίστατο, ὥστε καὶ τῷ Γάλβᾳ τῷ μετὰ ταῦτα αὐταρχήσαντι ἀπαντήσας, γυναῖκα ἐγγεγυημένῳ, εἰπεῖν, ὅτι, καὶ σύ ποτε τῆς ἡγεμονίας γεύσῃ. i. e. *Adeo ſanè fatum unius cujuſque præſtantiſſimorum virorum indagabat, ac certò cognoſcebat; ut Galbæ etiam, qui poſterioribus temporibus Imperator factus, tùm forte uxorem duxerat, obviam factus, dixerit: ET TU QUOQUE ALIQUANDO IMPERIUM GUSTABIS;* Cujuſque *Xiphilinus* in *Galba* p. 198. & *Dio* Lib. LXIV. p. 728. his quoque mentionem injiciunt: Οὕτω μὲν οὖν ὁ Γάλβας αὐτοκράτωρ ἀπεδείχθη, ὥσπερ που προεῖπε μὲν αὐτῷ καὶ ὁ Τιβέριος, φήσας ὅτι καὶ αὐτὸς τῆς ἡγεμονίας παραγεύσεται. *Igitur Galba ſic Imperator deſignatus eſt: quod ei Tiberius aliquando prædixerat, quum diceret, eum quoque imperium deguſtaturum;* Et paulo obſcurius *Joſephus*, Antiquit. Judaic. XVIII. 8. Ἦν δὲ καὶ γενεθλιαλογίᾳ Τιβέριος τὰ μάλιστα προσκείμενος, καὶ κατορθουμένῃ αὐτῇ μειζόνως τῶν εἰς τόδε ἀνακειμένων ἑκόντων τὸν βίον ἐξηγμένος. Γάλβαν οὖν ποτε θεασάμενος ὡς αὐτὸν εἰσιόντα, φησὶ πρὸς τοὺς ἐπιτηδειοτάτους αὐτῷ, ὡς παραγένοιτο ἀνὴρ τῇ Ῥωμαίων προτιμησόμενος ἡγεμονίᾳ. *Erat enim mathematicorum diſciplinis addictus Tiberius, juxta quorum conſilia in tota vita pleraque agere eſt ſolitus. Nam & Galbam olim venientem conſpicatus, verſus ad intimos quoſdam amicos: En, inquit, virum, futurum aliquando Romanorum principem.* Quorſum & rectè referas illud *avi* vaticinium, de quo ita *Suetonius* C. IV. *Avo quoque ejus fulgur procuranti, cum exta de manibus aquila rapuiſſet, & in frugiferam quercum contuliſſet, ſummum, ſed ſerum imperium portendi familiæ, reſponſum eſt.* Nec aliud voluit, ex *Suetonii* c. VIII. indicio, iſtud in *Hiſpania Tarraconenſi portentum: Acciditque*, ſcribentis, *ut cum provinciam ingreſſus ſacrificaret intra ædem publicam, puero è miniſtris acerram tenenti, capillus repente toto capite caneſceret; Nec defuerunt, qui interpretarentur, ſignificari mutationem, ſucceſſurumque juveni ſenem, hoc eſt, ipſum Neroni*, annorum ſcilicet *ſeptuaginta trium*; (*a*) quod *Xiphilinus* in Galba p. 199. & *Dio* Lib. LXIV. p 728. ita efferunt: Καὶ παῖς λιβανωτὸν αὐτῷ θύοντι προσφέρων, πολιὰς ἐξαίφνης ἔφυσε· καὶ οἱ μάντεις τὴν τοῦ νεωτέρου ἀρχὴν πρὸς τὸ γῆρας αὐτοῦ μεταστήσεσθαι ἔφασαν *Eidem quoque ſacrificanti puer thus obtulit, ac ſubito canos miſit; qua ex re dictum eſt à vatibus, imperium à minore natu ad ſenectutem ejus eſſe tranſiturum.* Hic Romanorum Princeps nunc oculis noſtris in *primo capite* Tabulæ primæ objicitur, quod *ſenile* plane ſtatim cognoſcimus, quodque omnino *affectus illi*, qui alias ſolent, *comitabantur*, de quibus mox infra. Nunc vero illud, pro more noſtro, paulo curatius contemplabimur. Attendimus verò inprimis *caput calvum, frontem latam, oculos cavos, naſum aduncum, mentum acutum*, eumque planè nobis obvium *vultum*, qualem nobis, veluti penicillo, delineavit *Suetonius* Cap. XXI. *Statura fuit juſta*, ſcribens, *CAPITE CALVO, OCULIS CÆRULEIS, ADUNCO NASO, manibus pedibuſque articulari morbo diſtortiſſimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omninò valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, præpendebatque adeo, ut ægrè faſciâ ſubſtringeretur.* Et neſcimus, an ad noſtrum, an ad alium ſpectent Galbam, quæ de eo refert Macrobius Lib. II. Saturnal. c. 4. p. 332. *Galbæ, cujus informe gibbo erat corpus, agenti apud ſe* (Auguſtum) *cauſam, & frequenter dicenti, Corrige in me, ſi quid reprehendis, reſpondit: Ego te monere poſſum, corrigere non poſſum.* Huc uſque *Suetonius*, ſed de ſingulis ſeorſim plenius. *Calvities capitis* quando ſtatim nobis obvenit, tùm in hoc, tum in primis 7. 8. 10. 11. 15. eam tantam fuiſſe, *Suetonius* Cap. 20. prodidit, ut *miles gregarius, à frumentatione rediens, caput à corpore amputatum præ CALVITIO arripere non potuerit, ſed in gremium abdiderit, ac, inſerto per os pollice, ad Othonem detulerit.* Quod idem non ſolum *Plutarchus* confirmat, ſed & *nomen militis* inſuper addit, ſcribens: Ὃν καὶ φασὶν ἀποκρύψαντα τὴν κεφαλήν, κομίζειν τῷ ἱματίῳ συλλαβόντα, διὰ τὴν ψιλότητα δυσπερίληπτον οὖσαν: *Quem* (Fabium Fabulum) *ajunt, caput Galbæ occultaſſe, & portaſſe in ſinu tunicæ ſuæ, quod præ calvitie apprehendere id non poſſet. Calvitiem capitis* ergo quando ſpectamus, non ſolum *provectæ* ejus *ætatis*, de qua jam ſupra, ſimul reminiſcimur, ſed & *cauſarum, Veneris* ſcilicet inter alias *uſus nimii*, de quo jam plura in *Cæſare* ad Tabulæ primæ Caput primum attulimus. A quo certe non abſtinuiſſe & *Galbam*, diſertè nos edocet Sue-

Noriſius in *Annis* & *Epochis Syro-Macedonum* p. 55. docentque pluribus Galbam fuiſſe occiſum die 15. Januarii A. C. 69. & die 9. Junii Æræ Chriſti 68. A. V. C 821. Imperatorem in Urbe fuiſſe dictum, probatque poſterior tum ex *Joſepho*, tunc vivente, & quidem cum honore in caſtris, qui Lib. V. de bello Judaico cap. 6. ſcribat, *illum imperaſſe menſes ſeptem & totidem dies*, in quo & utrumque Victorem habet conſentientes; tùm *Tacito*, qui Libro I. Hiſtoriarum ait: *Decimo octavo Kal. Febr. ſacrificanti pro æde Apollinis Galbæ Aruſpex Umbricius triſtia exta, & inſtantes inſidias, ac domeſticum hoſtem prædicit*; & *Dione* Lib. 64. tradente, *Galbam, cum in Capitolium proficiſceretur, ſacrificandi cauſa, occiſum fuiſſe, poſtquam ſacrificantem mane Aruſpex identidem monuiſſet, caveret periculum*, quo ipſo die ergo referentibus ex Dione *Tacito*, & *Suetonio* c. 18, periit. Si ergo à 9. Junii numeres ad 15. Jam omnino emergunt menſes 7. & dies 7. & ex hoc corrigendi omninò ſunt reliqui; quicquid etiam *Scaliger* Lib. V. p. 443. Emendat. Temporum ſcribat: *nihil ex Tacito & Suetonio colligi, præter argumenta, quæ incerta eorum Imperatorum initia & vacillantes Scriptorum ſententias magis prodant, quam explicent.*

(*a*) *Suetonius* c. 22. *Periit tertio & ſeptuageſimo ætatis anno. Xiphilinus*, & *Dio* Lib. LXIV. p. 730: Ἔζησε δὲ ὁ Γάλβας ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ἀφ' ὧν ἦρξε μῆνας ἐννέα, καὶ ἡμέρας δεκατρεῖς. *Vixit Galba annos ſeptuaginta duos, regnavit menſes novem, dies tredecim. Zonaras* accuratius Annal. II. p. 191: Γάλβας μὲν οὖν ζήσας ἔτη δύο καὶ ἑβδομήκοντα, καὶ ἡμέρας τρεῖς καὶ εἴκοσιν, ἄρξας δὲ μῆνας ἐννέα, καὶ ἡμέρας τρισκαίδεκα, οὕτως τέλος ἔσχεν. *Galba annos ſeptuaginta duos, dies tres & viginti natus, imperii menſe nono & die decimo tertio hunc exitum habuit.* Eundem & habet *Eutropius* in Breviario: *Huic* (Neroni) *Ser. Galba ſucceſſit, antiquiſſimæ nobilitatis Senator, cum LXXIII. annum ageret;* Nec non *Excerpta ex libris Sexti Aurelii Victoris: Cum ſeptuageſimum tertium ætatis annum ageret, cum factione Othonis accenſas legiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæſus eſt.* Natus vero fuit noſter Imperator A. V. C. 750. Conſulibus M. Valerio Meſſalla & Cn. Lentulo, quo ipſo anno & Chriſtum fuiſſe natum produnt plurimi.

Suetonius Cap. XXII. *Libidinis in mares pronior, & eos non niſi prœduros exoletoſque. Ferebant, in Hiſpania Icelum, è veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modo arctiſſimis oſculis palàm exceptum ab eo, ſed ut ſine morâ velleretur, oratum, atque ſeductum;* itemque *Tacitus* Libro I. Hiſtoriarum: *Luxuria, induſtria, comitate, arrogantia, malis boniſque artibus mixtus, NIMIÆ VOLUPTATES.* Porrò notamus *frontem magnam*, licet de eâ nihil in *Suetonio*, quæ juxta *Alexandrum ab Alexandro* in *Genial. diebus* Libro II. c. 19. *ſegnes* notat, quod vitium in *Galba* jam & alii notarunt, præſertim *Suetonius* cap. IX. ſcribens: *Paullatim in deſidiam, ſegnitiemque converſus eſt, ne quid materiæ præberet Neroni; &, ut dicere ſolebat, QUOD NEMO RATIONEM OTII SUI REDDERE COGERETUR.* Et cap. XIV. *His diverſo vitiorum genere graſſantibus, adeo ſe abutendum permiſit & tradidit, ut vix ſibi ipſi conſtaret; modo acerbior, parciorque: modo remiſſior, ac negligentior, quam conveniret Principi electo atque illud ætatis.* *Tacitus* vero Libro I. Hiſtoriarum: *Invalidum ſenem Titus Junius & Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignaviſſimus, odio flagitiorum oneratum contemptu inertiæ deſtruebant.* Et rurſus ibidem 49. 4. *Sed claritas natalium, & metus temporum obtentui, ut, quod SEGNITIA erat, ſapientia vocaretur.* Nunc ad reliqua, nempe *oculos cæruleos*, quos *glaucos* vocat *Plinius*, & tribuit quoque *Auguſto* (quemadmodum *Homerus Minervæ*, (*a*) *Suetonio* c. 79, *nitidos* & *claros* dictos) Lib. XI. 37. *D. Auguſto, equorum modo, glauci fuere, ſupraque hominem albicantis magnitudinis;* qui *animi non ſatis fidi* aliàs ſolent eſſe indicium; ſed cum *modice conniventes* ſint, *morum* præſtant judicium ſimul *optimorum*, propterea & recte de ipſo *Tacitus* Hiſtor. Libro I. *Quoties expedierat, magnæ VIRTUTES.* Sequitur *aduncus naſus*, qui aliquid *heroici* aliàs & *formoſi* ſpirare ſolet, juxta illud *Martialis* IV. 41. 9.

Frons brevis, aeque modus breviter ſit naribus uncis.

Sic notum eſt, *Perſas* illos *adunco naſo* (quos *gryphos* vocant) *præcipuè honorare*, quod *talem* fuiſſe *Cyrum*, crederent. Indeque fortè eſt, quod (teſte *Suetonio* cap. III.) *Atellanis notiſſimum canticum exorſis: VENIT IO SIMUS A VILLA, cuncti ſimul ſpectatores, conſentiente voce reliquam partem retulerint, ac ſæpiùs verſu repetito egerint;* niſi vocem *ſimi* cum *Caſaubono* velis interpretari pro *perſonâ Comicâ*, *ruſtico*, ſcilicet & *triparco.* (*b*) Quod denique *articulari morbo*, hoc eſt, *chiragrâ & podagra, vexatus fuerit*, non mirandum eſt, ſi conſideramus ea, quæ ſupra de *Veneris uſu nimio* jam diximus, & de quo morbo *Celſus* IV. 24. *In manibus, pedibuſque articulorum vitia frequentiora, longioraque ſunt. Quæ in podagricis, chiragricisve eſſe conſueverunt, ea raro, vel caſtratos, vel pueros ante feminæ coitum, vel mulieres, niſi quibus menſtrua ſuppreſſa ſunt, tentant. Vultum* ſi intuemur totum, torvitatem quandam ille ſpirare ſane videtur, quam non levem *ſævitiæ* notam interpretamur, cujus ſpecimina non pauca *Tranquillus* hinc inde nobis reliquit, ſcribens inter alia cap. XX. *Præceſſerat de eo fama ſævitiæ, quod civitates Hiſpaniarum, Galliarumque, quæ cunctantius ſibi acceſſerant, gravioribus tributis, quaſdam etiam murorum deſtructione puniſſet, & præpoſitos, procuratoreſque ſupplicio capitis affeciſſet, cum conjugibus ac liberis* &c. Et *Tacitus* Hiſtor. Libro I. *Laudata olim, & militari fama celebrata ſeveritas ejus, angebat coaſpernantes veterum diſciplinam.* Pauloque poſt: *Tardum Galbæ iter & cruentum, interfectis Ciconio Varrone, Conſule deſignato, & Petronio Turpiliano Conſulari. Ille, ut Nymphidii ſocius, hic ut dux Neronis, inauditi atque indefenſi tanquam innocentes perierant. Introitus in Urbem, trucidatis tot millibus inermium militum, infauſtus omine, atque ipſis etiam, qui occiderant, formidoloſus.* *Mentum* denique quadantenus *acutum* attendimus, *avaritiæ* alias indicium, quâ laboraſſe quoque *Vitellium*, *Xiphilinus* p. 199. &, unde ille id hauſerat *Dio*, Libro LXIV. p. 728. πλὴν ὅτι χρήματά γε ἄπληστος, ἅτε καὶ πολλῶν δεόμενος, ἤθροιζε, καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐλάχιστα ἀνήλισκεν, ὥστε μηδὲ δραχμὰς ἔστιν οἷς ἂν ὀβολοὺς χαρίσασθαι, *ſed erat in coacervanda pecunia inexplebilis, tanquam multis rebus indigeret, deque ea ita parum impendebat, ut non drachmas, ſed obolos nonnullis largiretur.* Quam & præter *Tacitum*, qui Libro I. Hiſtoriar. 49. 41. de eo: *Pecuniæ alienæ non appetens, SUAE PARCUS, PUBLICÆ AVARUS*, *Suetonius* in ipſo notavit, & aliquot ejus *ſpeciminibus* comprobavit, quando ſcribit cap. 6. *ita ſe Cajo præſenti adprobaſſe, ut inter innumeras, contractaſque ex omnibus provinciis copias, neque teſtimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent.* Et cap. 12. *Præceſſerat de eo fama ſævitiæ ſimul atque avaritiæ, — — quodque oblatam à Tarraconenſibus è vetere Templo Jovis coronam auream librarum XV. conflaſſet, ac tres uncias, quæ ponderi deerant, juſſiſſet exigi.* Notaque ejus *avaritia*, atque exinde *denegata militibus beneficia* in cauſa erant, ut milites ab ipſo ad *Marcum*, *Vitellium*, *& Othonem* deficerent. Sic enim totidem verbis *Dio* Libro LXIV. *Milites Rufi, qui erant in utraque Germania, ira gravius incenſi, quod NULLUM à GALBA BENEFICIUM accepiſſent*, (οἱ ἐν ταῖς Γερμανίαις στρατιῶται, οὓς εἶχε Ῥοῦφος, μηδεμίαν εὐεργεσίαν ὑπὸ τοῦ Γάλβα εὑρόμενοι) *cupiditatem ſuam, quam in Rufo explere non potuerant, in alio explere conabantur. Id fecere præpoſito ſibi Aulo Vitellio* &c. Eandem & cauſam prodit *Tacitus*, Hiſtoriar. Libro I. *Miles urbanus — — poſtquam neque dari donativum ſub nomine Galbæ promiſſum, neque magnis meritis ac præmiis eundem in pace, qui in bello locum, præventamque avaritiam, intelligit, pronus ad novas res &c. — — Nec deerant ſermones, ſenium atque avaritiam Galbæ increpantium.* Nec minoris conſiderationis, quæ *Tranquillus* ſubjicit eodem ſupra citato capite XII. *Illa quoque, verene an falſo per ludibrium jactabantur, appoſitâ lautiore cæna ingemuiſſe eum. Et ordinario quidem diſpenſatori breviarium rationum offerenti, paropſidem leguminis pro ſedulitate, ac diligentia porrexiſſe. Cano autem Choraulæ, mire placenti, denarios quinque donaſſe, prolatos manu ſua è peculiaribus loculis ſuis.* *Plutarchus* §. 22. χρυσοῦς τινας *aureos quoſdam* dediſſe, memorat. Paucis multa quod *corporis* ejus habitum complectitur *Tacitus* Libro I. Hiſtoriarum. *Ipſa ætas Galbæ & irriſui & faſtidio erat, aſſuetis juventæ Neronis, & IMPERATORES FORMA ac DECORE CORPORIS (ut eſt mos vulgi) comparantibus.* Et quando *lauream coronam* circa *caput* denique conſpicimus, ſicuti

(*a*) Vide *Alex. ab Alex.* Gen. Dier. Lib. II. cap. 19.

(*b*) De ſignificatione hujus vocis altercantes vide *Turnebum* in Adverſ. & *Muretum* N. L. XV. II.

ſicuti *eandem ſummi Imperii adepti* ſignum interpretamur, ſecundum illud *Plinii*, Libro XV. *quam capite geſſit primum Cæſar Auguſtus, ac deinde Imperatores Cæſares cuncti*; ita & *illius* de *capite decidentis*, veluti id aliquando rurſus amiſſuri, *Galbæ* e *Tranquillo* recordamur, ſcribente cap. 18. *Obſervatum etiam eſt Kalendis Januariis, ſacrificanti coronam de capite excidiſſe, auſpicanti pullos avolaſſe.* Quale quid & inter caduca auſpicia & omina olim jam retulit *Silius* XVI. 169.

> *Vittaque, majorum decoramen, fronte ſine ullo*
> *Delapſa attactu nudavit tempora Regis.*
> *Talia cœlicolæ caſuro triſtia regno*
> *Signa dabant, ſævique aderant gravia omina fati.*

Faciem ſi denique intuemur *totam*, ſenio illa *macilenta cutis*, *pinguedinem juventutis* & *plenum quondam os* ſatis docet, de quo *Suetonius* iterum cap. XXI. *Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, præpendebatque adeo, ut ægre faſcia ſubſtringeretur.* Quod ſane non aliunde, ac ex *multo eſu* habuit, de quo rurſus *Suetonius* cap. XXII. *Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere conſueverat. Inter cœnam vero uſque eo abundantem, ut congeſtas ſuper manus reliquias circumferri juberet, ſpargique ad pedes ſtantibus.* Ut tamen ſimul & inſignem *illius adulationem* cognoſcamus, (vide cap. XX. *Tranquilli*) ſenis, rugiſque obſiti, *Galbæ* formam, ut *floridam* adhuc & *vegetam* efferentis; immo & ipſius *Galbæ ſtultitiam*, qui palpum admiſit, & firmavit adulanti, reſpondentis: Ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν, (*a*) *vigor animi mihi adhuc firmus eſt*; cum tamen *imbecilla admodum illius ætas & nudus in periculis animus*, ex dictis, factiſque ſatis undique reluceant. Sed a facie nunc procedimus ad *epigraphen*, quæ eſt: *GALBA Imperator. GALBA Sulpitiæ* Gentis *cognomen* eſt, claræ admodum apud Romanos, & illuſtris in Rempublicam meritis. Teſtatur id *Tacitus* Libro I. Hiſtor. 49. 4. *Vetus in familia nobilitas, magnæ opes.* Et paulo poſt: *Et claritas natalium, & metus temporum obtentui.* Idemque adoptionem referens, ibidem, ſic ipſum loquentem inducit *Galbam*: *Si te privatus lege curiata apud Pontifices, ut moris eſt, adoptarem; & mihi egregium erat tunc, Pompeji & M. Craſſi ſubolem in Penates meos adſciſcere; & tibi inſigne, Sulpiciæ ac Lutatiæ decora, nobilitati tuæ adjeciſſe.* Plutarchus ejus proſapiam ſic effert p. 1054. Μέγα δὲ ἔχων εὐγενείας ἀξίωμα, τὸν Σερουΐων οἶκον, αὐτὸς ἐφρόνει μεῖζον ἐπὶ τῇ Κατέλου συγγενείᾳ πρωτεύοντος ἀνδρὸς ἀρετῇ καὶ δόξῃ τῶν καθ' ἑαυτόν. *Cum autem illuſtri nobilitate præcelleret ex Serviorum Gente, ipſe majores animos gerebat ex propinquitate Catuli, viri virtute & laude omnium ſuæ memoriæ principis.* *Suetonius* vero cap. II. *Sed haud dubie nobiliſſimus, magnaque & vetere proſapia, ut qui ſtatuarum titulis pronepotem ſe Q. Catuli Capitolini ſemper adſcripſerit. Imperator vero etiam ſtemma in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Paſiphaën, Minois uxorem, referret. Imagines & elogia univerſi generis exſequi longum eſt &c.* Unde ſane *magnus civis* audit *Juvenali* VI. 558.

> *Cujus amicitia, conducendaque tabella*
> *Magnus civis obit, & formidatus Othoni.*

Itemque *Zonaræ* Tom. II. Annal. p. 189. γενόμενος ἐξ εὐπατριδῶν. *ortus ex Patriciis.* Unde *Galbæ* cognomen & vox ſuam originem traxerit, nos omnium optime edocet *Suetonius* cap. III. *Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur, aut unde traxerit, ambigitur. Quidam putant, quod oppidum Hiſpaniæ fruſtra diu oppugnatum, illitis demum galbano* (eſt autem galba, vel galbanum liquor, ſive reſina e ferula in Syria in Amano monte proveniens, teſte *Plinio* Libro XII. 25. & *Dioſcoride* III. 97.) *facibus ſuccenderit: alii, quod in diuturna valetudine galbeo*, (eſt armillæ genus, quod & militibus ob virtutem dabatur, ut refert *Lactantius Placidus*) *id eſt, remediis* (*b*) *lana involutis aſſidue uteretur: nonnulli quod præpinguis fuerit viſus, quem galbam* (*c*) (*Calb, Belgæ* Kalf, hoc eſt præpinguem) *Galli vocent: vel contra, quod tam exilis, quam ſunt animalia, quæ in eſculis naſcuntur, appellanturque galbæ.* Ut taceamus, *galbeum* ſive *galbinum* colorem, quem *viridem* & *herbaceum* interpretatur *Turnebus* Lib. XVII. c. 8. (nam in veteri Lexico *Galbus* eſt χλωρὸς, hoc eſt, *viridis*, ſive *luteus*) & *Galbanos mores*, quorum Poëta *Martialis* de *Zoilo* L. 3. ep. 82. meminit, & neſcit *Oct. Ferrarius*, qui illi ſint; *Turnebus* vero & *Lipſius molles*, & *effœminatos* interpretantur ex *Juvenali* Satyra II.

> *Cærulea indutus ſcutulata, eſt Galbana raſæ,*

Quod tamen vix eſſe poteſt, dum *Galbæ rigor* & *ſeveritas* potius objecta fuerint. Interim a *corporis habitu* eſſe deducendum, *Carolus Sigonius*, *Gerh. Joh. Voſſius* (*d*) *Joh. Valens*, & alii recte nobiſcum exiſtimant, atque diu ante illos *Fabius*, Inſtitut. Lib. I. c. 7. *Scrutatur mille Præceptor acer atque ſubtilis origines NOMINUM ut quæ ex HABITU CORPORIS, Cicerones, Rufos, Longoſque fecerunt* (*niſi erit aliud ſecretius*) *Sullæ, Burrhi, GALBÆ, Planci, Panſæ, Scauri, taliaque ex caſu naſcentium; hinc Agrippa, vel Opiter, & Cordus & Poſtumus erunt, & ex iis quæ poſt natos eveniunt.* Quod tamen Serviæ Familiæ ſive Gentis *cognomen* potius fuiſſe, certum exploratumque eſt. *Imperator* vero dictus eſt ea ſignificatione, qua *Imperii ſummi poſſeſſionem* deſignat; *quam*, novo exemplo, *extra Urbem* obtinuerat, (ſuo quippe tempore, prodente *Tacito* Hiſtor. Libro I. *evulgatum fuerat hoc arcanum, poſſe Principem alibi, quam Romæ fieri*) *quamque* ipſi, licet *nullo gradu contigerit Cæſarum domum*, (*e*) uti *anteceſſoribus* ſuis & *ſucceſſoribus*, alii tribuunt *Scriptores*, &, qua obtenta, *ſtemma in atrio propoſitum erat, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Paſiphaën, Minois uxorem, referret*, juxta

(*a*) Eſt Hemiſtichium, quod exſtat apud *Homerum Iliad.* E. 254.

(*b*) Vide *Octav. Ferrarium* de Victoria Part. II. Lib. I. Cap. 23. p. m. 815. edit. Græc. T. 6. Antiquit. Rom.

(*c*) Qua ratione vero *L. Begerus* T. I. Theſ. p. 151. ex hoc *cognomine*, quod *primo Sulpitiorum* ſaltem adhæſit, non *ipſi* vero *Imperatori noſtro*, uti totidem verbis docet *Suetonius*, ad *pinguedinem Galbæ* noſtri concludat, concilietque *ejus macilentiam*, quæ ex omnibus propemodum nummis ejus elucet, cum pinguedine, non capimus. Ipſiſque his *Suetonii* verbis refellitur *Caroli Sigonii* pronunciatum Libro de *Nominibus Romanis* c. 5. p. 1981. (T. 2. *J. G. Grævii Rer. Rom.*) ſcribentis: *De Galba ſcribit Suetonius in Nerone, atque an craſſum an macrum ſignificet ambigit.*

(*d*) Libro de Nominibus Romanis T. 2. *J. G. Grævii Antiqu. Roman.* p. 1981.

(*e*) *Suetonius* Cap. I. *Progenies Cæſarum in Nerone defecit.* Et Cap. 2. *Galba ſucceſſit, nullo gradu contingens Cæſarum domum.* Et *Eutropius* VIII. 11. itemque *Oroſius* VII. 8. *Atque in eo* (Nerone) *omnis familia Auguſti conſumpta eſt.* *Dio* Libro LVI. p. 589. *Galba, quia primus, poſt Auguſti finitum genus, ex reliquis unus Romanorum ſummam rerum obtinuit.*

Juxta *Suetonium*; (*a*) cujuſque non ambigua *duodecim ſecures* fuere ſigna, *quæ in Cantabriæ lacu, fulmen poſtquam in illum decidiſſet*, fuere repertæ. (*b*) Quam modeſte vero *Imperatoris titulum* declinaverit *Galba*, perſpicue tradit *Suetonius* Cap. X. *Igitur cum quaſi manumiſſioni vacaturus conſcendiſſet tribunal, propoſitis ante ſe damnatorum, occiſorumque a NERONE quamplurimis imaginibus, & adſtanti nobili puero, quem exſulantem ex proxima Baleari inſula ob id ipſum acciverat, deploravit temporum ſtatum, conſalutatuſque IMPERATOR, LEGATUM SE SENATUS ac POPULI ROMANI profeſſus eſt.* Quod *Plutarchus* effert: στρατηγὸς συγκλήτου καὶ δήμου Ῥωμαίων ὀνομαζόμενος. Sed conjungi heic omnino debent ea, quæ capite II. ſubjicit *Suetonius*: *Sed ſupervenientibus ab Urbe nuntiis, ut occiſum Neronem, cunctoſque in verba ſua juraſſe cognovit, depoſita LEGATI, ſuſcepit CÆSARIS appellationem, quamvis majore favore & autoritate adeptus* hoc ipſum *fuerit, quam geſſerit Imperium.* (*c*) *Dio* de ſuſcepto hoc ſuo imperio hæc nobis memoriæ prodidit Libro LXIII. p. 725. in *Nerone*: Οὐχ᾽ ἑαυτῷ δὲ τὴν ἀρχὴν πράττων ὁ Βίνδιξ, τὸν Γάλβαν, τὸν Σερούϊον τὸν Σουλπίκιον — — καὶ τῆς Ἰβηρίας ἄρχοντα. δυνάμεις οὐ μικρὰν ἔχοντα, εἰς τὴν ἡγεμονίαν προεχειρίσατο: κἀκεῖνος ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν αὐτοκράτωρ ἀνηγορεύθη. *Vindex cum principatum ſibi parare minime ſtuderet, Servio Sulpicio Galbæ, Hiſpaniis præfecto, & magnas copias habenti, IMPERIUM detulit: idemque GALBA AB EXERCITU IMPERATOR DESIGNATUS eſt.* Quod *Zonaras* Tomo II. Annal. p. 189. ita effert: Αὐτοκράτορα δὲ Γάλβαν τὸν Σερούϊλιον τὸν Σουλπίκιον προεχειρίσατο, γενόμενον ἐξ εὐπατριδῶν, καὶ τότε τῆς Ἰβηρίας ἄρχοντα, καὶ ὃς τὴν ἡγεμονίαν ἐδέξατο, οὐκ ἠθέλησε δὲ τὰς αὐταρχίας ἐπικλήσεις προσλαβεῖν τότε. *Imperatorem vero Servilium Sulpicium Galbam deſignavit, virum patricium, tum Hiſpaniæ prætorem: ac is principatum quidem ſuſcepit, ſed Imperii cognomenta tunc aſſumere noluit.* Et *Dio* rurſus paulo poſt p. 726. Ἐπεὶ δὲ περί τε τοῦ Γάλβα ἤκουσεν, ὅτι αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν ἀνηγορεύθη, *ſed poſtquam Galbam a militibus IMPERATOREM deſignatum eſſe, intellexit* &c. Iterumque *Zonaras* Tomo II. p. 189. Μέλλοντος δὲ ταῦτα πράσσειν, ἡ βουλὴ τὴν περὶ τὸν Νέρωνα φρουρὰν ἀποκαλέσασα, εἰσῆλθεν εἰς τὸ στρατόπεδον. καὶ τὸν μὲν πολέμιον ἀπέφηνε, τὸν δὲ Γάλβαν ἀνθείλετο αὐτοκράτορα. *Quæ dum agitaret, Senatus ejus præſidio avocato, caſtra ingreſſus, Neronem hoſtem judicavit, & GALBAM EJUS LOCO IMPERATOREM CREAVIT.* Moxque ſubjicit: Καὶ ἡ βουλὴ τῷ Γάλβᾳ τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα ἐψηφίσατο, *SENATUS, EA, QUAE IMPERATOREM DECENT GALBAE DECREVIT. Porro* & idem Autor *tempus* addit pag. 190. Γάλβας δ᾽ ἐπεὶ ὁ Νέρων διέφθαρτο, καὶ ἡ βουλὴ τὴν ἀρχὴν αὐτῷ ἐψηφίσατο, καὶ ὁ Ῥοῦφος αὐτῷ προσεχώρησεν, ἀνεθάρσησεν, *GALBA poſt Neronis interitum, DECRETO SIBI A SENATU PRINCIPATU, etiam Rufi copiis auctus, recepit animum.* Claudianus *Dionis* verbis Libro LXIV. p. 728. quæ & Xiphilini ſunt p. 198. οὕτω μὲν οὖν ὁ Γάλβας αὐτοκράτωρ ἀπεδείχθη, *igitur Galba ſic IMPERATOR deſignatus eſt.* Idque erat, quod ſubinde jactabat, ac cui maximis inhærebat adverſitatibus teſtantibus eodem *Dione* l. c. p. 728. & ex illo Xiphilino p. 199. Αὐτὸς δὲ τὰ μὲν ἄλλα μετρίως ἦρχε, καὶ ἀνεπαχθὴς ἦν, νομίζων, οὐκ εἰληφέναι τὴν ἀρχήν, ἀλλὰ δεδόσθαι αὐτῷ. *In regno continens erat Galba, inviſuſque nemini, ſibi enim Imperium delatum eſſe, non ſe ſuſcepiſſe arbitrabatur* Hocque reſpectu οὐκ ἠξίου τὸν αὐτοκράτορα ἀναγκαζόμενόν τι ποιεῖν, *indignum eſſe putabat, IMPERATOREM coactum aliquid facere* Sed hæc de Imperio ipſi a Senatu legitime delato abunde ſurreiant. Reſtat, ut & doceamus, quando Imperatoris Titulum in literis ſuis & Nummis etiam uſurpare inceperit, quod diſtincte nobis prodit *Zonaras* Tom. II. Annal. p. 190. Πρὶν τοὺς καὶ βουλῆς πρεσβευτὰς πρὸς αὐτὸν ἐλθεῖν, ἀλλ᾽ οὐδὲ τὸ τοῦ αὐτοκράτορος πρότερον, εἰς οὐδὲν γράμμα ἐνεγέγραφε. *Nec Imperatoris nomen in ullis literis uſurpavit prius, quam Legati a Senatu adveniſſent.* Interim Imperatorium hunc titulum ſicuti in aliis capitibus v. 9. & 7. 8. 9. 14. 15. 16. & aliis ut prænomen non ſolum offendimus, quod Julio Cæſari primum novo more a Senatu fuiſſe conceſſum, ſupra in Cæſt.e N. 14. ex *Tranquillo* cap. 76. *Non enim*, inquiente, *honores modo nimios recepit, ut continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, inſuper prænomen Imperatoris.* (quamvis id in nummis uſurpaſſe non legamus.) Monuimus vero, Auguſtum eodem uſum fuiſſe, idque nummos comprobare perinde ſcimus, ſicuti Tiberium & Claudium ab eodem abſtinuiſſe, teſtibus *Suetonio* quidem & *Dione* (*d*) ſed nummis luculenter ſatis contradicentibus. Ita heic & in aliis pluribus ſubſequentibus Capitibus, v. g. N. 6. 12. ſæpius ut cognomen legimus, id quoque obſervante Illuſtriſ. *Spanhemio* in de U. & P. Numiſm. diſſ. VIII. p. 688. ſcribente, idem non perpetuo PRÆNOMINIS, ſed etiam vice COGNOMENTI quandoque a prioribus Cæſaribus uſurpatum, ut ex plurimis Neronis, GALBÆ, & Vitellii nummis liquet.

NUM. 2.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, quaſi globo inpoſitum.

De ſingulis ad præcedentem Numerum jam dictum eſt, nihilque diſcrepat ab iſto, niſi diverſa diſpoſitione literarum, vel propter quam ſolam & heic inſculptum comparet; & additione orbiculi, ſive globuli; cui uti heic, ita & alibi Capita Imperatorum quandoque inſiſtere novimus, cui tale quid & infra in Vitellii & aliis rurſus obſervabimus, quo ſine dubio orbem terrarum adumbrare voluerunt, veluti ipſorum imperio ſubjectum.

NUM.

(*a*) Cap. 2. *Imperator vero etiam ſtemma in atrio propoſuerit, quo paternam originem ad Jovem, maternam ad Paſiphaën, Minois uxorem, referret.*

(*b*) Suet. C. 8. *Nec multo poſt in Cantabriæ lacum fulmen decidit, repertæque ſunt ſecures duodecim, haud ambiguum ſummi Imperii ſignum.*

(*c*) Referente hoc eodem *Tranquillo* cap. 14.

(*d*) Ille cap. 26. *Prænomen quoque Imperatoris recuſavit.* Hic Libro LVII. p. 602. *His itaque artibus inſtructus Tiberius ſtatim ad exercitus & provincias Nola tanquam Imperator, literas dedit, Imperatorem quidem ſe non appellans. Nam id nomen cum aliis ſibi decretum, non adſumſerat.*

NUM. 3.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum dextram verſus globo inpoſitum.

B. L. ſaltem diverſam diſpoſitionem literarum & capitis heic notabit, reliqua adſuere omnia.

NUM. 4.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum dexteram verſus globo inpoſitum.

Sola diverſa literarum diſpoſitione conſpicuum hoc ipſum eſt caput.

NUM. 5.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, globo inpoſitum.

Cum illo N. 1. capite per omnia convenit, niſi quod heic viſatur globo inpoſitum.

NUM. 6.

SERvius GALBA IMPerator. Caput laureatum, lævam verſus.

IMPeratorium axioma non ſolum heic, veluti cognomentum, de quo ſupra pluribus N. 1. attendimus, ſed & cumprimis prænomen SER. quod SERvius omnino interpretamur, non neſcientes multos alios, neque imæ caveæ Autores, id legere SERgium. In iis vero inter primos eſt *Suetonius*, qui non ſolum unum e majoribus Galbæ c. 3. vocat Sergium, dum ſcribit: *Familiam illuſtravit SERGIUS GALBA Conſularis temporum ſuorum eloquentiſſimus*, ſed & ipſum noſtrum Galbam eodem capite: *Ex Achaica* (pater Galbæ) *liberos Cajum & SERGIUM procreavit.* & capite demum IV. *SERGIUS* (*a*) *GALBA IMPERATOR — natus eſt.* Sic *Hircius* de bello Gallico ſcribit adverſarios Cæſaris inſolenter gloriatos ereptum eſſe Sergio Galbæ conſulatum. Porro & *Oroſius* Libro III. teſtatur Sergium Galbam Prætorem a Luſitanis magno prælio victum fuiſſe, & *Chriſtophorus Beſoldus* a *Chriſt. Adam. Ruperto* in Obſervationibus ad ſynopſin *Beſoldi* caſtigatus, & noviſſime demum *Joh. Georg. Grævius* in Commentario ſuo ad Suetonium p. 607. Sed male hic obtemperatum fuit *Urſino*: Non ſolum enim codex *Salmaſii* ſcribit *SERgio* hoc loco, ſed & *Dio* Libro LVI. Σεργίου Συλπικίου Γάλβα & antiquus nummus in Tab. Croyacis p. 21. IMP. SERG. GALBA AUG. TR. P. P. P. Sed noſtram tuemur lectionem autoritate *Suetonii* capite IV. *Lucium* mox pro SERVIO (*b*) uſque ad tempus Imperii uſurpavit, Serviumque ſemper oculatiores Autores locis ſupra ex *Suetonio* citatis ſubſtituunt, tum & *Plutarchi* in ejus Vita p. 1054. μέγα δ' ἔχων εὐγενείας ἀξίωμα, τῶν Σερβίων οἴκων, *cum autem illuſtri nobilitate præcelleret ex SERVIORUM GENTE. Dioni Dionem* opponimus nempe Libro LXIII. p. 725. ſcribentem: *Vindex cum Principatum ſibi parare minime ſtuderet*, τὸν Γάλβαν τὸν Σέρβιον τὸν Συλπίκιον εἰς τὴν ἡγεμονίαν προεχειρίσατο, *Servio Sulpicio Galbæ Imperium detulit.* Sic *Dio* majores referens, idem iis tribuit prænomen, v. g. Libro XXXVII. p. 51. *L. vero Marius* καὶ Σέρβιος Γάλβας, *L. Servius* (*c*) *Galba tranſmiſſo Rhodano, Allobrogum ditione vaſtata, ad oppidum tandem Solonium pervenerunt.* Idemque Libro XL. p. 120. *ac, ne tum quidem obtinuiſſet, niſi Servius Galba* (εἰ μὴ ὁ Γάλβας ὁ Σέρβιος συστρατευσάμενος αὐτῷ,) *qui ejus in ea militia ſocius fuerat tunc prætor ſuffragia dediſſet.* Rurſus Libro XXXIX. p. 94. Cæſaris legatum nominans Γαρβαροσερβίος eundem vocat, pro quo *Leonclavius* in margine repoſuit Γάλβας ὁ Σέργιος, ſed primariam lectionem recte eleganterque ut ſolet heic vindicat Illuſtriſſ. *Ezech. Spanhemius* Diſſertatione ſexta p. 515. His accedunt in Nummis Gentis Claudiæ crebri Appii & in SULPITIA SERVII, nomine etiam integro præter morem ſcribendi id genus prænomina Romanis uſitatum. Factum vero, quod ab illa frequentia horum Prænominum in eadem Gente, APPII & SERVII, Gentili & cognomine omiſſo, ſæpius dicerentur; ut ex *Livio*, *Cicerone*, aliiſque haud ignotum, quod in Gentibus alias rarius videas accidiſſe: Sic Otho apud *Tacitum* poſt Julios Claudios, SERVIOS, ſe primum in Familiam novam imperium intuliſſe, ubi Servios prænomen Gentis Sulpiciæ pro ipſa Gente uſurpatum legis, & inter aliarum illuſtrium Gentium nomina collocatum. Corruptum vero adhuc illud nomen apud varios auctores, ut apud Dionem Γαρβαροσερβίος vocatur Cæſaris legatus, pro quo *Leonclavius* male emendabat Γάλβας ὁ Σέργιος, qui Γάλβας ὁ Σερβίος dici debuit, ſicuti recte legitur alibi apud *Dionem*; quem male rurſus ibi ſollicitat vir doctus. Mitto vulgarem errorem, qui SERGIUM GALBAM nobis pro SERVIO paſſim obtruſerat; quod vel denarii illi Gentis Sulpi-

(*a*) *Sergius* habent in Suetonio membranæ Memmianæ, codex Salmaſii, Philippus Beroaldus & Antonius Sabellicus editionis Pariſinæ 1512. ex recentioribus *Samuel Pitiſcus.*

(*b*) Hanc lectionem tuentur *Torrentius* in Commentario in *Suetonium*, itemque ὁ πάνυ *Iſ. Caſaubonus* in notis ad *Suetonium* c. 3. „ Mirum, inquiens, in pleriſque Membranis, „ etiam Memmianis *Sergium* ſcribi. Mendoſe prorſus; etſi „ non omnes animadvertere videas, atqui Servius eſt prænomen Romanorum, ut Cajus; Sergius vero per G eſt nomen „ gentis, non autem prænomen. „ *Juſtus Lipſius* itidem in notis ad Tacitum p. 647. ſcribens: „ Sulpiciæ gentis, ex qua „ Galba ortus, peculiare prænomen Servii fuit. Emendandus aliquam multis locis *Suetonius*, apud quem *Sergius* „ perperam ſcribitur gentile nomen Catilinarum. „ Taceo *Car. Patinum* in ſuo Suetonio ſemper reponere *Servium* pro *Sergio.* *Gulielmus Xylander Auguſtanus* in Annotationibus ſuis ad Plutarchum hunc errorem (*Sergii* ſcribentem) jam pridem exploſum eſſe ſcribit. *Fulv. Urſinus Sergius* in *Servium* mutat, ex omnibus libris MStis & item antiquis Numiſmatibus, in quibus: SER. SULPICIUS GALBA appellatur. Peculiare vero prænomen Servius Sulpiciæ Familiæ ita fuit, ut ſæpe pro ipſo familiæ nomine uſurparetur, Quod conſtat etiam ex eo, quod Suetonius dicit Galbam uſque ad tempus imperii Lucium nomen pro Servio uſurpaſſe; cum tamen aliis familiis Servius prænomen fuit.

(*c*) Non nego tum in hoc, tum ſequenti in loco in margine *Dionem* habere lectionem variantem Σέργιος, & Sergium quoque in verſione latina legi, interim tamen & hanc lectionem a *Johanne Leonclavio* fuiſſe prælatam & textui inſertam.

piciæ, quibus non jam SER. per compendium more consueto, sed SERVIUS integris literis describitur, abunde poterant refellere. Membranas Memmianas & codicem Salmasii omnibus convincimus libris MStis, quos Fulvius Ursinus inspexit, *Servium* in iisdem legi attestans. Alios Autores Sergii prænomen Galbæ majoribus tribuentes, cum & ii eundem errorem, legentes in codicibus SER. & Sergium interpretantes, errare potuerint, non moramur. Et contra Croyaci denique nummum alios, & majoris adhuc momenti nummos in arenam producimus, eosque non solum, quos *Hubertus Goltzius* olim vidit & in Thesauro rei antiquariæ uberrimo pag. 46. adduxit, in quo legas: ΣΕΡΟΥΙΟΣ ΣΟΥΛΠ. ΓΑΛΒΑΣ ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒ. Sed & ex aliis infra Tab. II. N. 50. 52. 53. 54. & 55. adducendis id reddetur omnino manifestissimum. Peculiare quoque est, sed quod Servii prænomini magis patrocinari videtur, quod *Zonaras* Annalium Tomo II. p. 189. ipsum Servilium Sulpicium nominet, scribens: αὐτοκράτορα δὲ Γάλβαν τὸν Σερβίλιον, τὸν Συλπίκιον προεχειρίσατο, *imperatorem vero Servilium Sulpicium Galbam designavit.* Sed quod mallem ex falso Librariorum descriptione derivare, perinde ac modo laudatus *Spanhemius* eodem ex fundamento locum *Plutarchi* restituit, nempe in Catone majore, quem dicit nonagesimum annum ingressum accusatorem exstitisse Σερβιλίῳ Γάλβᾳ, pro Σερβίῳ, quod vidi doctos interpretes in notis jam quoque observasse.

NUM. 7.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ nudum ac quodammodo calvum, lævam versus.

Cum senex cum maxime in hoc & sequente capite compareat Galba, repetenda illa omnino heic erunt, quæ supra ad Num. 1. adduximus. Senem fuisse ex ætate non solum ejus constat, quam supra ad eundem Numerum notavimus, dum scilicet, annum agens septuagesimum tertium, periit, sed & ita Autoribus pluribus vocatur; quid quod & ipsa ætas provecta aliquoties ipsi objecta fuit. Prius docet *Zonaras* Tom. II. Annal. p. 190. Galba cum in Capitolium ad rem divinam faciendam properaret, in medio foro, peditum & equitum occursu, ἐκεῖ τὸν γέροντα, τὸν ὕπατον, τὸν ἀρχιερέα, τὸν Καίσαρα, τὸν αὐτοκράτορα, πολλῶν ὁρώντων κατέσφαξαν. *SENEX, Consul, Pontifex, Cæsar, Imperator, multis inspectantibus, est trucidatus. Dio* idem confirmat Libro LXIV. p. 729 οὕτως, εἰ καὶ τῇ ἡλικίᾳ τῇ τε νόσῳ ἐκεκμήκει. *Itaque Galba licet ætate & morbo confectus esset* &c. Ac paulo post subjicit p. 730. Καὶ αὐτῷ ἐν μέσῃ τῇ Ῥωμαίων ἀγορᾷ ἀπαντήσαντες ἱππεῖς καὶ πεζοὶ ἐνταῦθεν τὸν γέροντα, τὸν ἀρχιερέα, τὸν αὐτοκράτορα, πολλῶν μὲν βουλευτῶν, παμπόλλων δὲ δημοτῶν παρόντων, κατέσφαξαν. *Occurrunt ei medio in foro equites peditesque, ibique senem, Pontificem & Imperatorem occidunt, multis Senatoribus, multisque plebejis hominibus præsentibus.* Hæc causa quoque erat liberius in urbe loquendi quam par erat, quod & *Tacitus* non tacet, scribens, Libro I. Historiar. *Non sane crebrior tota civitate sermo per illos menses fuerat. Primum licentia ac libidine talia loquendi; dein fessa jam ætate Galbæ.* Immo senectutem suam causam adoptionis Pisonis vel ipse prætendit Galba, *Adhibitoque super Vinium,* (pergit laudatus *Tacitus*) *ac Laconem Mario Celso, Consule designato, ac Ducenio Gemino Præfecto Urbis, pauca præfatus de sua senectute, Pisonem Licinianum accersiri jubet.* &c. Cæterum de omnibus perigraphes vocibus supra N. 1. jam egimus, nisi de AUGusti, quæ prima vice heic occurrit, quæ tamen ipsa, veluti ab Augusto proveniens, in omnes Augusti successores, & in hunc nostrum quoque Galbam, Familia Augusti jam exstincta, fuit derivata, quanquam teste *Zonara* Annal. Lib. II. Imperator a Senatu designatus Principatum quidem susceperit, IMPERII vero COGNOMENTA (in quibus & AUGUSTI locum habet quam maxime) ab initio statim assumere noluerit, (οὐκ ἠθέλησε δὲ τὰς τῆς αὐταρχίας ἐπικλήσεις προσλαβεῖν τότε) donec Legati Senatus ad ipsum venissent, ipseque urbem esset ingressus. Cæterum & confirmatum hoc ipso videmus capite, quod de prænomine Imperatoris supra jam ad N. 1. monuimus. Cæterum exhibent hoc caput *Torrentius* & *Grævius* in Notis ad Suetonium, & posterior quidem p. 602.

NUM. 8.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ nudum & calvum dextram versus.

Nihil differt a præcedenti, nisi quod heic dextrorsum, ibi sinistrorsum respiciat.

NUM. 9.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Cum eadem sit perigraphe & N. 7. caputque ab illo non nisi laurea, de qua supra N. 1. jam egimus, distinguatur, eo B. L. ablegamus.

NUM. 10.

SERvius GALBA CAESar AUGustus. Caput Galbæ nudum & calvum, lævam versus, pectore veluti loricato.

Quando heic caput Galbæ intuemur eo veluti pectore loricato, sive, ut Poëta loquitur

—— —— *Chalybum munitum pectora textum;*

non possumus non recordari non solum virtutis bellicæ, qua maxime inclaruit Galba; sed & moris, quo lorica communiter uti consuevit, qua & ipsa se munivit, cum jam ad extrema esset perventum. *LORICAM* (scribit *Tranquillus* cap. XIX. & quæ veluti squamata heic comparet,) *tamen induit linteam, quanquam haud dissimulans; parum adversus tot mucrones profuturam.* Hanc Tacitus vocat *thoracem* I. 35. 2. *donec sumpto thorace Galba sella levaretur.* Qua ratione & occisum narrat Plutarchus p. 1065. Τὸν δὲ Γάλβαν ἀποκλιθέντος τοῦ φορείου περὶ τὸν Κούρτιον καλούμενον λάκκον, ἐκκυλισθέντα τεθωρακισμένον ἐπιδραμόντες. *Galbæ eversa lectica ad lacum Curtium provoluto, & in thorace jacenti*

centi accurrentes ingesserant vulnera. Ubi notes sic & habitu comparere voluisse Julium Cæsarem, siquidem *Plinius* H. & Libro XXXIV. c. 5. de eodem ita: *CÆSAR quidem DICTATOR locatam sibi dicari in Foro suo passus est (statuam) novimusque Lucium Scipionem statuam suam Chlamydatam & crepidatam in Capitolio poni voluisse. Valer.* Lib. III. c. 6. Thorace & usum esse Augustum & per illum fuisse vulneratum, Appianus nos edocet Lib. V. de B. C. p. 742. Καὶ τῶν ὁπλοφόρων τις τῶν δὲ Καίσαρος ἔπεσε, καὶ αὐτὸς ὁ Καῖσαρ ἐς τὸν θώρακα ἐβλήθη, τὸ δὲ βέλος οὐκ ἐξίκετο ἐπὶ τὸν χρῶτα, ἀλλὰ δρόμῳ διέφυγεν ἐπὶ τοὺς ἱππέας. *Unus scutariorum Cæsaris cecidit, ipse in thoracem telum recepit, quod tamen ad vivum non pervenit, moxque cursim se recepit ad equites.* Cæterum reliqua in præcedentibus a nobis sunt explanata, nisi CÆSARIS vox, quæ heic primum occurrit. Hæc sicuti successionis jure ipsi competebat, ita hoc dignitatis (non familiæ tunc temporis amplius) genus, sicuti Imperatoris adpellationem modeste declinaverat, *consalutatus Imperator, LEGATUM se SENATUS ac Populi Romani professus est,* inquit *Tranquillus* cap. XX. Moxque subjicit: *Sed supervenientibus ab Urbe nuntiis ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurasse cognovit: deposita LEGATI suscepit CÆSARIS appellationem.* Clarius id adhuc tradit *Tacitus* Histor. III. 58. *CÆSARIS APPELLATIONEM suscepit, ASPERNATUS ANTEA, sed tunc, superstitione nominis, & quia in metu consilia prudentium, & vulgi rumor juxta audiuntur.* Idem & tradit *Zonaras* Libro II. Annal. p. 189. & 190. *Imperatorem vero Galbam designavit, ac is Principatum quidem suscepit,* (οὐκ ἠθέλησε δὲ τὰς τῆς αὐταρχίας ἐπικλήσεις προσλαβεῖν τότε) *sed IMPERII COGNOMENTA* (inter quæ CÆSARis vel primum locum occupat) *tum assumere noluit.* Ac mox pergit: Γάλβας δ' ἐπεὶ ὁ Νέρων διέφθαρτο, καὶ ἡ βουλὴ τὴν ἀρχὴν αὐτῷ ἐψηφίσατο, καὶ ὁ Ῥοῦφος αὐτῷ προσεχώρησεν, ἀνεθάρσησεν, οὐ μέν τοι καὶ τὸ Καίσαρος ἀνέλαβεν ὄνομα, πρὶν τοὺς τῆς βουλῆς πρεσβευτὰς πρὸς αὐτὸν ἐλθεῖν, ἀλλ' οὐδὲ τὸ τοῦ αὐτοκράτορος πρότερον εἰς οὐδὲν γράμμα ἐνεγεγράφει. *Galba post Neronis interitum, decreto sibi a Senatu Principatu, etiam Rufi copiis auctus, recepit animum: sed CÆSARIS APPELLATIONEM non admisit, nec IMPERATORIS NOMEN in ullis literis usurpavit prius, quam LEGATI a SENATU advenissent.* Eodemque dignitatis elogio, quo delictum exaggeret eo magis, & cunctis ob oculos ponat, idem Autor mactat, cædem ejus describens, in medio, dum ibidem ait, foro peditum & equitum occursu senex, Consul, Pontifex, τὸν Καίσαρα τὸν αὐτοκράτορα, CÆSAR, IMPERATOR, multis inspectantibus est trucidatus.

Num. 11.

SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ nudum dextram versus, pectore veluti loricato.

Diversum capitis positum attendimus, cætera adfuere omnia ac singula Numero præcedenti.

Num. 12.

SERvius GALBA IMPerator AUGustus. Caput Galbæ laureatum dextram versus, globo veluti inpositum.

In præcedentibus capitibus cum Cæsar Augustus audiverit, heic Imperator Augustus obsignatus legitur, ea notione, ut utrobique summum in terris imperium designet, ac propterea caput super orbem constitutum etiam conspicitur.

Num. 13.

GALBA IMPERATOR. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Majestatem quandam spirare videtur, quod cognomen Galbæ tantummodo conjunctum cum summæ dignitatis vocabulo, perinde ac supra N. 1. 2. 4. 5 alia quoque ejus capita jam vidimus, compareat.

Num. 14.

IMPERATOR GALBA. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Sicuti Imperatoris Titulus præcedenti numero vicem cognominis, ita heic vicem prænominis obtinet, libera tunc temporis hujusdem usurpatione, &, pro cujusque Imperatoris lubitu, collocatione.

Num. 15.

IMPERATOR GALBA. Caput Galbæ nudum calvumque dextram versus.

Laurea capiti heic deest, Titulus cum præcedentibus idem.

Num. 16.

IMPERATOR GALBA. Caput Galbæ laureatum dextram versus.

Dexteram heic respicit Galba, cum in præcedentibus N. 13. & 14. sinistram, reliqua adfuere omnia.

Num. 17.

IMPERATOR SERvius GALBA. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Omnia, quæ in hoc Capite occurrunt, ex antecedentibus possunt intelligi.

Num.

NUM. 18.

GALBA IMPERATOR. Caput Galbæ laureatum lævam versus, globo impositum.

In eo differt hoc ipsum caput ab illo N. 13. quod heic globo insistere illud videmus, ibi vero absque eodem compareat, cætera per omnia sunt eadem.

NUM. 19.

SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum lævam versus.

Si hoc Caput conferas cum illo Num. 10. deprehendes per omnia idem, tum ratione positus, tum perigraphes, modo quod heic laureatum exsistat, ibi nudum, & cum thorace squamata, quæ heic deest.

NUM. 20.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Prima vice omnia summi Principis cognomenta, veluti in unum hoc caput congesta attendimus, IMPeratoris scilicet loco Prænominis, CÆSARIS vero & AUGusti cognominum quasi loco, ut pari Titulorum splendore se radiare perinde ac Antecessores, ostenderet.

NUM. 21.

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGustus. Caput Galbæ laureatum lævam versus, vestis lacinia infra adjecta, fibulaque connexa.

Imperatoris Titulus, qui in præcedenti prænominis loco erat, heic cum cæteris rursus cognominis locum occupat, cætera adfuere.

NUM. 22.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Tribuniciam Potestatem summi fastigii vocabulum prima vice hoc Galbæ caput offert, quæ sicuti illis perpetua erat, ita cum illa & juxta eandem annos Imperii numerabant, ac quotannis eandem cum Tribunis plebis renovabant. Cum imperio eandem suscepisse, & non serius, uti de Vespasiano affirmat *Suetonius*, ex nummo hoc & sequentibus id facile colligas. Quando vero sine addito numero heic eandem legas, de prima id præsumendum omnino est.

NUM. 23.

IMPerator SERvius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ corona quernea redimitum dexteram versus.

Quid quernea corona velit, & quam ob caussam a Romanis bene meritis fuerit concessa, Tabula IV. N. 10. dicemus, ubi hæc ipsa a Senatu Populoque Romano ipsi decretam offendimus, qua ipsa & heic superbire, cognoscimus.

NUM. 24.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ corona quernea ornatum, dexteram versus.

Omnia Imperii cognomenta veluti coacervata cognominum vicem quasi heic gerere videas, seorsim jam supra a nobis ponderata.

NUM. 25.

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Solo diverso capitis positu differt ab illo Numero præcedenti, & quod CÆS. pro CÆSAR intuentibus offerat.

NUM. 26.

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum lævam versus, vestis lacinia infra adjecta atque per fibulam connexa.

Non nisi parte vestimenri infra pectori addita differt a præcedente, propterea pergimus.

NUM. 27.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Prima vice *Gentis* nomen, ex qua ortum traxit noster *Galba*, nempe *Sulpiciæ*, memoria heic offertur.

NUM. 28.

Inscriptio præcedenti similis est, sed inverso ordine literarum.

TABU-

TABULA II,

QUÆ PERSEQUITUR

CAPITA GALBÆ.

NUM. 29.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ficuti cuncta capita ejus in hac Tabula.

NUM. 30.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 31.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Poteftate. Caput Galbae laureatum cum paludamento ad humeros.

NUM. 32.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ nudum, five fine laurea.

NUM. 33.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 34.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Poteftate. Galbæ caput laureatum, cum paludamento ad humeros.

NUM. 35.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ laureatum, cum paludamento ad humeros.

Familia Sulpicia ortus prædicatur Galba, ficuti in nummis ultimis Tabulæ præcedentis.

NUM. 36.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 37.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 38.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 39.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate Pater Patriæ. Caput Galbæ laureatum.

In hujus generis nummis, paucifque ex fequentibus Patris Patriæ titulus in Galba occurrit.

NUM. 40.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Poteftate. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 41.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Poteftate Pater Patriæ. Caput Galbæ laureatum cum globo infra collum.

NUM. 42.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate. Caput Galbæ nudum.

NUM. 43.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus PONtifex Maximus TRibunicia Poteftate Pater Patriæ. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 44.

SERvius SULPicius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate. Galbæ caput laureatum cum globo ad collum.

NUM. 45.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

NUM. 46.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, cum paludamento ad lævum humerum.

NUM. 47.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum cum capite Medusæ ad infimam colli partem.

NUM. 48.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ nudum cum paludamento ad humeros.

NUM. 49.

Vacat.

NUM. 50.

ΣΕΡΟΥΙός ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑστός. (*SERVIUS GALBA IMPERATOR CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Galbæ laureatum.*

NUM. 51.

ΑΥτοκράτωρ ΛΟΥΚιος ΛΙΒιος ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστός. L. Α. (*IMPERATOR LUCIUS SULPICIUS GALBA CAESAR AUGUSTUS, ANNO I.*) *Caput Galbæ laureatum.*

NUM. 52.

ΣΕΡΟΥΙος ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑ ΣΕΒΑΣΤΟΣ L. Α. (*SERVIUS SULPICIUS GALBA AUGUSTUS ANNO I.*) *Caput Galbæ laureatum.*

NUM. 53.

Vacat.

NUM. 54.

ΣΕΡΟΥΙος ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστὸς Λυκάβαντος Β. (*SERVIUS GALBA IMPERATOR CAESAR AUGUSTUS ANNO B.*) *Caput Galbæ laureatum.*

NUM. 55.

ΣΕΡΟΥΙος ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ Λυκάβαντος Β. (*SERVIUS SULPICIUS GALBA AUGUSTUS ANNO II.*)

NUM. 56.

ΛΟΥΚιος ΛΙΒιος ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒΑστὸς Λυκάβαντος Β. (*LUCIUS LIVIUS SULPICIUS GALBA CAESAR AUGUSTUS ANNO II.*) *Caput Galbæ laureatum.*

TABULA III.

QUÆ CONTINET

GALBÆ

NUMMOS AUREOS.

NUM. I.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ nudum, lævam versus calvitie notabile, uti Tab. I. n. 7.

Vel,

SERvius GALBA CAESar AUGustus. Caput Galbæ nudum lævam versus pectore thorace ex parte munito, uti Tab. I. n. 10.

Vel,

Vel

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, uti Tab. II. n. 29.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, uti Tab. II. n. 37.

DIVA AUGUSTA. Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra pateram, ſiniſtra haſtam puram tenet.

Sub muliebri hac figura, ut nullam aliam ſuſpicemur, quam *Liviam* Auguſti, Juliam quoque dictam, non ſolum obſignatus circa illam facit titulus, DIVÆ ſcilicet AUGUSTÆ, ſed & hoc cumprimis Tranquilli firmant verba cap. V. *Obſervavit ante omnes LIVIAM AUGUSTAM: cujus & vivæ gratia plurimum valuit, & mortuæ teſtamento pene ditatus eſt: H S. namque quingentes* (*a*) *cum præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata non perſcripta erat ſumma, hærede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.* Sive nunc id fecerit ob cognationem, qua ipſam, teſte *Plutarcho*, attingebat; cujuſque opera in aulam pervenerat Imperatoriam & Conſulatum impetraverat, (*b*) ſive ob opum ſibi ab ipſa legatarum inſignem acceſſionem, quod *Suetonius* modo diſtincte tradit; hoc certum eſt, iſtam ſingulari pietate ac obſervantia variiſque ac ex omni ære monumentis, jugiter coluiſſe, obſignare in iis juſſo illud multæ majeſtatis encomio: DIVÆ AUGUSTÆ. Eo præterea habitu eandem æri tradi curavit, quæ non niſi Deabus competebat pateram geſtando dextera, haſtam puram vero læva, de qua *Juſtinus* Libro XLIII. Cap. 3. ita nos inſtruit: *Per ea tempora* (ſcilicet Romuli) *Reges haſtas pro diademate habebant*, quæ *Græci dixere* σκῆπτρα; *nam ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres haſtas coluere, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum ſimulachris haſtæ adduntur.* Neque dubium eſt, hanc ipſius ſtatuæ, ſuffragante Senatu poſitæ, fuiſſe figuram; quo tendit *Joh. Hemelarius*, multoque probabilioribus nititur fundamentis, quam *Paulus Pedruſius*, conjiciens illam ſub habitu Fortunæ Deæ, quæ ipſi in ſomnio comparuerat, forte repræſentaſſe, quod ſomniis omnino ejuſdem relinquimus.

Siſtunt hunc nummum aureum *Joh. Hemelarius* in Nummis aureis Caroli Croyaci Ducis, Tab. X. N. 5. & 6. *A. Rubenius* in Nummis Arſchotanis Tab. XXII. n. 7. p. 38. *Paulus Pedruſius* in Muſeo Farneſiano T. VII. N. 2. p. 92. *Lævinus Torrentius* in Suetonio ſuo & ex hoc *J. G. Grævius* in ſuo Suetonio p. 609. a. *Jac. Biæus* in Nummis Imperat. Tab. XXII. n. 7. *Adolph. Occo* p. 86. *Com. Mediobarbus* p. 98. 99.

Hodie pars *Theſauri Verſalienſis* & *Schwartzburgici*, olimque & illum *Dn. Monjeux* poſſedit.

Num. 2.

IMPerator GALBA. Caput Galbæ laureatum, dextram verſus, globo impoſitum, uti Tab. I. n. 3.

HISPANIA. Figura muliebris tunicata, veſteque demiſſa ſtans dextera binas ſpicas & caput papaveris, ſiniſtra duo tela tenens & ſcutum.

Hiſpaniam non uno monumento exſtare voluit in nummis, ſiquidem eandem hac ipſa Tabula n. 34. 35. 37. 39. & 40. Benevolus offendet Lector, cujus habitum tamen primum contemplabimur. Militari ſcilicet comparet, quod bellicoſa maxime illa ſit natio, & ſpectata in bellis gentis illius ſit virtus, vel ipſius *Titi Livii* ingenuo teſtimonio Libro XXVIII. diutius reſtitiſſe Hiſpaniam, quod ſuperari non poſſet, quam reſtiterit gens alia, jam inde a Punico bello ſecundo, ad Auguſti Cæſaris uſque imperium. Parvum clypeum, quem cetram, teſte *Livio*, vocant; jacula & duo tela ſeu ſpicula; vix ſatis recte propterea ea *Com. Mediobarbus* vocat aliquoties haſtas, læva gerit. Hiſpanorum propria ſunt arma, quibus uſque vel ad ſuperiora ſecula uſi ſunt, & famoſa cumprimis ſunt illa, quæ in Bilbili, quæ non tam eſt hodiernum Calatajud, ut vulgo creditur, ſed potius ex *Hieronymi Suritæ* inveſtigatione vetus & vix ex ruinis hodie nota Bambola, fabricantur; ex ferro ſcilicet, in flumine Salon, armis ferroque temperando commodiſſimo intincto, optimo, de quo videri poſſunt *Plinius* & alii. Spicæ autem ſoli & præprimis tritici, cujus magna ipſis eſt copia, fertilitatem deſignare, quanquam eandem hodie ſterilem eſſe, *Patini* eſt judicium, (*c*) nemo ſit, qui dubitet. Quando autem *Levinus Hulſius* fertiliſſimam frumenti, vini, olei, auri, gemmarum & metallorum dicit, hoc equidem non negamus, ſaltem per ſpicas hoc indigitari non videmus. Hiſpaniam vero Galba in nummo hoc aureo obſignavit, quod ipſe a Senatu Hiſpaniæ præfectus Imperii prodigia ibidem non ſolum habuerit, ſed & ipſum in illa a Nerone poſt Galliam deficiente, acceperit Imperium. De ſignis hæc nobis prodidit *Tranquillus* Cap. VIII. *Acciditque ut cum provinciam* (Hiſpaniam Tarraconenſem) *ingreſſus, ſacrificaret intra ædem publicam, puero e miniſtris acerram tenenti, capillus repente toto capite caneſceret. Nec defuerunt, qui interpretarentur, ſignificari rerum mutationem, ſucceſſurumque juveni ſenem: hoc eſt ipſum Neroni. Nec multo poſt in Cantabriæ lacum fulmen decidit: repertæque ſunt duodecim ſecures, haud ambiguum ſummi Imperii ſignum.* Quorſum & referas iſtud c. IX. *Et confirmabatur cum ſecundiſſimis auſpiciis, & ominibus, tum virginis honeſtæ vaticinatione; tanto magis, quod eadem illa carmina ſacerdos Jovis Cluniæ* (quod oppidum erat

(*a*) Caſaubonus mavult legere *quinquagies*, h. e. aureorum coronatorum centum viginti quinque millia; cum Auguſtus & Tiberius Populo Romano quadringenties legaverint, quæ tamen Tiberius ad quingenta revocavit, h. e. coronatum duodecim millia & quingentos.

(*b*) Sic enim *Plutarchus*: Λιβίας παραγγειλάσης ὕπατος ἐκ παλατίου προῆλθε.

(*c*) In Theſauro p. 55

erat Hiſpaniæ (*a*) *ex penetrali ſomnio monitus eruerat, ante ducentos annos ſimiliter a fatidica puella pronuntiata. Quorum carminum ſententia erat, oriturum quandoque ex HISPANIA* (*b*) *principem, dominumque rerum.* Nec non illud, quod *Xiphilinus* e *Dione* p. 198. tradit: καὶ πλοῖα ὅπλων μεςὰ πρὸς Ἰβηρίαν ὑπ' αὐτὰς ἐκείνας τὰς ἡμέρας αὐτόματα, μηδενὸς ἀνθρώπων ἄγοντος αὐτὰ προσωρμίσθη i. e. *adhæc navigia per eoſdem dies onuſta armis ſua ſponte in HISPANIAM ſine nautis appulerunt.* (*c*) De oblata vero ipſi Hiſpania Tarraconenſi, hac ratione nos rurſus inſtruit *Tranquillus* loco citato: *Atque ex eo tempore prope ad medium Neronis Principatum in ſeceſſu plurimum vixit: ne ad geſtandum quidem unquam iter ingreſſus, quam ut ſecum vehiculo proximo decies H-S in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti HISPANIA TARRACONENSIS oblata eſt.* Idem & confirmat *Plutarchus* in Galba p. 1054. C. Ἐπέμφθη δ' ὑπὸ Νέρωνος Ἰβηρίας ἄρχων, ὄπω δεδιδαγμένους φοβεῖσθαι τοὺς ἐν ἀξιώματι μεγάλους τῶν πολιτῶν. *Porro MISSUS EST a Nerone cum IMPERIO in HISPANIAM, cum nondum formidare in magna poſitos dignitate viros didiciſſet.* Qua ratione illam adminiſtraverit, docet *Tacitus*: *Proconſul Africam moderate; jam ſenior CITERIOREM HISPANIAM pari juſtitia continuit.* Poſt Galliam & illa quoque ſtatim defecit, hoc referente nobis rurſus *Tranquillo* C. XLII. in Nerone: *Poſtquam deinde etiam Galbam & HISPANIAS deſciviſſe cognovit, collapſus, animoque male fracto, diu ſine voce & prope intermortuus jacuit.* *Dio* Lib. LXIII. *Vindex cum Principatum ſibi parare minime ſtuderet, Servio Sulpicio Galbæ, is juſtitia omnibus præſtabat & gloria bellicæ virtutis, præeratque HISPANIIS &c.* Legionem dehinc Tarraconenſem ſive Hiſpanam, quæ videtur fuiſſe ſexta, ipſum in Imperatorem legiſſe *Tacitus* ſcribit V. 16. 6. Principem ſextæ legionis auctoritate factum. Imperator factus Carthagine nova in Hiſpania (*d*) conventum egiſſe pariter nobis exponit *Suetonius* C. IX. *Carthagine nova conventum agens, tumultuari Gallias comperit.* Neque tacet laudatus nobis ſæpius Autor Cap. XII. Hiſpaniæ urbes graviter tum exactione tributi, tum deſtructione murorum urbium puniviſſe, quando de hoc negotio Cap. XII. hunc in modum: *Præceſſerat de eo fama ſævitiæ ſimul atque avaritiæ: quod civitates HISPANIARUM Galliarumque, quæ cunctantius ſibi acceſſerant, gravioribus tributis, quaſdam etiam murorum deſtructione puniſſet: & præpoſitos procuratoreſque ſupplicio capitis affeciſſet cum conjugibus ac liberis: quodque oblatam a TARRACONENSIBUS e vetere templo Jovis coronam auream librarum quindecim conflaſſet.* Sic etiam novimus Legatum ejus ibidem fuiſſe T. Vinium, eodem referente *Suetonio* Cap. XIV. *Hi*, (quorum arbitrio Galba regebatur) *erant T. Vinius, legatus ejus in HISPANIA, cupiditatis inmenſæ:* Immo inde ſuperioris Germaniæ exercitus occaſionem arripiebat imperium ejus detrectandi. *Sed maxime*, (inquit *Suetonius* Cap. XV.) *fremebat ſuperioris Germaniæ exercitus fraudari ſe præmiis navatæ adverſus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obſequium rumpere auſi, Kal. Januariis adigi ſacramento niſi in nomen Senatus, recuſarunt: ſtatimque legationem ad Prætorianos cum mandatis deſtinaverunt, diſplicere IMPERATOREM IN HISAPNIA factum, eligerent ipſi quem cuncti exercitus comprobarent.* Hiſpaniam ergo heic jactat in nummo, quippe in qua provincia pleraque faſtigii omina attenderat, quæ Imperium ipſi detulerat, & in qua a militibus primum conſalutatus fuerat Imperator, cujus omnes ſtatim civitates ipſi acceſſerant, itemque ab ea ipſi decreta fuerat equeſtris ſtatua, in nummis infra obvia, quamque per octo annos, antequam Imperii ſummam acceperat, rexerat. Vulgavit & hunc nummum *Octavianus Strada* in Dialogis Auguſtini editionis Romanæ 1650. p. 87. licet literæ in perigraphe paullo aliter, ſculptoris forte incuria, ſint locatæ, eodemque modo *Joach. Udanus* in Potentia Rom. T. XXXIII. n. 8. p. 151. *Jacobus Oiſelius* in Theſ. T. XXX. n. p. 131. *A. Rubenius* in Nummis Arſchotanis Tab. XXII. n. 4. Hodieque in *Theſauro Regis Galliæ & Principis Schwarzburgici* delitеſcit.

Num. 3.

ROMA. Remiſſæ XL. (*Quadrageſimæ*) *Roma galeata ſtans dextra victoriolam, ſiniſtra trophæo impoſita haſtam tenet.*

Exactionis abolitionem perigraphen notare in propatulo eſt, quamvis apud Autores non legamus remiſiſſe tale tributi genus Galbam. Attamen cum *Suetonius* in Veſpaſiano Capite XVI. teſtetur, eundem omiſſa ſub Galba VECTIGALIA revocaſſe, (*non enim contentus*, inquiens, *omiſſa ſub Galba vectigalia revocaſſe, nova & gravia addidiſſe*) prætereaque idem doceat Autor Cap. I. Sabinum Veſpaſiani Patrem publicanum QUADRAGESIMÆ in Aſia egiſſe, tale quid ab ipſo fuiſſe perpetratum, ob quod etiam arcum poſtea meruerit triumphalem, de quo infra pluribus Tab. VII. N. 13. 14. agemus, neceſſe eſt, tot nummis (Tab. VI. N. 14. VII. N. 1. 13. 14. VIII. N. 4. 6.) id clare aſſerentibus, & evincentibus.

Debemus hunc nummum MStis *Golzianis* atque ex his Delineationibus *Morellianis*.

Num. 4.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, uti Tab. I. n. 1.

ROMA RENASCENS. Roma galeata ſtans dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenet.

R*oma* heic iterum conſueta comparet figura, *galea criſtata* tecta, *una mamma* nuda, *Amazonis*

(*a*) Ita enim *Plutarchus* in Galba p. 1055. B. Κολουνία Ἰβηρικὴ πόλις. *Clunia* urbs *Hiſpanica*; & *Plinius*: *Clunia Celtiberiæ finis.* Hodie *Coruna* vel *Cruna del Conde.*

(*b*) Hoc in ſuum uſum verterat Galba, quamvis & notum ſit ex eadem prodiiſſe Trajanum, Hadrianum, Theodoſium.

(*c*) Hanc condiderat Aſdrubal, eamque alii Carthaginem, alii novam urbem nuncupant, ſitaque fuit in ſinu maris, qui media fere Hiſpaniæ ora Africo vento eſt oppoſitus, eratque quaſi Gentis caput & regia, in ea Hiſpaniæ parte, quæ Carthaginenſibus parebat, ſecundum *Polybii* teſtimonium Hiſtor. II. 13. III. 15. & X. 11.

zonis habitu; hasta armata quod *armis* adsueta sit, iisque victricibus, quasi renascens se jactat, hoc est, excusso tyrannidis jugo a *Neronis* obitu libera. Nam ii demum *vivere*, *reviscere ac resurgere* dicuntur, qui *liberam* vitam degunt, perinde ac *Florus* Libro I. id exprimit: *A Cæsare Augusto in seculum nostrum non minus anni ducenti, quibus inertia Cæsarum quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano Principe movet lacertos, & præter spem omnium senectus Imperii, quasi reddita juventute, revirescit.* Et *Prudentius* in suo Libro contra *Symmachum* ita *Romam* inducit loquentem:

O clari salvete Duces! generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam flavescere rursus
Caniciem.

Senatu etenim a *Caligulæ* excessu de *libertate vindicanda*, ob suspectum continuum in Cæsarum gente imperium, solicito, illaque nunc in *Nerone* exstincta, per *liberam Galbæ* (cujus tamen inertiam desidiamve satis exponunt, condemnantque historici) electionem *libertas*, & cum *ipsa Urbs renasci quasi* videbatur, totaque novam lætamque veluti induere formam ac faciem, *Neroniani servitii* jugo deturpatam, novasque quasi acquirere vires; propterea & Victoriam laureolam offerentem manibus gerit, non secus ac insignem ejusdem morte retulisset, deque ea *ovans* ac *triumphans*, multis ac mox sequentibus etiam monumentis eandem testatiorem certioremque fecit in posteros. Nummum hunc rariorem jam vulgavit JOH. VALENS in præstantioribus aureis p. 77. edit. 1694. antiquioris 1674. p. 41. COM. MEDIOBARBUS pag. 99. LAUR. BEGERUS in Floro p. 10.

Hodieque in *Thesauro Regis Galliæ* comparet, olimque in *Cimeliarchio Harlæi* delituit.

NUM. 5.

ROMA RENASCens. Roma galeata stans dextra victoriolam, sinistra hastam cum aquila tenet.

De Figura, quid velit, præcedenti Numero dictum est, modo hoc notamus, quod ob argumenti præstantiam sæpius voluerit typum aliquo modo licet discrepantem, repeti.

Debemus hunc rarissimum aureum MStis *H. Golzii*, ex quibus *Morellius* eandem delineationibus suis intulit.

NUM. 6.

ROMA RENASCens. Roma stans, Amazonis forma, galeata, dextra victoriolam, sinistra hastam tenet, cui aquila insistit.

Præcedentibus numeris dicta & heic sufficiant, dum figura eadem comparet, modo alio positu gaudet, & perigraphen quoque aliter collocarunt. Vulgarunt jam hunc nummum *Jac. Oiselius* XXIX. N. 4. p. 126. *Joach. Udanus* in Potentia Rom. T. XXXII. N. 4. p. 147. 148. *Job. Biæus* Tab. XXII. N. 17. *A. Rubenius* in Nummis Arschotan. T. XXII. N. 17. Exhibent & illum MSta *Goltzii* & ex his *Morellius* in delineationibus suis.

NUM. 7.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 20.

ROMA RENASCens. Roma galeata stans, dextra victoriolam, sinistra hastam tenet, cui aquila insistit.

Quæ heic faciunt, ad N. 4. jam monuimus. Addimus, hodie *Thesauri Regii Versaliensis* partem esse, olimque a *Goltzio* fuisse jam visum & MStis suis illatum, ex quibus & *Morellius* delineationibus suis rursus inseruit.

NUM. 8.

ROMA VICTRIX. Roma stans galeata dextro pede globo imposito, dextra gerens ramum lauri, sinistra hastam.

Romam non uno quasi sub habitu in nummis *Galbæ* offendimus. Ut RENASCENTEM in præcedentibus aliquoties jam vidimus; ut VICTRICEM nunc sub manibus habemus, & cum *Victoriæ* signo proprio, *lauri ramo*; ut RESTITUTAM infra Tab. VI. accipiemus, ut adeo fere nescíverit *Roma*, quibus titulis lætum sonantibus sese efferre modo voluerit. *Victrix* ergo heic audit non secus, ac insignem, memorabilemque in omne ævum celebrat *victoriam* per *mortem Neronis*, quippe qui a *Senatu* jam hostis judicatus fuerat, (*inter moras perlatos a cursore Phaontis codicillos præripuit, legitque, se hostem a Senatu judicatum, & quæri, ut puniatur more majorum*; inquit SUETONIUS c. XXXIX.) deletaque sic, quam hactenus per quatuordecim & *amplius annos* (a) *perpessa fuerat*, tyrannide, (nam *Gallias* exercitibus diripiendas permittere, *Senatum* universum veneno per convivia necare, *urbem* incendere, feris in populum immissis, quo difficilius defenderetur, destinasse fertur, perhibente hoc SUETONIO c. II. in Nerone) pertulerat, ut FLORUS L. I. c. XIII. loquitur. *Globum* Virtus pede dextro calcat, ut significetur, virtutem *Romanam* imperium *orbis* non solum mereri, sed & illo tempore, quo percussum fuit hoc numisma, eodem jam gaudere. Communicat hunc rarissimum aureum nummum JOH. VALENS in *rarioribus aureis* p. 77. 78. A. RUBENIUS in *Nummis Arschot.* T. XXII. N. 19. H. GOLTZIUS *in MStis delineationibus suis*, testibus *Morellianis* MStis, LAUR. BEGERUS in Floro p. 120. I. BIÆUS in Croyjacis Tab. XXXVII. N. 21.

NUM.

(a) Sic *Suetonius* c. XL. *Talem Principem paullo minus* XIV. *annos perpessus terrarum orbis, tandem destituit &c.*

NUM. 9.

VESTA. Vesta velata stans, dextra simpulum, sinistra trophæum gerit.

Vestam heic comparere cum trophæo & simpulo arbitramur, quod uti alia, sic & Vestæ sacra post mortem Neronis quasi restituta haberi queant, Religionum hactenus usquequaque contemptore, ut *Suetonius* capite 56. disertis tradit verbis, Nerone; spemque nunc esse non parvam, pristinum nitorem non solum hæc, sed & alia sacra, sacroque ordini addictos fore acquisituros. Quod & *Dio* innuere videtur, circa Neronis ultima scribens, καὶ ὁ μὲν ἐν τούτοις ἦν, ὁ δὲ δῆμος τῶν Ῥωμαίων ἔθυέ τε καὶ ὑπερέχαιρε, *Dum Nero in his rebus* (extremis scilicet angustiis & mortis acceleratione) *esset*, *Populus Romanus*, *AMPLA SACRA FACIEBAT*, *magnaque lætitia perfruebatur.* Quid demum non factum credas post fatum ejusdem triste & inauditum? Rarissimum hunc nummum aureum nobis communicavit *H. Goltzius* in MStis suis, & *A. Morellius* quoque eundem apud *Aug. Gabrieli* deprehendit.

NUM. 10.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ nudum, lævam versus, uti Tab. I. N. 7.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. II. n. 37.

Senatus PopulusQue Romanus OB Cives Servatos. In corona quernea.

Nempe cum Quercus Salutis sit Symbolum, inde ille, qui Romanum civem in bello seu prælio servaverat, corona quernea, tanquam vitæ testem, salutisque perceptæ monimentum a servato, dono accipiebat, quæ CIVICA vulgo appellabatur. Sic enim *Tacitus* XII. Annalium: *M. Ostorius servati civis decus meruit.* Et Lib. XV. *Si singulis manipularibus præcipua servati civis corona Imperatoria tribueretur, quod illud & quantum decus, uti par eorum numerus adipisceretur, qui attulissent salutem, & qui accepissent?* Hæc autem erat civicæ coronæ dignitas, ut ea uterentur in spectacula progressi, assurgi etiam a Senatu moris erat, & Senatui proximus assignatus locus. Ipsi munerum vacatio, patrique & avo paterno dabatur, quod filium Reipublicæ salutarem procreassent. Sed ne temere daretur, artius hic honos fuit constrictus, nempe ut civis, qui servatus esset, servatum se esse fateretur, testes enim adhiberi nihil proderat; Neque si aliquem alium, quam Romanum civem servasset, quamvis Regem. Ciceronem civica donandum Gellius censuit, quod ejus opera esset atrocissima Catilinæ conjuratio detecta vindicataque, atque ita non unus civis, sed universa Romana civitas, servata, secundum illius:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Cum ergo maximus esset honos non solum a bonis, sed etiam a malis affectabatur Principibus, cujus exemplum supra in Caligulæ aureis N. 1. & argenteis N. 9. æreisque vidimus, sed de eo legi pluribus meretur *Gellius* Lib. V. c. VI. *Pancirollus* Libro I. Rerum Memorabilium & inprimis *Paschalius* de Coronis. Sed cur præcise quernea? Rationem reddit *Plutarchus* in Problematibus: *Quod scilicet ubique in expeditionibus in expedito sit quercum invenire; vel quod Jovi & Junoni, qui Urbi præsidere credebantur, corona ista consecrata fuerit. Vel mos ab Arcadibus arcessendus est, quibus est cum hac arbore quædam cognatio. Ut enim primi homines ex terra Arcades, sic quercus prima ex omnibus plantis nata.* Hucusque *Plutarchus.* Nos credimus ex eo fuisse, quod Jovi sacra fuerit, qui Deus Optimus Maximus jactabatur, juxta illud *Virgilii* II. Georg.

—— Nemorumque JOVI quæ maxima frondet
Esculus, atque habitæ Grajis Oracula QUERCUS.

Et *Claudianus* Libr. II. de Raptu Proserpinæ

Quercus amica Jovi.

Galba ergo & heic aliorum Imperatorum exemplo, gloriatur accepta quernea corona, ve uti a clementiæ ac fortitudinis laude imperium suum auspicaturus, Patribus æque ac civibus gratissima, firmandæque potentiæ & animis omnium sibi conciliandis peroportuna, secundum illud *Taciti: Novum imperium inchoantibus utilis est clementiæ fama.* Affert hunc nummum aureum *P. Pedrusius* in *Museo Farnesiano* Tab. VII. N. 1. *Andr. Alciatus* in Emblematibus cum Comment. ampliss. edit. Patav. 1621. p. 853. (*a*) Hodieque in *Thesauro Regis Galliæ* asservatur.

NUM. 11.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum lævam versus, uti Tab. II. n. 38

CONCORDIA PROVINCIARUM. Figura muliebris stolata stans dextra ramum, sinistra cornucopiæ tenet.

Figuram hanc si recte intuemur, illam nulli nisi Concordiæ convenire exacte, oppido patet. Dextera etenim non solum ramum olivæ tenet, pacis alias symbolum, quod illa pacis arbor esse solet, sed & læva cornu copiæ, rerum omnium abundantiæ δεῖγμα, ex concordia quæ oriri solent communiter, quo ipso omnium rerum abundantia designatur, quæ pacem communiter atque cum maxime solet sequi. Procuratam autem eandem reputat Galba omnium PROVINCIARUM CONCORDIA, unum cornu in suam electionem quasi inflante, de qua ipsa re & quam maxime gavisum eundem fuisse, ex hoc ipso discimus monumento aureo rarissimo. Provincias vero quando toti-

(*a*) Exstat quoque optime servatus in *Museo nostro*, sed cum hac capitis inscriptione: IMP*erator* SER*vius* GALBA AUG*ustus*. Caput, ut in plerisque Galbæ nummis, est sine laurea, lævam versus.

totidem verbis nominat Hispaniam & Galliam certius intelligimus, quippe quas totidem in nummis suis & seorsim & conjunctim exhibet, quam Galbæ in Hispania, & Julii Vindicis in Gallia contra Neronis tyrannidem consensum, quorsum alios inclinare vidimus. Exhibet illud *Joh. Valens* in rarioribus aureis editionis Paris. 1674. p. 40. & recentioris 1694. p. 74.

Hodieque ille tum in *Thesauro Regio Versaliensi*, tum *Schwarzburgico* continetur.

Num. 12.

IMPerator SERVius SULPicius GALBA CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum lævam versus, uti Tab. II. n. 35.

FORTUNA AUGusti. Fortuna stans dextera temonem, sinistra cornucopiæ tenet.

Fortuna uti Galbam insigniter adblandita est, licet quam maxime in senio, ita & ipse illam singulari cultu in parte ædium suarum Tusculi, (quo in more eum sequuti & alii Imperatores) (a) veneratus est, de quo nobis Suetonius Cap. IV. hæc reliquit memorabilia: *Sumpta virili toga, somniavit FORTUNAM dicentem, stare se ante fores defessam: & nisi ocyus reciperetur, cuicunque obvio prædæ futuram. Usque evigilavit, aperto atrio, simulachrum æneum DEÆ cubitali majus juxta limen invenit: idque gremio suo Tusculum, ubi æstivare consueverat, avexit: & in parte ædium consecratum, menstruis deinceps supplicationibus & pervigilio anniversario coluit.* Cujus & *Dio*, & ex illo *Xiphilinus* p. 198. meminit: Τότε γὰρ τύχην ἔδοξεν αὐτοῦ λέγειν, ὅτι χρόνον ἤδη συχνὸν αὐτῷ παραμένοι, καὶ ὅτι οὐδεὶς αὐτὴν ἐς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ εἰσδέχοιτο. Καὶ δὴ ἐὰν ἔτι πλεῖον εἰρχθῇ, πρὸς ἕτερόν τινα μεταστήσεται. *quando sibi visus est audire FORTUNAM dicentem, se jamdudum ante fores stare, nec dum tamen domum recipi, proinde si arceretur diutius, ad alium migraturam.* Imo hanc ipsam & exitium ipsi portendisse *Suetonius* observavit C. 18: *Monile margaritis gemmisque consertum ad ornandum FORTUNAM SUAM Tusculanam ex omni gaza secreverat; id repente quasi augustiore dignius loco, Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proxima nocte somniavit speciem FORTUNÆ querentis, fraudatam se dono destinato, minantisque erepturam & ipsam, quæ dedisset. Cumque exterritus luce prima ad expiandum (b) somnium, præmissis qui rem divinam appararent, Tusculum excucurrisset, nihil invenit præter tepidam (c) in ara favillam, atratumque juxta senem (d) in catino (e) vitreo (f) thus tenentem, & in calice fictili (g) merum.* Cum ergo hæc non minimum futuri (quanquam etiam, ut diximus, amittendi imperii) præsagium fuisset, religiosissimeque ipse, uti audivimus, eidem culta semper Tusculi, ubi æstivare solebat, fuerit; in nummis suis eandem quoque exstare voluisse, uti in hoc aureo nummo, mirari non debemus. Vulgavit illum *Joh. Valens* in Tab. aureis edit. 1574. p. 40. noviss. vero 1694. p. 74. C. *Mediobarbus* p. 99. *Thesaurus Regis Galliæ Versaliensis* hodie illum continet.

Num. 13.

LIBERTAS PUBLICA. Libertas stans dextrâ tenet pileum, sinistrâ hastam.

Lippis notum est ac tonsoribus pileum Libertatis apud veteres exstitisse signum, quod vel ex pileo in Bruti nummo intra duos pugiones cum vocibus EID. MAR. obsignato, evinci potest, si non infinita suppeterent hujus rei exempla alia, & *Persius* suum non occineret Satyra V.

Haec mea Libertas: hoc nobis pilea donant.

Notaque satis non esset formula illa apud *Suetonium* Tiberii Cap. IV. *Servisque ad pileum frustra vocatis. Livium* L. XXIV. 32. *Postero die servi ad pileum vocati, & carcere vincti emissi. Senecam* Libro VI. Epist. 47. *Dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum servos.* De quo videri potest *Gellius* Libro VII. C. 4. *Macrobius* I. Saturnal. *Bayfius* de Re vestiaria Libr. XX. *Pierius* Hierogl. XL. 3. *Stuckius. Ant. Conviv.* II. 28. *Soler.* de Pileo C. 10. *Paschal.* de Coron. IX. 23. *Casalius* de Profan. ritibus C. 20. Immo inde ipse pileus pro libertate accipitur secundum illud *Martialis* II. 48.

Totis pilea sarcinis redemi.

Eoque pilei genere Dioscuros tectos passim in nummis videas. Eruimus vero figuram pilei heic antiquam, quam *Lucianus* in Dipsade ait, fuisse dimidium corticis alicujus ovi. Nam apud Garamantas ex struthiorum ovis singulis in æquas partes dissectis, bini fiunt pilei. Tanta ibidem est ovi illius magnitudo, eoque capitis tegumento sibi mirifice placent, si verum est, quod prodit *Pierius* Libro XL. Hieroglyph. Atque in hoc distinctus est à petaso, quod ille ad umbram faciendam marginatus conspiciatur, hic absque margine fuerit, quales nautici & dormitorii pilei esse solent. Jam si statuas, nummos, monumenta antiqua inspicimus, deprehendimus veteres Romanos vel nudo capite ordinarie incessisse, vel caput veste velasse. Hinc nulla apud *Homerum* pilei mentio, ut recte exinde *Turnebus* Libro VIII. Adversar. C. 4. nudi capitis consuetudinem à prisca accersat Græcia; & cur Galba non pileum & LIBERTATEM PUBLICAM, LIBERTATEM Populi Romani, LIBERTATEM AUGUSTI, itemque LIBERTATEM RESTITUTAM in num-

(a) Sic Udanus p. 342. *gelyk by Galba* CONCORDIA PROVINCIARUM. *Eendracht der Landschappen, dat is der Krygsmacht van Galba en Vindex, of der Bezettingen van Hispanie en Gallie.*

(b) Pro more veterum, si quid tetrum & mali ominis obvenisset.

(c) Sic *Capitolinus* in Antonino Pio C. 12. & Marco Anton. Philosopho C. 7. *Fortunam auream, quae in cubiculo Principum poni solebat, ad Marci cubiculum transire jussit.* Unde & formulam illam natam credit in nummis & Marmoribus *Lævinus Torrentius*: FORTUNA AUGusti.

(d) *Farre scilicet pio & saliente sale,* juxta Tibullum Lib. III. Eleg. IV.

(e) Cum fulgere potius ara debuisset.

(f) Puero potius bene culto ac ingenuo, qui vulgo Camilli appellabantur.

(g) Acerra oportuisset.

(h) Argentea patella decuisset.

(i) Simpulo potius.

nummis ſuis non jactaret, cum *Aurelius Victor* ſcribat, ſic cunctas Provincias omnemque Romam interitu ejus (Neronis) exſultaſſe, ut PLEBS INDUTA PILEIS MANUNISSIONUM, tanquam SÆVO EXEMTA DOMINO, TRIUMPHAVERIT? & *Dio*, exque illo *Xiphilinus* p. 198. diſerte teſtetur: *Dum Nero in his rebus* (extremis ſcilicet anguſtiis & mortis acceleratione) *eſſet, populus Romanus ampla ſacra faciebat, magnaque lætitia perfruebatur*, καί τινες καὶ πῖλα ὡς ἠλευθερωμένοι ἔφερον, *ferebantque PILEOS multi, quaſi eſſent LIBERTATEM conſequuti.* Idem & confirmat *Suetonius* Cap. LVII. *Tantumque gaudium publicè præbuit, ut Plebs PILEATA tota urbe diſcurreret. Tacitus* verò Libro I. Sed *PATRES LÆTI, uſurpata ſtatim LIBERTATE.* Quid *Tacitus*? Ille Hiſtoriarum Lib. I. *Finis Neronis ut lætus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modo in urbe apud patres, apud populum, apud urbanum militem, ſed omnes legiones duceſque conciverat, evulgato imperii arcano, poſſe Principem alibi quam Romæ fieri. Sed Patres LÆTI USURPATA ſtatim LIBERTATE licentius ut erga Principem novum & abſentem. Primores equitum PROXIMI GAUDIO Patrum.* Videmus ergo jure jactare LIBERTATEM PUBLICAM in nummis ſuis Galbam. Affert hunc nummum *H. Goltzius* in Delineationibus ſive MStis ſuis, & ex his *Morellius* in ſuis. Commentator *Cl. Minois* ad Alciati Emblemata edit. Patav. 1621. p. 645. ita tamen ut haud recte jaculum ſiniſtrâ tenere ſcribat, cum haſta ſit.

NUM. 14.

IMPerator CAESAR TRAJANus AUGuſtus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit. Libertas ſtans dextra pileum, ſiniſtra haſtam tenet.

Mire placuiſſe hunc typum tum Cæſari tum Populo Romano, vel reſtitutio ejus ab Trajano facta, hoc in aureo monumento ſatis nos edocet. Non obſcure libertatem jactat poſt Neronis mortem recuperatam & hucuſque & maxime ſub ſuo Imperio omnino oculos perſtringentem. Quæ alias ad typi in nummo obſignati explicationem faciunt, jam ad Num. præcedentem a nobis dicta ſunt. Vulgaverunt vero jam eundem *Ant. Zantanus* in aureis N. 1. ſub Galba. *Joh. Valens* in rarior. aureis pag. 77. edit. 1694. *Æneas Vicus* in aureis Galbæ N. 1.

NUM. 15.

IMPerator GALBA CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, uti Tab. I. n. 1.

PAX AUGuſti. Figura muliebris ſtans dextra ramum olivæ & caduceum tenet, læva vero ſcutum galeæ impoſitum.

Sub virginis ſchemate heic pax comparet, ut ſimplicis & integræ, claro pacis argumento. Bello ſiquidem iſtæ & ſtuprantur & rapiuntur. Olea, cujus ramum dextra tenet, ſignum eſt pacificatoris (inquit *Auguſtinus.* Dial. II.) ut Legati, teſte *Virgilio.* Minervæ quoque ſymbolum eſt, cui hæc arbor ſacra, artium habitæ præſidis, quæ artes ad lucernam noctu lucubrando nimium quantum creſcunt, in qua lucerna & oleum adhiberi ſolet: eo denique pugiles in lucta inungi ſoliti. Hæc ſane, uti pace augentur, ſic contra bello evertuntur. *Caduceus*, (pergit *Auguſtinus* l. c.) *virgula divina a nonnullis dicta felicitatis ſymbolum eſt, & vero abſque pace nihil mortalibus feliciter accidit.* Hucuſque *Auguſtinus.* Scutum læva demittit ſuper galeam, & hæc quieſcere jam videas. Ut adeo Galba omnis generis felicitatem ſub ſuo imperio jam reſtitutam pacis hoc ſymbolo nummo aureo impreſſo voluerit indicare. Pars hic nummus rarior eſt *Theſauri Schwarzburgici*, atque a nemine hactenus vulgatus.

NUM. 16.

PAX AUGuſti. Figura muliebris ſtans dextra caduceum, ſiniſtra cornucopiæ tenet.

De caduceo, pacis ſymbolo communi, jam diximus; cornucopiæ ſaltem reſtat, quod læva tenet. In cornucopiæ, inquit *Auguſtinus* Dial. II. p. 19. obſerves ſpicas, uvas alioſque fructus cum vomere, omniaque in hoc cornu, quod Acheloi fuit, cum in taurum mutatus Herculem ſuperare conabatur: qui alterum fregit cornu, quod Nymphæ acceptum floribus, & pancarpio, ut *Naſo* Metamorph. Lib. IX. fabulatur, implerunt. Hæc pax enim copiam rerum gignit, quarum vitæ uſus indiget, atque ubertatem, eaſdemque tuetur ac propagat. Bellum contra ſegetes deſtruit, arboreſque: boves item ac agricolas diſpergit. Debemus hunc nummum MStis *Goltzianis*, ex quibus *Andr. Morellius* eum depromſit.

NUM. 17.

PIETATI AUGUSTI. Imperator ſedens laureatus ac togatus in ſede curuli, lævaque globum tenens, ante ſe ſtanti impoſiturus dexteram.

Non eſt, quod heic Galbam pueros alimentarios inſtituentem cum *A. Rubenio* p. 38. interpretemur, ſed potius, quod & ipſi ſimul viſum & *Oiſelio* atque *Udano*, remur deſignari Galbæ in adoptando Piſone pietatem, propter quod ſedeat & læva orbem terrarum teneat, quaſi illum jam & imperium in ipſum diſpenſaturus. De qua *Suetonius* hunc in modum C. XVII. *Quod ut nuntiatum eſt, deſpectui eſſe non tam ſenectam ſuam, quam orbitatem ratus, Piſonem Frugi Licinianum, nobilem egregiumque juvenem, ac ſibi olim probatiſſimum, teſtamentoque ſemper in bona & nomen adſcitum, repente e media ſalutantium turba apprehendit: filiumque appellans perduxit ad caſtra, ac pro concione adoptavit. Tacitus* Libr. I. Hiſtor. 18. *Apud frequentem militum concionem, imperatoria dignitate, adoptari a ſe Piſonem, more Divi Auguſti, ac exemplo militari, quo vir virum legeret, pronuntiat. Dio* Libro LXIV. p. 730. Ὁ οὖν Γάλβας τὴν ἐπανάστασιν αὐτοῦ πυθόμενος, Λούκιον Πείσωνα νεανίσκον εὐγενῆ, ἐπιεικῆ, φρόνιμον, ἐποιήσατο, καὶ Καίσαρα ἀπέδειξεν, *Galba, cognita ſeditione*

Vitellii, adoptavit Lucium Pisonem, adolescentem nobilem, magnaque modestia ac prudentia præditum, eumque Cæsarem designavit. In lucem miserunt *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXII. N. 23. p. 38. *Jacobus Oiselius* Tab. LXXVII. N. 5. p. 410. *Joach. Udanus* in potentia Romana T. LXXX. N. 5. p. 326. *Joh. Biæus* T. XXII. N. 33. Habent & eundem MSta *Goltzii.*

NUM. 18.

SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ nudum calvumque dextram versus, cum thorace in pectore, uti Tab. I. n. 11.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 20.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. II. n. 37.

SALUS GENeris HUMANI. Figura muliebris stans dextera pateram sustinens super aram fumantem atque sacrificans, sinistra temonem inversum tenet, dextro pede globo imposito.

Humani generis peste gravissima, Nerone, e medio sublata, Humani Generis salutem in nummis fuisse obsignatam, in Galba, successore attendimus. Et talem sperabat Populus Romanus universus, talem & exoptaverat Julius Vindex, Galliarum Præses, teste *Suetonio* C. XVII. *Legato Aquitaniæ auxilia implorante supervenerunt Vindicis literæ, hortantis, ut HUMANO GENERI ASSERTOREM ducemque se accommodaret.* hoc est, ut vellet Populi Romani, cui humanum Genus, hoc est, omnis orbis terrarum suberat, (quod & denotat orbis, quem fœminam dextero pede premit,) in libertatem vindicare, quod Galba quoque se pietate & imperio suo (per navis clavum designato) præstitisse gloriatur, hoc singulari monumento egregioque plane. Neque tamen reputandum est, hoc titulo primum superbiisse Galbam in Nummis suis, sed hoc sciendum, eodem jam non solum Triumviros, Augustum, Antonium & Lepidum, (vide *Oiselii* Thes. Tab. LXXVIII. N. 6. & diversæ figuræ N. 7. ibidem *Joach. Udani* Potentiam Romanam Tab. LXXXI. N. 6. 7.) sed & Augustum (& meliore titulo) in nummis suis aureis, argenteis & æreis (vide *Oiselii* Thes. Tab. LXXVIII. N. 8. aliumque N. 9. & rursus alia figura N. 10. *Joach. Udani* Potentiam Rom. T. LXXXI. N. 8. 9. 10.) fuisse gavisum, quos supra quoque in Augusto jam adduximus. Rarissimum hunc ex auro nummum jam in lucem protraxere *Joh. Valens* in rarior. aureis p. 78. edit. 1694. & 1674. p. 41. Paris. *Joh. Biæus* Tab. XXII. N. 8. *Jac. Oiselius* Tab. LXXIX. N. 1. p. 416. *Joach. Udanus* Tab. LXXXII. N. 1. *A. Rubenius* in Nummis Arschotan. T. XXII. N. 8. *C. Mediobarbus* p. 99.

Pars hodie est *Thesauri Versaliensis & Schwartzburgici*, olimque eum possedit *Dn. Monjeux & Cimelium Harlæium.*

NUM. 19.

SERvius GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. I. n. 6.

VICTORIA. Victoria alata ac seminuda stans, clypeo, aræ imposito, literas P. R. i. e. PopuliRomani, inscribit.

Existimat equidem Doctissimus *Jacobus Oiselius* Victoriam heic clypeo inscribere Populi Romani Vota, quod equidem non adeo absonum esse facile largimur, sed cohærere magis inscripta verba cum obsignata voce *Victoria*, si sic combinantur: *VICTORIA Populi Romani*, nemo quoque facile negabit. Ut adeo perinde ac in subsequente quoque nummo & aliis legantur. Victoriam itaque celebrat Populi Romani, morte quasi Neronis partam, eamque non solum cito & præter spem, quod alata victoria subindicat, sed & insignem, propterea etiam æreo clypeo, ut duret in ævum, inscribendam. Et cum ad Imperium evectus fuisset non nativitatis gradu Familiæ Principalis ordine, sed suo merito ac virtute propria, hinc toties de delato & non suscepto gloriatur Imperio. Ut nihil dicamus de ominoso illo annulo, de quo Suetonius C. X. *Per idem fere tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est annulus opere antiquo, scalptura gemmæ Victoriam cum trophæo exprimente.* Nempe veluti victori futuro adversus Neronem, quem non armis vicerat, sed qui ipse illi sua morte cesserat. Exhibent hunc rarissimum aureum *Joh. Valens* in rarior. argent. p. 79. Par. 1694. & p. 42. edit. 1674. *Jac. Oiselius* in Thesauro Numism. T. LXIX. N. 3. p. 376. *Joh. Biæus* Tab. XXII. N. 13. *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXII. N. 13. *Joach. Udanus* in Potentia Rom. T. LXXII. N. 3. Com. *Mediobus* p. 99.

Pars hodie est *Thesauri Versaliensis*, & olim eum *Dn. Monjeux* quoque possedit, atque *Joh. Valens.*

NUM. 20.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. II. n. 29.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. II. n. 37.

VICTORIA Populi Romani. Victoria insistens orbi, dextra coronam gestat, læva vero palmam.

Rursus monumentum accipimus Victoriæ de morte Neronis relatæ a Populo Romano uni-

verso orbi (quod globus, cui insistit, docet) imperante, quam quanti fecerint & Imperator & Populus ex repetito typo potest colligi. Lætitiam sane eandem & pileorum gestatione & obsignatione horum typorum declarabant. De illis supra jam, quando hæc *Xiphilini* verba p. 198. attulimus: *P. Romanus ampla sacra faciebat, magnaque lætitia fruebatur, ferebantque pileos multi, quasi essent libertatem consequuti.* De hac nostra vero non solum hæc, sed & subsequentia ex argento & ære loquuntur monumenta. Offerunt quoque & alii Autores hunc nummum aureum, & in his *Joh. Valens* in aureis rar. p. 79. noviss. edit. 1674. p. 42. *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXII. N. 12. *Joh. Biæus* Tab. XXII. N. 12.

Pars hodie est *Thes. Versaliensis* atque *Schwartzburgici*, eumque olim possedit *Dom. le Sylli de Aquerres.*

NUM. 21.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. I. n. 9.

VIRTUS. Vir juvenis nudus stans, dextra parazonium, sinistra hastam tenet.

Viri habitu, atque quod magis, juvenis nudi cumprimis heic virtus comparet, quæ una hac voce apud Romanos tum pro Dea colebatur, apud Græcos vocibus distincta, nempe τῇ ἀρετῇ & τῇ ἰσχύϊ, itemque figuris variis apud Romanos; cum prior matronali habitu dextera serpentem gerat, altera militari habitu & galea insignis dextera parazonium, læva hastam, uti heic, teneat; quod hæc & omnibus spectata esse debeat atque præstans, secundum illud *Claudiani* de Consulatu Mallii Theodori:

Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi;
Nil opis externæ cupiens; nihil indigna laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.
Hanc tamen invitam blande vestigat, & ultro
Ambit Honor, docuit toties a rure profectus
Lictor, & in mediis Consul quæsitus aratris.

Parazonium gestans dextra, sive latum gladium, cui acies deest, de quo Martialis Lib. XIV. Ep. 32.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris:
Arma tribunicium cingere digna latus.

Ex quo hoc simul clarum est Tribunos militum eosdem gestasse, & *Augustinus* præterea hoc simul elicit, eos qui præsunt, corrigere quidem oportere, non autem iis, qui parent, minas intentare, aut occidere. Sine dubio Galba hoc monumento virtutem suam congenitam & propriam, qua ad Imperatorium solium adspiravit, ostendere Populo Romano allaboravit, cujus radiis præstricti Julius Vindex non solum in Gallia cessit, sed & Fontejus Capito in Germania, Clodius Macer in Africa, Nymphidius Sabinus in urbe. *Tacitus* vero de iis Histor. Lib. I. *Miles Urbanus* - - *scelere insuper Nymphidii Sabini præfecti, Imperium sibi molientis, agitatur. Et Nymphidius quidem in ipso conatu oppressus.* Et paulo post: *Macrum in Africa res haud dubie turbantem, Trebonius Garucianus procurator, jussu Galbæ: Capitonem in Germania, cum similia cœptaret, Cornelius Aquinus & Fabius Valens, Legati Legionum, interfecerant antequam juberentur.* Exhibent hunc nummum *Octavius Sada* in Dial. Augustini edit. Rom. p. 27. N. 15. modo quod Vir sinistrorsum respiciat, forte errore sculptoris; *Albertus Rubenius* Tab. XXII. N. 20. *Johannes Biæus* Tab. XXII. N. 20. *Jacob. Oiselius* T. LXIV. N. 9. p. 365. *Joach. Udanus* T. LXVII. N. 9. *Ant. Zantanus* in aureis N. 2. sinistrorsum tamen respicit, forte Sadam sequutus aut potius *Æneam Vicum* in aureis N. 2. Habent & ipsum MSta *Hub. Goltzii.*

NUM. 22.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 9.

Vel,

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ.

IMPerator. Galba paludatus ac dextra extensa equitat.

Non alio sub schemate Tibi fingas oportet heic Galbam, quam itinere suscepto, ad Urbem paludatum properantem, veluti mox introiturum ac multo cum plausu ab universo populo (quod dextra extensa innuere videtur) excipiendum; De quo legas quæso *Tranquillum* Cap II: *Sed supervenientibus ab Urbe nuntiis, ut occisum Neronem, cunctosque in verba sua jurâsse cognovit: deposita LEGATI, suscepit CÆSARIS appellationem. Iterque ingressus est PALUDATUS, ac dependente à cervicibus pugione ante pectus, nec prius usum togæ recuperavit, quam oppressis, qui novas res moliebantur, præfecto Prætorii Nymphidio Sabino, Romæ; in Germania, Fontejo Capitone; in Africa Clodio Macro legatis.* Sunt tamen & in his *J. Valens, C. Mediobarbus, Laur. Begerus,* qui statuam ejus equestrem à Gallis & Hispanis ei decretam interpretantur, sed cum de illa nihil legamus, nescimus, an non jure priorem nostram præferamus opinionem, sed suo quisque sensu quemlibet abundare, & heic facilè permittentes.

Vulgarunt hunc nummum rarissimum aureum *Joh. Valens* in rarioribus aureis p. 41. & in nummis Consular. T. 2. p. 449. edit. 1674. *Com. Mediobarbus* p. 99. *Occo* p. 86. edit. 1579. Hodie asservatur in *Thesauro Regis Christianissimi* teste *Valente.*

NUM.

NUM. 23.

Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Sicuti omnibus virtutibus, aliorum, immo etiam peſſimorum Imperatorum exemplo, excellere volebat Galba, ita & in nummis militari laude, quam ſigna hæc non obſcurè deſignant; de qua ſic nos inſtruit *Suetonius* cap. VI: *A Cajo Cæſare Gætulico ſubſtitutus, poſtridie quam ad legiones venit, ſolenni forte ſpectaculo plaudentes inhibuit, data teſſera, ut manus pænulis continerent. Statim per caſtra jactatum eſt*: (Quod *Engelbuſius* in *ſuo Chronico*, neſcio quo Autore, hunc in modum prodit: Milites ſuos ita tractaſſe, ut alter diceret ad alterum:) *Diſce militare, Galba venit.*) *Diſce miles militare, Galba eſt, non Gætulicus.* Ac *Suetonius* l. c. pergit: *Veteranum ac tyronem militem opere aſſiduo corroboravit. . . Ipſe maxime inſignis, quod campeſtrem decurſionem ſcuto moderatus, etiam ad eſſedum Imperatoris per viginti paſſuum millia cucurrit.* Nunc *Tacitum* audiamus: *Laudata olim & militari fama celebrata ſeveritas ejus. . . Dum vigebat ætas militari laude apud Germanias floruit.* Fallimur? an ſunt Legionum Imperio Romano à Galba additarum monumenta, quas *Tacitus* & *Dio Adjutricem* vocant & *VII. Galbianam*, quarum illam in urbe erexit, hanc in Pannoniam ablegavit. Tangit & has *Suetonius* cap. X: *Deinde juſtitio indicto, è plebe quidem Provinciæ LEGIONES & auxilia conſcripſit, ſuper exercitum veterem legionis unius, duarumque alarum, & cohortium trium.* Nummum hunc rariſſimum aureum communicant MSta *Goltziana*, & ex his delineationes *Morellianæ*, itemque *Joh. Valens* in rarioribus aureis p. 78. edit. 1694.

Adjungi hiſce poſſet Galbæ nummus ita inſcriptus:

IMPerator SERvius GALBA AUGuſtus. Caput Galbæ nudum lævam verſus, uti Tab. I. n. 7.

Senatus PopulusQue Romanus OB Cives Servatos. In corona quernea.

De typo ſupra N. 10. diximus, quo B. L. ablegatum cupimus. Tantummodo diverſa diſpoſitio literarum attendi heic meretur, & typi, ob ſuam præſtantiam, frequentior repetitio. Hodie illum *Theſaurus Schwarzburgicus* continet, vulgaruntque eundem jam *J. Hemelarius* Tab. X. n. 3. *A. Rubenius* in *Nummis Arſchot.* Tab. XXII. n. 1. 2. *Joh. Blæus* Tab. XXII. n. 1. 2. *Juan de Quinones* in Libro, cui titulus: *Explicacion de unas monedas de oro de Emperadores Romanos, que ſe han hallado en el Puerdo de Guadarrama, donde ſe refieren las vidas dellos, y el origen dellas, con algunas advertencias politicas, y otras coſas antiquas y curioſas*, Madriti 1620. excuſo in forma quarta, ut vocant, pag 15. 16, ſequ. Eumque olim *Dn. Monjeux* poſſedit.

NUM. 24. 25.

Vacant.

NUMMI GALBÆ ARGENTEI.

NUM. 26. 27.

ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ CΕΒΑCΤΟC. (*GALBA IMPERATOR AUGUSTUS.*) *Caput Galbæ laureatum lævam verſus.*

ΕΤΟΥC. . . . (*ANNO. . . .*) *Aquila fulmini inſiſtens, ſeu fulmen ferens, ante verò lauri ramus.*

Anno Imperii primo fuiſſe hunc nummum cuſum verò admodum eſt ſimile, prætereaque eundem nos ex Ægypto accepiſſe, quod Aquila fulmen ſecum ferens non obſcurè docet. Neque eſt, quod quis eandem, ut vulgò ſolet fieri, de ſymbolo Regio interpretetur, tamquam Galbam ejusque juſtitiam fulmen deſignaret, de quo alibi. Videtur hunc nummum rariſſimum argenteum *A. Morellius Theſauro Verſalienſi* debere.

NUM. 28.

ΣΕΡΟΥΙΟΣ ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ ΣΕΒαστος Αυκάβαντος Α. (*SERVIUS GALBA IMPERATOR CAESAR AUGUSTUS ANNO I.*)

vel,

ΣΕΡΟΥΙΟΣ ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟΚράτωρ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστος Αυκάβαντος Β. (*SERVIUS GALBA IMPERATOR CÆSAR AUGUSTUS ANNO II.*)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. (*ALEXANDRIA*) *Caput Fœmineum proboſcide elephanti inſigne.*

De Anticis non ſumus ſoliciti, cum expoſitio illarum ſupra jam l. c. data ſit, ſive caput hoc de Alexandria, ſive de Africa interpreteris, non errabis. Africa etenim, quod hæc provincia his belluis abundet, elephantis proboſcide vulgò orna-

ornari ſolet, veluti peculiari ſymbolo & criterio. Huic verò Provinciæ præfuiſſe Galbam, tunc inteſtinis diſſenſionibus dilaceratæ, per biennium Proconſulem, extraque ordinem electum, *Tacitus* diſerte refert & *Suetonius* & *Plutarchus*. Ille verò ſic: *Proconſul AFRICAM moderatè continuit*. Iſte, *Suetonius*, tangit hoc non ſolum Cap. VII. *Per hæc gratiſſimus Claudio, receptusque in cohortem amicorum, tantæ dignationis eſt habitus, ut cum ſubita ei valetudo, neque adeo gravis incidiſſet, dilatus ſit expeditionis Britannicæ dies. AFRICAM Proconſule biennio obtinuit, extra ſortem electus ad ordinandam Provinciam & inteſtina diſſenſione & barbarorum tumultu inquietam;* Sed & Cap. VIII. *Ob res, & tunc in AFRICA, & olim in Germania geſtas, ornamenta triumphalia accepit.* Hic verò, *Plutarchus* p. 1054. Λέγεται δὲ καὶ στρατεύματος ἐν Γερμανίᾳ καλῶς ἄρξαι, καὶ Λιβύης ἀνθύπατος γενόμενος σὺν ὀλίγοις ἐπαινεθῆναι. *Fertur etiam Legionibus Germanicis honeſtè præfuiſſe, atque ex proconſulatu, quem geſſit in AFRICA, fuiſſe inter paucos commendatus.* Immo videtur etiam (obſervante *Caſaubono*) Galba monumentum ſui reliquiſſe, urbem ſcilicet eo in loco poſitam, ubi ipſe ſua caſtra habuerat, Caſtra Galbæ dictam, cujus mentio eſt apud *Cyprianum* in Concilio Carthaginenſi, ubi tamen Caſtrum Galbæ dicitur. Egerat autem Proconſulem Anno 797. M. Vinicio Nepote II. & M. Statilio Corvino Conſulibus, de quo videri poteſt *Pigh.* Annal. III. p. 575. Proconſul autem, ut vero & id adhuc addamus, ille videtur dici, qui Conſulis loco mittitur, cum tamen quandoque nec ex Conſulatu mitterentur, nec unquam Conſules fuiſſent, de quo conſuli meretur *Turnebus* in Adverſ. II. 24. Dehinc quod Alexandriam attinet, novimus non ſolum eidem præfuiſſe Galbam, ſed & navem Alexandrinam portendiſſe ſuum Imperium, de quo *Suetonius* Cap. X. *Ac ſubinde Alexandrina navis Dertoſam appulit, armis onuſta, ſine gubernatore, ſine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium eſſet, juſtum, piumque, & faventibus Diis, bellum ſuſcipi.* Ubi ſaltem obſervamus Dertoſam hodie dici Tortoſam, urbemque eſſe Cataloniæ ad Iberum *fluvium* (*a*) *in Hiſpania Tarraconenſi.*

Vulgavit hunc nummum *Joh. Valens* in rarioribus argenteis p. 80. edit. noviſſ.

NUM. 29.

ΡΩΜΗ. Αυκάβαντος A. (*ROMA ANNO I.*) *Roma galeata dimidio corpore tenus, dextrâ haſtam, ſiniſtrâ clypeum tenens.*

Antonius Trium-Vir tertium Conſulatum agens Alexandriam Romam appellavit, hinc hoc nomine obſignatos laudati Triumviri nummos apud *Patinum* videas. (*b*) Quod nomen dehinc in Galbæ & Othonis nummis retinuit. Et cum Urbis caput galeatum ſemper exhibeatur in nummis, non alio ſchemate Alexandria voluit comparere, eoque novo Imperatori cum aliis Urbibus gratulans, ſuos ſic dedicare nummos placuit. Exhibuit jam illum *Joh. Valens* in rar. argenteis noviſſ. edit. p. 81.

NUM. 30. 31.

SERvius GALBA IMPerator. Galba paludatus dextra extenſa equitans curſu veluti citato.

GALLIA. Caput Galliæ, ante duæ ſpicæ, à tergo duo ſpicula, & in imo clypeus parvus.

De perigraphe anticæ ſupra Tab. I. n. 1. 2. ſequentibusque egimus. Figuram verò impreſſam jam ſupra Tab. IV. n. 22. vidimus, ubi plura attulimus. Nunc poſtica reſtat, Galliæ caput exhibens eodem propemodum modo ac Hiſpaniæ formatum. Nempe ſpicas quoque exhibet, quæ agri ſui fertilitatem & granorum abundantiam deſignant; pone videas duo tela, quæ gæſa Livio dicuntur, itemque clypeus, arma tunc temporis Gallis notiſſima, quibusque in re militari præſtantiam vulgò denotare ſolebant. Ita enim illa & amictum decantat *Virgilius*:

Aurea cæſaries ollis, atque aurea veſtis,
Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque alpina coruſcat
Gæſa manu ſcutis protecti corpora longis.

Hanc provinciam, licet cunctantius in ipſius Imperium cum Hiſpania conſenſiſſe, vel *Suetonius* Cap. XII. prodit: *Præceſſerat de eo fama ſævitiæ ſimul atque avaritiæ: quod civitates HISPANIARUM GALLIARUMque, quæ cunctantius ſibi acceſſerant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum deſtructione puniſſet.* Diſtinctius id quoque tradit *Tacitus* Hiſtor. Libro I. *GALLIÆ, ſuper memoriam VINDICIS, obligatæ RECENTI DONO ROMANÆ CIVITATIS, & inpoſterum TRIBUTI LEVAMENTO.* Vides ergo cauſam, cur GALLIAM & GALLIAS in nummis Galbæ obſignatas legamus. *Proximæ* tamen, pergit *Tacitus*: *Germanis exercitibus GALLIARUM CIVITATES, non eodèm honore habitæ, quædam etiam finibus ademptis, pari dolore commoda aliena ac ſuas injurias metiebantur.* Multum tamen & antea ipſi negotium faceſſiſſe Galliam vel ejusdem Autoris cap. VII. verba documento ſunt: *Veteranum ac tironem militem opere aſſiduo corroboravit: matureque Barbaris, qui jam in GALLIAM uſque proruperant, coërcitis, præſenti quoque Cajo, talem & ſe & exercitum approbavit, ut inter innumeras contractasque ex omnibus Provinciis copias, neque teſtimonium, neque præmia ampliora ulli perciperent.* Et cap. IX: *Carthagine nova conventum agens, tumultuari GALLIAS comperit.* Nempe cum Gallia Julii Vindicis auſpiciis contra Neronem inſurgere cœpiſſet, Hiſpania Galbam ſibi tunc præpoſitum Imperatorem exercitus interveniente opera agnoviſſet, iſta & poſt mortem Vindicis ſtatim in ejus electionem conſenſit; hinc & mox, dextras jungentes, velutique in electionem ejus conſentientes contemplabimur cum perigraphe: HISPANIA GALLIA. *Nuntiis denique de Neronis morte ab urbe ſupervenientibus,* (verba ſunt *Tranquilli* cap. XI:) *ut occiſum Neronem, cunctosque in verba ſua juraſſe cognovit, depoſita LEGATI, ſuſcepit CÆSARIS*

(*a*) Ita *Strabo* III. p. 110: Ἐκ Ταρρακῶνος, ἐπὶ τὸν πόρον τοῦ Ἴβηρος, κατὰ Δερτῶσσαν πόλιν, *à Tarracone ad tranſitum Iberi, ad urbem Dertoſam.* Quæ Dertoſa Ilergavonia cognominatur à populis, teſte nummo *Tiberii* apud *Occonem* p. 69. & *Merulæ* Coſmograph. II. 2. 15.

(*b*) Poſt Antonium ita vocari deſiit, ut credo; nec certe ad Galbæ & Othonis tempora perrexit. Verum Alexandriæ nummi ejusmodi ſignati ſunt in honorem Romæ, ſicuti in honorem Senatus, Populi Romani &c. SIG. HAVERC.

RIS appellationem, iterque ingressus est paludatus, ac dependente à cervicibus pugione ante pectus, eâ certè ratione, qua in antica heic eum conspicimus, ita tamen ut mox faciem suam in antica, mox se equitem, in anticis, mox Galliam seorsim, mox Hispaniam seorsim, mox Galliam & Hispaniam conjunctim in nummis suis exhibeat. In lucem produxere hunc nummum rariorem *C. Patinus* in *Suetonio* nummis illustrato p. 345. *Joh. Valens* in rar. argenteis p. 75. & Tom. II. Nummorum Consular. T. CXXXV. n. 13. p. 449. ubi tamen neque tela pone neque clypeolus infra à sculptore rectè expressa sunt. *A. Morellius* in Nummis Consul. T. II. n. 6. *Com. Mediobarbus* p. 100.

Pertinent huc & alii Galbæ nummi argentei, hic non expressi vel depicti, verum sic inscripti:

SERvius GALBA IMPerator. Imperator Galba paludatus dextera extensa equitans citato cursu sinistrorsum.

vel,

SERvius GALBA IMPerator. Galba equitans eodem modo, dextrorsum.

VIRTUS. Caput Virtutis galeatum.

De antica in præcedenti Numero actum jam à nobis est. Nec est, quod de Virtutis capite (quod galeatum heic est) multa dicamus, cum integrum ejus corpus inspicere nobis jam licuerit Tabula hac ipsa IV. n. 21. quem vide. Hoc saltem notamus, sicuti Romæ Templa Honoris & Virtutis ita erant in urbe constructa, ut per Virtutis Templum ingressus esset in Honoris, ita & Galbam in nummis æreis majoris formæ & Honorem & Virtutem exhibuisse, ut doceret omnes, sese ad Imperatorium Honorem per Virtutem fuisse grassatum. Atque, ut Equites Romani Idibus Quintilibus ab Æde Honoris, equis insidentes, in Capitolium transibant, ita & heic Galba, Imperio summo sua virtute parto, eques in urbem contendit à Senatu vocatus, à Populo diu exspectatus, cujus rei memoriam & nummus heic servat conservatque. Dedit jam hunc nummum haud obvium argenteum *Joh. Valens* in rar. argenteis Tab. LXXIX. edit. noviss. 1694. & in Nummis suis Consularibus Tom. II. Tab. CXXXV. n. 14. p. 449. & *A. Morellius* in delineationibus suis, & in Nummis Consularibus sub Famil. Sulpic. Tab. II. n. 11.

NUM. 32. 33.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ dextram versus, uti Tab. I. n. 3.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator AUGustus. Imperator Galba paludatus equitans, dextra extensa, uti n. 33.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator. Galba eodem modo equitans, uti n. 33. b.

TRES GALLIAE. Tria capita fœminea, pectore tenus denudata, primum veluti ornatum, alterum, quasi comatum, & tertium, capillis in nodum constructis, ante singulæ observantur spicæ.

Antiquissimis temporibus Gallia divisa erat in Cisalpinam & Transalpinam. Cisalpina dicebatur, quæ hodie Italiæ partem nomine Longobardiæ comprehendit, Transalpina verò Gallia in tres partes dividebatur rursus. Tres olim omnis Galliæ fuisse appellationes doctis non ignotum est, notiores autem ex hoc omninò erunt nummo. Nempe Togatæ, Comatæ & Braccatæ. Togata dicta fuit, quod Toga, ad Romanorum morem uteretur; Comata à comæ nutriendæ studio, & nonnisi Gallia Cisalpina erat; Braccata à braccis villosæ vestis specie sic dicta; &, cum togata Transalpinam Galliam constituebat, hæc togata Alpibus proxima, illa Braccata remotior, & extremas Galliæ partes sub se comprehendebat. Sed recentioribus & Galbæ temporibus illæ jam evanuerant, & recentioribus veniebant nominibus, Belgicæ scilicet, Celticæ, & Aquitaniæ, secundum illud *Julii Cæsaris* Lib. I. Com. de B. G. initio: *Gallia est omnis divisa in partes tres, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui in ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur*; quarumque omnium nomine statuam equestrem erectam fuisse in Galbæ honorem, ut nonnulli opinantur, verò admodum est simile; si non potius adventum ejus in Gallias, hujusque in memoriam cusum credere velimus nummum. Cæterum quando Doctissimus *Oiselius*, *Udanum* sequens, unum horum capitum galeatum, alterum coma pendula, tertium capillis in nodum supra verticem constrictis vidisse in nummo sibi persuasit; hoc non ita est, & vel ocularis nummi inspectio eundem potest refellere, ut cætera taceamus. Neque hoc probabilitatem apud nos ullam invenit, quando in *Thesauro* p. 116. scribit: „ Cæterum nummus iste (*loquitur de nostro*) „ vulgo inter IMPERATORIS GALBAE recenseri solet, ob inscriptionem anterioris partis: „ SERG. GALBA expressam. Verum alii haud „ absque ratione, hunc nummum ad tempora Jul. „ Cæsaris, ejusque expeditionem in Gallias referunt, & non S. Galbam, Imperatorem, sed „ aliquem è majoribus, Proavum nempe ejus, „ Sergium Galbam, Legatum Julii Cæsaris in Galliis designari putant, illum nempe, de quo ipse „ Cæsar statim ab initio Libri III. de B. G: *Quum* „ *in Italiam proficisceretur Cæsar, Ser. Galbam* „ *cum legione duodecima & parte equitatus in* „ *Nantuates, Veragros, Sedunosque misit* &c. „ qui porro toto isto libro gesta ejus in Galliis prosequitur. Nomen verò Ser. Galbæ, Legati Cæsaris in hoc nummo expressum, eodem modo, „ atque istud factum in aliis nummis Minucii Thermi, Titurii Sabini, aliorumque Legatorum „ Jul. Cæsaris, quorum nomina in nummis occurrunt. „ Huc usque *Oiselius*. Sed ut ipsi ad singula heic brevissimisque respondeamus, nummumque hunc nostrum Imperatori Servio Galbæ vindicemus, par omnino est, & instituti nostri ratio requirere omnino videtur. Et ut ordinem verborum sequamur, nescimus, quod nummi exemplar præ manibus habuerit *Oiselius*, cum nos in omnibus, quos equidem vidimus & nummis & delineationibus non SERG. GALBA, sed, uti dedimus: SERvius GALBA IMPerator AUGustus deprehendi-

hendimus, quæ vel sola IMPeratoris AUGusti denominatio ad destruendum hanc suam sententiam omnino posset sufficere, & absque sufficiente ratione hoc ab ipso fuisse pronunciatum ipsum docere. Dehinc, qui illi alii sunt, qui hoc cum ipso statuerint, nondum videre mihi contigit, ut potius credam sua vel sola propriaque tantum esse somnia, nisi hac in parte *Joachimum Udanum* dubiè equidem hoc affirmantur exscripserit. Porrò licet vel proavus ejus fuerit Legatus Cæsaris in Gallia, & alii Legati Cæsaris in nummis exhibeantur, attamen non meminimus, illo tempore Legatos cursu citato equitantes in nummis fuisse obsignatos. Porro si harmoniam nummorum Galbæ velimus consulere, res demum erit manifestissima & extra omnem dubitationis aleam posita. Nam ita equitans cum voce: IMPerator, in imo, non solum in aureo supra N. 22. viso, & argenteo Tab. IV. N. 41. sed & cum perigraphe: *SERvius GALBA IMPerator*, Numero præcedenti 31. cum hac inscriptione: *GALBA IMPerator*, infra N. 36. alioque positu N. 38. cum istâ: *SERvius GALBA IMPerator*, Tabula sequenti V. N. 12. a. 13; rursus cum alia: *SERvius SULpicius GALBA IMPerator*, N. 14. ac denique cum hac: *COnSul* V. Tab. V. N. 45. ut adeo ipsum non aliter videamus quam veluti, Imperio virtute parto, ex Hispania ad urbem cursu concitato equitem properantem, & à Senatu non solum, sed & universo populo cum plausu exceptum, de quo jam plura nos supra quoque N. 22. attulisse meminimus. ut taceamus, nummorum horum cudendi rationem nonnisi in Galbæ tempora incidere, certisque criteriis à Cæsaris temporibus differre, quæ, cum res sit certissima, jam studio mittimus. Vulgarunt hunc eximiæ raritatis ac præstantiæ singularis nummum argenteum *Joh. Valens* in rarior. argenteis p. 42. edit. 1674. & noviss. edit. 1694. p. 78. ubi tamen perperam anticæ perigraphen ita legas: *SERG. GALBA IMPER.* cum hæc sit: *SER. GALBA IMP. AUG.* uti eandem dedimus, aut *SER. GALBA IMPerator*; *C. Patinus* in Suetonio suo nummis illustrato p. 345. N. 8. 9. qui tamen capita eodem exhibuit habitu; *Jac. Oiselius* Tab. 26. N. 6. p. 116. ubi tamen unam galeatam, mediam comatam & tertiam, nescio quam effinxit; *H. Goltzius* in Thesauro rei antiquariæ p. 215. & 234. *L. Begerus* in Thes. Palatino p. 297. & Tomo II. Thes. Brandenb. p. 626. ubi tamen tres Gallias omnes exhibuit laureatis capitibus contra fidem nummi, &, uti in explicatione habet, ob florentem, qua celebres erant, victoriarum gloriam; *Joachimus Udanus* in Potentia Romana Tab. XXIX. N. 6. p. 140. quanquam Figuras Galliarum eodem modo & male uti *Oiselius* exhibeat. *Joh. Bapt. Menetrier* dans les Medailles illustrées des anciens Empereurs p. 75. ubi tamen capita dextrorsum respicientia, cum heic sinistrorsum compareant, brevibusque capillis sistit, Imperatorem laureatum in antica, contra nummorum fidem, quod ipsi solenne est; *Joh. Tristanus* Tom. III. p. 73. *A. Morellius* in Nummis Consular. in Famil. Sulpicia T. 2. sub. lit. E. *Com. Mediobarbus* p. 99.

NUM. 34.

GALBA IMPerator. Caput Galbæ laureatum globo impositum, lævam versus, uti Tab. I. n. 5.

GALLIA HISPANIA. Hispania & Gallia sagatæ stantes dextras jungunt, illa tenente jaculum & cetram, hac jaculum tantum.

Galliam & Hispaniam seorsim cum capite Galbæ in nummis obsignatas vidimus, nunc in postica conjunctas ante oculos habemus, jungentesque dextras belleque primum conspirantes in electionem Galbæ ut Imperatorem, quod junctæ dextræ haud obscurè innuunt, secundum illud *Taciti: Mos est Regibus, quoties in societatem coëunt, implicare dextras.* Gallia enim, primum sub Julio Vindice tumultuans, per mortem ejus vero quieta statim maximam partem in Electionem Galbæ in Hispania factam consenserat, uti *Suetonius* tradit C. 12: *Præcesserat de eo fama sævitiæ simul atque avaritiæ: quod civitates HISPANIARUM GALLIARUMque, quæ cunctantius sibi accesserant* (*ergo* pleræque cito ipsi accessere) *gravioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punisset.* Non verò *Ant. Augustini*, *Jacobi Oiselii*, *Joach. Udani*, *Joh. Smetii* adprobare possumus, vel *A. Rubenii* sententiam, quasi sub Hispaniæ & Galliæ schematibus Galba & Vindex intelligantur, conspirantes in Neronis interitum, junctis viribus detrectantes ejus imperium, eodemque tempore contra illum simul moventes, tum ex Gallia, tum ex Hispania urbem versus; cum potius ex *Suetonii* verbis supra adductis clarum sit liquidumque, eo quod uno eodemque prope tempore ipsi accesserint, illas dehinc in perpetuam rei memoriam nummis voluisse impressas. ut adeo nobis non consistere illa videantur, quæ *Patinus* in Suetonium p. 345. tradit, has provincias ipsas in honorem Galbæ cudisse in spem optimi Principis, extincto pessimo; cudendi nummos aureos & argenteos penes Principem tunc existente potestate in urbe, ubi prodiisse illos, vel primus docet adspectus.

Vulgarunt hunc nummum argenteum rarissimum *Joh. Valens* in rar. argent p. 75. edit. 1694. edit. verò 1674. 40. *Jacob. Oiselius* Tab. 26. N. V. p. 116. qui tamen galeatas illas sistit, *A. Rubenius* in Nummis Arschot. T.22. N. 24. p. 38. qui tamen utrasque galeatas exhibet, *Jac. Biæus* in Nummis Imper. T. 22. N. 24. *C. Patinus* in Sueton. nummis illustrato p. 345. capitibus nudis, ac in Thesauro in argent. p. 55. n. 34. *Jean Baptist. Menestrier* dans les Medailles illustrées des anciens Empereurs & Imperatrices de Rome p. 74. qui tamen galeatas utrasque malè exhibet; *Joach. Udanus* Tab. XXIX. n. 5. p. 140. rursus galeatas eas exhibens; *Æneas Vicus* in argent. n. 11. iterum galeatas offerens; *Anton. Zantan.* in arg. n. 11. eodem modo, uti Vicus *Joh. Smetius* in Antiquit. Noviomag. p. 205. qui rursus malè galeatas dicit; *Octav. Sada* in Augustini Dialogis p. 87. n. 2. qui tamen aureum prodit, quod metallum à nobis nondum est observatum. *Anton. Augustinus* Dial. III. p. m. 41. *Com. Mediobarbus* p. 100. Hodie pars *Thesauri Regii Versaliensis* est, eumque & olim *C. Patinus* possedit.

NUM. 35. 36.

GALBA IMPerator. Galba equo cursu excitato decurrens dextra elata.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator. Imperator eodem modo eques, uti Num. præced. 31.

HI-

HISPANIA. Caput Hiſpaniæ, humero tenus coma reflexà, & collecta in ſpiram, & cirris quibusdam in cervicem defluentibus, ante duæ ſpicæ, pone duo tela aut pila, itemque cetra, ſive parvus clypeus.

Typum eundem jam ſupra Num. 22. vidimus, pluraque jam de Hiſpania, & cur in nummis Galbæ ſeorſim obſignata fuerit N. 2. ſupra attulimus; attendimus ſaltem ob typi præſtantiam toties eundem voluiſſe repetitum Galbam. Nummum non ubivis obvium vulgarunt *C. Patinus* in *Suetonio* nummis illuſtrato p. 345. *Joh. Valens* in rar. argenteis p. 41. edit. 1674. & noviſſ. 1694. p. 76. *Jac. Biæus* Tab. XXII. n. 3. ubi tamen non ſolum duæ ſpicæ ante omiſſæ, ſed & literas ab inferiore ad ſuperiorem locum tendere videas, quod in noſtro non eſt; eundemque ſequitur *A. Rubenius* in Nummis Arſchot. Tab. XXII. n. 3. rurſusque hos *Joach. Udanus* in Potent. Rom. Tab. XXXIII. n. 9. p. 151. nec non *Jac. Oiſelius* in Theſauro Tab. XXX. n. 9. p. *Octav. Sada* p. 88. n. 4. 5. *A. Morellius* in Nummis Conſular. Tab. II. in Famil. Sulpicia n. 1. *Com. Mediobarbus* p. 99. *Occo* p. 86. edit. 1579.

Hodie pars eſt *Theſauri Regii Verſalienſis.*

Hiſce adjungi poteſt aliud Galbæ Numiſma quod hic apud *Andr. Morellium* non exprimitur, cum hac Inſcriptione:

SERvius GALBA IMPerator. Galba equo decurrens dextra extenſa.

VIRTUS. Caput Virtutis galeatum.

Quid antica velit num. 22. & poſtica num. 21. jam diximus, utraque autem & literis & figura invicem differre ab illis dictis Numeris videntur. Vulgavit jam hunc nummum *A. Morellius* in *Nummis Conſularibus* ſub *Famil. Sulpicia* Tab. II. Lit. D.

Num. 37. 38.

GALBA IMPerator. Imperator equitans citato curſu extenſa dextra dextrorſum.

HISPANIA. Caput Hiſpaniæ, ante duæ ſpicæ, à tergo duo tela, itemque cetra, ſive parvus clypeus.

Eosdem typos inveniet B. L. num. præced. 35. & 36. quorſum ablegatum eundem nunc volumus, ſolum in eo differt, quod vox HISPANIA aliter ſit circumſcripta; & heic Galba dextrorſum equitet, cum ibidem ſiniſtrorſum. Vulgarunt alioquin eundem *A. Morellius* in Nummis Conſular. ſub Famil. Sulpic. Tab. II. Lit. A. *Joh. Valens* in rar. argenteis p. 76. hodieque pars eſt *Theſauri Schwartzburgici*, *Dn. Seignelay* & illum olim poſſedit, teſtibus delineationibus *Morellianis.*

Num. 39.

Vacat.

TABULA IV.

QUÆ CONTINET ADHUC

GALBÆ NUMMOS ARGENTEOS.

Num. 1.

IMPERATOR GALBA. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. n. 14.

RESTituta NUMidia. Caput muliebre monili circa collum ornatum, lævam verſus.

Illuſtriſſ. *Petrus Seguinus* hunc nummum interpretaturus hæc de illo in ſelectis ſuis Numiſmat. p. 133. poſterioris edit. prioris vero pag. 129. commentatur: „Oedipo mihi conjectore opus eſt, qui „ argenteum Galbæ denarium explicet. . . Quidam: *Reſtituto nummo*; alii: *Reſtituta Numidia.* „ Ego addo & audeo: *Reſtituto Numine.* Quod „ priusquam poſſim ſtatuere, expendendæ mihi „ ſunt aliorum rationes. Ac primò de Reſtitu„ tione Nummi, hoc eſt rei monetariæ, per Gal„ bam, aſſentiri non poſſum. Cum enim Impe„ rium vix ſeptimeſtre deguſtaverit, & à multis „ æmulis impetitus fuerit; rebus ſuis formandis „ vacavit potius, quam condendis de re numma„ ria legibus: præſertim cum ea nihil admodum „ detrimenti ſub ejus deceſſoribus cepiſſet, ut pa„ tet ex legitima ratione, ſinceritate & pondere „ nummorum iſtius & ſuperioris ævi. Neque „ verò ullum hujusmodi reſtitutionis à Galba factæ „ veſtigium in omnibus antiquæ hiſtoriæ monu„ mentis, opinor, repereris. Adde ſuſpectum eſſe „ vel nomen ipſum Nummi, quod nusquam mihi „ lectum in nummis ipſis: ſed ſicubi reſtitutionis „ iſtius eſt facta mentio, *Monetam* uſurpari. Cer„ tè in præclaro Auguſti numiſmate à Patrenſibus „ cuſo ſuperius exhibito, legitur: *Indulgentia Aug. Moneta impetrata*; pro gratiarum actione, & „ memoria licentiæ cudendi nummi. Sic etiam „ in

„ in Alexandri Severi nummis legitur: *Restitutor Monetæ* & : *Moneta Restituta* ; nil prorsus „ de *nummo*. Probabilius itaque loqui videntur, qui de *Restitua Numidia* nummum explicant. Scio in rebus gestis Galbæ vix ullam apud „ autores hujus nominatim provinciæ fieri mentionem: sed meminisse oportet, illum non solum præfuisse Aquitaniæ & Germaniæ, verum „ etiam Africæ, ac demum Lusitaniæ: Africæ, „ inquam, non tertiæ parti orbis terrarum; sed „ minori, quæ majoris istius provincia est, in „ qua sita Numidia. Romani enim, teste *Appiano*, Libro IV. de Bello Civ. Africæ hujus propriæ, alteram partem vocant veterem, ademptam scilicet Carthaginensibus: alteram, quæ „ prius Jubæ regnum fuerat, à C. Cæsare postea „ occupatam, novam appellant, quæ est Numidia. Cum igitur ea comprehendatur sub Africa „ propria, cui præfuit Galba, potuit ita benè „ meritus esse de Numidia, ut Restitutor ejus sit „ appellatus; præsertim si attendamus, quæ refert „ *Suetonius* de Galba Cap. VII: *Africam pro Consule biennio obtinuit, extra sortem electus, ad ordinandam provinciam, & intestina dissensione, & barbarorum tumultu inquietam; ordinavitque magna severitate ac justitiæ cura, etiam in parvulis rebus.* Hæc, inquam, non omnino improbabilia viderentur, nisi superesset scrupulus duplex. „ Primum enim Numidiæ nomen nusquam in nummis legitur, uti Africæ, Libyæ, Mauritaniæ. „ Deinde figura illa muliebris, Deæ potius alicujus, quam provinciæ, speciem præ se fert; ubi „ enim aut corona turrita? aut illud insigne proprium ac peculiare, cujusmodi est Africæ Leo, „ Elephas Libyæ, Equus Mauritaniæ. Faciunt „ ista, ut meæ de *Restituto Numine* conjecturæ „ firmius adhærescam; & Fortunæ ipsi dicatum „ asseram nummum, ejusdem *Tranquilli* Cap. IV. „ autoritate fultus, qui ait: Galbam sumpta virili „ toga, somniasse Fortunam dicentem, stare se „ ante fores defessam, & nisi ocyus reciperetur, „ cuicunque obvio prædæ futuram. Utque evigilavit, aperto atrio, simulacrum æneum Deæ, „ cubitali majus, juxta limen invenisse, idque „ gremio suo Tusculum, ubi æstivare consueverat, avexisse; & in parte ædium consecratum „ menstruis deinceps supplicationibus & pervigilio anniversario coluisse. Exhinc videre est, Numen restitutum, sive Restitutam Numidiam malis, utrinque *Suetonius* adest. Eligant eruditi, „ utri faveant sententiæ: neque enim ita meæ sum „ tenax, ut in alteram, si annuerint, abire non „ sim paratus.„ Non diu post Illust. *Ezech. Spanhemius* in priorem ire videtur sententiam, ac illum de Restitutore Numidiæ interpretari, quando pag. 828. Differt. IX. De præst. & usu Numismat. ita scribit: „ Ita eodem exemplo Galba REST. NUM. „ seu *Restitutor Numidiæ*, dictus in præclaro nummo Seguiniano.„ Cui adstipulari videtur *Comes Mediobarbus* in Imperat. Rom. Numismat. postquam hunc nummum descripserat, ita p. 100. scribens: „ RESTITUTOR NUMIDIÆ legit Illustriss. *Spanhemius* f. 828. qui eruditissime, ut „ solet, nummum explicat.„ *Johannes Harduinus* contra in Libro suo de Nummis antiquis Populorum & Urbium p. 363. 364. novam denuo in proscenium producit hujus nummi interpretationem, nempe *Restituta Numantia*, eam hunc in modum proferens: „ Affert hunc nummum *Seguinus* p. 123. qui nunc *Regii Cimelii* est; aitque „ nonnullos sic interpretari ausos, *Restituta Numidia*, quod ipse meritò improbat; ut & alteram „ interpretationem, *Restituto nummo*: affert deinde haud paulo deteriorem, *Restituto Numine*, „ Fortunæ videlicet, quam nummo eo signatum „ putat. Nostram eruditis potiorem visum iri confidimus, triplici nomine: Primum quod in eo „ nummo muliebre sit caput expressum, plane par „ ei, quod in plerisque Hispaniæ nummis occurrit, ac præsertim in Obulconis nummo, de quo „ mox dicemus. Deinde quod Galba in Hispania „ primum, cui cum Imperio Legatus populi Romani præerat, Imperator est salutatus. Qua de „ re fuse *Tranquillus* Cap. VIII. & sequentibus. „ Denique quod benè meritum de Hispania tota „ ac de oppidis quibusdam privatim, nummi ejus „ multi significant, quibus inscriptio posita: HISPANIA, ASTIGI, BARCINO, CLUNIA &c. „ Et ad conventum certe Cluniensem Numantini „ pertinuere, teste *Plinio* Libro III. Sect. IV. Nunc „ oppidi rudera visuntur haud procul ab eo loco, „ unde Durius amnis exoritur. Nomen iis Puente Garay prope urbem Soria. De veteris Numantiæ excidio vide *Florum* Libro II. Cap. „ XVII. Restitutam se à Galba hoc cuso numismate gloriatur, hoc est, ut ego interpretor, „ urbs ea, quam Soria nunc incolæ vocant, è veteris Numantiæ ruinis ac juxta eam excitata.„ Tantum verò abest, ut hæcce *Harduini* sententia potior visa fuerit *Joh. Valenti*, viro hasce literas doctissimo, ut potius calculum suum *Seguino* adjiciat pag. 77. in de Nummis rarioribus argenteis edit. recent. 1694. scribens: „ Quid sibi velint hæ „ voces: REST. NUM varias proposuit opiniones *Seguinus*: porrò à *Restituta Numidia* non alienus est. *Spanhemius* pro *Numidia* stetit. *Mediobarbus* ei accessit. *Harduinus* pugnax & contentiosus de *Numantia* interpretatur, sed nulli „ HISPANIAE post CALIGULAM cusi occurrunt nummi, NUMIDIA A CLODIO MACRO VEXATA, à Galba restituta est.„ Itaque est, & huic quoque opinioni nostrum prompti adjicimus calculum. Nempe licet Galba Hispaniæ fuerit præfectus ut Romanorum Legatus, hunc honorem tamen non ut talis, meruit, sed ut Imperator, quod antica docet; & quod ibidem primus fuerit salutatus Imperator, hoc nihil huc facit. *Huc'usque* COMM. CHR. SCHLEGELII.

NUM. 2.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum lævam versus.

DIVA AUGUSTA. Figura muliebris stolata stans, dextra pateram tenens, læva hastam.

Liviæ memoriam caram Galbæ fuisse ex antiquis Scriptoribus notum est. Hinc illius imaginem in argenteo hoc nummo (qui quoque in *nostro Museo* adservatur) signari fecit. Explicatio typi inveniri potest supra ad primum Galbæ nummum aureum eodem typo signatum.

NUM. 3.

ROMA. Roma stans, dextra victoriolam tenens, laeva hastam.

In *Schlegelianis* Notulis inveni a *Morellio* nummum hunc delineatum fuisse ex *MSS. Goltzianis.*

NUM. 4.

ROMA. Roma stans, dextro pede globo inposito, dextra tenens victoriolam, læva hastam.

Apud *Æneam Vicum* inter argenteos Galbæ nummos hic ipse occurrit numero quarto. Caput Orbis terrarum Roma hoc typo sese ejusdem Dominam ostendit.

NUM. 5. usque ad 12.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ.

In aliis legitur; *ROMA RENASC.* in aliis: *ROMA RENASCES*, in aliis: *ROMA RENASCENS. Stat autem militari habitu, dextra tenens victoriolam, læva hastam, sed diversimode depicta.*

Hujus typi interpretatio peti potest ex Aur. Num. Tabulæ præcedentis Num. *6.* & *7.*

NUM. 13. 14.

ROMA RENASCENS. Roma stans, habitu militari, dextra victoriolam tenet, læva hastam transversam.

SERvius SULpicius GALBA IMPerator. Imperator in equo dextram elevans, qua telum tenet.

In aliis hujusmodi nummis sine telo figura equestris est, ut videlicet adventus Augusti Romam depingatur, quo ipso novam vitam sibi illa civitas spondebat; unde illa ab altera parte inscriptio, quæ in aliis nummis per futuri casus sponsionem sic exprimitur: ROMA RENASCES. Quæ varietas quoque observata fuit supra in similiter inscriptis nummis cum Romæ effigie. Ediderunt similes *Æneas Vicus* in argent. Galbæ, Num. *6.* *Car. Patinus* in Thes. Num. p. 41.

NUM. 15. 16.

ROMA VICTRIX. Roma stans, habitu militari, dextro pede globum premit, manu autem dextra tenet ramusculum, læva hastam.

Uterque hic nummus servatur in *Thesauro Regis Galliæ*; explicationem typi vide inter Aurea Num. Tab. præcedentis Num. 8.

NUM. 17. 18.

GENIO Populi Romani. Caput Galbæ nudum, cum cornucopiæ ad collum atque cervicem.

MARTI ULTORI. Mars Ultor minaci habitu procurrit, læva scutum tenens, atque dextra telum elevans.

Vastato per Neronis crudelitatem & vesaniam Imperio Romano, atque exhausta Urbe, Galbam veluti Genium Urbis Romæ atque datorem bonorum, restitutoremque quietis & abundantiæ, in argenteo hoc nummo salutant Romani, eundemque comparant Marti Ultori, qui sicuti quondam Augusto faverat ejusque depresserat omnes inimicos hostesque, sic nunc porro Galbæ adserturus imperium, illumque & rem Romanam contra omnes quietis publicæ & Romani nominis hostes esset protecturus. Servatur in *Thesauro Regis Galliarum.*

NUM. 19. 20.

SERvio SULPICio GALBAE IMPeratori AUGusto. Caput muliebre, subtus quod parma est, ante pectus sunt duae spicae.

Senatus PopulusQue Romanus. Clypeus cum duabus hastis transversis.

Et hic quoque nummus eandem *Gazam Regiam* exornat. Egimus de illo, ut & de præcedentibus aliquot ad *Thesaur. Morell.* priorem in Familia Sulpicia p. 409.

NUM. 21.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, uti Tab. II. n. 38.

Senatus PopulusQue Romanus. Clypeus in Corona civica, in medio Clypei globus est.

Quem Genium Urbis suæ modo vocarunt, atque ut Martem Ultorem salutarunt, nihil mirum quod dedicato clypeo, tamquam Servatorem Civium Corona quernea sive civica honoraverint. Servatur in *Thesauro Schwarzburgico*: editus est *à Carolo Patino* in Thes. Numism. p. 55. num. 5. & 6.

NUM. 22. 23.

IMPerator GALBA. Caput Galbæ laureatum cum globo ad collum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 2.

BONO EVENtui. In altero scribitur: BONI EVENTUS. Genius stans nudus dextra pateram gerit, læva duas spicas cum papavere intermedio.

Quod primo Galbæ labori adſpiraſſet Fortuna, atque pro Nerone, omnibus vitiis deteſtabili, ſucceſſiſſet antiquæ virtutis & ſeveritatis Princeps, typus Boni Eventus in utroque hoc nummo expreſſus fuit; ex quibus ſecundum vulgavit *Carolus Patinus* in Theſauro p. 55 priorem ex MSS. *Goltzii* delineavit *Andr. Morellius.*

N U M. 24. 25.

AEQUITAS AUGuſti. Typus Monetæ ſtantis cum bilance & cornucopiæ. Poſterior eundem typum habet, ſed cum reſtitutione Titi vel Domitiani. In eo enim legitur: IMPerator CAESar DIVI VESPaſiani Filius AUGuſtus RESTituit.

Ex MSS. *Goltzianis* hos nummos depromſit *Morellius.*

N U M. 26.

AEQUITAS AUGUSTI. Dea ſtans dextra bilancem tenens, laeva haſtam.

Deſumtus eſt ex *Andr. Zantani* atque *Æneae Vici* Numiſm. Tab. I. Num. 1.

N U M. 27.

CONCORDIA PROVINCIARUM. Dea ſtans, dextra ramum tenens, læva cornucopiæ.

Similis typus occurrit ſupra inter aureos, Tab. III. Num. II. Explicationem inde pete. Argenteum hunc nummum vulgarunt *Laur. Begerus, Theſ. Brandenb.* Tom. II. p. 626. *Æneas Vicus* inter Aug. Num. 7. Servatur in *Muſeo noſtro.*

N U M. 28.

FELICITAS PUBLICA. Dea ſtans cum caduceo & cornucopiæ.

Typus hic reſpicit exſpectationem de principatu Galbæ, quam brevitas imperii ejus fefellit. Delineavit nummum *Morellius* ex MSS. *Goltzianis.*

N U M. 29.

SERvius GALBA IMPerator AUGuſtus. Galbæ caput laureatum, cum globo infra collum, dextram verſus.

FORTuna AUGuſti. Dea ſtans cum temone & cornucopiæ.

Ne quæ ſupra ſunt dicta repetantur, confer Galbæ Numiſmata Aurea Tab. III. Num. 12. Nummum hunc argenteum delineavit *Morellius* ex *Theſauro Regio*; exſtat quoque in *Muſeo noſtro.*

N U M. 30.

LIBERTAS Populi Romani. Dea ſtans expanſis manibus inter duas ſpicas.

Effigies Libertatis depingitur tamquam cum admiratione adprobantis meliorem populi Romani ſortem; fore ſcilicet ſibi ſpondens, ut ſub inperio Galbæ abundantia pacis & annonæ inveniretur. Ex MSS. *Goltzianis* delineavit *Morellius.*

N U M. 31.

IMPERATOR GALBA. Caput Galbæ laureatum lævam verſus ut Tab. I. Num 13.

LIBERTAS PUBLICA. Dea ſtans, more ſolito, dextra pileum, læva haſtam tenens.

Confer quæ dicta ſunt ad Num. 13. Tabulæ præcedentis. Argenteus hic ſervatur in *Theſ. Swarzburg.* & in *Muſeo noſtro.*

N U M. 32.

IMPerator GALBA. Caput Galbæ laureatum, cum globo infra collum, lævam verſus, ut Tab. I. Num. 2.

IMPerator CAESar TRAJANus AUGuſtus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit. Typus Libertatis, ut ſupra.

Nummum hunc Trajani reſtitutio rarum facit. Vulgavit eundem *Carolus Patinus* ad Sueton. p. 344.

N U M. 33. 34.

IMPERATOR GALBA. Caput Galbæ nudum, dextram verſus, ut Tab. I. Num. 15.

PAX AUGUSTa. Dea ſtans, dextra tenens caduceum in primo nummo, oleæ ramum in ſecundo, læva cornucopiæ in primo, caduceum in ſecundo.

Vide quæ ad ſecundo ſimilem typum dicta ſunt ad ſimilem fere aureum in Tab. præcedente Num. 15. Hoſce ex MSS. *Goltzianis* delineavit *Morellius.*

NUM. 35.

IMP. SER. GALBA CAESAR AUG. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 20.

SALUS GENeris HUMANI. Dea stans, dextro pede globo inposito, læva manu temonem transversum tenet, dextra sacrificat super aram ignitam.

Ne repetamus, quæ supra ad hujus typi interpretationem inveniri possunt, Lectorem consulere jubemus num. 8. inter Num. Aurea. Argenteus hic reperitur in *Thes. Schwarzb.* Ad *Suetonium* protulerunt eundem *Lævinus Torrentius* p. 613. & *Carolus Patinus* p. 342.

NUM. 36.

VESTA. Dea sedens dextra capedunculam tenet, læva hastam.

Ex *MSS. Goltzianis* hunc quoque delineavit *Morellius.*

NUM. 37. 38. & 39.

IMPERATOR SERvius GALBA. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 17.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGustus. Galbæ caput laureatum, ut Tab. I. Num. 20.

VICTORIA Populi Romani. Victoria globo insistens, dextra corollam tenens, læva palmam.

Tertius ex hisce quinarius est, atque in *Thesauro Regio Versaliensi* adservatur, primus in *Schwarzb.* Edidit primum ex hisce *Carolus Patinus* in Thesauro p. 55. Explicatio videri potest inter Num. Aurea Tabulæ præcedentis, num. 20.

NUM. 40.

IMPerator SERvius GALBA. Caput Galbae laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 6.

VICTORIA Populi Romani. Dea stans inscribit clypeo columnæ inposito.

Literæ P. R. in ipso inveniuntur clypeo, atque conjunctæ cum reliqua inscriptione designant victoriam Populi Romani. Similis typus inter aureos Galbæ invenitur Tab. præced. Num. 19. quo lectorem ablegamus. Servatur in *Thesauro Regis Galliarum*; vidi similem in *Museo* quondam *Uylenbroekiano*. Editus quoque similis est à *Laur. Begero* in Thes. Brand. Tom. II. p. 626.

TABULA V,
NUMISMATA CONTINENS
GALBÆ
EX AERE MAGNO.

NUM. 1. 2.

Vacant.

NUM. 3. 4.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum cum paludamento ad humeros. Ante faciem incisa est metæ figura.

LIBERTAS PUBLICA. Dea stans cum pileo & hasta.

Typus nihil novi, quod non ante dictum sit, continet; verum ipse nummus ex genere Contorniatorum est, & quidem unicus Galbæ ex illo genere. Signum illud inpressum, olim argento (ut solebant facere in ejusmodi) inpletum fuit. Metæ habet figuram, quoniam hi nummi Contorniati ad Ludos Circenses præcipue spectare solebant.

NUM. 5.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, cum paludamento ad humeros, ut Tab. II. Num. 35.

ADLOCUTIO. Imperator ſtans in ſubſtructione cum Præfecto Prætorio adloquitur cohortes militares equeſtres atque pedeſtres.

Egregius hujus nummi typus exhibet adlocutionem Imperatoris Galbæ, quod & Inſcriptio teſtatur. Quam Galbæ reſpiciat adlocutionem non liquet, videlicet utrum eam, quam habuit quum Imperium acciperet, quod mihi vero ſimile videtur; an quum Piſonem adoptavit. De priori adlocutione in Vita ejus Cap. X. ita ſcribit *Suetonius: Igitur quum, quaſi manumiſſioni vacaturus conſcendiſſet tribunal, propoſitis ante ſe damnatorum occiſorumque a Nerone quam plurimis imaginibus, & adſtante nobili puero, quem exſulantem ex proxima Baleari inſula, ob id ipſum acciverat, deploravit temporum ſtatum, conſalutatuſque Imperator, Legatum ſe Senatus ac Populi Romani profeſſus eſt.* De poſteriori legitur apud eundem Cap. XVIII. *Adoptionis die, neque milites adlocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali, oblitis miniſtris, & in Senatu curulem perverſe collocatam.* Exſtat hic nummus editus apud plures Antiquarios, uti *Sebaſt. Ericium* p. 119. *Oct. Stradam* p. 61. *Jacob. Oiſelium* Tab. LXXXIX. num. 2. *Carolum Patinum* in Theſauro p. 146. & in Notis ad *Sueton.* p. 350. & denique in *Muſeo Farneſiano*; ubi Tab. IV. num. 4. alterum ejus typi exemplar ex ære maximo occurrit. Delineavit nummum *Andr. Morellius* ex *Theſ. Schwarzburgico.* Invenitur & in *Muſeo Chriſtinæ Reginæ* Tab. V. Num. 4. & in *Muſeo noſtro.*

Num. 6.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, cum paludamento ad humeros.

HISPANIA CLUNIA SULpicia. Imperator paludatus, ſedens, ſiniſtra tenens parazonium, dextra victoriolam accipit à figura muliebri ſtante, quæ læva cornucopiæ tenet.

Figura muliebris, quæ in hoc typo victoriæ ſignum Imperatori Galbæ offert cum *Lævino Torrentio* ad *Suetonii* Cap. IX. explicationem de Clunia unice pertinere exiſtimo. Narrat videlicet ibi *Suetonius*, quomodo in concepta de Imperio ſpe confirmatus fuerit Galba vaticinatione cujuſdam honeſtæ virginis, *tanto magis; quod eadem illa carmina ſacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali ſomnio monitus eruerat, ante ducentos annos ſimiliter à fatidica puella pronuntiata: Quorum carminum ſententia erat, Oriturum quandoque ex Hiſpania Principem Dominumque terrarum.* Clunia illa *Sulpicia* cognominabatur; & quoniam Romæ, ut ex adpoſita Senatus Conſulti nota patet, ſignatus nummus fuit, patet, Senatum celebrare voluiſſe hoc typo gratum illud Cluniæ Sulpiciæ Oraculum Imperatori Servio Sulpicio Galbæ, quo ipſi victoria de quocumque hoſte & competitore, atque ſecura poſſeſſio Imperii præſignificabatur. Hoc numiſma quoque à pluribus Antiquariis divulgatum depictumque fuit, uti à *Lævino Torrentio* ad *Sueton.* p. 614. apud *Ant. Zantanum* Tab. II. num. 20. *Jac. Oiſelium* Tab. XXX. num. 10. ad Dialogum VIII. *Anton. Auguſtini*, denique in *Muſeo Farneſiano* Tab. XIX. num. 8. Invenitur in *Muſeo Chriſtinæ Reginæ* Tab. V. Num. 1. & in *Theſauro Schwarzburgico.*

Num. 7.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus PONtifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus.

SENATUS PIETATI AUGUSTI. Imperator ſtans paludatus atque armatus, dextra præferens victoriolam globo impoſitam, læva ramum tenet, adſtat figura togata quæ læva ramum tenet, dextra vero Imperatorem coronat.

Non dubito quin typus hic inſignis referat ſimiles duas ſtatuas, quæ decreto Senatus Romæ fuerint poſitæ in honorem Galbæ. Coronatur enim is à Senatu, ſive à Genio Senatus in hoc typo, ritu apud Græcos jam olim uſitato in ſtatuis erigendis, & qui ab illis ad Romanos defluxiſſe videtur. Pietatis vero in hoc ære celebratio, ut mihi quidem videtur, referenda venit ad modeſtiam illam quam præ ſe gerebat Galba, quum nollet videri arripere Imperium ſine conſenſu Senatus, atque callide, poſtquam jam à Nerone defecerat, & ab exercitu Imperator fuerat ſalutatus, tantum ſeſe vocaret *Legatum Senatus ac Populi Romani*, teſte *Suetonio* Cap. X. Editum invenias apud *Jo. Vaillantium* in Num. Imp. præſtant. p. 22. Delineavit *Andr. Morellius* ex *Muſeo Marchionis de Seignelay.*

Num. 8.

AUGUSTA. Statua Divæ Juliæ ſedentis, dextra pateram, læva haſtam tenentis.

Liviæ Auguſti, ſive Juliæ acceptus admodum fuit Galba, multaque ab illa beneficia recepit. Quare gratiſſimam ejus habuit memoriam, eamque ſtatuis & aliis honoribus decoravit; prouti laudabile hoc Galbæ officium uberius deducitur ſupra ad Numum primum inter Aureos Tab. III. Servatur hic nummus in *Muſeo noſtro.*

Vulgarunt *Ant. Zantan.* Tab. II. Num. 16. *Æn. Vicus* Tab. II. num. 4. *Fr. Angelonus* p. 67. num. 8.

Num. 9.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, ut Tab. I. Num. 25.

ROMA. Roma ſtans Amazonis habitu, dextra victoriolam tenet, læva haſtam.

In Nerone plurimos vidimus nummos cum hac Inſcriptione atque ſimili typo, qui videlicet videri volebat ex ferali incendio veluti renatam ſub ſeſe Ro-

Romam atque in pulchriorem atque præstantiorem redactam formam; sed, exstincto Tyranno, sub Galba renatam atque restitutam Romam, quorundam nummorum docent Inscriptiones. In hoc sufficere videbatur simplex vox ROMA. Invenitur in *Museo Farnesiano*, vulgatus ibidem Tab. IX. num. 7.

NUM. 10.

ROMA. Roma stans habitu Amazonis, ut supra, sed insuper dextro pede galeam calcat.

Depinxit hunc typum *Morellius* ex *MSS. Goltzianis.*

NUM. 11.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

ROMA RENASCENS. Roma stans habitu militari, dextra tenens victoriolam globo insistentem, læva hastam transversam.

Hujusmodi nummorum explicatio cerni potest ad aureos Galbæ nummos Tab. III. Num. 4. Sed quoniam æreum hunc ex professo in Comm. Historicis illustravit *Jo. Tristanus* Sanctamantii Dominus, pro more lubet huc transferre quæ inveniuntur apud illum Tom. I. p. 253. Hæc fere ejus ibidem verba sunt: „ Roma stat cum galea „ in capite, dextra globum tenens, cui victoriola „ insistit, laeva vero transversam hastam, in cujus „ summitate aquila est. Cognoscitur ex typo & „ inscriptione hujus nummi miser atque deplo- „ randus Romæ urbis status post pestem illam „ humani generis Neronem, quæ de Roma, Græ- „ cis Ῥώμη, i. e. *fortitudo*, *potentia*, adpellata, „ juxta versus hos *Marciani Heracleotæ* in Poema- „ te de situ Orbis:

„ Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις ἡ Ῥώμη ἐστὶ πόλις,
„ Ἔχουσ᾽ ἐφάμιλλον τῇ δυνάμει τοὔνομα.

„ i. e. *Inter hosce populos Roma est civitas, nomen* „ *potentiæ suæ æquale sortita.* De Roma, inquam, „ sub Nerone facta fuerat Ῥύμη, i. e. *ruina*, „ quemadmodum in *Sibyllinis Oraculis* Lib. „ XXXVIII. fuerat prædictum:

„ Ἔσται καὶ Ῥώμη ῥύμη, καὶ Δῆλος ἄδηλος,
„ Καὶ Σάμος ἄμμος.

„ i. e. *Roma ruina erit, Delus obscurata sub undis* „ *& Samus arena sterilis.* Quod tamen magis ad „ verbum Romæ postea evenit temporibus Ho- „ norii atque Arcadii; sic ut Hieronymus de „ ea in Epist. XX. hæc scripta reliquerit: *Ro-* „ *ma, quondam Orbis caput, postea populi Roma-* „ *ni sepulcrum.* Inspici quoque possunt, quæ in „ Lausiacis adnotat *Palladius* circa paranomasiam „ vocum Ῥώμη & ῥύμη, ubi de presbytero Rufino „ agit. Credebatur autem Galba restituturus illa „ tempora quibus quondam regnante Augusto flo- „ ruerat, propter singularem quæ de illo erat, „ virtutis atque moderationis famam, accedente „ in illo sene Imperatore longa multorum anno- „ rum, quibus quinque vel sex Orbis Dominos vi- „ derat, experientia. Hinc Roma adpellatur *rena-* „ *scens*, tamquam quæ in monetæ hujus inscriptione „ agnosceretur nova juventa revirescere, ut loqui- „ tur *Florus*, de temporibus Trajani, in Libro Hist. „ I. *A Cæsare Augusto in sæculum nostrum non mi-* „ *nus anni ducenti, quibus inertia Cæsarum quasi* „ *consenuit atque decoxit, nisi quod sub Trajano Prin-* „ *cipe movet lacertos, præter spem omnium senectus* „ *Imperii quasi reddita juventute revirescit.* In Lib. „ contra Symmachum sic quoque Romam loquen- „ tem introducit Prudentius:

O clari salvete duces, generosa propago
Principis invicti, sub quo senium omne renascens
Deposui, vidique meam florescere rursus
Caniciem.

„ Non sine ratione itaque illam inminutæ & „ crescenti Lunæ comparat in Itinerario suo *Ru-* „ *tilius Numantianus*, hisce verbis:

„ *Astrorum flammæ renovant occasibus ortus,*
„ *Lunam finiri cernis ut incipiat.*

Dein haud minus eleganter adjungit:

„ *Ordo renascendi est crescere posse malis.*

„ Quare & inscriptio illa: *Roma resurges*, quæ in „ Vespasiani occurrit nummis idem significat, „ sensu *Ovidiano* in Fastis Libro I. ubi ait:

„ *Victa tamen vinces eversaque Troja resurges.*

„ De Troja enim ibi, Romam innuens, agit. „ Quod & ita *Propertius* extulit Lib. IV. Eleg. 1.

„ *Dicam Troja cades, & Troica Roma resurges.*

„ Præterea aquila illa, quæ in summitate hastæ „ sive sceptri conspicitur tamquam in signo mili- „ tari, itidem novam Romæ atque æternam si- „ gnificat juventam. Neque enim modo aquila „ ubi consenuit, revirescit atque juvenescere so- „ let, sed veluti æterna est. Legitur eo sensu „ *Psalmo* CII. *Qui replet in bonis desiderium tuum,* „ *renovabitur ut aquilæ juventus tua.* Quin & *Phile* „ in Jambis suis sive Hist. Animal. Imperatorem „ alloquens, dicit victurum illum semper, reno- „ vantem juventam suam aquilæ in morem, hisce „ versibus:

„ Τοῦτο σύ, βασιλεῦ, τὸ παλαιὸν ζώοις βίον,
„ Ἀεὶ νεαργῶν καὶ κρατύνων τὴν φύσιν.

„ Adde *S. Epiphanium* in Physiologia Cap. VI. „ Hasta vero Imperii summæque potestatis est „ symbolum; nam præterquam quod juxta quos- „ dam vox *Roma* descendat ab Hebraico *romah*, „ significante *hastam*, atque iterum, *magnitudi-* „ *nem & altitudinem*, prouti Lib. II. contra Jo- „ vinianum observat *Hieronymus*; quondam ve- „ teres Romani duces Regesque observante *Justi-* „ *no* (cujus locum ante me notavit *Occo* p. 137.) „ parvam hastam manu tenebant, symbolum Im- „ perii, quod postea per diadema significatum „ fuit; hanc vero hastam σκῆπτρον, *sceptrum*, ad- „ pellabant. Rei hujus ratio exstitit, quod pri-

 mi,

„ mi, poſt creatum (ut ille innuit) mundum, homines ſceptra & haſtas tanquam Deos inmortales venerati fuerint, atque inde ſimulacra Deorum paſſim haſtis, quas manu teneant, ornari ſolent. Imo hoc quoque inveni, Regum noſtrorum Franciæ vetuſtis temporibus, ejuſmodi arma ſceptri locum obtinuiſſe. Obſervat enim *Aymonius Monachus* Lib. III. de Rebus geſtis Francorum, quod *haſtae traditio erat futuræ in Regno ſucceſſionis ſymbolum.* Denique (ut adſerit *Dio Chryſoſtomus* Orat. XXXI.) crimen erat læſæ majeſtatis, *haſtas a ſimulacris diripere.* Ad globum vero quod pertinet, quam Dea Roma dextra manu, cum inſiſtente victoriola, tenet, explicare illum typum videtur *Ariſtides* in Elogio ſuo, quando dicit: *magnitudinem Imperii Romani Solis æquare curſum,* διὸ καὶ τ ἡμετέρας πόλεως περιελαύνει. *& veſtram urbem ſol peragrat.* Tamquam ſi dicere vellet, Romam per victorias ſuas effeciſſe ut univerſus veluti Orbis in unam coiiſſet civitatem Romam, quam ſcilicet ſolam radiis ſuis Sol illuſtraret. Verum quoniam in hac inſcriptione *renaſcens* adpellatur, verbulum de nativitate ejuſdem addere non erit incongruum, eorum, qui minus in rebus illis antiquis verſati ſunt, gratia. Roma igitur nomen ſuum mulieri vindicare debet, non viro; quamvis Romani, neſcio cur, poſtea fingere maluerint a Romulo Rege nomen deductum quam a Rome, Trojana muliere, quæ cauſſa exſtiterit, quod Æneas ejuſque ſocii in Italia ſedes quæſiverint, ibique urbem Romam condiderint Ecce veram, ut ſeſe rès habet, hiſtoriam, quam deſcriptam reliquit *Polyænus* Lib. VIII. Stratag pag. 597. ſive Cap. XXV. Ex. 2. hoc modo:„ *Trojani, Æneæ comites, profugi in Italiam ad pulerunt, & in oſtiis fluvii Tyberis latitarunt. Trojani per regionem vagabantur. Uxores eorum conſilium ineunt clandeſtinum. Rhome Troas inquit: Quouſque erramus? quouſque pelago circumagimur? Agite naves comburamus, viroſque ad neceſſitatem hujus incolendæ terræ redigamus. His dictis prima ignem in naves injecit: poſtque eam reliquæ Troades. Trojani, navibus deſtituti, Italiam incoluerunt.* Obſervat quoque *Junius Phylargyrius* ad primam *Virgilii* Eclogam, conditam fuiſſe Romam antequam naſceretur Romulus, qui ab urbe nomen acceperit, non vero urbs ab illo. *Roma* (inquit) *ante Romulum fuit, & ab ea ſibi Romulum nomen adquiſiviſſe Marianus, Lupercaliorum Poëta, ſic oſtendit: Sed de Flavo & Cano ita Roma Æſculapii filia, novum nomen Latio facit, quod conditricis nomine ab ipſo omnes Romam vocant.* Quod ſi uberem de hac materia diſſertationem requiras, confer *Merulam* in primum *Ennii* librum p. 206. & 228. Quantum vero ad Numiſma hoc, cuſum videtur Romæ, quum ex Hiſpania verſus urbem illam proficiſceretur Galba. In quibuſdam nummis gradientis ſpecie figura occurrit, atque ita ſignificat de Galbæ adventu omnia bona ſperare Romanos."

Num. 12.

ROMA RESTITuta. Imperator ſtans loricatus & paludatus, læva haſtam tenens, dextra ſublevat Romam in genua prolapſam & læva tropæum tenentem.

In ſchedis *Chriſt. Schlegelii* invenio delineatum hunc nummum fuiſſe ab *Andr. Morellio* ex libro *Cl. Fabricii.* Conſpectum eundem fuiſſe a *Jo. Vaillantio* patet, quod illum in rariſſimis ponat, p. 94. Explicatio typi facile peti poteſt ex iis quæ præceſſerunt.

Num. 13.

SERvius GALBA CAESar AUGuſtus Tribunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, ut Tab. I. Num. 25.

ROMA. Roma ſtans ſed pictura diverſa ab aliis quæ præceſſerunt.

Hujus nummi (quem adpoſita leonis ſcandentis nota docet reperiri in *Theſauro Schwarzb.*) typus exprimit Romam tropæo innixam atque læva manu ſignum tranſverſum cum aquila legionaria tenentem; dextra gerit icunculam globo inſiſtentem, quæ non videtur eſſe Deæ Victoriæ ſed Pacis, ramum dextra, ſiniſtra cornucopiæ gerentis. Ad pedes Romæ ſunt clypeus & galea. Per hunc itaque typum videntur voluiſſe ſignificare, Janum quidem Neronis temporibus fuiſſe clauſum, ſed fore ut pax Populo Romano atque univerſo Orbi per Galbam reſtitueretur.

Num. 14.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum.

ROMA Remiſſa XXXX. Roma ſtans dextra victoriolam globo inpoſitam, læva haſtam tenens tranſverſam cum aquila legionaria.

Hunc nummum, ut ſuum laudat *Jo. Triſtanus* Sanctamantii Dominus, atque ad ejus illuſtrationem hæc adfert Comm. Hiſtor. Tom. I. p. 225. „ Similem nummum doctiſſimus *Caſaubonus* ad *Suetonium* protulit cum integra hac inſcriptione *Quadrageſima remiſſa*, quem quoque ibidem depingi juſſit, atque nos docuit fuiſſe vectigal ſive portorium quod publicanis perſolveretur; quam exactionem probat ibidem ſublatam quidem fuiſſe a Nerone ex Tacito Lib. XIII. Annal. ſed *breve ſervata, dein fruſtra habita fuiſſe* illa decreta Neroniana, ejuſdem Taciti verbis. Galbam vero revocaſſe abolitionem quadrageſimæ, teſtibus hujuſmodi nummis, ex quibus plurima obſcura & ignota ante in hiſtoria detegi ſolent. Atque hinc exiſtimo ad ejuſmodi vectigalis genus pertinere literas illas numerales, quæ in quinariis M. Antonii Triumviri inveniuntur hoc pacto: LUGDUNI A XL. quæ poſteriora dicere videntur, *argentum quadrageſimæ*, ſeu, *quadrageſimale*, adeoque monetam illam cuſam fuiſſe Lugduni ex argento quadrageſimali, quod ſcilicet ex ejuſmodi vectigali proveniebat, conſtituto forſitan ibidem Lugduni a M. Antonio. In noſtro autem nummo Romæ effigies cernitur, in aliis vero Arcus Triumphales, qui erecti fuiſſe videntur in ho-

„ no-

„ norem Galbæ ad æternam hujus liberalis beneficii memoriam. Quin & verosimile videtur, „ quod in generali illa abolitione universi generis „ tributi atque vectigalium in Gallia quæ cum „ Vindice contra Neronem conspiraverat, per „ Galbam facta, hoc vectigal fuerit comprehensum, quum Gallos eosdem insuper civitate Romana donasset." Depingitur quoque Numisma hoc in *Museo Reginæ Christinæ* Tab. IV. Num. 23.

N U M. 15.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus. Caput Galbæ corona quernea insigne, lævam versus, cum paludamento ad humeros, ut Tab. I. Num. 21.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, cum paludamento ad humeros.

Vel denique, ut in *Meo:*

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, dextram versus, cum paludamento ad humeros.

ROMA. Roma Amazonis habitu spoliis insidens, dextra signum militare tenet, læva clypeo innititur.

Variis modis Urbem Romam in Nummis Galbæ aliorumque Imperatorum depingi cernimus, in omnibus hisce, tamquam viraginem atque bellicosam, habitu Amazonico.

N U M. 16.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 22.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 25.

ROMA. Roma spoliis insidens, habitu Amazonis, dextra hastam tenet, læva clypeo innititur.

Sæpius sub Nerone Romæ ejusmodi typus in nummis reperitur Senatus, per adulationem scilicet; sub Galba majori cum spe idem factum fuit, quod videretur sub Principe veteris disciplinæ gloria Romani Imperii ad pristinam reditura dignitatem. Depingitur quoque in *Museo Reginæ Christinæ* Tab. IV. Num. 22.

N U M. 17.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 27.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 30.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator CAESar (in aliis *CAESAR*) *AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, cum paludamento ad humeros, ut Tab. I. Num.* 26.

Vel denique,

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGUSTus. Caput Galbæ laureatum, cum paludamento ad humeros, dextram versus.

Senatus PopulusQue Romanus OB CIVes SERvatos. In Corona quernea.

Notissima in Imperatorum Romanorum nummis Corona hæc civica sive quernea est, jam inde ab Augusti Cæsaris temporibus, ad cujus Numismata, illo typo insignita, explicatio ejusdem quærenda est. In Galbæ autem nummis varia admodum epigraphe caput ejusdem ambire solet, sicuti patet ex hisce nummis, quorum tres priores in *Museo Theupoliano* inveniuntur, tertius in *nostro*, tertius item & quartus in *Museo Farnesiano.*

N U M. 18.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 25.

EX Senatus Consulto OB CIVES SERVATOS. In Corona quernea.

Respicit eodem hic typus atque hæc Inscriptio quo typus & Inscriptio nummi præcedentis.

N U M.

NUM. 19.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, cum paludamento ad lævum humerum, uti Tab. II. Num. 46.

MARS VICTOR. Deus nudus, niſi quod medius venter ſtrophiolo ambiatur, reſpiciens, dextra haſtam tenet, læva tropæum.

Proprium Romanæ Reipublicæ Numen, tamquam pater Romuli habitus fuit Mars, & inde ſæpiſſime ejus imago in nummis Romanis adparet, atque ut in hoc, Victoris cognomine, ut victoris populi Deus & propagator; at reſpectu Galbæ indicari videtur juſta illum pro liberanda patria induiſſe arma; victorem propterea a ſua parte ſenſiſſe Deum, qui ſine civili bello ipſi tradidiſſet Imperium. Militaris autem ejuſmodi Dei typus convenit Galbæ nummis, de quo *Tacitus* Hiſtoriar. Lib. I. Cap. 5. *Laudata olim & militari fama celebrata ſeveritas ejus, angebat coaſpernantes veterem diſciplinam, atque ita XIV. annis à Nerone adſuefactos, ut haud minus vitia Principum amarent, quam olim virtutes verebantur. Acceſſit Galbæ vox, pro Republica honeſta, ipſi anceps, legi à ſe militem, non emi.* Publicavit hujus nummi typum *Franciſcus Angelonus* p. 67. num. 4.

NUM. 20.

Senatus Conſulto. Æſculapii typus.

Quæ ratio fuerit, cur Æſculapium Deum in nummis ſuis cum Galbæ effigie expreſſerit Senatus, quæri poteſt; neque enim de Galbæ adverſa valetudine, durante Imperio ejusdem legitur. Quare vix alia ejus typi videtur eſſe ratio, quam filiæ Æſculapii Hygiæ, ſive Salutis, quam Deam in Galbæ nummis medii æris expreſſam cernimus Tab. VII. num. 24.

NUM. 21.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, ut Tab. II. Num. 33.

Senatus Conſulto. Victoria feſtinans, ad lævam partem, dextra protendit corollam, læva palmam fert ſuper humeros.

Exſtat nummus hic in *Muſeo noſtro*, reſpicit typus victorias quas ſibi de cunctis hoſtibus ſperabat Reſpublica Romana ſub Principe tam inclito bellica gloria atque ſeveræ militiæ fama; qua de cauſſa in præcedenti numero quoque Martis Victoris typus ſignatus eſſe videtur.

NUM. 22.

IMPerator SERvius SULPIcius GALBA CAESar AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum.

Senatus Conſulto. Victoria feſtinans dextrorſum, dextra corollam, læva palmam tenet.

Typus à præcedente nummo non diſſimilis, eandem habet explicationem; exſtat in *Muſeo Theupoliano*.

NUM. 23.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus Caput Galbæ laureatum.

Senatus Conſulto. Victoria ſtans dextra corollam tenet, læva palmam.

Explicatio hujus nummi eadem eſt quæ præcedentium.

NUM. 24.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, cum paludamento ad humeros.

Senatus Conſulto. Victoria feſtinans dextra Palladium tenet, læva palmam.

Typus hic innuere videtur Galbæ Victoriam, ſive adventum ejus in urbem Romam, ſecuritatem præſtare Imperio Romano, ut quæ veluti Imperii ſacratum pignus Palladiumque ipſum, haberi mereretur. Servatur in *Muſeo Farneſiano*.

TABU-

TABULA VI.

QUÆ PERSEQUITUR

NUMISMATA GALBÆ,

PRIMÆ, ET, DEINDE, SECUNDÆ MAGNITUDINIS.

NUM. I.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia POTeſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus.

XXXX. (i. e. *quadrageſimæ*) REMISSAE. *Arcus triumphalis, in cujus ſummo quadrigæ cum Imperatore & Victoria illum coronante.*

Inſigne hoc monumentum vetuſtatis docet nos honorem Galbæ à Senatu habitum, qui in memoriam beneficii à bono Imperatore præſtiti Arcum exſtrui curavit, atque eundem (cujus memoria, abſque hiſce nummis fuiſſet, deleta foret) æri publice inpreſſit.

Quadrageſimæ, videlicet, vectigal ſuſtulerat Galba, de quo plura videri poſſunt in Notis *Iſaaci Caſauboni* & *Caroli Patini* ad *Suetonium* in Galba Cap. XV. & in explicatione *Triſtani* ad Num. XIV. præcedentis Tabulæ. Nummi hujus præclari typum publicarunt *Octavianus Strada* p. 6. *Fr. Angeloni* p. 67. num. 9. & *Carolus Patinus* in Theſ. p. 146. in cujus *Muſeo* exſtitit, ſicuti & in *Muſeo Harlæi*. Neque alius videtur nummus ille, cujus picturam dat *Triſtanus* Tom. I. p. 256. quique arcum triumphalem, adſcripta tantum Senatus-Conſulti nota, exhibet; Galbæ à Senatu ob Victoriam de Clodio Macro in Africa oppreſſo erecta, ut exiſtimat Vir ille doctus; mihi vero ærugine læſa videtur periiſſe in illo *Triſtaniano* nummo Inſcriptio remiſſæ Quadrageſimæ.

NUM. 2.

Vacat.

NUM. 3.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, ut Tab. I. Num. 22.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, ſimiliter ad ſiniſtram converſum, ut Tab. I. Num. 22.

CONCORDIA AUGUſta. Dea ſedens, dextra ramum tenet, læva haſtam transverſam.

Cum utraque illa capitis Inſcriptione hic nummus in *Muſeo noſtro* invenitur. Celebrat is *Concordiam Auguſtam* ſive *Auguſti*, ut ſubintelligatur, & *Senatus* ſive *cum Senatu*. Nam ita ſcribit *Tacitus* Lib. I. Hiſtor. Cap. 4. Morte Neronis nunciata, *Patres læti uſurpata ſtatim libertate* &c. Galbam videlicet præ Nerone optabant.

NUM. 4.

SERvius SULPICius GALBA IMPerator CAESAR AUGUStus. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus.

Vel,

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, cum paludamento ad humeros.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus.

HONOS ET VIRTUS. Honoris & Virtutis ſimulacra ex adverſo ſtantium.

In *Theſauro Morelliano* priore, ſive *Familiar. Roman.* ad Fufii Caleni & Mucii Cordi denarios, in quibus capita conjuncta Virtutis & Honoris occurrunt, de utroque dictum eſt. Virtus in

hoc nummo depingitur habitu militari & Amazonico; ſtat enim, dextra tenens parazonium, læva haſtam, caput galea tectum habet, atque galeam hoſtilem pede dextro premit. Ex adverſo ſtat Honos, ſuperiore corporis parte nuda, dextra tenens haſtam, læva cornucopiæ. Quod hæc Numina in Galbæ depingantur nummo, referri quidem ad virtutem ejus militarem atque honorem, qui inde ipſi acceſſit, poteſt; ſed quum pleræque ædes ſacræ incendio Urbis Romæ labefactatæ fuerint ſub Nerone, videtur Galba reſtitutioni earumdem manus admoviſſe, atque inde in ipſius nummis conſpici hoc nobile par Numinum Romanorum. Exſtat Nummus hic cum prima capitis Inſcriptione in *Theſauro Brandenburgico*, cum ſecunda, in *Farneſiano*, cum tertia vulgatus fuit a *Fr. Angelono* pag. 59. Num. 5.

Num. 5.

SERvius SUPIcius GALBA IMPerator CAESAR, (in aliis *CAESar*) *AUGuſtus. Caput Galbæ laureatum.*

LIBERTAS AUGuſti Remiſſæ XL. (i. e. *Quadrageſimæ.*) *Libertas ſtans, dextra pileum tenens, læva haſtam.*

Tributa victis & in ſervitutem redactis inponi ſolent, levatio tributi libertatem veluti reducit; itaque quum Quadrageſimæ vectigal abrogaſſet Galba, libertatem illam ſuam ab iſto vectigali ſive tributo, tamquam libertatem Auguſti, ſive ab illo donatam, exoſculati ſunt. Vulgavit nummum *Fr. Angelonus* p. 59. num. 10. Invenitur in *Theſauro Regio* & *Schwarzburgico*, ut & in *Muſeo Theupoliano*, & *Farneſiano*.

Num. 6.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, cum paludamento ad humeros, lævam verſus, ut Tab. II. Num. 35.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, ut Tab. II. Num. 33.

Vel denique,

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, uti Tab. II. Num. 21.

LIBERTAS PUBLICA. Libertatis typus.

Sive hæc Libertas reſpiciat ad illam, quam modo in præcedente nummo *Auguſtam* nuncupatam vidimus, ejuſdemque typus ſit propter acceptum illud a Galba beneficium; ſive in genere ad illam libertatem, qua ſub Galba, moderato Principe, certe poſt Neronem, fruebantur; ſæpius repetitum fuiſſe typum adparet ex variis capitis Inſcriptionibus; nummus enim cum prima Inſcriptione capitis in *Farneſiano Muſeo* exſtat, cum ſequentibus duabus in *Muſeo noſtro* inveniuntur.

Num. 7.

LIBERTAS RESTITUTA. Libertatis typus.

Et hic typus diſcuſſum tyranni Neronis, morte ejusdem, ſervitutis jugum innuit, atque merito cauſſam indicat, cur in aliis nummis Corona Galbæ quernea tamquam civium ſervatori conſacretur.

Num. 8.

LIBERTAS RESTITUTA. Imperator ſtans figuram muliebrem ante ſe in genua prolapſam ſublevat, adſtante figura armata.

Innuitur hoc typo Libertas Reipublicæ Romanæ, militari Galbæ virtute in integrum reſtituta. Typum brevi hoc Commentario illuſtravit *Jo. Triſtanus* Tom. I. p. 259. „ Galba præſente „ Deo Marte ſublevat deam Libertatem, coram „ ipſo in genua prolapſam. Verum hoc eſt ſymbolum beneficii, quo patriam demeruiſſe ſeſe credidit Galba, reducto Nerone, ut præ metu ſeſe, quum Galbam adventare audiret, occiderit. Martem, inter præcipua Numina Romanorum, adjutorem ipſi in hoc opere conſpicimus. *Reſtitutam Libertatem* itaque vocat „ actum illum, quo cives ſuos ſæva tyrannide „ Neronis, qui Libertatem penitus oppreſſerat, „ liberavit. Illam itaque comite Marte, id eſt, „ numeroſum ſecum ducens exercitum, validaſque „ legiones, ſupplicem ſublevat. Quod & ipſum „ occaſionem dedit nobiliſſimo huic monumento „ atque Inſcriptioni, quam ſubtexere lubet, eſt „ vero hæc:

„ IMAGINUM DOMUS
„ AUG. CULTORIBUS SIGNUM
„ LIBERTATIS RESTITUTÆ
„ SER. GALBÆ IMPERATORIS AUG.
„ CURATORES ANNI SECUNDI
„ C. TURRANIUS POLYBIUS
„ L. CALPURNIUS ZENA
„ C. MURDIUS LALUS
„ C. TURANIUS FLORUS
„ C. EMURDIUS DEMOSTENES."

Num. 9.

Vacat.

Num.

NUM. 10.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum lævam verſus, uti Tab. I. Num. 25.

PAX AUGUSTi, vel *AUGuſti. Dea ſedens dextra ramum tenet, læva haſtam transverſam.*

Spes erat, evecto ad Imperium Galba, compreſſis Clodii Macri in Africa conatibus, neque aliis ſurgentibus ſummæ poteſtatis æmulis, fore pacificum Galbæ regimen. Satis itaque quietum tum fuiſſe rerum ſtatum narrat *Tacitus* Lib. I Hiſtor. Cap. 9. & 10. ubi quomodo Provinciæ Romanæ exercituſque & duces ſe ibidem habuerint, deſcribit. Vulgavit nummum hunc *Sebaſtianus Ericius* p. 237. ſeu p. 118. Ed. alterius, ſed quod hic legi mereatur nihil addidit.

NUM. 11.

Vacat.

NUM. 12.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPaſiani Filius AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ ConSul VIII. RESTituit. In area eſt Senatusconſulti nota.

Hæc nummi hujus inſignis, plane ut in pictura *Morelliana* lectio, eſt in illo, quem optime ſervatum in *Muſeo noſtro* ſervamus; nam *Jo. Vaillantius*, qui pag. 24. hunc Galbæ nummum inter rariſſimos recenſet, vocem COS. omiſit. Venerationem hanc erga Galbæ memoriam habuit Titus, quod olim adoptionem à ſene illo ſperaſſe credebatur. *Tacitus* Lib. I. Hiſtor. Cap. X. *Nec Veſpaſiano adverſus Galbam votum, aut animus. Quippe Titum filium ad venerationem cultumque ejus miſerat.* Idem Hiſtor. Lib. II. Cap. I. *Titus Veſpaſianus è Judæa, incolumi adhuc Galba, miſſus à patre; cauſſam profectionis, officium erga principem, & maturam petendis honoribus juventam ferebat. Sed vulgus, fingendi avidum, diſperſerat, accitum in adoptionem.*

SEQUUNTUR
NUMISMATA
EX AERE MEDIO,
EADEM HAC TABULA.

NUM. 13. 14.

SERvius GALBA IMPerator AUGuſtus. Caput Galbæ laureatum, dextram verſus, cum globo ad collum.

QUADRAGENSimæ (ſic) *REMISSAE. Arcus, in cujus ſummo duæ figuræ equeſtres. Alter nummus inſuper in introitu arcus unam exhibet figuram atque tres ad illam accedentes.*

Typorum & Inſcriptionum ratio eadem eſt cauſſa quam ſupra ad Num. 1. hujus Tabulæ obſervavimus. Legendum vero eſſe REMISSAE, non REMISSA, & memoratus ille nummus docet, & *Muſei Farneſiani* nummus Num. 14. ſimilis, imo adſcripſerat *Schlegelius* exemplari ſuo, ſic quoque in nummo ex *Theſ. Schwarzburgico* extare. In iisdem nummis legitur QUADRAGENS. non QUADRACENS. quique primus ejus nummi exemplar edidit, ſic quoque publicavit, *Iſaacus Caſaubonus* ad *Suetonium* in Galba Cap XV. Nimis vero minutæ videntur in nummis exſtare imagines illæ, quæ Arcum ingrediuntur, quam ut diſci ex illis poſſit, quales proprie ſint; unde fit, ut omnes veſtitas exhibeat *Caſaubonus*, nudas omnes ſculptor *Muſei Farneſiani*, & quidem veluti captivas, manibus poſt tergum ligatis; *Morellius* verò figuram muliebrem in Arcus introitu veſtitam, duas nudas figuras accedentes, & virilem tertiam Imperatorio modo veſtitam. Notavit *Schlegelius* nummum illum, qui ſine figuris illis parvis Num. 13. depingitur, exſtitiſſe in *Muſeo Marchionis de Signelay*, atque inde à *Morellio* depictum fuiſſe. Cur vero duæ figuræ equeſtres in Arcu adpareant, mihi non liquet, ſi una eſſet, poſſet referri ad Imperatorem Galbam, niſi forte Dioſcurorum ſtatuæ ſint equeſtres, vel equitum Romanorum ſumtibus fabricatus fuerit Arcus, de quo nihil certi definire auſim.

NUM. 15. 16.

IMPerator SERvius SULpicius GALBA CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

Vel,

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

Senatus PopulusQue Romanus OB CIVes (in altero *CIVES SERVATOS*) *SERvatos. in Corona quernea.*

Sæpius jam in Galba atque in aliis Imperatoribus mentio Coronæ civicæ sive querneæ facta fuit; quare non opus est quæ antea dicta sunt repetere. Nummus uterque custoditur in *Museo Theupoliano.*

NUM. 17. 18. 19. 20.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul.II. Caput Galbæ laureatum.

Vel,

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

AEQUITAS, vel *AEQUITAS AUGUSTI. in duobus prioribus ; in tertio : AEQUITAS AUGusti. in quarto : IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus RESTituit. In omnibus idem typus est, videlicet, figura muliebris stolata stans, dextra manu tenens bilancem, læva cornucopiæ.*

Moderatio Galbæ, principis senis, qui alieni haud erat adpetens, laudatur hisce typis. Conveniunt enim in illum, cui hoc elogium datur apud *Tacitum* Histor. Lib. I. Cap. 49. *Pecuniæ alienæ non adpetens, suæ parcus, publicæ avarus.* Primum ex hisce delineatum invenias in Itala Ed. *Ant. Augustini* Tab. II. Num. 18. secundum observare licet in *Museo Theupoliano*; quartus notabilis est propter restitutionem à Trajano factam.

NUM. 21.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate: in altero meo *adjungitur Pater Patriæ. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, ut Tab. II. n.* 39. *in altero* meo, *itidem laureatum, cum globo ad collum dextram versus.*

DIVA AUGUSTA. Figura muliebris stolata, stans, dextra tenens pateram, læva hastam.

Typus nummi Liviam, sive Juliam, Augusti quondam conjugem, tamquam Deam, ut erat inter Divas relata, depingit. Multum Liviæ debebat Galba, unde & gratam ejus habuit memoriam, sicuti supra ad Nummos aureos dictum est.

NUM. 22. 23.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

CERES AUGUSTA. Dea sedens, dextra spicas tenet cum papavere, læva tædam in altero nummo, in altero caduceum.

Curam annonæ hic typus in Imperatorum nummis passim denotare solet, cui Galbam quoque providisse hi nummi testantur.

NUM. 24.

BONO EVENTUI. Genius stans nudus, dextra manu pateram tenet, læva binas spicas cum papavere intermedio.

In Schedis *Schlegelii* notatur, quod *Johannis Sambuci* fuerit hic nummus, quodque ex MSS. *Goltzianis* eundem delineraverit *Andr. Morellius.* Spem frugum atque uberis annonæ, omniumque quæ tellus fert, isto anno ut feliciter provenirent, typus designare videtur.

TABU-

TABULA VII.

QUÆ PERSEQUITUR NUMISMATA

SERVII SULPICII GALBÆ,

EX ÆRE MEDIO.

Num. 1.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESAR AUGustus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, ut Tab. II. n. 35.

FELICITAS AUGUSTi. Dea ſtans, columnæ innixa, dextra caduceum tenet, læva cornucopiæ.

Primis Imperii Galbæ auſpiciis typum hunc ſignatum fuiſſe ſuſpicamur; quum ingens Nerone ſublato Senatus Romani Equitumque eſſet gaudium, iique Galbæ felicia omnia adprecarentur. Egregie quidem felicitatem illam, additis concordiæ pacis atque ubertatis Symbolis in typo nummi hujus cognoſcendam dederunt; verum quod ſtabilem eandem addita columna, cui figura muliebris, ſive Dea, innititur, augurati ſunt, in eo vehementer illos fefellit ſpes. Breve enim fuit imperium Galbæ & Felicitas hæc publicis monumentis celebrata ad alium tranſiit. Vulgavit typum *Claudius du Choul* in Libro *de la Religion* &c. pag. 169. Num. 1.

Num. 2.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, cum paludamento ad humeros, lævam verſus, ut Tab. II. n. 34.

FELICITAS PUBLICA. Dea ſtans, dextra caduceum tenet, læva cornucopiæ.

Quæ felicitas habebatur Auguſta ſive Auguſti, eadem credebatur eſſe Publica. Quare eandem Deam cum utroque elogio in ære, juſſu ſuo cuſo, ſignavit celebravitque Senatus. Fuit certe melior Reipublicæ ſtatus ſub Galba, quam ſub prodigioſo, qui poſt Othonem Imperio oſtenſum ſecutus fuit Vitellio, ſed tamen in Imperio minor quam ante viſus fuit Galba, ſpem de ſe conceptam fruſtratus, quum nimium tribueret hominibus, qui ætate ejus abuterentur. Exſtat in *Muſeo noſtro.*

Num. 3.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum.

LIBERTAS AUGuſta. Figura muliebris ſtans, dextra pileum tenens, læva haſtam.

Quoniam morte Neronis libertatem ſuam ſeſe adeptam credebat Senatus, eamque Galbæ Auguſto imputaret, hinc merito Libertatem Auguſtam in hoc nummo expreſſerunt, quem ex MSS. *Goltzii* delineavit *Morellius.*

Num. 4.

SERvius SULPIcius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum.

LIBertas AUGuſta Remiſſa XL. (i. e. *Quadrageſima.*) *Libertatis typus, ut ſupra.*

De illa inſcriptionis parte, qua celebratur beneficium Galbæ, titulo Quadrageſimæ, videri poſſunt, quæ adducuntur ad Tabulæ præcedentis nummum 13. & 14. & hæc vere erat Libertas Auguſta, cujus indulgentia ab iſto onere liberabantur. Recenſuit hunc nummum inter rariores *Jo. Vaillantius* p. 23. Servatur in *Muſeo Theupoliano.*

Num. 5.

IMPerator SERvius GALBA CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus.

LIBERTAS PUBLICA. Libertatis typus ſive Dea ſtans, dextra tenens pileum, laeva haſtam.

Idem typus in æreis Galbæ nummis primæ magnitudinis occurrit ſupra Tab. VI. Num. 6.

NUM. 6. 7. 8. 9. 10.

Quid primus ex hisce differat ab illo, quem explicavimus Num. 4. non video, secundus, qui itidem Libertatis typum exhibet, a Tito restitutus est, uti Inscriptio docet; cui plane similis typo & inscriptione est tertius, sed ibi, pro litera T. quæ *Titum* significat, existimo reponi debere literam D. ut restitutio illa ad Domitianum referatur; prouti qui illum excipiunt reliqui duo Nervæ & Trajani præferunt nomina, utpote ab illis Imperatoribus restituti. Ex hisce qui Num 9. & 10. signantur ab *Andr. Morellio* ex MSS. *Goltzianis* depromti sunt.

NUM. 11.

PAX AUGusta. Figura muliebris stans, dextra sacrificat coram ara ignita, læva caduceum tenet.

Quod ad Imperium evectus esset Galba, nullo civili bello, neque videretur quisquam contra illum moturus, sacra Superis ipsa Dea Pax hoc typo facere videtur, concordiæ symbolum, caduceum, læva tenens, ut gratularetur Reipublicæ Romanæ quietum sub Galba statum. Imo ipsa illa Ara Pacis esse potest, de qua *Ovidius* in Fastis I. 709.

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad Aram.
Hæc erit a mensis fine secunda dies.
Frondibus Actiacis comtos redimita capillos,
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.

NUM. 12.

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, cum paludamento ad humeros, ut Tab. II. Num. 34.

Vel,

IMPerator Servius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

Vel,

SERvius GALBA CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

PAX AUGUSTa. Figura muliebris stolata stans, dextra ramum, læva cornucopiæ.

Oleæ ramum dextra tenere Pax videtur, tamquam proprium symbolum, cornucopiæ læva gestat, quod omnis abundantiæ mater Pax haberi soleat. Vulgatus est ad Dialogos *Antonii Augustini* Italico idiomate editos, Tab. II. Num. 15. atque exstat in *Museo nostro* cum prioribus duabus ad caput inscriptionibus.

NUM. 13.

PAX AUGUSTA. Figura muliebris stolata stans, dextra demissa tenens caduceum, læva cornucopiæ.

Ubertatis & concordiæ, quæ Paci conveniunt, hæc sunt symbola.

NUM. 14.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus, cum paludamento ad humeros.

PAX AUGUSTa. Figura muliebris stolata, stans, dextra demissa tenens ramum, læva caduceum.

Multis modis variare Pacis Augustæ ornatum sub Galba in nummis suis voluit Senatus, multique cum ejusmodi Pacis typis ejusdem cura signati fuerunt. Exstat hic in *Museo nostro*, ut & in *Farnesiano*.

NUM. 15.

IMPerator SERvius GALBA CAESar AUGustus Tribunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum lævam versus.

PAX AUGUSTa. Pacis similis typus, sed stat dextra demissa tenens ramum, læva cornucopiæ, columnæ innixa.

Discrepat hic typus a præcedentibus, quod stabilem promittat pacis ejusque bonorum felicitatem; illud enim columna, cui innititur, indicat. Servatur & hic in *Museo nostro.*

NUM. 16.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

PAX AUGUSTa. Pacis typus, sive figura muliebris stolata, stans, dextra elata tenens ramum, læva caduceum.

Ultimus hic ubertatis, concordiæ, bonorumque Pacis Augustæ typus est. Nummus ipse in *nostro* itidem *Museo* exstat.

NUM. 17. 18.

SERvius SULPicius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

PAXS (sic) *AUGUSTI. Figura muliebris stolata stat, læva tenens cornucopiæ, dextra facem, qua arma comburit. In altero, utpote a Tito restituto, scribitur: IMPerator Titus VESPasianus AUGustus REStituit.*

Sicuti haud immerito innumeris triumphis pax una potior adpellatur, sic spolia & arma bellica face accensa inflammare Pacem Deam in hoc typo cernimus, quem deinde Titus Cæsar restituit. Nummus prior exstat in *Museo Farnesiano*.

N U M. 19.

SERvius SULPicius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate Pater Patriæ.

RPOVIDENTIA. Ara.

Ara hæc est Providentiæ, quæ in Augusti primum, deinde & in aliorum Imperatorum occurrit nummis. Accendere focum in illa jure merito potuit Senatus, postquam teterrima peste, Nerone, Orbis terrarum liberatus fuit, reique Romanæ impositus senio & anteacta vita venerabilis, novus Imperator Galba, quem credebant cuncta in melius mutaturum.

N U M. 20.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

Vel,

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ laureatum.

ROMA. Dea Roma Amazonis habitu spoliis bellicis insidens, dextra victoriolam tenet, læva parazonium.

Creberrimus hic typus in Neronis exstitit nummis; in Galbæ nummis majoris moduli æreis itidem invenitur, ubi de hoc typo actum fuit. Exstat in *Museo Theupoliano*.

N U M. 21. 22.

IMPerator SERvius GALBA AUGustus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

ROMA RENASCes. Roma stans Amazonis habitu, dextra victoriolam tenet, læva hastam, in cujus summitate in altero nummo aquila conspicitur.

Confer similem typum atque inscriptionem inter Aurea Galbæ Numismata Tab. III. Num. 6. 7. ut & Argentea Tab. Num. 7. 8. atque ibi explicationem vide.

N U M. 23.

ROMA VICTRIX. Roma stans Amazonis habitu, globum dextro pede calcat, dextra manu ramum, læva hastam puram tenens.

Occurrit idem typus supra in Aureis Tab. III. Num. 8. & in Argent. Tab. IV. Num. 15. ubi vide quæ dicta sunt.

N U M. 24.

GALBA CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ nudum, lævam versus.

Vel,

SERvius SULPicius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Galbæ nudum, lævam versus.

SALUS AUGUSTI. Dea stans, serpentem dextra tenens super columnam, cui innititur, læva pateram.

Spectat hic typus ad vota & libationes pro salute Imperatoris Galbæ, quam stabilem Principi suo optat Senatus in hoc nummo, quare Dea Salus columnæ, ut rei stabili, innititur. Servatur hic nummus in *Museo Farnesiano*. Sed & ad Dialogos *Antonii Augustini* Tab. II. Num. 34. editum offendi.

N U M. 25.

SALUS PROVINCIARUM. Dea sedens sacra facit super aram ante se stantem.

Designatur hoc typo florentissimus Provinciarum status sub Galba, de cujus certe injuria & rapacitate queri non multum poterant.

N U M. 26.

SERvius SULPicius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Galbæ.

SECURITAS Populi ROMANI. Figura muliebris cathedræ insidens caput dextra fulcit. Ante illam est ara cum foco & tæda ardens.

Securitatis, sive Publicæ, sive Augustæ, sive Populi Romani, hic passim solet esse typus, rei satis conveniens.

N U M. 27. 28.

Vacant.

TA-

TABULA VIII.

QUÆ CONTINET NUMISMATA SERVII SULPICII GALBÆ RELIQUA EX ÆRE MEDIO.

NUM. 1.

IMPerator SERvius GALBA AUG. TRibunicia Poteſtate.

Vel, ut in *meo*,

IMPerator SERvius GALBA CAESar AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ nudum lævam verſus.

VESTA. Dea ſedens, dextra tenens Palladium, læva haſtam tranſverſam.

Cauſſa, quod in Galbæ nummis Veſtæ imaginem inprimi curaverit Senatus, videtur fuiſſe, quod ædem Veſtæ inſtauraverit. Arſerat enim in ferali Neronis incendio.

NUM. 2.

IMPerator SERvius GALBA AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ.

VESTA. Dea Veſta ſedens, dextra tenet capedunculam, læva haſtam puram.

Nummi hujus interpretatio in præcedentis explicatione quærenda eſt.

NUM. 3.

SERvius GALBA IMPerator CAESar AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum.

VESTA. Dea ſedens dextra pateram tenet, læva Palladium.

NUM. 4.

VIRTUS. Stat figura juvenilis, tota nuda; dextra tenens parazonium, læva haſtam.

Virtutem, bellicam ſcilicet, juvenili finxere habitu veteres, toto corpore nudo, more Græcorum, quibus nihil velare ſolemne erat; inſtrumenta belli, haſtam altera manu, altera parazonium tenet.

NUM. 5.

SERvius GALBA CAESar AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum, lævam verſus, cum paludamento ad humeros.

Senatus Conſulto. Tria ſigna militaria, totidem proris inpoſita.

Claſſes Romanæ, atque Reipublicæ ejuſdem potentia navalis hoc typo indicatur. Aquilæ ſignum in medio legiones claſſicas deſignat. Servatur hic nummus in *Muſeo Farneſiano.*

NUM. 6.

SERvius SULPicius GALBA IMPerator CAESAR AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum verſus lævam.

Senatus Conſulto. Similia tria ſigna militaria, ex quibus duo extrema totidem proris inpoſita ſunt, aquilæ legionariæ ſignum vaſculo inſiſtit in canthari modum.

Invenitur hic nummus in *Muſeo noſtro.* Depingitur quoque inter Numiſmata *Chriſtinæ Reginæ*

næ Tab. LI. Num. 26. & in meo nummo, optime ſervato, anſæ ad utrumque canthari latus conſpiciuntur. Quid ſibi ejuſmodi ornatus velit me neſcire fateor. Sicuti enim ſigna illa militaria utrimque ratibus inpoſita, aperte ad milites claſſiarios & ad claſſes Romanas ſpectant, ſic quoque ſignum intermedium, in cujus ſummitate aquila legionaria conſiſtit, vaſculum illud, ſive ollam anſatam vel cantharum, cui inſiſtit, non de nihilo, vel ſine aliqua ratione habet. Quod mihi nunc quidem ſuccurrit dicam. Notum eſt aquilas illas, quæ ad legionum ſigna pertinebant, ornari & inungi aliquando ſolitas. *Plinius* Lib. XIII. Cap. 3. *Aquilæ certe ac ſigna illa pulverulenta, & cuſtodiis horrida, inunguntur etiam feſtis diebus: utinamque dicere poſſemus, quis primus inſtituiſſet.* Poteſt itaque in nummo depingi una cum aquila legionaria vas unguentarium ornandæ aquilæ proprium, ad ſignificandam feſtivitatem & lætitiam terreſtrium maritimarumque copiarum Romanarum, qua adfectæ fuerant, quamque oſtenderant evecto ad Imperium Galba.

N U M. 7.

IMPerator SERvius SULPicius GALBA CAESar AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Galbæ laureatum.

Senatus Conſulto. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria.

Spectat hujus quoque nummi typus ad fidem & ſacramentum quod Galbæ Imperatori dixere legiones & exercitus Romani. Servatur in *Muſeo noſtro*, ut & in *Theupoliano.*

N U M. 8.

Senatus Conſulto in Corona laurea.

Hic Galbæ nummus eſt ex eorum genere qui vulgo Antiochiæ cuſi creduntur. Ab *Ænea Vico* editus eſt, Tab. II. Num. 9.

N U M. 9. 10. 11. & 12.

In area eſt SenatusConſulti nota, in circuitu legitur reſtitutio à Tito & Domitiano facta.

Inſcriptiones horum nummorum hæ ſunt; in primo legitur IMP*erator Titus* CAES*ar* DIVI AUG*uſti Filius* RESTITUIT. Inter rariores numerat *Vaillantius* p. 24. Secundi nummi hæc eſt epigraphe: IMP*erator Titus* VESPASIANUS AUG*uſtus* RESTITUIT. Tertius hac inſcriptione gaudet: IMP*erator* DOMITIAN*us* AUG*uſti Filius* RESTITUIT. Quartus denique: IMP*erator Domitianus* CAES*ar* DIVI VESP*aſiani* AUG*uſti Filius* REST*ituit.* Suntque hi tres poſteriores ex MSS. *Goltzii* à *Morellio* delineati.

N U M. 13. 14.

Vacant.

N U M. 15.

IMPERATor GALBA. Caput Galbæ nudum, dextram verſus.

COLonia Auguſta Aroe PATRenſis. Aquila legionaria inter duo ſigna militaria. Infra XXII.

Notat *Jo. Vaillantius*, qui averſam nummi (cujus utraque pars depingitur in *Muſeo Farneſiano*) partem adfert in Lib. de Colon. Nummis Tom. I. p. 184. Coloniam Patrenſem, ſub Nerone quidem *Neronianam* ſeſe pro *Auguſta* vocaſſe, verum Nerone exſtincto, atque Galba ad Imperium evecto, priſtinum reſumſiſſe *Auguſtæ* nomen, atque illud nummis ſuis inſcripſiſſe, quo Galbæ, novo Imperatori, Imperium adeptum gratularetur. Nota numeri ſub aquila legionaria reſpicit colonos antiquos ex illa legione. Servatur in *Muſeo Farneſiano.*

N U M. 16.

MUNicipium VISONTIUM. in Corona quernea.

Invenio in Schedis *Schlegelii* delineatum hunc nummum ab *Andr. Morellio* fuiſſe Bruxellis apud *M. Chifletium* ex MSS. *C. Patini.* Fuit in Sequanis Galliæ oppidum nomine Veſontio, cujus *Cæſar* & *Dio Caſſius* meminerunt, quorum loca adducit in Geogr. Antiqua *Chriſtoph. Cellarius* Lib. II. Cap. 3. p. 288. ubi inter alia hæc lego: „*Nummos* etiam „ adferunt Auguſti & Galbæ, inpreſſos MUN. „ VISONTIUM; verum quod hic caſus magis „ convenit Hiſpaniæ oppido in Peleudonibus, eo „ cum *Harduino* referri volumus." Verum in iis uterque non adtendit, quod Hiſpaniæ coloniis & municipiis jus ſignandæ monetæ ademerit Caligula, neque ulli poſt eundem in Hiſpania ſignati nummi inveniantur.

N U M. 17. 18.

. . . . . ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑ ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣτὸς Λυκάβαντος Α. (*SERVIUS SULPICIUS GALBA CAESAR AUGUSTUS ANNO I.*) *Caput Galbæ laureatum.*

Vel,

ΣΕΡΟΥΙος ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟκράτωρ ΚΑΙσαρ ΣΕ. . . . . . . (*SERVIUS GALBA IMPERATOR CAESAR AUGUSTUS. Caput Galbæ laureatum.*)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑ. (*ALEXANDRIA.*) *Caput Alexandriæ, elephantinis exſuviis & proboſcide tectum. In altero nummo ante faciem ejuſdem eſt capeduncula, in altero aſtrum.*

Alexandria, Ægypti primaria civitas, hiſce nummis Galbæ Imperium gratulata fuit. Capedun-

duncula in priore Pontificatum Maximum Galbæ respicit, astrum in posteriori claritudinem nominis. Uterque nummus servatur in *Museo Theupoliano* & ibidem recensetur p. 1104.

NUM. 19.

Vacat.

NUM. 20.

SERvius GALBA IMPerator CAESAR AUGustus. Caput Galbæ laureatum, lævam versus.

ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤους ΖΙΡ. (*SUB MUCIANO ANTIOCHENSIUM ANNO CXVII.*) *In Corona laurea.*

Nobilem hunc Galbæ nummum protulerunt atque depinxerunt *Jo. Vaillantius* in Num. Imp. Græcis p. 19. & in Fam. Licinia Tab LXXXIII. Num. 15. Tom. II. p. 37. *Andr. Morellius* in Familia Licinia lit. G. *Harduinus* ad *Plinium* p. 655. atque Eminentissimus *Norisius* in Libro de Epochis Syro-Maced. Dissert. III. p. 165. ubi de Æra Antiochensium disputans atque de tempore cusi hujus nummi, hæc scribit: " Porro in laudato nummo Galbæ imperantis imagine obsignato, sub Muciano Proprætore Syriæ, notatur annus Epochæ Antiochenorum CXVII. Galba occisus fuit die 5. Januarii anno urbis Romæ 821. usque ad Parilia decurrente, Per. Julianæ 4782. Æræ Christi 69. Epocha Antiochenorum cæpit ab autumno A. V. 705. Per. Julianæ 4665. Adde annos exactos CXVI. erit ad Autumnum Per. Julianæ 4781. Galba imperante, ac Muciano Syriæ legato. Itaque laudatus nummus cum anno CXVII. scalptus fuit ab autumno ejus A. V. 821. ad diem 15. Januari Galbæ emortualem, vel illum quo nuncius necis Galbæ Antiochiam delatus fuit." Exstat quoque in hoc nummo memoria Publii Licinii Muciani illius, cujus opera plurimum profuit Vespasiano ad adipiscendum Imperium, & de quo plurima leguntur apud *Tacitum* in Historiarum libris. Exstat in *Thesauro Regis Galliarum.*

NUM. 21.

ΚΟΙΝΩΝια ΚΥΠΡΙΩΝ ΕΤΟΥϹ Α. (*COMMUNIO CYPRIORUM ANNO I.*) *Jupiter stans ex adverso togatus, dextra tenens pateram, læva baculum cui aquila insistit.*

Præter Venerem, Cypriæ cognomine nobilem, cultum in illa insula quoque fuisse Jovem adferunt veteres Scriptores, Ειλαπιναστὴν & Σπλαγχνοτόμον, ut testatur *Athenæus* Libro IV. & confirmant Numismata antiqua. Ejus itaque Jovis hæc in Cypriorum hoc nummo videtur esse effigies. Servatur in *Thesauro Regis Galliarum.*

NUM. 22. 23. 24.

. . . . . ΙΒΙ ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑ ΚΑΙσαρ ΣΕΒαστὸς Λουκίβαντος Α. (*IMPERATOR LUCIUS LIVIUS* (*ut videtur*) *SULPICIUS GALBA AUGUSTUS.*) *Galbæ caput laureatum, lævam versus, ut Tab. II. n. 51.*

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. (*LIBERTAS*) *Dea stans columnæ innixa, dextra protendit corollam, læva hastam sive sceptrum tenet, atque columnæ innititur. In posteriore nummo astrum ad pedes adpositum habet.*

Græci quoque nummi, Alexandriæ cusi, recuperatam sub Galba libertatem populo Romano gratulati sunt, cujus nomen hisce nummis inscripserunt, quamque ut foret stabilis, per columnæ expressum Symbolum voverunt. Servatur prior ex hisce in *Thesauro Regis Christianissimi*, atque in *Museo Theupoliano*, sed in ejus descriptione p. 1105. male dicitur Libertas læva manu facem tenere. Capeduncula in tertio ad Pontificatum Maximum Imperatoris, astrum in secundo ad claritudinem respicit.

NUM. 25.

. . . . ΣΟΥΛΠίκιος ΓΑΛΒΑ ΚΑΙϹΑΡ ΣΕΒαστὸς ΑΥΤοκράτωρ Λουκίβαντος Α. (. . . . . *SULPICIUS GALBA CAESAR AUGUSTUS IMPERATOR ANNO I.*) *caput Galbæ laureatum.*

ΕΙΡΗΝΗ. (*PAX.*) *Caput muliebre velatum atque spicis coronatum cum caduceo post se.*

Symbola abundantiæ, & concordiæ merito Paci adjunguntur; hanc sperabant sub Galba Romani, hanc & Græci atque Alexandrini sese præoptare hoc typo declarant. Videntur in hoc nummo quoque exstitisse ut in præcedente prænomina Galbæ, *Lucius & Livius*, quæ in Græcis ejus nummis tantum adparent. Exstat in *Museo Theupoliano* p. 1105.

NUM. 26.

ΣΕΡΟΥΙΟΣ ΓΑΛΒΑ ΑΥΤΟκράτωρ ΚΑΙΣ... Λουκίβαντος Β. (*SERVIUS GALBA IMPERATOR CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Galbæ laureatum.*

ΚΡΑΤΗΣΙΣ. (*VICTORIA.*) *Figura muliebris stans, dextra tenens victoriolam, læva tropæum.*

Victoriam Galbæ, de quocunque Imperii æmulo, vel de sublato Nerone, hoc typo gratulan-

ſantur Alexandrini; parem typum poſtea in Othone ſignarunt. Exſtitit hic nummus in *Muſeis Foucaultiano & Droniano*. Servatur quoque in *Muſeo Theupoliano*, ubi recenſetur p. 1105.

Et, quoniam hic ad finem Numiſmatum Galbæ pervenimus, ut ſervemus inſtitutum ordinem, prætermittere non poſſumus brevem Vitæ ejus deſcriptionem, luculenter, more ſuo, a *Jo. Triſtano Sanctamantio* delineatam. Ante Nummorum ejus explicationem collocari non potuit, locum illum occupante deſcriptione *Schlegeliana*, itaque hic locavimus.

„ Servius Sulpicius Galba, filius Servii Galbæ atque Mummiæ Achaicæ, prope Terracinam natus fuit in Italia, menſis Decembris anno U. C. 756. Salutis nobis adlatæ LXVIII. Conſulibus M. Valerio Meſſala & Cornelio Lentulo; quum occideretur, natus erat annos ſeptuaginta tres, imperaverat annis ſeptem menſibus ſex.

„ Erat Galba ſtatura mediocri, facie oblonga, oculis cæruleis, naſo aliquantum aquilino, capite calvo, morbo quoque articulari manus pedeſque vexatus. De moribus ejus facile quis judicium feret ex obſervationibus noſtris in acta ejuſdem. De Galba igitur acturi, primo conſideramus quod haud uno modo ſpem de ipſo conceptam eluſerit. Is enim, provectæ jam ætatis, magna tenebatur ambitione eaque nimium ſibi de ſe ipſo pollicebatur, (quum quidem ea ætate noſſe debuerat non modo ſeipſum, ſed & aliis exſiſtere moderationis atque continentiæ exemplum.) cui accedebat avaritia ſordida atque deſiderium vindictæ de inimicis; quibus incenſus ad ſummum (in quo omnia ipſi licerent in omnes) adſpiravit faſtigium. Jam enim ſi quid olim firmitatis, conſtantiæ atque prudentiæ poſſederat, ætas longa adflixerat. Ab altera itaque parte minus illi conſtans animus ambitionem vincere non potuit; ab altera debilitas ejus atque ſtultitia reſiſtere non potuit cupiditatibus atque ſtudiis amicorum domeſticorumque, qui divitias atque potentiam ſibi ipſis ejus auctoritate atque potentia coacervare ſtudebant; idque ſolum in commendando ſummo illi Imperio ſpectabant, ut ipſi ſuas res agerent. Quod quidem dictum a me vel inde magis claret, quoniam idem Galba, quum viridis ipſi ætas eſſet & robuſta, adſpernatus fuerat jam ante Imperium, quod ſummopere cupivit poſtea, ſenex, calvus, podagricus, atque morbis fractus, circumſtrepentibus undique turbis atque infinitis calamitatibus. Neque enim aliquis, niſi confidentiſſimus, temerarius, ſtupidus & ſine communi ſenſu, præſumſerit ſenem, annis atque morbis adtritum & inhabilem, parem eſſe ad ſuſtinendam tantam Imperii, quale erat Romanum, molem; multo minus ut corrigere idem poſſet malos atque diſſolutos illius temporis mores, inveteratos licentia temporis ſub quatuor malis Principibus, quibus in melius revocandis vix ſeculi ſuppeteret tempus. Culpari inſuper Galba meruit, quod ſtatim, dum in via etiamnum Romam eſſet, interfici curaverit nobiliſſimos viros, Cingonium Varronem, Petronium Turpilianum, atque Mithridatem Ponticum, adeoque in Imperii ſui initio clementiæ vel moderationis nullam ſpem dederit. Quis præterea non vituperet inprudentiam ejuſdem atque nimiam ſeveritatem, quibus omnia rigidiſſime ad veterem morem & priſca inſtituta reducere voluit? An vero minus ridiculum eſt in ejus ætatis & Romæ educato homine, velle ſummam inſtituere parſimoniam, atque frugalitatem revocare antiquiſſimi temporis, illa ætate, qua nihil ad ſummam magnificentiam atque ſumtuoſam vitam beati homines in urbe terrarum domina ſibi faciebant reliquum? Denique quomodo conſtitiſſe illum ſibi dicerem, ſeveritatem tam immenſam & antiqui imperii adfectantem, quum regeretur ipſe a libertis ſuis, illiſque addictus permitteret violenter, injuſte, atque inſolenter cuncta inpune agere. Sed & in amicorum judicio minus prudentem invenio. Neque inter minima vituperatione digna, ipſam Piſonis adoptionem referendam exiſtimo, quem Cæſarem & ſucceſſorem ſibi ſatis imprudenter deſignavit. Nobilis enim iſte juvenis, neque illius moris erat neque temporis, aliaque adoptione opus fuerat, ut & ſe & quem adoptaret populo militique commendatos faceret. Piſonis enim vitæ inſtitutum, morum gravitas, conſtantia & quæ virtutum nomine venire poſſunt, ſicuti privato conveniunt, laudemque innocentiæ ſecum ferunt, ſic in Principe alia laudantur. Variis gentibus, ingeniiſque ſeſe temperare ille debet, militibus quoque, qui Philoſophorum inſtituta parum curant; magnificentiam, voluptatem, generoſitatem, vitamque lautam & voluptuariam inter nobiliores is agere debet; erga ſubditos clementiam adfectare, humanitatem & liberalitatem. Læta illi ſit facies oportet, & quæ benignitatem cum majeſtate oſtendat; non rigida, triſtis, & ſevera, qualis Piſoni quem ſua virtus infelicem fecit. Quod autem præ cæteris in ſtolido illo ſenecione cum horrore vitupero, & quod ne ipſe quidem neſciri voluit, nefandum, & quidem in illa ætate, pæderaſtiæ crimen eſt. Quare ego quidem illum indignum judico, cujus miſeratio nos ſubeat, quod poſt breve ſeptem menſium Imperium peſſime e medio ſublatus fuerit per hominem illo nihil magis continentem in illa temporum infamia; neque illo quem occiderat, multo feliciorem. Meruerat quoque inſtabilis Deæ mutationem Galba, qui Fortunæ ſuæ ſenex confidebat, haud reputans ſecum, ſolere illam deſerere occidentem, atque ad orientem ſe conferre, magiſque juvenum favorem & virile captare robur. Unde antiquus quidam ſcriptor hoc de Galba pronunciavit apud *Jo. Sariſberienſem* Lib. IV. de Nugis Curialium: *Teſtatur hoc Galba, qui totam ætatem luxu producens in ſenium, hujus deæ familiaritate & cultu in breve elatus, & in breviori præcipitatus eſt.* Quare non ſine ratione Imperator *Julianus* eodem numero habet Vindicem, Galbam, Othonem, atque Vitellium; illud probare in Apoſtata non poſſum, quod ideo eoſdem condemnet, quoniam amicos ſuos male tractaverint, cujus rei probatio non eſt in promtu, neque ex reſiduis Veterum ſcriptis nobis claret; illud ex iiſdem abunde liquet, defuiſſe Galbæ judicium in eligendis amicis atque miniſtris. Percuſſor ejus Otho octo ante diebus cædem peragere ſtatuerat, ſed diſtulit diem monitu Seleuci cujuſdam aſtrologi peritiſſimi; quod ex *Juvenale* diſcimus, Satyra VI. ubi *exſulem* vocat illum Seleucum, quod Urbe a Nerone pulſus fuiſſet, verſu 555.

—— *qui ſæpius exſul,*
„ *Cujus amicitia conducendaque tabella*
„ *Magnus civis obit, & formidatus Othoni.*

„ Oppetiit itaque Galba vixdum deguſtato Impe- „ rio,

„ rio, ad ſenium, ut videtur, evectus, ut tandem „ Neronis interitus atque tyrannidi abolendæ au„ ctor exſiſteret. *Muſonius Rufus* apud *Epictetum* „ *in Arrianum* Lib. III. Cap. 15. inde probationem „ inſtituit de Providentia Dei in regendo Orbe, „ quod diu ante Galbæ prædictum Imperium fue„ rit, illique tandem obvenerit, ſed quod vitam „ cum Imperio propter negligentiam atque im„ prudentiam amiſerit."

LEPIDA,
GALBÆ UXOR.

„ Galba uxorem habuit Lepidam, poſt cujus „ mortem, ut conſtat ex *Suetonio* Cap. V. aliam „ uxorem ducere noluit, quamvis Neronis ma„ ter Agrippina, amiſſo marito Domitio Ahe„ nobarbo, nuptias ejus omnibus modis ambierit, „ quæ etiamnum viva Lepida ſollicitaſſe Gal„ bam dicitur, ut eadem dimiſſa ſeſe caperet, „ ſic ut in quodam jurgio a matre Lepidæ in „ matronarum Romanarum conventu pulſata fue„ rit. Duos ex Galba filios ſuſtulit Lepida, qui „ in pueritia perierunt.

PISO CAESAR.

„ *L. Calpurnius Piſo Frugi Linicianus Cæſar*, „ filius exſtitit M. Craſſi Frugi atque Scriboniæ. „ Fratri natu majori, Scriboniano Craſſo, quam„ vis & ille haud contemnendus erat, hunc præ„ tulit Galba propter morum & vitæ ſeveræ ſimi„ litudinem. Erat enim hic Piſo juvenis ſobrius, „ gravis, & auſterus. Temporibus Neronianis „ vitam in exſilio ſatis diu toleraverat, altero „ ex fratribus per Neronem eundem, altero, „ qui reliquorum natu maximus erat, ſub Clau„ dio ad mortem acto. Hic autem Piſo, a „ Galba adoptatus, atque Cæſar factus, per „ quatuor tantum dies iſto titulo gaviſus fuit; „ juſſu enim Othonis, poſt Galbæ cædem, fuit „ interfectus, anno ætatis trigeſimo primo.

VERANIA,
PISONIS UXOR.

„ Cæſo Piſone caput ejuſdem redemit conjux „ *Verania*, atque illud una cum reliquo corpore „ cremavit, uti teſtatur *Tacitus* Libro I. Hiſto„ riarum. Addi poteſt *Plinius* Lib. II. Epiſt. „ 10. atque *Plutarchus* in Vita Galbæ."

Temporibus Galbæ, antequam is iter in Italiam arriperet, in Africa ad Romani Imperii faſtigium adſpiraſſe creditur Clodius Macer, cujus hiſtoriam continuavit *Jo. Triſtanus* Comm. Hiſt. Tom. I. p. 247. ejus verba Latine verſa, pro more, hic ſubjicienda putavimus.

CLODIUS MACER.

„ Vix interierat Nero, quum Clodius Macer, „ Africæ Proprætor, ibique cum exercitu verſatus „ ad Imperium ſummumque locum adſpiravit. A„ nimos illi faciebat provincia Africa, in qua cum „ imperio erat, horreum populi Romani, unde „ famem Italiæ urbique Romæ indicere, niſi Im„ peratorem ipſum agnoſcerent, ſeſe poſſe vide„ batur. Qua potiſſimum neceſſitate credebat „ poſtponendum ſibi fore Servium Galbam atque „ Virginium Rufum. Vanitate inſita hanc ipſe „ ſpem animo conceperat; nequaquam tantæ mo„ li par, & avaritia inſatiabilis; ut qui plures viros „ illuſtres ex provincialibus ad mortem egerat, „ ſeque illorum ſpoliis ditaverat; quique & alibi „ haud probatis ſe moribus ornatum oſtenderat. „ Inſtigaverat inſuper hominem Galvia Criſpi„ nilla, famoſa mulier, magiſtra quondam libi„ dinum Neronis, quæque veſano illi atque propu„ dioſo generis humani monſtro inſervierat pro or„ natu Spori, quem mutato in Poppæam nomi„ ne, veluti uxorem duxerat Nero, prouti ex „ *Dione* atque *Tacito* conſtat. Verita enim hæc „ mulier, ne deſtituta defenſore ſcelerum pœnas „ lueret, in Africam ad Clodium Macrum traje„ cit, quem putabat inflammari poſſe ut ad Im„ perium adſpiraret; quod haud difficile perſuaſit „ homini jam ante ſummi loci cupido. Sed dum „ de modo gerendæ rei ſecum deliberat Macer, „ atque legiones, quæ ſub illo in Africa militabant, „ ad ſe allicere conatur, Galba Romæ rite Im„ perator declaratur, qui vafro conſilio Macrum „ brevi de medio ſuſtulit. Succeſſorem enim illi „ miſit Tribonianum Garucianum; is captata „ occaſione Macrum in Africa oppreſſit. Hiſto„ riam narrant *Tacitus* Lib. I. Hiſtoriarum, at„ que *Plutarchus* in Vita Galbæ. Ceterum cujuſ„ dam Clodii Macri mentio quoque occurrit in „ Lege 3. Tit. 23. D. 27. apud JCtum Mode„ ſtinum ſub Hadriano, qui forte ex hujus Macri „ exſtitit poſteritate."

Hæc de vita & hiſtoria Clodii Macri, cujus deinde effigiem dat *Triſtanus* ex nummo, quem olim poſſederat, prouti videlicet memoriæ ipſius pictura ejuſdem inhæſerat, eumque hoc illuſtrat Commentario „ *Lucius* CLODIUS MA„ CER S. C. Caput Clodii Macri. Ab altera par„ te navis bellica cernitur cum hac inſcriptione: „ PROPRAE*tore* AFRIC*ae*. Doleo equidem, „ quod hoc loco inter Numiſmata Imperatorum, „ quæ adhuc dum ſuperſunt, collocare haud poſ„ ſim hujus Clodii Macri, quem quondam poſſedi „ nummum, cujus prouti memoriæ inhæſit, hanc „ dedi picturam. Ipſe enim nummus, cum qui„ buſdam aliis, quinque abhinc ſexve annis furto „ mihi ablatus fuit. Erat autem ex parvo admo„ dum ære, quales quatuor in aſſe Romano in„ veniri ſolent. In illo nummulo meo Macer „ ille ſatis pleno depingebatur vultu, ſed brevi, „ naſo mediocri ſed acuto, oculis cavis, capillo „ tonſo, inberbis, atque ætatis mediæ. Nota ve„ ro S. C. nos docere videtur quod juſſu Senatus „ cuſus fuerit nummulus. Quod ſi ita eſt, diſci„ mus inde, in partibus Macri Senatores Romæ „ aliquo tempore fuiſſe (quamvis nihil de illo apud „ Scriptores antiquos;) in illa rerum incertitu„ dine poſt exceſſum Neronis, ante Galbæ in „ Italiam adventum, metuente populo ne fame „ premeretur civitas, ſi Macer hoſtilia cogitaret, „ navibus frumento onuſtis, quæ Romam deſti„ natæ erant, retinendo in Africa ad ſui militis u„ ſum. Significare itaque Triremis hæc ſive bel„ lica navis in nummo poteſt, quod clauſum il„ lis mare haberet, ne quid, ſi prohiberet ipſe, „ Romam ſubvehi poſſet; ſive quod iiſdem longe „ prævaleret contra duces & Imperii æmulos, qui „ alias

„ alias tenebant provincias, atque ſimiliter vel ipſi
„ adſpirabant ad Imperium, vel a ſuis ſollicitaban-
„ tur legionibus, quales erant in Germania Vir-
„ ginius Rufus, in Hiſpania Galba, alii aliis in
„ locis. Meminit hujus Clodii Macri *Tacitus* Hiſt.
„ Lib. I. Cap. 73. *Per idem tempus expoſtulata ad*
„ *ſupplicium Galvia Criſpinilla, variis fruſtrationibus*
„ *& adverſa diſſimulantis principis fama, periculo*
„ *exemta eſt: magiſtra libidinum Neronis, tranſ-*
„ *greſſa in Africam, ad inſtigandum in arma Clodium*
„ *Macrum, famem populi Romani haud obſcure moli-*
„ *ta.* Iterum ibid Cap. 7.
„ Adde *Plutarchum* in Vita Galbæ, atque *Sue-*
„ *tonium* Cap. XI. Verum inſuper ex hoc num-
„ mo ejus prænomen diſcimus, & quod Propræ-
„ tor præfuerit Africæ."

Et hæc quidem ad Clodii Macri nummum olim ſuum *Jo. Triſtanus.* Verum non magnam in illius amiſſione fecit jacturam; omnino enim ad fictitios falſoſque eſt referendus, idque jam Antiquariis conſtat. Sic ut olim jam Illuſtriſſ. *Spanhemius* Diſſert. VI. de Præſt. & Uſu Numiſm. p. 590. ſcriptum reliquerit: „ Huc referri poſſet Clodius
„ Macer, cujus nummum poſt Neronianos pro-
„ duxit *Triſtanus*, niſi ſuſpecta eſſet illius fides,
„ & reprehenſa erudito Antiquario novitas." Vir idem Illuſtr. hæc poſtea uberius docuit in altera formæ majoris editione, ubi Tom. II. p. 241. ita ſcribit: „ Qua ratione, ut hinc ordiar, exſu-
„ lare continuo illinc debet Clodius Macer, cujus
„ nummum poſt Neronianos protulit primum (*a*)
„ nobilis Antiquarius. Præterquam enim quod
„ in eodem nummo nomina ejus tantum, P
„ CLODIUS MACER, & in averſa parte: PRO-
„ PRÆ. AFRIC. *Proprætor Africæ*, dignitas,
„ nulli vero primi vel ſecundi Imperatorum faſti-
„ gii tituli conſignentur; iſque dum in Africa
„ turbare primum cœpit, fuerit mox ſublatus; ac-
„ cedit inſuper ipſa nummi illius, etſi is ab (*b*)
„ alio dein & ex eadem gente celebri Antiquario
„ ſit denuo divulgatus, dubia admodum fides; imo
„ quæ ab (*c*) alio ſagace hujus peculii æſtimato-
„ re, ceu adulterino, eſt ei penitus abrogata."

Similem itaque, qui ex eadem falſa matrice prodiit, nummulum habuit *Carolus Patinus*; qui eundem dedit non ex memoriæ penu, (ut amiſſo ſuo, per furtum cum aliis ſublato) *Triſtanus* depingi curavit, ſed ex ipſo archetypo. Et hinc nota S. C. quæ in *Patiniano* nummo infra collum Clodii Macri eſt, in pictura *Triſtaniana* ad latera faciei invenitur; præterea ſex remiges adparent in triremi apud *Patinum*, neglecti omnes apud *Triſtanum.* Sed & inſcriptio ibidem tribus lineis apud priorem abſolvitur, ſic ut PRO primam, PRAE. ſecundam ſupra triremem conficiat, AFRIC. autem ſub eadem trireme collocetur. Apud *Triſtanum* vero duabus lineis ſupra navem ſcribitur, in prima PROPRAE. in ſecunda AFRIC. ſic ut haud ſatis fida illi fuerit memoria; niſi forte falſarius, qui fabricam illam procudit, duos diſcrepantes emiſerit. Silere autem nequeo, Clodii Macri culpam alio *Taciti* loco, quem neglexere Viri Docti, extenuari, certe non ſine invidia necem ejus traduci, tamquam non diſſimilem Piſonis. Is Piſo Proconſule Africam tenebat eo tempore quo Veſpaſianus, a Muciano, Syriæ Præſide, adjutus, ad Imperium pervenit. Claritudinem ejus metuens Mucianus, ſubdole Papirium quendam centurionem, qui crimen rebellionis Piſoni adfingeret eumque occideret, in Africam miſit. Nunciatum fuerat id Piſoni, viro gravi, & inſonti, qui perire maluit, quam patriæ bellum facere. De eo itaque inter alia hæc ſcribit *Tacitus*, ſimul Clodii Macri necem tangens, Lib. IV. Hiſt. Cap. 49. *Centurionemque percunctatus, poſtquam quæſitum ſibi crimen cædemque comperit: animadverti in eum juſſit, haud perinde ſpe vitæ, quam ira in percuſſorem, quod idem ex interfectoribus Clodii Macri, cruentas Legati ſanguine manus, ad cædem Proconſulis retuliſſet.* Inter illos, qui in Neronem inſurrexerunt, atque Galbæ præiverunt, illumque ad capeſſendum ſollicitarant Imperium, inſignis exſtitit C. Julius Vindex, cujus hiſtoriam luculenter contexuit *Jo. Triſtanus* Comm. Hiſt. Tom. I. p. 284. Illam porro hic exhibemus.

JULIUS VINDEX.

„ Fuit *Julius Vindex*, juxta *Zonaram*, Sena-
„ tor Romanus, Senatoris filius, *Caius Julius*
„ *Vindex* dictus; vir dives, affabilis, ſapiens,
„ atque generoſus. Talis exſiſtens, atque abun-
„ dans opibus, præ cæteris patriæ libertatem ama-
„ bat ſecreto; quam quum miſerabili modo ty-
„ rannide Neronis vidiſſet oppreſſam, percupi-
„ dus erat patriam quovis modo liberandi. Sed
„ quanto poterat ſtudio hunc animi diſſimulabat
„ ardorem, ad Neronis lubitum, præcipue in
„ illis quæ nullo dehoneſtabantur crimine, pru-
„ denter ſeſe adcommodans; condito interius
„ odio, quo proſequebatur monſtri illius luxum,
„ crudelitatem, aliaſque deteſtabiles ejus actiones.
„ Ut vero id quod animo volvebat, facilius ef-
„ fectui daret, melioremque Imperio Romano
„ Principem procuraret, in gratiam Neronis ſeſe
„ inſinuavit, obtenturus aliquam provinciam
„ primariam, ut valido inſtructus milite ad deſti-
„ natum perveniret finem. Admirabili hac in
„ ſcena artificio uſus eſt, cujus notitiam *Plinio*
„ debemus Lib. XX. Cap. 4. Quum videlicet
„ ſciret Vindex conſueviſſe Neronem, per ava-
„ ritiam inſatiabilem, captare teſtamenta eorum
„ qui reliquis opibus præſtabant, ſeneſque eſſent
„ vel incurabili laborarent morbo, uſus fuit cumi-
„ ni ſativi jure, cujus videlicet ea eſt natura,
„ ut qui eo utantur pallidos reddat. Ita Neroni
„ perſuaſit ægritudine ſeſe gravi atque interno
„ laborare malo, velle autem ſuorum bonorum
„ ipſum inſtituere hæredem, ſed ut in aliquo
„ moreretur honore lubenter alicujus provinciæ
„ deſiderare gubernationem. Valde grata hæc
„ auribus Neronis accidit oratio, qui Vindicem
„ Proprætorem in Gallias miſit. Ibi contra Nero-
„ nem (generis humani peſtem, atque cunctis
„ provinciis propter injuſtitiæ, avaritiæ, alio-
„ rumque ſcelerum crimina deteſtabilem) tam be-
„ ne animos militum atque provincialium diſ-
„ poſuit, ut tandem omnes Vindici Imperium
„ obtulerint. Verum non ea Vindicis erat mens,
„ qui modicis contentus non ſibi quærebat Impe-
„ rium, ſed digniori, ſuiſque viribus pro Galba
„ qui Hiſpaniæ præerat, uti decreverat. Facile
„ hunc, ut contra Neronem inſurgeret, permo-
„ vit, ſcriptis ad illum literis, *ut humano generi*
„ *adſertorem ducemque ſe accommodaret*, prouti le-
„ gimus apud *Suetonium* Cap. X. in Vita Gal-
„ bæ; ſimul Galbæ offerens centum mille viros,
„ quibuſcum, Hiſpaniæ inſuper confiſus viribus,
„ Ne-

(*a*) *Triſtan.* Comm. Hiſt. Tom. I. p. 247.
(*c*) *J. Bellor.* ſub nomine *Bonini.*
(*b*) *Patin.* Numiſm. Imper. p. 96.

" Neronem everteret, prouti *Plutarchus* testatur. " Testatur idem scriptor Neronem, audita inter " cœnandum rebellione Vindicis, præ consternatione animi adpositam sibi mensam, & quidquid in illa erat, evertisse. Narrat quoque " *Philostratus* Lib. V. Cap. 3. Apollonium " Tyaneum magna cum voluptate motum audivisse Vindicis, atque persuasisse provinciæ Bæticæ Præsidi ut pro libertate Imperii Romani copias suas Vindici adjungeret, seque ut illi commendaret simul orans. Adjungit idem *Philostratus*, ex Philosophiæ penetralibus desumtam " fuisse orationem qua milites atque provinciales " allocutus fuit Vindex; Neronem inter alia " ineptissimum vocans citharœdum, pejorem tamen Imperatorem; objecisse quoque eidem insaniam, furorem, avaritiam, crudelitatem, " atque lasciviæ genus omne: Crudelissimum autem factorum ejus non exprobrasse, jure enim " matrem eum ajebat occidisse, quæ tale monstrum peperisset. Deinde quum versus Italiam " tenderet Galba, Virginius Rufus, magnæ vir " existimationis, auctoritatis atque virtutis, qui " Germanico præerat exercitui, nihil movit, " ut qui neque sibi neque alii permissum putabat de Imperio disponere, atque sacramentum " mutare; sed electionem Principis pertinere ad " Senatum atque Populum Romanum. Itaque " cum legionibus suis Gallias intravit, tamquam " qui Vindici bellum facturus erat, quum interea " colloquio habito inter illos convenisset. Sed per " errorem dum id ignoraret miles cruenta exarsit pugna, sic ut a partibus Vindicis viginti " mille desiderati fuerint, atque inde dolore percitus Vindex se ipsum occiderit. Narrant id " *Suetonius*, atque inprimis *Plutarchus*, *Xiphilinus* atque *Dio*, qui insuper adjungit, quod " Nero, audita defectione Vindicis, atque edictis " ejusdem, quibus ipsum infamaverat, prætoriis, per præconem immensam pecuniæ summam illi promiserit, qui Vindicis adtulisset " caput; Vindicem vero contra, suum promisisse " caput illi, qui Neronis sibi obtulisset. Unde " liquido adparet, non actum ambitione Vindicem, vel invadendi Imperii gratia, sed solo " amore patriæ venisse ad arma, atque rebellasse " contra Tyrannum, ut orbem terrarum illo liberaret monstro. Adnotavit quoque *Dio Cassius*, " referente *Xiphilino*, ægerrime mortem Vindicis tulisse Virginium Rufum. Vindicem inter Imperatores solus commemorat *Lampridius* " in Vita Alexandri Severi, inter illos videlicet " quos miles elegerit, his verbis: *Nam & Pescennium Nigrum, & Clodium Albinum, & Avidium Cassium, & antea Lucium (lege Julium) Vindicem, & Lucium Antonium, & ipsum Severum Imperatores fecerant.* Neque enim apud " alios Scriptores Vindicis nomen vel inter Imperatores, vel Tyrannos inveni, neque eumdem Augusti decoratum titulo offendi.



VITA



VITA ET DESCRIPTIO OTHONIS.

Singulare id non tantum est, quod SUETONIUS TRANQUILLUS de *Othone*, Imperatore, Cap. XII. in *ejus vita* adnotavit, incolumen à magna parte hominum gravissimè detestatum fuisse, mortuum vero laudibus sublatum; sed & hoc peculiare præ aliis post fata habuit omninò, quod cum tam pauci nummorum ejus, dum viveret, æstimatores exstiterint, illi tamen tam magnos post longam seculorum seriem denique repererint, & coëmptores pecuniosos, ut in illos subinde statutum pretium fidem propemodum excedere videatur, (*a*) vixque de alterius cujusque Imperatoris nummorum *αὐθεντίᾳ* strenuè magis, unquamque fuerit inter *summos Principes* non minus ac *Eruditos* disceptatum, decertatumque acrius. (*b*) Novimus etenim, quam fortiter pugnaverit HENRICUS THOMAS CHIFLETIUS, *Johannis Jacobi* filius, quamvis adhuc tum juvenis, pro oppugnanda æreorum nummorum Othonianorum autoritate, in docta satis Dissertatione de Othonibus æreis, Leopoldo Guilielmo, Austriæ Archi-Duci, Belgarum, Sequanorumque Pro-Regi, inscripta, ad quem *Ferdinandus III.* Imperator, Numismata Othoniana quatuor miserat, à Patre *Chifletio*, Archiducali Medico, & patruo, Abbate Eleëmosynario, examinanda, omnes in eademque Dissertatione suspectæ fidei, ac superpositis, qui exstant, arguens, nummos Othonis æreos. Quæ ipsa ejus Dissertatio postea cum CLAUDII CHIFLETII de antiquo Numismate Tractatu Anno MDCLVI. ex officina *Plantiniana Antverpiæ* prodiit, eodemque dehinc omnibus *Chiffletianis Operibus* denuo anno MDCLXXXVIII. *Amstelodami* editis, Tomo VII. inserta conspicitur. Neque ea nos fugit, quam NICOLAUS PRACKWITZIUS de *Othone æreo falso* ad *Ferdinandum III.* Imperatorem, anno MDCLV. die 14. Aprilis *Viennæ* perscripsit Epistola. Quam falsè ANTONIUS LE POIS, Medicus Lotharingus, *Johannem Sambucum*, Polonum, qui alias, *Lipsii* (in *Epistol. Miscell.* Cent. I. Ep. 2.) judicio, plus famæ, quam doctrinæ, habuit, perstrinxerit, quod *Otthonem æreum* in lucem protraxerit, quem nec ipse, nec Italorm Antiquariorum uullus unquam viderit,

(*a*) Probatum hoc dabimus JOBERTI R. S. I. Patris, verbis, in Notitia rei Nummariæ p. 20. ex recentioris Germanicæ edit. p. 23. „In exemplum sit Otho Latinus, qui ex majori ære (*de grand bronze*) planè inæstimabilis est, cum aureus non valeat, nisi tres aut quatuor aureos, sive Dupliones Hispanicos (*Pistoles*, sive *Doublons d'Espagne*,) (Spanische Pistolen/) supra pondus suum, quod tredecim circiter libras Gallicas (Francken/) (*Francs*) exæquat. Idem Otho argenteus tantum valet 40. aut 50. solidos (*Sols*) (Stüber/) supra pondus, nisi forte ut exhibeat aliquid non vulgare ex parte aversa, quod pretium addat." Et p. 244. „In omnibus æreis cujuscunque Cæsaris rarissimus est Otho, frequens inter argenteos nummos." Rursusque p. 245.: „Inde immensum Othoni æris majoris accessit pretium, quin immo & eo est perventum, ut nummorum æris minoris, sive medii, æquum non putetur, quod XXX. aut XL. pistolarum in singulos summam non excedat. . . Nummi *Μοναδικοὶ* sunt inæstimabiles, quales dicuntur, quos in Principum; doctorumque primariorum numismatothecis Antiquarii nondum deprehenderunt. . . Sic Othonem ex genuino ære majori factum, qui unicus est, in Italia alicubi vidit VAILLANTIUS. A. MORELLIUS vero in Specimine II. Lipsiensi p. 161. „Othonis æreos nummos esse rarissimos, nemo ignorat; inde etiam æruscatores tanto studio & industria nummos hujus Imperatoris vel effingere, vel ex detrito alio Othonem efformare conati fuerunt, neque ullibi collectio nummorum temerè reperietur, in qua hujus generis nummus non extet." Et CAR. PATINUS in Numismat. Othonis Imperatoris p. 150. Thesaur. maj. „Utuntur etiam auctoritate Serenissimæ Reginæ Suecorum, Christinæ Alexandræ, omnium rerum, quæ ad literas pertinent, ut cætera taceam, peritissimæ, atque hujus dictum commemorant: qui æreum, inquit, Othonem repererit antiquum, philosophicum lapidem invenerit." Hoc ipsum iisdem propè verbis repetit CHIFLETIUS de æreis Othonibus p. 9.: „Dissolvit controversiam Serenissima CHRISTINA, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque incomparabilis Regina, quæ cum à Parente meo inaudisset, allatum è Germania Sereniss. Archi-Duci Othonem æreum, Apollinari responso subdidit: qui æreum Othonem repererit antiquum, philosophicum lapidem invenit. Dictum sapiens, augustum, aurea dignum statua." Consentit tum de raritate, tum de pretio ÆNEAS VICUS in Discursibus Lib. I. Cap. 6. cujus verba è Gallico sermone translata ita se habent. „De numismatis majoribus æreis cum effigie Augusti taceo, quia raro occurrunt, Cæsarisque rarius. De Othone nihil dico, cujus effigiem nemo absque errore proprio jactare potest, se vidisse æri impressam." Et Cap. XXVIII. „Numismata Othonis argentea & aurea omnia sunt rara, sed antiquum hactenus nullum vidi æreum; neque agendo cum senibus rerum antiquarum per totam Italiam Professoribus vel unum nancisci licuit, qui vidisset, sed adulterata plurima." Et CLAUDII MENETRII, Cardinalis Barbarini Antiquarii, vox fuit: „Qui æreum Othonem jactaret sermonibus, venderet fabulam." LUDOVICI SAVOTI Parte IV. C. 21. p. 382. hoc judicium est: „Pescennii numisma in quovis metallo rarum est post æreum Othonis": LEVINUS HULSIUS in Othone; „Æstimaretur nummus æreus elegans Othonis authenticus aliquot centum, immo mille aureis. SEB. ERIZZO in *Dichiaratione de Medaglie Antiche* p. 120. *Le quali medaglie* (intelligit Othonis æreos) *se siano rare, andoverno maravigliarsi, havendo questo Imperatore vivato si poco tempo.*"

(*b*) Confirmabimus hoc *Chifletii* verbis pag. 3. loc. cit. „Non enim apud privatos sedit hæc quæstio, sed mota magnos inter Principes, FERDINANDI, Imperatoris, excitata jussu, CHRISTINAE, Reginæ, auctoritate fulta, cujus è longinquo fama ferebat; Majestas postea mirabilis propius perculit oculos. Ego optimi Principum LEOPOLDI GUILIELMI, Archi-Ducis, imperio obsequor, qui cum Parentem meum designasset, qui scriberet, ipso aliis occupato, acquievit, si filius parentis vice fungeretur." Clarissimusque non minus, quam eruditissimus vitæ *Leopoldi Magni* conditor inter alia pag. 71. meminit, inter nummos Romanos æreos, quorum 5347. numero possederat laudatissimus jam dictus Imperator LEOPOLDUS, fuisse & Othonem æreum, quem LAMBECIO tradiderit, ut ipsum curate examinaret, num ullum falsitatis indicium in ipso posset invenire? Quid vero responderit, hactenus incompertum est.

rit, ſicque Othonem æreum Chimæram fecerit, & non-entium numero adſcripſerit; id notum ſatis eſt ex ejus *Diſcurſu ſuper Nummos Roman.* Cap. I. fol. 3. a. quando ita ibidem ſcribit: „ Profert *Johannes Sambucus* OTHONEM, octavum Imperatorem, quem dicit ſe in ÆRE ſervare; quod inauditum eſt, & incredibile Italis Antiquariis, qui negant, ullum reperiri Numiſma OTHONIS ÆREUM;" (c) & C. PATINUS ejusdem meminit in *Hiſtoria Numiſmatum* Cap. XXI. pag. 155. Quæ contra circa hanc materiam JOHANNIS BAPTISTÆ CAPPONI, Medicinæ Profeſſoris, Bononienſis, & Philoſophi inſignis, mens fuerit, ipſe orbi erudito expoſuit, in iſto eleganti, quem de *Othonibus æreis* conſcripſit Commentario, *Bononiæ* Anno MDCLXIX. impreſſo, & Chriſtianiſſimo Regi, LUDOVICO XIV. oblato, qui ex *Patini*, accerrimi in hiſce elegantiis, mente, πολυμαθείᾳ & argumenti varietate præſtans eſt, in Hiſtoria Numiſmat. Cap. XXIV. p. 210. Qua ratione exinde ſupra laudatus HENRICUS THOMAS CHIFLETIUS argumentis ſtringentibus, ac illis majori αὐτοψίᾳ motus, palinodiam rurſus cecinerit, id ſatis teſtatur ejus Epiſtola ad *C. Patinum* perſcripta, ac ejus Numiſmatibus Imperatorum ſub Othone p. 131. *Theſaur. maj.* inſerta, quam & integram noſtro operi infra additurі ſumus. Refert & DN. AB ALMELOVEEN in Bibliotheca ſua promiſſa & latente, inter MSta B. JOH. ANDREÆ BOSII, Polyhiſtoris Jenenſis ſummi, Diſſertationem de Othonibus aureis, argenteis & æreis; cujuſque poſterioris ærei nummi exemplar ipſum poſſediſſe, affirmat B. Dn. CASPAR SAGITTARIUS, hæres *Boſianus* ex aſſe, in Introductione in Hiſtoriam Eccleſiaſticam p. 604. ipſeque J. A. BOSIUS conteſtatur in Epiſtola ad *Thomam Reineſium*; (d) Sed, ſicuti facile largimur, quod ibi monet *B. Sagittarius*, iſta Boſii molimina in collectaneis ſaltem ſubſtitiſſe, nec unquam de iis integram Boſium confeciſſe Diſſertationem; ac potius tantum (quod Dn. SALOMON. FRANCKIUS, Secretarius Hagio-Sunedrii ac Bibliothecæ Ducalis Vinarienſis meritiſſimus, me amice monuit) in diverſarum, quos vidit, *Othonianorum* nummorum deſcriptione atque annotatione ad *Adolphi Occonis* Numiſmata Imperatorum, cujus Boſiani laboris monumentum eadem laudataque modo Bibliotheca hodienum intuentibus offert, conſtitiſſe; ita, pace viri beati, nobis heic profitendum eſt, nos nunquam Othonis genuini ærei exemplar in nummis ejus, quos ultra biennium manibus noſtris tractare, *B. Sagittarii* permiſſione & juſſu licuit, deprehendiſſe. Sed cautione maxima in diſcernendis Othonibus æreis opus eſſe, monemus; ne pro ſuppoſititio æreo & ex Auguſti, Galbæ, aut Nerone, aut alio efficto cum Carolo Crojo, Duce Arſchotano, quingentos ſupra mille Brabanticos florenos perſolvamus; aut ſpurium Othonem æreum quingentis Jacobeis Anglicis (qui florenis Brabanticis quinquies millenis pretio æquales ſunt,) noſtrum faciamus, quod *Buquingamium* feciſſe, *Chiffletius* prodidit. Sed bene eſt, quod non cuivis liceat adire hanc Corinthum, & qui adiret illam, viæ hujus jam gnarum hodie eundem eſſe, credendus ſit. Immo ſi offerantur, judicium ſuſpendendum, probeque prius examinanda ſuaderemus, ne aſſentandi prurigine inducti, aut veri ſpecie, dolique varietate decepti, palinodiam cum Comite *Nicolao de Draskowich*, Ferdinandi III. Camerario, (de quo jam ſupra) canere neceſſum habeamus. (e) Veriſſima proinde perſtant, perdurabuntque, quæ CAR. LATINUS, toties à nobis laudatus, ſub finem vitæ Othonianæ, à Tranquillo conſcriptæ, p. 364. pronunciavit: „ Quando primum melius ſe habuit Reſpublica literaria, barbarie mille ſeculorum, ſi non liberata, ſaltem levata, in eo præcipuè laboravit, ut authoritatem ſibi conciliaret, quam nulla ex parte majorem conquiſivit, quam ex antiquis monumentis. Ædificiis, arcubus, ſtatuis, numiſmatibus fides habita eſt, quibus neque ipſi ſtolidi refragari poſſent. Ortæ poſtea tot eruditæ quæſtiones, inter quas non incelebris fuit illa de nummis Othonis æreis, negantibus acriter aliis, aliis ultro probantibus. Ad hanc rem plurima protulimus, in opere noſtro de Nummis æreis, pag. 131. A quo itaque candide ſua ceſſit opinione HENR. TH. CHIFLETIUS, nullum audivimus, talem ſuſcepiſſe negandi provinciam, à qua fortè & noſtra, & *Illuſt. Seguini*, & *Jo. B. Capponi*, Med. & Profeſſ. Bononienſis, argumenta quemlibet bene natum terruiſſent. Perplacuit nobis vidiſſe Medicum alterum, eumque Antiquarium Regium, *Jo. Vaillant.*, publico ſuo ſuffragio pedibus in noſtras deſcendiſſe partes. Sed quid movent autoritates, cum ipſa exempla abundè ſuppetunt: Nummos enim Othonis æreos viginti ſex, eoſque antiquos, me vidiſſe, contrectaſſeque palam facio." His plane gemella repetit in Hiſtoria Numiſmatum Cap. XXI. p. 155.: „ Othones multos ex ære exſtare, conſtat: Ipſe certus ſum, me XXVI. varios hujus generis vidiſſe." Creviſſe hunc poſtea numerum, ex iis ejus conſtat verbis, quæ habet in Catalogo *Petri Mauroceni*, Venetiis 1683. edito, p. 113.: „ Quam rara ſint Othonis numiſmata ex ære, abunde norunt, qui Imperatorum Romanorum ſeries parant, ut ante viginti annos non ſecus ac lapidem Philoſophicum non reperiri, omnibus fere perſuaſum fuerit. Porro temporum beneficio & ſedula Litteratorum inveſtigatione factum eſt, ut multa comparuerint, & QUINQUAGINTA DUO prorſus genuina & antiqua manibus noſtris contrectare licuerit. Quinque indubitatæ antiquita-

„tis

(c) Hunc nummum æreum Othonis edidit ad finem ſuorum Emblematum, & magno cum gaudio ſignificat hoc *Joanni Grolierо* in nuncupatoria anno 1565.: „ Per hoc triennium multis modis bibliothecam auxi, ornavique meam, atque antiqui operis numiſmatis, quæ tu adeò extollebas, maximè raris cumulavi, ut vel ſummis Cardinalibus admirabiles Romæ, & per Italiam Principibus fuerint: præſertim OTHO HIC ÆREUS, cum circo Hadriani, & PESCENNIO, UNICUS, quod ſciam, in Europa."

(d) Eſt LXXXIII. in Epiſtolis ipſorum mutuis, quas è ſcriniis *B. Sagittarii* Vir Summe Reverendus JOH. ANDR. SCHMIDIUS Jenæ 1700. edidit, in qua: inter alia: „ Auguſta Vindelicorum dono accepi his diebus OTHONEM æreum, SANE ANTIQUUM, & multis cauſis etiam aliis ejusdem Imperatoris nummis, quamvis omnium rariſſimis, præferendum. Latuit diu in cimeliarchi *Fuggeriani* reliquiis: ſed ab amico prece & pretio inde extractus eſt."

(e) Literis ejus ad Ferdinandum III. Imperatorem, die 14. Apr. 1655. Viennæ Poſonium datis, exhibet H. TH. CHIFLETIUS l. cit. p. 25.: quarum hoc initium: „ Erravi nuper, Imperator Auguſte, circa agnitionem numiſmatis Othonis Imperatoris, temerè & præcipitanter illud pro legitimo approbando. Hujus erroris mei à Majeſtate veſtra humiliter veniam peto. Sed hic, diutius ac diligentius conſiderato numiſmate, tandem agnovi, illud ab impoſtore quopiam (quibus abundat Italia) falſificatum eſſe, ac in antiquo numiſmate, deleto priori, caput Othonis, ſive effigiem taliter, qualiter inciſam, ſive inſculptam eſſe. Potiſſimum autem literæ malè inſculptæ id ipſum indicant evidentiſſimè: neque enim forma literarum eſt Othonis, ſed longè poſterioris: quod Majeſtati veſtræ ſacratiſſimæ coram aliquando efficaciſſimis & evidentiſſimis rationibus comprobabo. Quare, clementiſſime Imperator, recanto palinodiam, *Chiffletium* abſolvo, meque ipſum præteriti erroris arguo; ac me M. V. ſacratiſſimæ humillimè commendo."

„ tis hic subjicere placet." Hæc tamen PATINI verba non de diversi typi nummis intelligenda suaserimus, sed de tot diversis nummorum indubiæ fidei individuis, quæ manu contrectare omnia, ipsi subinde licuerit. Nec ulli inposterum dubitationi dabit locum, qui penitius consideravit, quæ scribit Ill. *Comes Mediobarbus* BIRAGI in *Occone* locupletato p. 103.: „ Ex Nummis Othonis æreis „ Latinis, quos inspicere licuit, duos tantum in- „ dubitatæ fidei me vidisse, testor; primum à „ Tito restitutum, cujus supra memini, ex sche- „ dis Pedrusianis; alterum in Thesauro Illustrissi- „ mi & Excellentissimi Dni. JOH. DOMINICI „ THEUPOLI, Patricii Veneti, quem, ejusdem „ humanitate, contrectare licuit, cum Veronæ „ Prætura fungeretur. Cæterum æreos plures „ Græcos & in eodem *Thesauro Theupolo*, & penes „ Rev. Patrem CATINEUM, & Mantuæ apud „ DOMINUM BELLINUM, Serenissimi regnan- „ tis Caroli II., Mantuæ & Montisferrati Ducis, „ a cubiculo, inter plura centena antiquorum „ nummorum exquisitorum magna cum voluptate „ vidi; suo tempore publici juris fient." Sed quid ad hæc JOBERTUS? Idem plane sentit in Notitia rei nummariæ præcept. XI. p. 242.: „ Sic „ persuasio illa, qua seculo superiori nullum O- „ thonem ex ære superesse, credebatur, prorsus „ hodie cessat, ex quo Gazæ nummis Othonis „ æreis, ex Oriente allatis, & omnino genuinis, „ abundare cœperunt." Confidimus quoque, multò adhuc magis hanc opinionem inposterum cessaturam esse, si æquus, justusque Lector curatius & illos nummos inspexerit, quos hac opera multa cum cura in lucem produximus, numero & *Patinos & Chiffletianos* imò & *Capponianos*, multum superantes. Illos vero ante quam accedamus ipsos, Tabulam intuemur prius primam, caput Othonis, tumultuarii illius (si cum Augusto, & aliis longioris imperii Principibus compares illum) Imperatoris, diversimodè quidem circumscriptum, si notas tamen à natura impressas attendimus, semper unum idemque exhibentem. Hoc, si more nostro, ab aliis, quantum scimus, nondum observato, rectè ad artis regulas examinemus, perfectam quasi ejusdem affectuum & propensionum ideam observamus. Nam cum nihil admodum virile vultus ejus spiret, (*f*) nullaque signa, per naturam impressa, adsint, quæ ad magna natum eundem arguant, quid aliud inde consequitur, quam ipsum mollitiei fuisse studiosum, adulantem, pavidum, prodigum; si plenas buccas, oculos licet quodammodo turgentes, ad magnos tamen non accedentes, mentum exstantius, totamque denique faciei harmoniam conferimus, quid inde nisi in Venerem pronum, luxuriosum, turpi vitæ deditum, ac infidum augurari licebit? quod vel ipse dissimulare haud potest SUETONIUS, Cap. XII. scribens: *Tanto Othonis animo* (si *tantus* equidem est reputandus animus istius, qui semet ipsum, metu futurorum, interfecit) *NEQUAQUAM CORPUS, AUT HABITUS COMPETIIT*; Et paulo post: *Per quæ factum putem, ut mors ejus, MINIME CONGRUENS VITÆ,* (*delicatæ* scilicet, & penè *fœmineæ*) *majori miraculo fuerit*; itemque TACITUS Lib. XVII. *Annalium*: *Non erat OTHONI MOLLIS, & CORPORI SIMILIS animus.* Acrius vero ejus corporis habitum pungit PISO in oratione ad cohortem Palatinam, apud TACITUM iterum Libro XVII. Annal. *Vitia, quibus solis gloriatur, evertere imperium, etiam cum amicum Imperatoris ageret. HABITUne, & INCESSU, an illo MULIEBRI ORNATU mereretur imperium?* Sed ne gratis hoc dixisse videamur, cuncta Auctorum, qui vitam ejus scriptis complexi sunt, verbis firmabimus, ordine persequentes singula. Quando mollitiei eundem accusavimus, adsit hujus nobis testis SUETONIUS, qui non solum *faciem rasam ac illinitam, vulsumque corpus, sed & munditias penè muliebres ipsi tribuit.* Audiamus modo ejus verba Cap. XII.: *Fuisse enim traditur & MODICÆ STATURÆ, & malè pedatus, scambusque, MUNDITIARUM verò penè MULIEBRIUM, VULSO CORPORE. Munditiarum muliebrium* quando facit mentionem, recordamur illud *Marii*, apud SALUSTIUM: *munditias Mulieribus, viris laborem convenire.* Sed hoc forte ex astris habuit. Ajunt enim, *si Jupiter fuerit dominus genituræ, facit amatores munditiarum, & qui nascuntur orientibus Pleiadibus stellis, erunt munditiarum muliebrium, unguentis obliti, crinibus annulatis, polita fronte nitidi, molliter ambulantes vestigia suspendent, denique pœnitebit tales, quod viri nati sint.* Et, quæso, quid ferè aliud in Othone nostro deprehendimus? Quid, dic sodes, vult *speculum*, quod *semper præ manibus habebat, etiam dum ardua urgerent negotia*, cum bellica resonarent tympana, armorumque strepitus horrifice fremeret, quodque ab ipso propè abiit in proverbium, ac tanto probro ipsi fuit datum? Nonne SIDONIUS APOLLINARIS in *Panegyrico de Majoriano* vers. 321

Post speculi immanis pompam, quo se ille videbat;
Hinc turpis, quod pulcher Otho . . . .

Ex quo & illud vulgatissimum apud JUVENALEM *Satyra* II. vers. 99. fluxit:

Ille tenet speculum, pathici gestamen Othonis,
Actoris Arunci spolium, quo se ille videbat
Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.
Res memoranda novis annalibus, atque recenti
Historia, speculum civilis sarcina belli.

Nam quid *speculum* aliud, quam secundum illud *Satyrographi*, ceu audivimus:

. . . . *Civilis sarcina belli?*

Et SENECA Libro I. *Quæstionum*, castigans mollitiem effœminatorum, inquit: *Ut quidquid mundus muliebris vocabatur, sarcinæ viriles sint; minus dico, etiam militares, Jam speculum ornatus tantum causa adhibetur: nulli non vitio mulierario necessarium factum est.* Rectè & ex vero ante nos sic quoque censente JOHANNE BENEDICTO SINIBALDO, Archiatro, & in Romano Archi-Gymnasio Medicinæ practicæ Professore, in *Geneanthropsia sua*, inque capite, quo agit de *Imperatoribus Veneri deditis*, quæ Romæ 1642. in forma ut vocant, folii prodiit.

Deinde, quid *vulsum corpus*? nisi *depilatum & glabrius factum*, recte censente M. ANTONIO SABELLICO in notis ad *Suetonium*; quod sane *effœminatum hominem* arguit, nempe *vellere pilos, glabrum, mollemque fieri, ac in fœminam reformari.* Quid porro *galericulus ipsi consuetus*? & quem in num-

(*f*) Rectè propterea eum depingit TRISTANUS *dans son Commentaire* XLIV. p. 261.; „ *Estant en toutes les autres fortes de mignardises egallement extreme, n'ayant rien de viril, que le nom.*"

nummis prope omnibus, præſertim aureis & argenteis (nam in æreis, qui maximam partem in Ægypto, & extra Italiam ac Urbem, percuſſi fuerunt, quarumque Provinciarum incolæ Imperatorem tam luxui muliebri deditum eſſe, ſuſpicati haud ſunt, res paullò aliter ſe habet) capite ejus ſuperimpoſitum, offendimus, brevitate à ſpuria noſtra hodierna cæſarie facilè diſtinguendum. De quo diſtinctè hæc nobis TRANQUILLUS rurſus prodidit: *Galericulum capiti propter raritatem capillorum adaptaſſe, & adnexuiſſe, ut nemo dignoſceret.* Id nil niſi adulterinum capillitium fuit, & coma adſcititia, hodie vulgo Perruque dicta, quando ſcilicet ad celandam calvitiem, urbanorum dictis obnoxiam, pelles parabant, appoſitis crinibus humanis, (vel, ut aliis placet, ſuis pilis contectis, quas hodie per calottes exprimunt) ſic ut aptatæ capiti, cutis vera adparere videretur; adeoque ex alienis capillis, inſtar galeri, coma compingebatur, & capiti ita graphice ac diligenter adnectebatur, aptabaturque, ut à vera coma internoſci non poſſet, recte ita commentante in hunc locum Viro doctiſſimo, PHILIPPO BEROALDO. Firmant dicta MARTIALIS, qui ad calvitiem diſſimulantem ita Libro XII. *Epigr.* 45:

> *Hœdina tibi pelle contegenti*
> *Nudæ tempora, verticemque calvæ,*
> *Feſtivè tibi, Phœbe, dixit ille,*
> *Qui dixit caput eſſe calceatum.*

Sane de hoc fœminarum cultu ita TERTULLIANUS Libr. II. C. 7: *Affigitis præterea, neſcio quas, enormitates ſutilium atque textilium capillamentorum, nunc in GALERI modum, quaſi vaginam capitis operculum verticis, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum.* Hinc vocabant & *hos adſcitos galeros*, uti teſtis eſt, præter *Tertullianum*, JUVENALIS:

> *Sed nigrum flavo caput abſcondente GALERO.*

Et AVIENUS:

> *Nam mox dejecto, nituit frons nuda, GALERO,*
> *Diſcolor appoſita quæ fuit ante coma.*

Aliterque MARTINUS:

> *Fiunt abſentes & tibi, Galba, comæ.*

Adnotavit vero JULIUS FIRMICUS Libro VIII. *Matheſeos*, quod illi, *qui Pleiadas habent in horoſcopo, alienis crinibus pulchritudinem mentiantur, &, demtis pilis, corpus in fœminam transferant.* Atque hoc poſterius in ipſo *Othone* rurſus quoque obſervamus. Nam præter quod *VULSUM ejus CORPUS*, (hoc eſt *depilatum & glabrius factum*) ſupra jam vidimus, ac non niſi *ſpecimen effœminati hominis* notare non poſſumus, totidem verbis id de *facie ejus* quoque prodit SUETONIUS loco citato: *Quin & FACIEM QUOTIDIE RASITARE, ac PANE MADIDO LINERE CONSUETUM, idque inſtituiſſe à prima lanugine, ne BARBATUS UNQUAM ESSET.* Ex quo etiam eſt, quod in *omnibus* ejus *nummis* ipſum *imberbem* offendamus. Licetque *Othoni* condonare velimus *raſuram faciei quotidianam*, eumque excuſare SCIPIONIS AFRICANI exemplo, qui *primus pariter omnium radi quotidie inſtituit*; At quo loco reponemus mollitiem illam, quam etiam *Satyricus Poëta*, JUVENALIS, perſtringit in ſequiori ſexu:

> *Et preſſum in facie digitis extendere panem?*

Ac alibi:

> *Inter fœda aſpectu, ridendaque, multo*
> *Pane tumet facies.*

Rurſuſque:

> *Tandem aperit vultum, & tectoria prima reponit,*
> *Incipit agnoſci.*

Et tandem:

> *Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur*
> *Tot medicaminibus, coctæque ſiliginis offas*
> *Accipit & madidæ, facies dicetur an ulcus?*

Solebant ſcilicet *pane*, qui vel fiebat ex *oryza*, vel ex *fabis*, vel ex *farina ſiliginea*, eoque *madido, faciem linere*, ac veluti *tectorio quodam* inducere, vel, ut *candor conciliaretur*, vel *rubor* aliquantum, vel etiam ut *cutis* ſaltem *tenderetur*, ac *glabrior, nitidior, molliorque fieret.* Vocabant autem medicamenta *iſta*, quibus *nitor*, aut *candor*, *parabatur*, προσώπου ἐπιχρίσματα λαμπρυντικά; itemque προσώπου καταπλάσματα λαμπρυντικά, & σμήγματα προσώπου σιλβωτικά; *illa* vero, *quibus cutis tendebatur*, τεπάνωθρα, latine *tentipellia*; *alia* vero erant καταπλάσματα, ſive *tectoria*; σμήγματα. *Illa* abſtergebant *ſmegmate ex lacte aſinino*, quô quippe *cutem in facie erugari, & tenereſcere*, & *candorem cuſtodiri* putabant; probe hoc obſervantibus CASAUBONO, SALMASIO, PITISCO & PHILIPPO BEROALDO ad *Suetonium.* Et, cum juxta PLINIUM H. N. Libro XIII. C. 3. *ſuaviter fragrantibus odoribus perfuſus etiam*, quod mireris, *in plantis pedum fuerit*, jure idcirco à MARTIALE dictus fuit *mollis Otho.* Quorſum & facit, quod de eo tradit PLUTARCHUS in *Galba*: *Fama eſt, cum Nero aliquando pretioſo unguento, quo unctus fuerat, Othonem aſperſiſſet: illum contra inſequenti die excipientem Neronem repente fiſtulas aureas & argenteas diverſis locis propoſuiſſe, quæ, quaſi aquam, magna vi fuderunt unguentum.* Nota dehinc, teſte TACITO Libro I. *Hiſtoriarum* C. 13. ejus fuit *adulatio*, quod *primus in partes Galbæ transgreſſus fuerit*; &, referente PLUTARCHO, in *Galba*; p. 1061. num. 1. edit. Wechel. Ἀποστάντος δὲ Γάλβα, πρῶτος αὐτῷ προσεχώρησε τῶν ἡγεμόνων, καὶ φέρων ὅσον εἶχεν ἐν ἐκπώμασι καὶ τραπέζαις ἄργυρον καὶ χρυσὸν, ἔδωκε καταχόψαι ποιουμένῳ νόμισμα. *Deficienti ab Nerone Galbæ primus ex rectoribus provinciarum aggregaverit, offerens, quidquid in poculis & menſæ inſtrumentis auri & argenti haberet, tradideritque Galbæ ad ſignandam ex eo pecuniam.* Quod SUETONIUS paucis effert Cap. IV. *Ut tandem occaſio ultionis data eſt, conatibus Galbæ primus acceſſit.* *Pavidum* eum fuiſſe quod *tertium* erat, cujus ipſum arguimus, ex eo diſpaleſcit, quod non ſolum *aſtrologiæ judiciariæ* fuerit *deditus*, ſed & *expeditionibus nullis* interfuerit, minimum *poſterioribus*, immo cum *vires ſatis* adhuc *habuerit ſe defendendi* amplius à *Vitellio*, ipſi incumbente, *mortem* tamen præ *pugna* elegerit. *Othonem* vero *Aſtrologorum* & *Mathematicorum* generi valde fuiſſe *addictum*, non obſcure TACITUS indicat Libro XVII. Annalium: *Urgentibus etiam Mathematicis, dum novos motus, & clarum Othoni annum obſervatione ſiderum affirmant; genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur. Multos ſecreta Poppeæ mathematicos, peſſimum principalis*

tipalis matrimonii instrumentum, *habuerant. E quibus Ptolemæus, Othoni in Hispania comes, cum superfuturum eum Neroni promisisset, postquam ex eventu fides, conjectura jam & rumore, senium Galbæ & juventam Othonis computantium persuaserat, fore, ut in imperium adsciscere tur. Sed Otho tanquam peritia, & monitu fatorum prædicta accipiebat, cupidine ingenii humani libentius obscura credi* &c. & Libro I. Histor.: *Fuere, qui proficiscenti Othoni moras, religionemque nondum conditorum ancilium afferrent.* Ac PLUTARCHUS in *Galba* p. 1063.: *Neque enim spem abjicere, neque languescere sinebant eum, qui assidue circa eum erant vates & Chaldæi, maxime vero Ptolemæus.* Οἱ περὶ αὐτὸν ὄντες καὶ μάντεις καὶ χαλδαῖοι· εἰς τὰ μάλιστα ὁ Πτολεμαῖος. *Qui eo nitebatur, quod sæpe prænuntiasset ei, non interempturum ipsum Neronem, sed decessurum hunc priorem, & superfuturum ei Othonem, Romanisque imperaturum.* Itemque SUETONIUS C. 6.: *Medium quoque tempus RELIGIO* (qua, prius quam vel tantilli momenti rem adgrederentur, adibant *Astrologos*, ut sumendo exordio horam felicem ac faustam ipsis indicarent) *& Seleucus exemit.* Pauloque post: *Audivitque prædicta haruspicis.* Dehinc, ipsum *expeditionibus* suis *posterioribus non interfuisse*, hoc firmabimus iterum SUETONII verbis Cap. IX. ubi iste hæc: *NEC ULLI PUGNÆ INTERFUIT, substititque Brixelli*, recte sic hunc locum ex *Codice Salmasiano* restituente ac emendante doctissimo J.C. GRAEVIO. Nec obscure ex TACITI verbis Libro XVIII. *Annalium* colligendum est, ubi inquit: *Postquam pugnari placitum, interesse pugnæ Imperatorem, an seponi melius foret, dubitavere. Paulino & Celso jam non adversantibus, ne Principem objectare periculis viderentur; idem illi deterioris consilii auctores perpulere, ut Brixellum concederet, ac dubiis præliorum exemptus, summæ rerum & imperii se ipsum reservaret.* Posterius ex DIONIS verbis Libro LXIV. p. 732. patet: Καὶ ἑτοίμως ἐχόντων ἀναμαχέσασθαι. *Quumque possent facile bellum renovare, erant enim permulti, aderantque aliæ legiones ex Pannonia, &, quod est in tali re maximum; Othonem amplectebantur, singularemque suam fidem & benevolentiam in eum non modo verbis ostendebant, sed etiam ex animo factum est. Tum demum Otho pauca secum locutus apud milites concionatur; Sufficiunt*, inquit, *sufficiunt ea, quæ facta sunt, odi enim bellum civile, licet vincam.* Ut taceamus, non tam *ambitione*, quam ex *dolore animi & metu æris alieni* Imperatorium solium occupasse, quod rursus SUETONIUS nobis adnotavit Cap. V. scribens: *Sed postquam, Pisone prælato, spe* (adoptionis) *decidit, ad vim conversus est, instigante super animi dolorem etiam MAGNITUDINE ÆRIS ALIENI. Neque enim dissimulabat, nisi Principem se stare non posse; nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet.* De quo luculentius adhuc PLUTARCHUS in *Galba* p. 1062. Δοκεῖ δ' μηδ' ἂν ἐπὶ τοῖς ἰδίοις χρήμασι μόνον ἑλέσθαι τὸν Ὄθωνα κληρονόμον, ἀκόλαστον εἰδὼς καὶ πολυτελῆ, καὶ πεντάκις χιλίων μυριάδων ὀφλήμασι βεβαπτισμένον. *Ac videtur* (Galba) *ne privati quidem patrimonii tantum hæredem Othonem destinasse, profligatum sciens & profusum, & bis millies HS ære alieno demersum.* Quorsum & collimat TACITUS Libro XVII. *Annalium: Interea Othonem, cui, compositis rebus, nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul exstimulabant: LUXURIA, etiam principi onerosa, INOPIA, vix privato toleranda, in Galbam ira, in Pisonem invidia. Prodigum & luxuriosum* porro eundem diximus, qualem non solum in *adolescentia* prodidit SUETONIUS iterum, Cap.II. *A prima adolescentia*, scribens, *PRODIGUS ac procax, adeo, ut sæpe flagris objurgaretur à patre*; itemque CORNELIUS TACITUS Libro XVII. *Annal. Namque Otho*, scribens, *pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat*; Et Libro XVIII. *Annalium: Pueritia ac juventa, qualem monstravimus, duobus facinoribus, altero flagitiosissimo, altero egregio, tantumdem apud posteros meruit, bonæ famæ, quantum malæ.* Sed ex contracto tunc ære alieno, summæ haud exiguæ, ceu modo audivimus, ad reliquam ejus ætatem facilis est conclusio. *Gratum* hinc *Neroni Othonem* memorat TACITUS Libro XVII. *Annal. æmulatione* nempe *luxus; pronamque in Othonem Neronis aulam, ut similem, fuisse, IDEM* perhibet. Denuoque *Annal.* XIII. *Othonem pellexisse juventa ac luxu, & quia flagrantissimus in amicitia Neronis haberetur.* Et SUETONIUS Cap. I. *Othonem summum inter amicos Neronis tenuisse locum congruentia morum*, refert. Quod & *Dio* in *Othone* p. 731. edit. *Wechel.* monet: Ὅ, τε γὰρ βίος αὐτοῦ καὶ ἡ δίαιτα, τό τε τῷ Σπόρῳ συνεῖναι, καὶ τὸ τοῖς λοιποῖς Νερωνείοις χρῆσθαι, πάνυ πάντας ἐξεφόβει. *Jam enim eo genere vitæ, quod instituerat, quod cum Sporo consuetudinem habebat, cæterisque Neronianis utebatur, omnes perterriti erant.* Salse & propterea illum irridet JUVENALIS:

> *Nimirum summi ducis est occidere Galbam,*
> *Et curare cutem summi constantia civis.*

Perinde ac de *Sophonio Tigillino* famosissimo ex TACITI *Annal.* Lib. XVII. novimus, quod *intima familiaritate fuerit devinctus Neroni, ob libidines scilicet & vitia.* Ne quid dicamus de *nimia liberalitate erga milites*, qua sibi hac ratione illos devincire laborabat singulariter. Audiamus hoc de negotio saltem TACITUM Libro XVII. *Annalium: In itinere, in agmine, in stationibus vetustissimum quemque militum nomine vocans, ac memoria NERONIANI COMITATUS, CONTUBERNALES appellando, alios AGNOSCERE, & PECUNIA aut GRATIA juvare. . . Flagrantibus jam militum animis, velut faces addiderat Mævius Pudens è proximi Tigillini. Is nobilissimum quemque ingenio, aut pecuniæ indigum, & in novas cupiditates præcipitem, alliciendo, eo paulatim progressus est, ut per speciem convivii, quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti, excubias agenti, viritim centenos nummos divideret. Quam velut publicam largitionem Otho secretioribus apud singulos præmiis intendebat, adeò ANIMOSUS CORRUPTOR, ut Coccejo Proculo speculatori, de parte finium cum vicino ambigenti, universum vicini agrum, sua pecunia emptum, dono dederit.* Quæ ipsa & habet SUETONIUS Cap. IV. *Quoties cæna Principem exciperet, aureos excubanti viritim dividebat.* Hos *centenos* dicit TACITUS. PLUTARCHI verba sunt in *Galba* p. 1062. *Quoties Galbam invitaret, semper cohortem excubantem nundinabatur largitionibus, AUREOS in singulos dividens*, (χρυσοῦν ἑκάστῳ διανέμων,) *ac qua re honorare illum videbatur, ea evertebat eum & alliciebat milites.* In quam & digitum intendit *Piso* in *Oratione* ad *cohortem Palatinam* contra *Othonem* apud TACITUM Libro XVII. *Annalium: Falluntur, quibus luxuria specie liberalitatis imponit. Perdere iste sciret, donare nesciet.* Quando denique *ipsum* in *Venerem proclivem & luxuriosum* supra diximus, id sine ejus injuria factum à nobis esse, persuademur ex iis, quæ nobis memoriæque nonnulli reliquerunt *Autores*, inter quos in testimonium iterum primoque loco sistimus TRANQUILLUM qui Cap. I. de illo: *Post patris deinde mortem libertinam aulicam gratiosam* (h. e. favorabilem, & gratia pollentem

apud *Neronem*) *quo efficacius coleret*, *etiam diligere* (amore ſcilicet venereo) *ſimulavit*, *quamvis anum*, *& pœne decrepitam.* Dehinc PLUTARCHUM in *Galba* p. 1061 qui eo ita: Τρυφῇ δὲ καὶ φιληδονίαις εὐθὺς ἐκ παίδων ἐν ὀλίγοις Ῥωμαίων διεφθαρμένος. *Luxu & deliciis mox à prima ætate inter paucos Romanorum profligatus. Ut autem Paridem Homerus, virum formoſæ Helenæ nulla præterea re commendabilem celebrans ab uxore crebro nominat: ita nobilitatus in Urbe ex nuptiis fuit Otho Poppææ*, *ad quam Othonem*, *uxoris & matris metu*, *ſolicitandum ſubmiſit Nero. At ubi Poppææ ſtuprum delibavit Neroni, illius propoſita ſpe corruptam induxit*, *ut à viro diverteret.* Porro & SUETONIUS *crimen impuritatis & nefandæ pæderaſtiæ* ipſi imputat, ſcribens: *Per hanc* (libidinem) *inſinuatus Neroni*, *facile ſummum inter amicos locum tenuit congruentia morum*, *ut verò quidam tradunt*, *& CONSUETUDINE MUTUI STUPRI.* Et XIPHILINUS p. 202. Ὅ τε γὰρ βίος αὐτοῦ καὶ ἡ δίαιτα, τό, τε τῷ Σπόρῳ συνεῖναι, καὶ τὸ τοῖς λοιποῖς τοῖς Νερωνείοις χρῆσθαι, πάνυ πάντας ἐξεφόβει. *Tam enim eo genere vitæ*, *quod inſtituerat*, *quodque cum Sporo conſuetudinem habebat*, *cæteriſque Neronianis utebatur*, *perterriti erant.* Quorſum & TRISTANUS trahit illa TERTULLIANI verba in Tractatu de *Pallio*: *Nec magnæ forte conſtantiæ mandatum ſit*, *impuriorem Phyſcone*, *molliorem Sardanapalo Cæſarem deſignare*, *& quidem SUB NERONEM*; nonnullique alii, inque his BEROALDUS & TORRENTIUS, iſta JUVENALIS in *Satyris:*

. . . . *Optima ſummi*
Nunc via proceſſus, *vetulæ veſica beatæ.*

Et quid eſt, quod porro SUETONIUS Cap. III. de ipſo refert: *Item Poppæam Sabinam*, (quam TACITUS Libro XVII. *Annalium*, *principale ſcortum* eleganter appellat, quamque poſtea *Nero ſuam uxorem* factam ictu *calcis* prægnantem occidit) *tunc adhuc AMICAM ejus*, (Neronis) *abductam* (per *Othonem*, quod diſtincte monet PLUTARCHUS) *marito*, (*Ruffo* ſcilicet *Criſpo*, Equiti Romano, ex quo *filium* genuerat) *demandatamque interim ſibi Othoni*, (uti *conſcio libidinum*, TACITO judice Lib. XVII. *Annal.* & apud ſe à *Nerone* depoſitam, donec *Octavia* uxor amoveretur) *nuptiarum ſpe recepit. Nec corrupiſſe* (coitus conſuetudinem contraxiſſe) *contentus*, *adeo dilexit*, *ut ne rivalem quidem Neronem æquo tulerit animo. Creditur certe non modo miſſos ad arceſſendam* (Poppæam) *non recepiſſe*, (Othonem) *ſed ipſum etiam excluſiſſe quondam pro foribus adſtantem*, (Neronem) *miſcentemque fruſtra minas & preces*, *ac depoſitum repoſcentem. Quare*, *diducto matrimonio*, *ſepoſitus eſt* (addimus, SENECA ſuaſore, uti totidem verbis prodit PLUTARCHUS) *per cauſam legationis in Luſitaniam. Id ſatis viſum*, *ne pœna acrior nimum omnem divulgaret: qui tamen ſic quoque hoc diſticho enotuit:*

Cur OTHO MENTITO ſit, *quæritis*, *EXUL*, *HONORE?*
UXORIS MOECHUS cœperat eſſe SUÆ.

Quod & confirmant TACITUS ac PLUTARCHUS, ſiquidem *hic* in *Galba* p. 1061. ita: *Poſtquam vero* (Poppæa) *ad ipſum* (Neronem) *ut juſta mater familias venit*; *non ſatis habuit*, *quod in Communicationem veniret ejus*; *verum iniquo animo illum tulit rivalem.* Οὐδὲ αὐτοῦ ἀχθομένης, ὥς φασι, τῇ ζηλοτυπίᾳ τῆς Ποππαίας· Καὶ γὰρ ἀποκλεῖσαι τὸν Νέρωνα λέγεται μὴ παρόντος τοῦ Ὄθωνος, εἴτε τῆς ἡδονῆς ἀφαιροῦσα τὸ πλήσμιον, εἴτε ὥς φασιν ἔνιοι) βαρυνομένη τὸν Καίσαρος γάμον, ἐραστῇ δὲ μὴ φεύγουσα χρῆσθαι διὰ τὸ φιλοκόλαστον. *Nec moleſte patiebatur*, *ut ajunt*, *æmulationem Poppæa. Etenim excluſiſſe*, *OTHONE NON PRÆSENTE*, *Neronem dicitur*, *vel ſatietatem detrahens libidinis*, *vel*, *ut ferunt nonnulli*, *Cæſaris nuptias gravata*; *cum uti eo ob laſciviam non defugeret amatore.* Additque ibidem: Ἐκινδύνευσεν οὖν ὁ Ὄθων ἀποθανεῖν, καὶ παράλογον ἦν, ὅτι τὴν γυναῖκα καὶ ἀδελφὴν ἀποκτείνας διὰ τὸν Ποππαίας γάμον, ἐφείσατο τοῦ Ὄθωνος. *Unde in mortis periculum venit Otho. Mirum autem fuit*, *cum uxorem & ſororem ob Poppææ nuptias necaſſet*, *peperciſſe eum OTHONI*; ISTE vero Libro XVIII. *Annalium*: *Sanè ante utriuſque exitum*, *quo egregiam Otho famam*, *Vitellius flagitioſiſſimam meruere*, *minus Vitellii ignavæ voluptates*, *quam OTHONIS FLAGRANTISSIMÆ LIBIDINES timebantur.* . . *OTHO LUXU*, *ſævitia*, *audacia reipublicæ exitioſor ducebatur.* Maxime autem ponderanda cenſemus *laudati AUCTORIS* verba, eodem Libro ſcribentis: *Invenio apud quosdam Auctores*, *pavore belli*, *ſeu faſtidio utriuſque Principis*, (Othonis & Vitellii) *QUORUM FLAGITIA ac DEDECUS apertiore in dies fama noſcebantur*, *dubitaſſe EXERCITUS*, *num*, *poſito certamine*, *vel ipſi in medium conſultarent*, *vel Senatui permitterent*, *LEGERE IMPERATOREM.* Immò tangit & hoc flagitium *Piſo*, adoptatus à *Galba*, in *Oratione* ad *cohortem Palatinam* apud TACITUM Libro XVII. *Annalium*, eam inter alia ſic adloquens: *STUPRA nunc*, *& comeſſationes*, *& FOEMINARUM COETUS volvit animo. Hæc Principatus præmia putat*, *quorum LIBIDO ac VOLUPTAS penes ipſum ſit*, *rubor ac dedecus apud omnes.* Sed neque heîc finis nequitiarum, quæ ipſi imputatæ fuerunt. Accedit, quod & XIPHILINUS tradit, cum *ſorore ipſum habuiſſe ſtupri conſuetudinem.* Hæc autem vitia in ſemet ipſo animadvertens, quid mirum, quod ipſe ſibi *infelicem ſcenæ iſtius exitum prædixerit*, dicens: τί γάρ με ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν. *Cur me oportebat longis tibiis canere?* referente XIPHILINO pag. 202 addenteque: *Eſt autem vulgatum proverbium de iis*, *qui ea faciunt*, *quæ ſibi ſunt inutilia*; Cujus & SUETONIUS Cap VII. meminit, ita tamen, *ut in augurando*, *tempeſtate orta*, *ac graviter prolapſum hæc identidem obmurmuraſſe*, ſcribat; At, quod TACITUS Hiſtor. Libro I. *Omnium mortalium impudicitia deterrimum*, *& velut ad perdendum Imperium fataliter electum*, ipſum nominet? Quæ tamen omnia & ſua vitia ſcite *diſſimulare* ſcivit non ſolum cum eſſet *ablegatus* in *provinciam*, clare id docente SUETONIO, ſed & cum ejus *nutare* inciperet *Imperium*, quod nobis obſervavit TACITUS Hiſtor. Lib. I. 71. *Otho interim*, ſcribens, *contra ſpem omnium*, *NON DELICIIS*, *neque DESIDIA torpeſcere. DILATAE VOLUPTATES*, *DISSIMULATA LUXURIA*, *& cuncta ad decorem Imperii compoſita. Eoque plus formidinis afferebant FALSAE VIRTUTES*, *& VITIA REDITURA.* Sed ſatis de iis, quæ ex VULTU ejus diſcere nobis licuit, ad Numiſmata progrediamur.

TABU-

TABULA I.

QUÆ EXHIBET

CAPITA ET NUMISMATA

M. SALVII OTHONIS,

AUREA ET ARGENTEA.

NUM. I.

IMPerator OTHO CAESAR AVGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis nudum, lævam versus.

Primo loco occurrit IMPERATORIS vox ac titulus, de quo ad Cæsarem & reliquos Imperatores jam satis multa. Modo attendimus, quod jam dudum observavit *Illustriss. SPANHEMIUS* Dissertatione VIII. de Usu & Pr. Num. 688.: „Prænomen illud Imperatoris à Julio Cæsare in nummis receptum, nec ab Augusti successoribus Tiberio, Cajo, Claudio etiam, nisi rarius in iisdem admissum fuisse, ut de Tiberio & Claudio constat, adseruisse *Suetonium*, illos à prænomine Imperatoris abstinuisse." At ab *Othone prænominis loco usurpatum fuisse*, luculenter satis nostra docet in nummo Inscriptio: *IMPERATOR OTHO CÆSAR AUGustus TRibunicia Potestate.* Quo elogio, veluti potiori, *vitam ipsius* non solum orditur PLUTARCHUS, p. 1066. scribens: *Ὁ δὲ νεώτερος αὐτοκράτωρ ἅμ' ἡμέρᾳ προελθὼν εἰς τὸ Καπιτώλιον, ἔθυσε. Novus IMPERATOR diei principio in Capitolium progressus, sacrificavit, &c.* sed & milites ipsum etiam post mortem ejus planxere, de quo SUETONIUS Cap. XII.: *Multi præsentium militum cum plurimo fletu manus ac pedes jacentis exosculati fortissimum virum, UNICUM IMPERATOREM prædicantes &c.* Neque alio ad hoc summum pervenerat fastigium quod nobis rursus prodit SUETONIUS Cap. VI.: *Tunc abditus propere muliebri sella, in castra contendit, ac deficientibus lecticariis, cum descendisset, cursumque cepisset, laxato calceo, restitit, donec, omissa mora, succollatus, & à præsente comitatu IMPERATOR consalutatus, inter faustas acclamationes, strictosque gladios, ad principia devenit, obvio quoque, non aliter ac si conscius ac particeps foret, adhærente.* Ut falsus propterea sit PAULUS PEDRUSIUS, *è Societate Jesu*, qui in Libro suo, inscripto: *I Cesari in oro raccolti nel Farnese Museo* p. 94. plane contra omnem nummorum fidem in nummo aureo cum *Securitatis* typo legit: MARCUS OTHO CÆSAR AUGUSTUS TRIBUNICIA POTESTATE IMPERATOR.

Altera vox est OTHO, *cujus natales* exponit SUETONIUS, Cap. I. scribens: *Majores Othonis orti sunt oppido Ferentino, familia vetere & honorata, atque ex Principibus Etruriæ Avus M. Salvius Otho, patre equite Romano, matre humili, incertum, an ingenua, per gratiam Liviæ Augustæ, in cujus domo creverat, Senator est factus, nec Præturæ gradum excessit. Pater L. Otho* (qui SUETONIO Cap. VI. Galbæ, *Salvius Otho* quoque dicitur) *materno genere præclaro, multarum & magnarum propinquitatum; tam charus, tamque non absimilis facie Tiberio principi fuit, ut plerique procreatum ex eo crederent.* Consentit quoad *originem* TACITUS Histor. II. 50.: *Origo illi è municipio Ferentino*; quoad *familiæ splendorem*, PLUTARCHUS p. 1061. in *Galba*: Ἦν δὲ Μάρκος Ὄθων ἀνὴρ γένει οὐκ ἀφανής. *Erat Marcus Otho natalibus non obscuris. Ex Albia Terentia, splendidissima fœmina*, pergit SUETONIUS, *duos tulit filios, L. Titianum* (Salvium) *& minorem Marcum Othonem cognomine.* De *Salvii* prænomine non miramur id à majoribus suis adsumpsisse, cum CICERO de Divinatione expresse tradat: *In delectu* (militum) *Consules observant, ut primus miles fiat bono nomine*; FESTUS vero clare tradat: *In delectu AUGUSTUS vocabatur boni nominis, ut SALVIUS, Valerius, Statorius.* Sequitur CÆSARIS *titulus*, quem *à primo Imperatore* in reliquos derivatum novimus, & de quo in superioribus satis. AUGUSTUS porro audit, pari ratione *à secundo* profluente, elogio, quodque communi nomine *Senatum* ipsi obtulisse, refert TACITUS Histor. I. C. 47.: *Exacto per scelera die, novissimum malorum fuit lætitia. Vocat Senatum Prætor Urbanus, certant adulationibus cæteri Magistratus, accurrunt Patres, decernitur Othoni . . . nomen AUGUSTI, & omnes Principum honores.* Superest TRIBUNICIA POTESTAS, quam *ingresso Senatum ipsi* statim contulisse, prodit rursus idem TACITUS l. c.: DE-

CERNITUR OTHONI TRIBUNICIA POTESTAS. Magna illa erat, ut de illa mereantur repeti DIONIS verba Libro LIII. p. 508.: *At Tribunicia Poteſtas, quam præclariſſimus quiſque Imperator olim habuit, efficit, ut intercedere iis, quæ ab aliis contra ipſorum ſententiam moventur, poſſint; ac inviolabiles ſint, ita, ut ſi vel minimo, non dicam facto, ſed verbo ſe ab aliquo læſos exiſtiment, eum, indicta cauſa, tanquam qui ſe piaculo obſtrinxerit, necare queant. Gerere quidem Tribunatum plebis nefas ducunt Imperatores, quum utique ipſi patricii ſint; omnem vero Tribuniciam Poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt: & quia quotannis eam cum tribunis plebis ejus anni renovant, annorum imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet.*

Num. 2.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia POTeſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus.

Omnes titulos præcedenti numero vidimus, ſolum ſupereſt MARCI *prænomen*, quod ab *avo ſuo, Prætore*, habuiſſe, SUETONIUS autor eſt Cap. I. *Avus M. Salvius Otho &c.* Et DIO Lib. LXIV. ſive potius XIPHILINI excerpta p. 730.: Ὁ δὲ δὴ Ὄθων Μάρκος ὁ Σάλβιος. *Marcus Salvius Otho. Nudum* appellamus caput, quod *non* ſit *laureatum*, licet probe ſciamus *galericulo ſuo* eſſe *tectum*, ut ſupra jam vidimus.

Num. 3.

IMPerator Marcus OTHO CAESar AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput nudum, lævam verſus.

I*idem tituli* occurrunt, qui in præcedenti, modo quod *contractius* ſint exarati. Hinc pergimus.

Num. 4.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus Tribunicia Poteſtate. Caput nudum, dextram verſus.

E*ædem voces*, uti in præcedentibus, ſolum caput, præter morem, *dextram* reſpicit.

Num. 5.

Marcus OTHO IMPERATOR CAESAR AUGuſtus. Caput Othonis laureatum, lævam verſus.

Et *caput laureatum* offendimus, & alium *titulorum poſitum*, in nummis Romanorum alias haud conſuetum, quæ argumento ſunt, nummum in *provincia extera* fuiſſe conflatum, ubi nec *habitus corporis* ejus, nec *ſcribendi titulorum Othonis* ratio omnibus adhuc ſatis erat nota, atque perſpecta.

Num. 6.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus.

AUGUST*us* heic in titulo legitur, quæ vox *primi Capitis perigraphe* per AUG. ſaltem expreſſa eſt, cætera eadem.

Num. 7.

IMPerator Marcus OTHO CAESar AUGuſtus. Caput Othonis laureatum, lævam verſus.

Idem heic deprehenditur ac in præcedente *perigraphes poſitus*, ac ſuppleri ſimul poteſt *antecedentis defectus*: CAESar AUG*uſtus* nempe.

Num. 8.

IMPerator Marcus OTHO CAESar AUGuſtus. Caput laureatum, lævam verſus.

Hic perinde, ac N. 3. vox CAESAR per CAE. expreſſa conſpicitur, alias videas vel CAES. vel CAESAR; reliqua eadem, niſi quod & *poſitu* vocabulorum inſuper differat nummus.

Num. 9.

IMPerator Marcus OTHO CAESar AUGuſtus. Caput Othonis nudum, dextram verſus.

Hoc quidem in typo occurrit *Imperatoris* hujus *caput dextram verſus* proſpiciens, alias ſemper *ſiniſtram* verſus, ut *poſitum literarum*, à reliquis omnibus quoque *abeuntem*, taceamus.

NUMIS-

NUMISMATA OTHONIS AUREA.

NUM. 1.

IMPerator OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 1.

(Semel in univerſum heic monemus, quod, quando caput hoc dicimus nudum, idem velimus ac non laureatum, licet ſciamus, ac ſupra ad Vitam Othonis ſatis oſtendimus, Othonem uſum fuiſſe, ob capillorum raritatem, galericulo, ſive capillis adſcititiis, ſive ſpuriis, adeoque ſemper capite inceſſiſſe tecto, ſi phyſice rem velimus decidere.)

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus. Caput nudum, lævam verſus, ut Tab. I. Num. 2.

Reſp. *PAX ORBIS TERRARUM. Pax ſtans dextra lauri, vel oleæ ramum, ſiniſtra caduceum tenet.*

Otho, Galba trucidato, imperium per ſcelus capeſſens, bellum equidem civile cum *Vitellio* defugere non poterat. Ubi vero bella civilia, quæ pax? Talis, quem TACITUS in *Agricola* prodit: *Ubi ſolitudinem faciunt pacem appellant.* Præterea trepidam adhuc urbem, ac ſimul atrocitatem, ut TACITUS Hiſtor. Libro I. refert: *recentis ſceleris, ſimulque veteres Othonis mores paventem, novus inſuper de Vitellio nuntius exterruerat, ante cædem Galbæ ſuppreſſus*; Hinc recte, rurſus obſervante TACITO: *PAX & CONCORDIA ſpecioſis & irritis nominibus jactata modo tunc fuerunt.* Interim ille *munia imperii, & in MULTA PACE, obiit*, eodem referente TACITO Hiſtoriarum Libro I. *Hanc* etiam obtinere ſperabat, ac retinere *Concordia Senatus*. Hinc ad milites: *SENATUS nobiſcum eſt. . . Æternitas autem rerum, & PAX gentium incolumitate Senatus firmatur.* Nullum ergo cum, *Sarmatis* retuſis, adeſſet bellum externum, quietus, ſuo judicio, agens Romæ Otho, nummum hunc ſignatum cum iſto emblemate voluit. Exhibet autem emblema pacem, qua nihil melius dici poteſt; eamque diffuſam, uti VELLEIUS ait, *per omnes terrarum ORBIS angulos*; & quam LUCANUS *miſſam per orbem* nominat; aut quale quid in *nummis Gallieni* alias legimus: *UBIQUE PACEM.* Cum tamen, ſi rem recte intuemur, & mentis lancea trutinamus, nec orbi pacem, nec ſibi ſecuritatem dederit, ſemet ipſum, nuncio de victis per *Vitellianos* ſuis copiis accepto, interficiens. Pax alias conſueta Symbola heic præfert, lauri ramum & caduceum, de quibus alibi fuſius.

Nummum hunc ex auro rariorem vulgarunt jam *Occo* edit. 1601. p. 141. C. MEDIOBARBUS p. 103. *Joh. Valens* in præſtantioribus aureis & arg. p 84. Et SPANHEMIUS in Lib. De uſu & præſt. Numiſm. p. 849. HENR. TH. CHIFLETIUS in de nummis Othonis æreis Diſſert. p. 6. n. 12. & exſtat hodie in *Theſauro Saxo-Gothano*, illum & olim poſſedit *Dn. Monjeux*, teſtibus ſchedis *Morellianis*, nec minus & pars eſt *Gazæ Verſalienſis* hodie. Clariſſ. *David Hottingerus* in Diſſertatione de Nummis bracteatis Tigurinis p. 2. meminit hunc aureum pulcherrimum & integerrimum duabus ab Urbe Thuricenſi leucis fuiſſe effoſſum, cum Inſcriptione: PAX ORBIS TERRAR.

NUM. 2.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 1.

PONTifex Maximus. Figura muliebris ſtolata ſtans dextra tres ſpicas, ſiniſtra cornucopiæ tenet.

Annonam offendimus in nummo, cujus vilitatem procuraſſe credimus Othonem, cum ejus Imperii tempore fames in vulgus inopia quæſtus, & penuria alimentorum inundatione Tiberis invaluerant, referente *Tacito* Hiſt. Lib. I. Cap. 3. Abundantiam repræſentare exiſtimavit, neſcimus quam recte, olim *Carolus Patinus* in Catalogo nummorum *Petri Mauroceni* de argenteo agens hujus typi p. 22. Hunc nummum ex auro rariſſimum in lucem jam protraxit *Valens* in præſtant. aureis p. 82. Hodieque pars eſt *Theſauri Verſalienſis* atque *Schwartzburgici*. Poſſedit & illum *Dn. Monjeux* teſtibus ſchedis *Morellianis*.

NUM. 3.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Auguſti nudum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 1.

SECURITAS Populi Romani. Figura muliebris ſtolata dextram verſus ſtans, dextra coronam lauream, ſiniſtra haſtam tenet.

Galba occiſo, paceque orbis terrarum exſiſtente, uti in præcedente Nummo primo vidimus,

dimus, quid sequi poterat aliud, quàm Securitas Populi Romani, quam boni ominis, & Populi Romani auræ captandæ, gratia, (perinde ac Galba supra Libertatem jactabat) præsens nummus deprædicat; hanc sibi cum maxime ex sua securitate fingens, de qua egregie *Tacitus*: *OTHONIS MENS, LEVATA OMNI SOLLICITUDINE, vacare gaudio cœpit.* Dextra videmus Securitatem lauream gestare, quasi ominatura certo victoriam subsequuturam, ac securam mox Rempublicam periculo civilis belli præstituram; sinistra hastam tenet, non vero facem, uti minus recte in nummo aureo *Farnesiano* vidit *Paulus Pedrusius* è Societate Jesu; qui propterea ei additam autumat, quod illa quasi Dea sit. Nummum hunc rariorem *Thesaurus Schwarzburgicus* continet; exhibet & illum *Occo* p. 140. *H. T. Chiffletus* in Diss. de Nummis Othonis æreis p. 6. n. 10. *J. Hemelarius* in Numismatibus Arschotanis Tab. 10. n. 5. p. 33. *Car. Patinus* in Thesauro *Petri Mauroceni* p. 11. *Anton. Zantanus* in Othonibus Aureis Tab II. N. 1. *Paulus Pedrusius* in nummis aureis *Farnesianis* Tab. VII. n. 4. ubi tamen literas: P. R. (Populi Romani) aut non vidit, aut oblitus est easdem addere. *C. Mediobarbus* p. 102. qui tamen cum hac adversæ perigraphe eundem communicat: M. OTHO CAESAR AUG. in eo *Occonem* sequens, quam hucusque non vidimus, & cum satis certi de eadem non simus, omittere potius eandem constituimus. (*a*) Possedítque illum *Dn. Monjeux*, testibus schedis *Morellianis*; adducit illum *S. Erizzo* in Discorso p. 121. hodieque pars est *Thesauri Versaliensis.*

NUM. 4.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AVGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis nudum lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

Vel,

IMPerator OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis nudum dextram versus, uti Tab. I. Num. 4.

SECURITAS Populi Romani. Figura muliebris stolata stans, dextra coronam, sinistra hastam tenet.

Eadem cum sit inscriptio aversæ cum præcedente modoque in diversa dispositione literarum differat à præcedente, huic non immorabimur diutius, monentes, quod nummum haud vulgarem exhibeat *Thesaurus Schwartzburgicus*, vulgaveritque illum jam *Occo* p. 141. & *Com. Mediobarbus* p. 103. Illum cum posteriori adversa olim possedit Illustr. *Marchio de Seignelay.*

NUM. 5.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AVGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis nudum lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

Vel,

IMPerator OTHO CAESAR AVGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis nudum lævam versus, uti Tab. I. Num. 1.

VICTORIA OTHONIS. Victoria alata sinistrorsum gradiens, dextra coronam lauream protendit, sinistra palmam tenet.

Victoria Othonis, quando hic nobis obvia fit, statim in mentem simul veniunt ista, quæ *Tranquillus* nobis Cap. IX. reliquit: *Et TRIBUS quidem, verum MEDIOCRIBUS PRAELIIS, apud ALPES, circaque PLACENTIAM, & ad CASTORIS, quod loco nomen est, VICIT*; (per Legatos scilicet, veluti & per Aponium in Mysia) Primo *Suetonius* ipsi tribuit victoriam apud Alpes, de qua *Tacitus* Histor. II. 12. *Maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Maturus. Is concita gente (nec deëst juventus) arcere provinciæ finibus Othonianos intendit, Sed primo impetu cæsi, disjectique montani, ut quibus temère collectis, non castra, non ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset, neque in fuga flagitium.* Alteram circa Placentiam ita describit *Plutarchus* in Othone: Ἰσχυρᾶς δὲ συστάσης τειχομαχίας, καὶ μηχανημάτων πολλῶν προσαχθέντων, ἐκράτησαν οἱ τοῦ Σπουρίνα, καὶ φόνῳ πολλῷ τοὺς ἐναντίους ἀποκρουσάμενοι διετήρησαν ἔνδοξον πόλιν καὶ τῶν Ἰταλῶν οὐδεμιᾶς ἧττον ἀνθοῦσαν: *Cum oppidum Vitelliani acriter adgrederentur, & machinas multas admovissent, victores Spurinæ milites hostibus ingenti cæde rejectis, nobilem Urbem, qua nulla Italiæ magis florebat, conservaverunt:* Latius illam vero persequitur *Tacitus* Hist. II. C. 18. De tertia eaque ad Castoris fanum vel templum hæc nobis reliquit *Tacitus* Histor. II. 24. *Ad duodecimum à Cremona, locus Castorum vocatur, ferocissimos auxiliarium imminentibus viæ lucis occultos componit Cæcina: Equites procedere longius jussi, & irritato prælio sponte refugi, festinationem sequentium elicere, donec insidiæ coorirentur. Proditum id Othonianis Ducibus, & curam peditum Paullinus, equitum Celsus sumsere. . . . . Tum Othonianus pedes erupit, protrita hostium acie, versi in fugam etiam qui subveniebant . . . . Cæterum ea ubique formido fuit apud fugientes, occursantes, in acie, pro vallo, ut deleri cum universo exercitu Cæcinam potuisse, ni Suetonius Paullinus receptui cecinisset, utrisque in partibus percrebuerit. . . . Novissimo maximoque apud Bebriacum fraude superatus est: Cum spe colloquii facta, quasi ad conditionem pacis militibus eductis, ex improviso, atque in ipsa consalutatione dimicandum fuisset.* Jactantem se ergo hac victoria heic Othonem conspicimus, & sibi hoc Numismate gloriam, quam adblandiens fortuna concesserat, vendicantem, de quo & *Tacitus* Libro I. Historiarum: *OTHONE & GLORIAM IN SE TRAHENTE, tanquam & IPSE FELIX bello, & suis Ducibus, suisque exercitibus REMPUBLICAM AUXISSET.* *Plutarchus* refert penes Othonem fuisse victoriam, sed non completam fraude Ducum; apud Bebriacum vero copiis ejus in totum fusis. Sistunt nummum *Car. Patinus* in suo Suetonio Nummis illustrato ex auro p. 360. *A Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIII. n. 12. H. *Th. Chiffletus* inde Nummis Othonis p.

(1) Servatur hic nummus aureus Othonis etiam in *Museo nostro.* S. HAVERC.

p. 6. *J. Hemelarius* in Nummis aureis *Arschotanis* p. 31. *Paolo Pedrusi*, *della Compagnia di Giesu* in Nummis aureis *Thesauri Farnesiani* Tab. VII. n. 3. Pars etiam est hodie *Thesauri Versaliensis*, itemque *Schwarzburgici*, possessor ejus quoque fuit *Dn. Monjeux* testibus schedis *Morellianis*.

NUM. 6.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 2.

VICTORIA OTHONIS. Victoria alata stans utraque manu coronam lauream tenet.

Idem typus cum infra denuo occurrat, in argenteis N. 12. eo B. L. ablegamus, addentes, quod istum jam vulgaverint *C. Patinus* in *Suetonio* Nummis illustrato p. 360. & *Com. Mediobarbus* p. 103.

NUMISMATA OTHONIS ARGENTEA.

NUM. 1.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ Μάρκος ΟΘΩΝ ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC. (*IMPERATOR MARCUS OTHO CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Othonis laureatum lævam versus.*

ΕΤΟΥC Α. (*ANNO PRIMO*) *Aquila alis expansis rostro tenens coronam lauream, insistens lauri ramulo transverso, ante palmæ ramus cum luna crescente inter crura.*

Cum nemo vix rectius de hoc Othonis nummo præter *Seguinum*, possessorem olim ejus, commentari valeat, ejusdem verba dabimus: " Argenteus ecce tetradrachmus, qui ex incomparabilis nostri *Peirescii* Gazophylacio ad eruditi *Tristani* Museum translatus ac demum noster factus est. Visitur in antica parte caput Othonis affabre cusum, idemque laureatum, sed cum aliquibus Neroniani vultus lineamentis, quæ mihi in mentem revocant *Suetonii* verba Cap. VII. in Othone: *Super cæteras gratulantium adulantiumque blanditias, ab infima plebe salutatus Nero: primisque Epistolis suis ad quosdam provinciarum Præsides, NERONIS cognomen adjecit.* Eadem fere *Tacitus* Histor. Libro I. *Atque etiam Othoni quibusdam diebus, populus & miles, tanquam nobilitatem ac decus adstruerent, NERONI OTHONI* acclamavit. Inscribitur hic nummus ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΘΩΝ ΚΑΙΣΑΡ CΕΒΑCΤΟC. In aversa oleæ ramo transverso insistit aquila alis expansis, & rostro coronam lauream tenet, cum luna crescente inter crura, & palmæ ramo ad alam dextram. Inferius exaratum est: ΕΤΟΥC Α. *Anno primo.* Typus ille partim ex se patet; est enim aquila insigne Romani Imperii: partim sensu communis est cum aliis Othonis nummis aureis & argenteis, in quibus legitur: PAX ORBIS TERRARUM, &: SECURITAS POPULI ROMANI, quæ in nostro olea designatur: VICTORIA OTHONIS, quæ hic per palmam & coronam, & cum spe proxima felicioris adhuc successus per crescentem Lunam designatur. *Suetonius* tamen in Othone Cap. XI. *Tribus quidem, verum mediocribus præliis vicit.* Alios Othonis ÆREOS nummos, ettam LATINA DICTIONE, cum literis S. C. DOMI FORISQUE, sed maxime apud Illustrissimum *Harlæum* in famoso ejus Museo conspeximus, quos heic referre inconsultis Patronis æquum non duximus, ne locum iis præripiamus plura & potiora, quæ meditantur, differendi. sed neque apologias scribimus. Interim nostri superius exhibiti, subjecti sunto severiori eruditorum trutinæ, qui non ex vulgato rumore, sed ex aspectu ipso dijudicent." Hucusque *Seguinus*. Hisque jungimus *Joh. Valentis* verba ejus illustrationem plenius adhuc dantia. " Antiochiæ Syriæ cusus est hic ex maximo modulo nummus, id denotat lauri ramus; cui insistit aquila: Laurus enim Apollini illius urbis tutelari Deo sacra erat. Syria autem Mucianum, ipsius Præsidem, sequuta, Othonem Imperatorem noscebat, *Tacito & Plutarcho* testibus: Aquila autem imperii symbolum in plurimis Syriæ urbibus signabatur, sed cui rei insistit, urbis, in qua nummus cusus est, pro symbolo habetur, fulmen Seleuciæ, clava Tyri, & laurus Antiochiæ." Æri incisum dederunt *Seguinus* in suis selectis Numism. p. 142. & *Carolus Patinus* in Thesauro nummorum ex ære Med. & Min. formæ p. 136. in eo valde errans, quod ipsum non solum ibidem æreis accensuerit, sed & palmæ ramum ante aquilam itemque Lunam crescentem sub pedibus omiserit. Vulgavit & illum maximi moduli eximiæ raritatis & elegantiæ nummum *Valens* in præstantioribus argenteis pag. 84. qui præterea refert se tres hujus

hujus fortis obſervaſſe Lutetiæ, unum in *Theſauro Regio*, alterum in *Cimelio Ill. Harlæi*, Senatus Pariſienſis Principis, tertium in *Muſeo R. P. de la Chaiſe*, Regi à confeſſionibus. Poſſedit & illum, licet aliquantulum detritum, *Joh. Smetius*, ceu teſtantur ejus Antiquitates Neomagenſes pag. 204. ipſum inter rariores rariſſimum æſtimans.

Num. 8.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 1.

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 2.

PAX ORBIS TERRARUM. Pax ſtans dextram verſus, dextra ramum olivæ, ſiniſtra caduceum tenet.

Cum idem per omnia typus ſit, quem jam in Aureis N. 1. vidimus, metalloque modo differat, B. L. eo ablegamus, monentes ſaltem, quod hunc nummum rarum jam vulgaverint *Joh. Valens* in Nummis præſtantioribus argenteis p. 83. *L. Begerus* in *Theſauro Brandenburgico* T. II. p. 627. N. 1. idemque in *Theſauro Palatino* p. 289. N. 1. *Fr. Angelonus* p. 69. ubi tamen pro caduceo, cornucopiæ ſiniſtra tenet; *Occo* p. 141. *C. Mediobarbus* p. 103. *A. Rubenius* in nummis *Arſchotanis* Tab. XXIII. N. 5. *H. Th. Chiffletius* in Differt. de Nummis Othonis p. 6. N. 12. *Anton. Zantanus* in arg. Oth. T. I. N. 2. *Car. Patinus* in Catalogo nummorum argenteorum *Petri Mauroceni* p. 22. idemque in *Theſauro minori* in argenteis p. 57. (1) Hodieque pars eſt *Theſauri Schwarzburgici.*

Num. 9.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 2.

PAX ORBIS TERRARUM. Pax ſtans dextra ramuſculum oleæ, ſiniſtra caduceum tenens.

Differt hic nummus ſolum diverſa diſpoſitione literarum in averſa; hinc facimus ad ſequentem progreſſum, addentes, quod ſic conſpiciatur in *Theſauro Schwarzburgico*, ſicque exhibeat quoque *Car. Patinus* in *Theſauro Argenteor.* p. 57.

Num. 10.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 1.

PONTifex MAXimus. Figura muliebris ſtolata dextram verſus ſtans, dextra tenet tres ſpicas, læva cornucopiæ.

Idem typus cum jam ſupra in aureis Num. 2. adfuerit, eo B. L. ſit remiſſus. Addimus, quod eundem rarum nummum jam in lucem dederint *J. Valens* in Præſtantioribus argenteis p. 82. *L. Begerus* in *Theſauro Brandenb.* p. 627. Idemque in *Theſauro Palatino* p. 298. *C. Mediobarbus* p. 103. *Ant. Zantanus* in Oth. T. I. N. 3. *Occo* p. 140. *C. Patinus* in Catalogo argent. nummor. *Theſaur. Mauroceni* pag. 22. (2) Hodieque pars eſt *Theſauri Schwarzburgici.*

Num. 11.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 1.

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 2.

Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra ramum oleæ, ſiniſtra cornucopiæ tenet.

Vix imperium cum ſuſcepiſſet Otho, bello ipſum adoriebatur *Vitellius*, nihilominus tamen ſive ſpe illum cito coërcendi, ſive fucum populo faciendi, pacem ubique in nummis crepabat. Vidimus enim non ſolum in aureis & argenteis PACEM ORBIS TERRARUM ſupra obſignatam, ſed hic nummus Pacem offert, olivæ ramum & cornu copiæ tenentem, quaſi non niſi in multa pace Imperii munia obiret. Exhibet & hunc nummum rarum *J. Valens* in Nummis argenteis præſtant. p. 83. *C. Patinus* in *Suetonio* nummis illuſtrato p. 362. itemque in *Theſauro* argenteorum pag. 57. *Com. Mediobarbus* p. 103. & exſtat hodie in *Theſauro Schwarzburgico.*

Num. 12.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 1.

PONTifex MAXimus. Figura muliebris ſtolata ſtans, dextra bilancem, læva haſtam tenet.

Sive hæc figura Annonam deſignet, ſive Æquitatem, utraque facile Othoni accommodari poteſt. De Annona vidimus Num. 2. in aureis. Æquitatem & Juſtitiam non minus Imperii fulcra ſciebat, & cum non tutus Imperio adhuc ſatis præeſſet, optima quæque Populo per nummos etiam perſuadere geſtiebat. Exhibet hunc Nummum ex rarioribus *C. Mediobarbus* p. 103. exſtatque hodie in *Theſauro Schwarzburgico.*

(1) Servatur quoque in *Muſeo noſtro*, ut & *Theupoliano* p. 137. ſed ibi male caduceum & oleæ ramum recenſet Editor, ramum lævæ inponens, caduceum dextræ. HAVERC.

(2) Servatur & hic nummus in *Muſeo noſtro.* Quod medium inter duas ſpicas eſt, papaver eſſe credo. HAVERC.

NUM. 13.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 1.

PONTifex MAXimus. Figura muliebris dextrorſum ſedens velata, dextra pateram, ſiniſtra haſtam tenet transverſim.

Virtutes hactenus varias in nummis prætulerat Otho, nunc & pietatem cernimus, ut nonnullis placet, vel, quod aliis videtur, & in his *Joh. Valenti*, juſtitiam & concordiam militum; quod juſtitia, in nummis *Hadriani*, vel concordia militum, in *Gordiano Pio*, ſimili plane modo, uti in noſtro heic, depingatur. Forte patera Deorum ſacrificia indigitantur, quibus omnino opus eſſe rebantur, ſi juſtitia vigeret, concordia floreret in regno; utpote quibus ſalvis, non poſſet non omnium rerum exſiſtere abundantia, ſummaque felicitas. In lucem protraxit hunc rariorem nummum *J. Valens* in Præſtantioribus argenteis p. 83. *Anton. Zantanus* in arg. Oth. T. I. N. 6. *C. Mediobarbus* p. 103. ubi tamen PON. habet minus recte pro PONT. uti in noſtro, quem aſſervat *Theſaurus Schwarzburgicus*, & *Occo* etiam adfert p. 140.

NUM. 14.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 1.

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis nudum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 2.

SECURITAS Populi Romani. Figura muliebris ſtolata dextrorſum ſtans, dextra tenet coronam lauream ſiniſtra haſtam.

Frequentiorem ex omnibus Nummis Othonis typum accipimus, de SECURITATE Populi Romani in nummis gloriantis, ipſo ne quidem adverſus *Vitellium* ſatis ſecuro. (*a*) Num forte ſecuritas prioribus duobus præliis parta? durabilis illa diu haud fuit, tertio everſa rurſus prælio. Sed unde etiam ipſi ſecuritas? Unde pax? unde abundantia rerum? cum juxta *Taciti Annalium* Lib. XVII. rectiſſime: *Nemo unquam Imperium flagitio quæſitum BONIS ARTIBUS EXERCUERIT*? &, juxta ejusdem Libr. I. Hiſtoriarum? *Principatus ſcelere quæſitus ſubita modeſtia, & priſca gravitate retineri non poſſit*? Sed iſtam forte intelligit, quam ſibi ex futuris contra *Vitellium* victoriis imaginabatur, hinc lauream præfert dextra Securitas. Sed & præſentem inhæſiſſe ejus animo ex *Tacito* Libr. I. Hiſt. cap. ult. clarum eſt: *Profectus Otho, QUIETEM URBIS, curasque Imperii Salvio Titiano fratri permiſit.*

(*b*) Siſtunt hunc nummum *A. Rubenii Nummi Arſchotani* Tab. XXIII. N. 3. *L. Begerus* Tom. II. *Theſ. Brandenb.* p. 627. Itemque in *Theſ. Palatino* p. 298. *Fr. Angelonus* p. 69. N. 3. *Car. Patinus* in *Theſauro num. argenteorum* p. 59. *Occo* p. 140. qui tamen hanc adverſam exhibet: M. OTHO CAESAR AUG. omiſſis literis ſequentibus TR. P. forte typothetæ vitio, in quo poſtea eum ſequutus quoque eſt *C. Mediobarbus* p. 103. ſine dubio, haud recte, & contra fidem exemplorum genuinorum, quorum unum exſtat in *Theſauro Schwarzburgico*, ex quo hunc noſtrum delineari fecimus, qui (*Mediobarbus*) tamen paulo poſt eundem, & rectius, deſcribit; *Anton. Auguſtinus* Dial. II. p. 22. *C. Patinus* in Catalogo nummor. argent. *Petri Mauroceni* p. 22. *Seb. Erizzo Diſcorſo ſopra le Medaglie de gli Antichi* pag. 119. *Ant. Zantanus* in arg. Oth. Tab. I. Num. 1.

NUM. 15.

IMPerator OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 1.

SECURITAS Populi Romani. Figura muliebris ſtolata, ſtans erecta, dextra lauream, ſiniſtra cornu copiæ tenet.

Securitatem quando hic ſtantem offendimus cum laurea & cornu copiæ, deſignari remur abundantiam cujuſque rei, quæ ex Pace & Securitate paovenit, quæ *Senecæ* propterea *vocatur ſecuritas affluens. Antonius Auguſtinus* Dialogo II. ideo additam corollam lauream exiſtimat, quod ſecurum ſcilicet reddere victoriæ voluerit Otho Populum Romanum; quamobrem etiam in M. Antonini Imper. nummis palmam eadem manu geſtet, quæ parta victoria, à triumphantibus geſtabatur; ſed hoc ſuo loco relinquimus. Clypeum vero adjectum ei quando cernimus, ſecuram Rempublicam Romanam, quaſi ſub clypeo & protectione Othonis exhiberi per nummum, arbitramur. Vulgavit jam eundem *A. Rubenius* in *Nummis Arſchotanis* Tab. XXIII. n. 6. *C. Mediobarbus* pag. 103. qui tamen ſine dubio minus recte hanc adverſam dedit: M. OTHO CAESAR AUG. in eo ſequutus *Occonem*, qui eodem modo eundem refert p. 140. *H. Thom. Chiffletius* in de Num. *Othonis* pag. 6. Num. 11. *Ant. Auguſtinus* Dial. II. p. 22.

NUM. 16.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Othonis galericulo tectum lævam verſus, uti Tab. hac I. Num. 2.

SECURITAS Populi Romani. Securitas ſtans dextra lauream, ſiniſtra haſtam tenet.

Sola

(*a*) Conſentit *Erizzo* qui p. 119. ita: *Queſta - Medaglia non fù bettuta per altra occaſione à queſto Principe, che per onore, & gloria ſua. Et quella figura dal rivorſo di queſta Medaglia, è la Securità, la quale nelle altre Medaglie è variamente deſignata & figurata.*

(*b*) Ex duobus his pulcherrimum cum prima juxta caput Othonis inſcriptione ſervamus in *Muſeo noſtro*; alterum, cum ſecunda capitis inſcriptione, habet *Muſeum Theup.* p. 137. HAV.

Sola diversa literarum dispositione hic typus ab illo Num. 7. quem vidimus, differt, hinc pergimus, prius addentes, quod illum hoc modo contineat *Thesaurus Schwarzburgicus*.

NUM. 17.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 2.

VICTORIA OTHONIS. Victoria alata gradiens dextram versus, dextra coronam lauream, sinistra palmæ ramum gestat.

Supra in Aureis N. 5. eundem jam typum vidimus, modo quod ibi sinistrorsum, heic dextrorsum gradiatur, cæterum eodem modo se habet. Quid iste velit, ibidem diximus, quorsum & B. L. propterea remittimus, observantes saltem, quod eundem rarissimum nummum jam vulgaverint *J. Valens* in Præstantioribus argenteis p. 84. *L. Begerus* in *Thesauro Brandenburg*. T. II. p. 617. N. 2. Idem in *Thesauro Palatino* p. 298. N. 2. *Occo* p. 141. *Com. Mediobarbus* p. 103. *Car. Patinus* in Catalogo nummorum argent. *Petri Mauroceni* p. 22. *Anton. Zantanus* in arg. Oth. T. I. N. 4. Possedit & illum *Dn. Quenel*, testibus schedis *Morellianis*, hodieque exstat in *Thesauro Schwarzburgico*. (a) Adfert & illum *Seb. Erizzo* in *Discorso* p. 120.

NUM. 18.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus Tribunicia Potestate. Caput Othonis, galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 2.

VICTORIA OTHONIS. Victoria alata gradiens sinistrorsum, dextra lauream, sinistra palmam tenet.

Singulariter typo Victoriæ se jactasse Othonem, nummi, quos vidimus, argumento satis sunt. Nam supra non solum Num. 5. ex auro hunc typum contemplati sumus, sed & præcedente N. 10. in argenteis, cui novus typus accedit, diversus à laudato Num. 10. sed idem cum eo in aureis N. 5. Quid? quod & sequenti Numero 12. adhuc discrepantem visuri simus. Sed breve fuisse gaudium facile potest intelligi, si attendamus brevi tempore secutum tristius de clade suarum copiarum nuncium. Vulgarunt jam hunc nummum *Car. Patinus* in *Suetonio* Nummis illustrato p. 360. Idem typus comparet etiam in *MStis Goltzii* addito signo AR; ut adeo pateat, non vane suos confinxisse nummos *Golzium*, *C. Mediobarbus* p. 103. *Occo* p. 141. *Car. Patinus* in Thesauro minori in argenteis p 57. Hodieque delitescit in *Thesauro Schwarzburgico*.

NUM. 19.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 2.

VICTORIA OTHONIS. Victoria stans alata utraque manu coronam lauream gestat.

Tres vidimus nummos aureos vel argenteos, omnes illos cum Victoria offerente lauream; jam alium conspicimus, binas laureas simul exhibentem, quasi cum tripudio ostentatas, quasique per illam Othoni procuratas. Ut speciem nobis adeo faciant, binas victorias, uno propemodum eodemque tempore ab exercitu *Othoniano* contra *Vitellianos* per *Duces* suos, & contra *Sarmatas* per *Aponium* fuisse obtentas. Egregie in hanc rem *Tacitus* Libro I. Histor.: *OTHONE & GLORIAM in SE TRAHENTE, tanquam & IPSE FELIX bello, & suis Ducibus suisque Exercitibus Rempublicam auxisset.*

C. Patinus in *Suetonio* nummis illustrato p. 360. *Tristanus* p. 266. *Occo* p. 141. *Com. Mediobarbus* pag. 103.

NUM. 20.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, uti Tab. I. Num. 2.

PONTifex Maximus. Figura muliebris stolata stans, dextra bilancem, sinistra cornu copiæ tenet.

Ut nulla esset virtus, quam non præ se ferre (more aliorum Imperatorum etiam pessimorum) initio Imperii sui videretur, Justitiam cum bilance, qua omnia librat, dextra & cornu copiæ læva tenentem in nummo præsenti obsignari fecit. Nam, præsente justitia, rerum abundantia abesse non potest. Eo respexisse videtur quoque Imperator in Oratione, qua milites seditionem molientes castigabat; De qua *Tacitus*: *Et Oratio... & SEVERITATIS MODUS grate accepta.*

Luci exposuerunt hunc rarum nummum argenteum *Joh. Valens* in præstantioribus argenteis pag. 83. *Car. Patinus* in Catalogo nummorum argenteor. *Petri Mauroceni* p. 22. *Occo* p. 140. *Comes Mediobarbus*, qui tamen ex *Occone* eundem exscripsit, & minus recte PON. pro PONT. reposuit pag. 103.

NUM. 21.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, ut Tab. hac I. Num. 2.

Vel,

Marcus OTHO IMPERATOR CAESAR AUGUSTus. Caput Othonis laureatum, uti Tab. I. Num. 5.

ROMA. Roma galeata stans, dextra victoriolam, sinistra hastam tenet.

Ut ostenderet Romam ac virtutem Romanam de pristino vigore nihil sub ipso remisisse, Romæ

(a) Adservatur quoque & recensetur in *Museo Theupoliano* p. 137. HAVERCAMP.

Romæ typum exhiberi voluit cum victoriola & hasta, quasi perpetuis victoriis & dominio super reliquas orbis Gentes gloriosam. Dehinc noverat Majestatem Urbis & Populi Romani, qua abutebatur magis, quam utebatur, neque hoc dissimulat *Tacitus* Libro I. Histor. : *Erat GRANDE MOMENTUM IN NOMINE URBIS, ac PRÆTEXTU SENATUS.* Hinc & ad illum provocat in Oratione ad milites apud eundem *Tacitum* Libro I. Histor. : *SENATUS NOBISCUM est. . . Æternitas rerum & pax gentium, & mea cum vestra Salus, INCOLUMITATE SENATUS firmatur.* . . . *Mox, vocata concione, MAJESTATEM URBIS & CONSENSUM POPULI ac SENATUS pro se attollens, adversus Vitellianas partes modeste disseruit.* Nec alia de causa, eodem ibidem referente, *multos è MAGISTRATU, magnam CONSULARIUM partem ipse non participes aut ministros bello, sed comitum specie secum expedire jussit.*

Sistunt hunc nummum *A. Rubenius* in Nummis *Arschotanis* Tab. XXIII. N. 1. *Com. Mediobarbus* ex ipsis p. 103. *H. Th. Chiffletius* in de Nummis Othonis dissertatione p. 6. n. 8.

Num. 22.

IMPerator OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 1.

PONTifex MAXimus. Figura sedens dextra ramum olivæ, sinistra hastam tenet.

Pacem quin hic typus designet & ab hostibus externis quietem, dubium est nullum, non solum quod figura sedeat, quæ quietis & securitatis nota subinde in nummis esse solet, sed & quod ramum olivæ protendat dextra, quasi eandem universo Populo Romano ostensura ac eidem donatura, auspiciis Othonis partam. Existimat vero *A. Rubenius* hoc typo innui Othonem ipsum (ut inscriptio testatur) velut PONTIFICEM MAXIMUM, cum ramo laureo, quo expiationes & lustrationes peragere solebant. Sistunt hunc nummum *A. Rubenius* in Nummis *Arschotanis* Tab. XXIII. N. 7. & ex iis *Com. Mediobarbus* p. 103.

Num. 23.

IMPerator OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. n. 1.

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 2.

Vel,

Marcus OTHO IMPERATOR CAESAR AUGUSTus. Caput Othonis (a) laureatum, lævam versus.

PONTifex MAXimus. Imperator paludatus eques sinistrorsum decurrit dextra hastam vibraturus.

Quid concinnius possit dari typo hoc, si conferamus eundem cum verbis *Suetonii* Cap. VIII. *EXPEDITIONEM autem IMPIGRE atque etiam PRÆPROPERE INCHOAVIT.* Sique *Tacitum* consulimus, idem referentem Hist. I. 89. : *Aspernabatur enim omnem cunctationem, ut Neroni quoque exitiosam, & Cæcina* (Vitellii Dux) *jam Alpes transgressus, exstimulabat.* & Lib. I. Cap. 40. : *Aderat sane citus equo Numida, cum atrocibus mandatis, quibus OTHO, increpita Ducum segnitia, rem in discrimen mitti jubebat; ÆGER MORA & SPEI impatiens.* Adest Imperator eques velut accinctus paratusque ad expeditionem suscipiendam, qua ratione præcedentes Cæsares expeditiones suas in nummis communiter innuere solent. Equo insidet veloci, veluti præpopere eandem suscepturus. Minatur jaculo, quasi *Vitellium* & hostes jam jam involaturus. Non nescimus, *A. Rubenium* typum hunc pro statua equestri reputare Othonis, sed cum nullibi eandem erectam legamus apud Auctores, priori inhærere malumus sententiæ, quam & probatam videmus *Johanni Valenti.* Quæ *Tristanus* de inconvenientia tituli cum typo commentatur, suo relinquimus loco. Si quidem negari non potest, quod vitiis non minus deditus ac impurus admodum PONTIFEX MAXIMUS, quam effœminatus multum Dux fuerit. Sed quid hoc ad rem? Erat Imperatorum vulgaris tunc titulus, & à præcedentibus Imperatoribus in illum derivatus; hunc præstabat quantum natura ipsius permittebat, facturus plura forsan, si hæc cum fortuna ipsi non obstitissent. Quid? si Pontificatu insignis Capitolium versus in equo contendat, lætitiaque quasi, Galba nunc occiso, exsultet? quod *Chiffletio* placuisse, vidimus. Refert de eo *Tacitus* : *OTHO cruento adhuc Foro per strages jacentium in CAPITOLIUM, atque inde in Palatium vectus,* equo puta; ac præterea *Plutarchus* : *Novus Imperator lucis principio in Capitolium progressus, sacrificavit.*

Communicarunt jam hunc rarissimum ex argento nummum *Joh. Valens* in Præstantioribus arg. æri incisum p. 82. *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIII. N. 9. 10. *Tristanus* p. 266. *Antonius Zantanus* in arg. Oth. T. I. N. 5. *C. Patinus* in *Suetonio* nummis illustrato p. 362. *H. Th. Chiffletius* in de Nummis Othonis Dissert. p. 6. *Occo* p. 140. *Com. Mediobarbus* p. 103. *Sponius en Recherses curieuses d'Antiquité Dissertat.* XXIV. p. 373. Comparet ex argento quoque in MStis *Goltzianis* novo argumento, non confictos esse *Goltzianos*; licet rarissimi sint, & millesimo vix visi.

Num. 24.

Marcus OTHO IMPERATOR CAESAR AVGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis laureatum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 5.

SECURITAS Populi Romani. Figura muliebris stolata, stans, dextra lauream, sinistra hastam tenens, simulque se in columnam inclinans.

Secu-

(a) Quamvis apud *Valentem*, sive *Vaillantium*, scribatur *Caput Othonis laureati*, illud tamen per errorem factum fuisse reor, neque enim aureum vel argenteum Othonis nummum novi cum laureato capite, atque ipsius ibidem pictura *Vaillantii* caput Othonis nudum cum galericulo repræsentat. HAVERCAMP.

Securitatem Populi Romani jam in aureis eodem modo N. 3. itemque 4. & in argenteis N. 7. 8. & 9. jam vidimus, ubi & de eadem quæ Populo Romano tunc obtigerat, egimus. Sicuti vero N. 18. clypeum habet additum, ita ut quasi certior & stabilior Populo adpareat, se inclinare videtur. Sistunt hunc nummum *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIII. N. 13 *Com. Mediobarbus* p. 103. *H. Th. Chiffletius* in Differt. de Nummis Oth. p. 6. n. 10.

N um. 25.

IMPerator OTHO CAESAR AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis nudum, lævam versus, uti Tab. hac I. Num. 1.

SECURITAS POPuli ROMani. Figura muliebris sedens, dextra tenet hastam, sinistram capiti in signum quietis admovet.

Singulariter sibi placuisse videtur Otho, securitatem Populo Romano toties ante oculos per nummos pingendo, tranquillaque ipsi omnia per universum promittens, quamvis in turbido suas res videret, & aliquando apud milites, juxta *Tacitum*, tempus in suspicionem, causa in crimen, affectatio quietis in tumultum evaluerat. De ea dictum est supra, & cum diuturna ista haud fuerit, ut diu eidem immoremur amplius, non est. Vulgavere illum *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIII. n. 4. & *Com. Mediobarbus* p. 103. ex illo *H. Thom. Chiffletius* in de Nummis Othon. pag. 6. num. 9.

N um. 26.

Marcus OTHO IMPERATOR CAESAR AUGustus. Caput Othonis galericulo tectum, lævam versus, uti Tab. hac I.

PONTifex MAXimus. Jupiter sellæ insidens, sinistra hastam puram tenet.

Cum positu saltem sedentis Jovis Custodis, sine dubio, differat hic ab illo, quem n. 15. exhibuimus, eo B L. ablegamus. Sistit hunc nummum *H. Th. Chiffletius* in Differt. de Nummis Othonis p. 6. n. 7.

TABULA II.

QUA EXHIBENTUR NUMISMATA M. SALVII OTHONIS, ÆREA MAJORIS MODULI CUM LATINA INSCRIPTIONE.

N um. 1.

IMPerator Marcus OTHO CAESar AUGustus. Caput Othonis laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESar AUGustus. Caput Othonis laureatum, lævam versus.

Senatus Consulti nota intra coronam lauream, sine epigraphe.

Jam ad Othonis nummos æreos devenimus, quos omnium Imperatorum rarissimos supra prædicavimus. Quid de nummo hoc sentiendum sit, verbis *J. Valentis* efferemus, qui prolixe satis de isto, ut ostenderet extra urbem eundem fuisse cusum. Ita vero ille in de Coloniis p. 187.: „Hæc „Nota S. C. nummorum symbolum est Romano„rum: hic tamen, omnium Antiquariorum con„sensu, extra urbem percusus est; licet nec Co„loniæ, nec Municipii nomen præferat; hic „tamen locum habere debet, præsertim cum la„tina epigraphe gaudeat, quam sine concesso cu„dendæ monetæ jure gerere profecto non posset. „Sed in qua urbe, seu in qua provincia cusus sit, „inquirendum. Nummi in omnibus ferè Impe„ratoribus usque ad Gallienum cum S C. in lau„rea observantur, extra Romam signati: ab Au„gusto quidem usque ad Trajanum cum epigra„phe Latina circa caput: à Trajano vero usque „ad Gallienum cum inscriptione Græca, quos in „Syria, ex ipsorum forma, & incredibili copia, „quæ in hac regione ad hanc usque diem è terræ „visceribus eruitur, percusos augurati sumus; „nostram vero sententiam confirmant similes fere

„Ma-

„ Macrini & Diadumeniani cum iisdem vocibus „ S. C. & Δ. Ε. Huic provinciæ facultas cudendæ „ monetæ, quam ſub Regibus ſuis habebat, tùm „ relicta videtur, cùm Pompejus illam redegit in „ provinciam ; ſed ut à Senatu id juris conceſſum „ Syriæ fuerat, in nummis S. C. notam poſuit, „ & quidem in laurea, ut Populum Romanum „ omnium Gentium victorem denuntiaret Quis „ neſcit, Syriam pro Othone contra Vitellium „ ſtetiſſe ; & Mucianum, ipſius provinciæ Re- „ ctorem, legiones in ea collocatas ſacramento „ illius Imperatoris adegiſſe. Accedat teſtis lucu- „ lentus *Tacitus* Hiſtor. Libro I. : *Judaicum exer-* „ *citum Veſpaſianus, SYRIÆ LEGIONES MU-* „ *CIANUS SACRAMENTO OTHONIS adegere,* „ *ſimul Ægyptus omnesque verſæ in ORIENTEM* „ *PROVINCIÆ NOMINE EJUS TENEBAN-* „ *TUR.* Unde nummi Othonis in Ægypto cum „ epigraphe : ΑΥΤ. ΜΑΡΚ. ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. „ & L. A. id eſt, *Anno primo*, percuſſi in cime- „ liis aſſervantur.

„ Sed Amicus inſtat, quid indicent literæ Græ- „ cæ in ejuſmodi nummis Imperatorum, qui S. C. „ in laurea notam exhibent, aliquando obſervatæ? „ illas modo eſſe Monetarii notas, modo Imperii „ annos deſignare, modo literas nominis Urbium „ initiales indicare, autumant. Si vero nobis „ conjicere liceat, meras eſſe Monetariorum notas, „ & nummos illos cum S. C. in laurea Antiochiæ „ percuſſos ſuſpicamur, in qua duæ nummorum „ cudendorum officinæ fuiſſe videntur, una pro „ Syriæ Præſide, quæ nummos Græcos pro to- „ tius Provinciæ uſu ſignaret ; altera Urbis, „ quæ Latinam epigraphen uſque ad Trajanum, „ & poſtea Græcam, propter rationes nobis ig- „ notas, cum S. C. nota, ſibi à Senatu con- „ ceſſa: cui ſententiæ ſuffragari videntur omnes „ Antiochiæ nummi à tempore, quo illa dedu- „ cta eſt à Caracalla Colonia, uſque ad Gallie- „ num, qui ſemper hanc S. C. notam in area, „ ad antiquam cudendæ monetæ facultatem, ſibi „ à Senatu conceſſam, indicandam, cælavere, „ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛΩΝ. S. C. id eſt, „ Ἀντιοχέων Μητροπόλεως Κολωνίας. *Senatus Conſulto.*" Fruſtra ergo eſt *Patinus*, qui lauream hanc Senatus Conſulto, Othoni, veluti Cæſari, aut Pompejo, oblatam comminiſcitur, ac apud Autores exquiri deſiderat in Theſauro ſuo Numiſmatum maj. p. 134. Exhibet hunc rariſſimum nummum, dum ad primam formam accedit, *J. Valens* in Præſtant. æreis p. 25. (ubi litera M. (*Marcus*) in explicatione eſt omiſſa) & in Coloniis p. 187. ubi non poſſumus non monere, in Nummis æreis præſtantioribus *J. Valentem* caput Othonis diverſo exhibere modo quam in Coloniis, quod tamen unum idemque temur, & ſaltem incuria Sculptoris literas eſſe immutatas, proptereaque & ipſe illum eundem venditat in de Coloniis p. 188. adeoque Caput Tab. I. n. 1. præferendum ducimus, niſi dicere velimus, viſum ipſi hunc nummum fuiſſe cum duabus adverſis diverſis, cum in Tom. I. editionis primæ eodem modo conſpiciatur, ac in editione ſecunda, teſteturque, ſe eundum ſic (nempe primæ magnitudinis) *Muſeo* illuſtriſſ. *Harlæi* debere. *Com. Mediobarbus* p. 103. ex illo. Nec dubium eſt, quin & in hunc ipſum digitum intendat *Seb. Erizzo* in Diſcorſo &c p. 120. „ *Nondimeno una ho veduta in rame, di maniera* „ *greca, con tale iſcrittione : IMP. M. OTHO* „ *CAESAR AUG. Havea per riverſo una corona* „ *Civica, con S. C.*" i. e. *nihilominus æreum vidi more Græcorum, cum inſcriptione : IMP. M. OTHO. CAESAR AVG. habentem in averſa coronam civicam cum S. C. nota ; in eo errans, quod civicam nominet, quæ tamen quernea fuit, non laurea, uti heic.*

NUMISMATA
OTHONIS
ÆREA MEDII MODULI
CUM LATINA INSCRIPTIONE.

NUM. 2.

IMPerator Marcus OTO CAESAR. . . . Caput Othonis laureatum lævam verſus.

Vel,

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AVGuſtus. Caput Othonis laureatum lævam verſus.

Senatus Conſulti nota in corona laurea.

Antiochiæ in Syria hunc nummum pariter conflatum eſſe, ex iis, quæ ad N. 1. attulimus, conſtare poteſt. Neque ex *Patini* ſententia, mendum Monetarii, in nomine Principis, H. literam prætermittentis, antiquitatem nummi in ſuſcipionem adducere poteſt, cum nihil ejus judicio in eo deſideretur. Vulgavit iſtum æri inciſum *C. Patinus* in Theſauro æreorum mediæ ac minimæ formæ p. 134. & *Joh. Valens* in rarioribus æreis p. 25. ex Muſeo *D. de Pleſſis*, qui eundem integerrimum laudat, & omnis Othonis nummorum præſtantiſſimum.

NUM. 3.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AVGuſtus. Caput Othonis nudum lævam verſus, uti heic Num. 3.

Sena-

Senatus Consulti nota intra coronam lauream.

Nummum denuo diversum exhibemus à præcedentibus, qui ab Antiochenis sine dubio ad nos pervenit, quod vel ex nota S. C. (aut quæ in aliis occurrit Δ E.) satis patet, quæ geminæ apud ipsos officinæ, ut supra dictum est, nempe Rectoris Syriæ, & ipsius Urbis, originem debet. In illa usque ad Caracallam impressum legimus: 'ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ; in hac S. C. adnotarunt jus cudendæ monetæ à Pompejo concessum, & Senatus Consulto confirmatum. De quâ Antiochiæ Autonomia legi possunt *Cicero* Lib. I. ad Atticum Ep. 6. *Livius* Lib. XXXIII. Cap. 38. Nummum hunc æreum, valore & pretio nummorum qualiumcunque ingentes superantem acervos, (loquimur cum ipso Dn. possessore) (*a*) vulgavit Nobiliss. *Jacobus de Wilde* Tab. XXV. n. 153.

Num. 4.

IMPerator Marcus OTHO CAESAR AVGustus TRibunicia Potestate. Caput Othonis galericulo tectum lævam versus, uti Tab. I. Num. 3.

SECURITAS POPuli ROMani. Securitas sub figura muliebri stans, dextra tenet lauream, sinistra hastam.

Hic Nummus æreus mediæ formæ asservatur in Cimeliarchio humaniss. (*b*) *Gosuini Uilenbroek*, Amstelodami, qui ipsum seorsim inter rariores suos nummos per *Goereum* æri incidi, & excudi ante aliquot jam annos fecit, & cum insignem antiquitatem præ se ferat, formâ etiam typi & inscriptione ad aureos accedat, quos supra vidimus, quam proxime, addendum heic duximus, B. Lectori cæteroquin de ipso permittentes judicium, probe scientes, quod inter istos motus, post Galbæ nempe necem, & rumorem de adventu Vitellii contra Othonem, Senatus auxius & incertus, imo & ipsi infensissimus, quod pessimè ab ipso fuerat acceptus, (*c*) vix Othoni æreos nummos ex S. C. percusserit, unde omnes ærei nummi, Othonis imaginem cum Latinis inscriptionibus sistentes, habentur hodie communitur pro falsis ac effictis. Placent tamen nobis ea magis, quæ *C. Patinus* in Nummis suis med. & min. formæ p. 130. opponit: „ Qui nummos negant ullos æreos Othonis ætate „ cusos fuisse, hujus rei causam quærunt: Sena„ tus Consulto ærei nummi cudebantur, in„ quiunt; At Senatus Othoni, à quo pessimè „ fuerat acceptus, infensissimus erat; Quid tum? „ nempe nec sponte nec ex animo nummum æ„ reum cum Othonis effigie signavit: sed an cogi „ non potuit? vel terrore vel vi ut faceret? „ sed ab ipso Principe, non exspectatâ Senatus, „ quem despiciebat, autoritate, imperari mo„ netariis non potuit? Addunt, materiam vi„ lem & olentem delicatissimum Imperatorem „ tolerare non potuisse; quasi omnes nummos, „ Imperatoris facie expressos, ab ipsomet Impe„ ratore teneri manibus, & teri oportuisset. „ Æreis nummis in largitione usus nusquam le„ gitur; forte ab historicis omissum est. Præter„ ea aliud est cudi nummum, aliud ab ipso „ Principe dari: at hic de cudendo nummo agi„ tur. Denique æs flavum ab Italis *Ottone* di„ citur, forte per ἀντίφρασιν, quod æs Otho con„ temneret; forte etiam naturali verbi hujus & „ plebejo sensu, quod æs amaret." Huc usque *Patinus.* Addimus, si *Suetonio* verba cap. VII. attendimus, quibus ipsum ingressum SENATUM memorat, &, posita brevi ratione, se gesturum communi omnium arbitrio imperium, h. e. de VOLUNTATE SENATUS, promisisse; itemque *Taciti* verba Annalium Libro XVII. pensitamus, nihil nobis superesse scrupuli; nam clarè iste: *Vocat SENATUM Prætor Urbanus, certant ADULATIONIBUS* (quarum larga seges in nummis quoque deprehenditur) *cæteri magistratus, accurrunt Patres, decernitur Othoni Tribunicia Potestas, & nomen AUGUSTI, & OMNES PRINCIPUM HONORES*, (in quibus vero præcipua fuit perpetua ejus per nummos etiam æreos memoria) *annitentibus cunctis abolere convitia & probra, quæ promiscue jacta hæsisse animo ejus, nemo sensit.* Ipse apud milites ad eum liberrime provocat (Libro I. Histor. Cap. 34. *Taciti*:) *SENATUS nobiscum est.* Nullibique magis, quam in Othone, verum quoque deprehendimus, quod narrat de Claudio Gothico Pollio: *Adulator SENATUS, adulator Populus Romanus, adulatrices exteræ gentes, adulatrices provinciæ; siquidem omnes ordines, omnis ætas, omnis civitas, statuis, vexillis, coronis, fanis, arcubus, BONUM PRINCIPEM, aris ac templis honoraverunt.* Accedit, quod ipse Illustr. *Seguinus* in Selectis suis Nummis p. 143. testetur, se nummos Othonis æreos cum Latina dictione cum literis S. C. domi forisque, sed maxime apud Illustriss. *Harlæum*, in famoso ejus *Museo* conspexisse.

Num. 5.

IMPerator OTHO CAESAR AVGVSTus TRibunicia POTestate. Caput Othonis nudum lævam versus.

IMPerator TITUS AUGustus RESTITuit. Figura seminuda palliata & galeata, dextra elata, sinistra hastam tenet.

Cum *A. Rubenium* autorem sciamus nummorum *Arschotanorum*, illiusque dexteritas

(*a*) Adfui haud ita pridem quum per publicam auctionem distraheretur *Gaza Wildiana*; emtorem invenire non potuit, quare retinuerunt nummum hæredes, quum vix ultra centum atque quinquaginta florenos pretium ejus incendi posset. HAVERC.

(*b*) Nuperrime quum omnis antiquaria hujus Viri supellex publice distraheretur, ipse quoque adfui, sed neque hic Otho emtorem nancisci potuit. Sæpius illum manibus contrectavi, omnino antiqua mihi pars aversa visa fuit; sed num quid in parte priore subtili arte mutatum atque innovatum fuerit, de eo dubitavi. HAVERC.

(*c*) *Tacitus* Libro I. Historiar. *Milites Romani, disjecta plebe, PROCULCATO SENATU, truces armis, rapidis equis forum irrumpunt.* Paulo post: *Fremit miles, & Tribunos Centurionesque proditionis arguit, tamquam Familiæ SENATORUM ad perniciem OTHONIS armarentur.* Ac iterum: *Undique arma & minæ, modo in Centuriones Tribunosque, modo in SENATUM universum.* Libroque II. *Sed milites ut falsum rumorem (de morte Othonis) aspernantes, quod INFENSUM OTHONI SENATUM arbitrabantur, custodire sermones, vultum habitumque trahere in deterius, conviciis postremo ac probris caussam & initium cædis quærebant.* Quid quod *Plutarchus* milites inducat interrogantes: *Ubi essent HOSTES CAESARIS SENATORES?* *Suetonius* vero, *currentes per Palatium, cædem SENATUS flagitantes?*

tas in dijudicandis nummis nota plus fatis fit, prætereaque *C. Mediobarbus* ex schedis *Pedrusianis* alium communicet à *Tito* quoque restitutum, in cujus adversa: M. OTHO CAESAR AUG. P. M. TR. P. IMP. P. P. in aversa: T. CAES. DIVI VESP. F. AUG. . . . . legitur, huncque genuinum ex oculari inspectione adserat; supraque gemellum propemodum, Romam stantem exhibentem, in argenteis N. 14. viderimus, ut huic omnem fidem, quam vel sola *A. Rubenii* editione obtinuit, derogemus, causæ nihil videmus, credimusque potius, *Titum* uti meliorum aliorum Imperatorum, ita & hujus Prædecessoris sui memoriam hac restitutione voluisse salvam, Romam præcipuè pro typo eligens, cujus quippe vulgo & militi suum maximè debuerat Otho imperium, immò cujus auram semper captaverat, teste *Tacito* Histor. I. C. 36. *Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro DOMINATIONE* Exhibuere jam illum Nummi Arschotani ex *A Rub.* editione Tab. 23. n. 14. 15. *Com. Mediobarbus* p. 103. *Joach. Udanus* in Romana Potentia Tab. IV. n. 8. 9. p. 51. *Jac. Oiselius* in Thes. Numism. Tab. III. n. 8. 9. p. 13. Et cum videam, eundem prorsus nostræ esse sententiæ, non possum non ejus heic adscribere verba, uti ibidem habent superioribus jam dudum in chartam conjectis; " Sed quia hic Nummus, qui tamen in *Thesauro Ducis Arschotani* reperitur, ,, Othonis caput laureatum exhibet, dubitatum ,, à nonnullis, an genuinus & legitimus sit. Veri enim Othones, de quibus nullum est dubium, non cum laurea caput ejus, sed cum ,, galericulo repræsentant. Hoc quippe argumento inter alia rejicit *Th. Chiffletius* Dissertat. de ,, Othonibus Æreis, Nummum æreum, qui ,, Othonis caput laureatum præfert. Verum ,, Nummum, cujus antica pars heic exhibetur, ,, antiquum & genuinum Othonis esse, NULLUS ,, AMBIGO; & quia Othonem laureatum habet, eo inter rariores reputandus." Addimus præter illas supra jam adductas rationes alias & hanc, hoc arbitrio omnino *Titi*, nummum hunc restituentis, fuisse relictum, an nempe cum galericulo, an vero cum laurea, sequentibus Imperatoribus consuetissima, Caput ejus voluerit obsignatum. Ut taceamus in Nummis extra Urbem cusis reperiri pariter Caput ejus laureatum, uti alibi jam observavimus.

NUMISMATA
OTHONIS
ÆREA GRÆCA.

NUM. I.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΜΑΡΚȣ ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαςȣ. (*Imperatoris Marci Othonis Cæsaris Augusti.*) *Caput Othonis laureatum lævam versus, ante* Λυκάβαντος Α. *hoc est Anno I.*

ΕΙΡΗΝΗ. (*PAX*) *Caput muliebre velatum corona spicea circa frontem ornatum, pone caduceus.*

Cl. *Morellius* in Specimine altero Lipsiensi, in quo ipse hunc nummum è *Thesauro Versaliensi*, Regis Christianissimi, ubi plurimos Othones æreos genuinos & quorum fides in dubium vocari nequeat, asservari simul refert, produxit, existimat, & recte quidem, Antiochiæ, fuisse cusum, (addimus à Præside Syriæ, hoc nummo Othoni singulariter adulante, cujus cum Græcis Inscriptionibus nummi semper tunc temporis visuntur) innixus *Taciti* verbis Libro I. Historiar. Cap. LXXVI. supra jam allatis, qui, Syriam, sacramento adactam, à partibus Othonis contra Vitellum steisse cum vicina Ægypto, asseverat. In parte aversa Εἰρήνη (*Pax*) ex imitatione nummorum Romanorum (de qua infra pluribus) comparet, qua brevi tempore cum Republica Romana usus est, ad mortem voluntariam à Vitellio, à Legionibus Germanicis in Ducem electo, & Galba longe pejore, compulsus; Λυκάβαντος Α. annum primum Regiminis, quo cusus est nummus, designat, quanquam illum non absolverit, dum per menses tres & quinque dies imperio saltem præfuit, ac prælio à Vitellianis Ducibus superatus manum violentam sibimet ipsi, Bebriaci, Die XII. Calend. Maji A. DCCCXXI. intulit. Debemus, ut diximus, hunc nummum *A. Morellio*, qui exhibet illum in Specimine Lipsiensi Tab. XII. n. 2, p. 161. *J. Valens* in Thesauro Regio in Nummis Pop. & Urb. Græcis p. 19. qui tamen L. A. addit ibidem, quod in *Morelliano* non adparet. *Morellianam* delineationem prætulimus.

NUM. 2.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΜΑΡΚȣ ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙσαρος ΣΕΒαςȣ. *IMPERATORIS MARCI CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis nudum lævam versus.*

ΡΩΜΗ. (*ROMA.*) *Caput galeatum, ante* Λυκάβαντος Α. *hoc est, Anno primo.*

Antiochia pariter ex officina Præsidis Syriæ hunc nummum profectum esse, vix ambigi potest. Cusus vero ille rursus est ex imitatione Romanorum, in hoc quidem vox ROMA, ut in præcedenti ΕΙΡΗΝΗ (*Pax*) obsignata cernitur, perinde ac in aliis, legas ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ, ΕΥΘΗΝΙα, Α-

ΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, ΝΕΙΚΗ, ΕΛΠΙC, ΠΡΟΝΟΙΑ, ΟΜΟΝΟΙΑ & ſimilia. Agnoſcebant nempe hoc emblemate Romam pro Orbis Domina, eoque ſic & Imperatori & Senatui adulabantur, quaſi ipſi perpetua foret virtus, fortitudo ac gloria. Annum primum rurſus nummus præfert, quem tamen non impleviſſe imperio ſuo, in præcedenti Numero diximus. Delineationem hanc grati profitemur nos habere è *J. Valentis* nummis Populorum & Urbium Græcis pag 19. n. 7. qui *Dominum de Seignelay* ejus ibidem refert poſſeſſorem.

Num. 3.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΜΑΡΚ8 ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαςῦ. (*IMPERATORIS MARCI OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus.*

Caput Serapidis modio ornatum, ante Λυκάβαντ A. *h. e. Anno primo.*

Nihil frequentius in Nummis Ægyptiorum, quibus, & ſine dubio Alexandrinis, noſtrum debemus nummum, quam commendatio ac memoria ſuorum Deorum, vel Serapidis, vel Iſidis, vel Canopi. Nec mirum eſt in Othonianis nummis cudendis ſtudioſos fuiſſe Alexandrinos, cum Ægyptios cum maxime adhæſiſſe Othoni teſtis luculentus ſit *Taciti* locus, quem ſupra jam adduximus, Libro I. *Hiſtoriarum: ÆGYPTUS omneſque VERSAE IN ORIENTEM PROVINCIAE NOMINE EJUS* (OTHONIS) TENEBANTUR. Immo ipſe teſtatur *Patinus* hunc ſuo ævo Alexandria Ægypti fuiſſe advectum, plane γνήσιον, indubitatæque antiquitatis, tanta inſuper integritate præditum, ut nihil prorſus deſit ejuſdem elegantiæ. Habuit olim Alexandria Ædem Serapidis clariſſimam, teſte *Pauſania*, pulchritudine etiam & amplitudine, referente *Sozomeno*, illuſtriſſimam, inque colliculo ſitam, quam Veſpaſianus Alexandriæ hærens ſolus intravit, de firmitate Imperii capturus auſpicium, referente *Tacito* Hiſtor. Libro IV. & *Suetonio* in Veſpaſiano. Hoc tamen notes, promiſcue in nummis legi & *Serapis* & *Sarapis*, præcipue in iſtis nummulis, qui tempore Juliani percuſſi fuere, qualem vidimus in adverſa caput Serapidis præferre cum inſcriptione: DEO SANCTO SARAPIDI: & in averſa Nilum fluvium cum perigraphe, DEO SANCTO NILO. Vulgavere jam hunc ex rariſſimis nummum *J. Valens* in Nummis Pop. & Urbium Græce loqu. p. 19. n. 8. qui ſe ipſum ejus poſſeſſorem ibidem profitetur; *C. Patinus* in Suetonio nummis illuſtrato p. 363. qui nuper eum Alexandria Ægypti advectum plane genuinum ibidem ſimul adſerit. Ipſum & poſſedit *Em. Cardinalis de Maximis*, teſtibus *ſchedis Morellianis.*

Num. 4.

CAΛβιs ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙCαρ CEBACTOY. (*SALVII OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis nudum, lævam verſus.*

ΚΑΙΣΑΡΕΑC. (*CAESAREAE.*) *Montis editi ſimulachrum, infra:* ETȣς A. hoc eſt: *ANNO PRIMO.*

C. *Patinus*, qui hunc nummum, quod ſcimus, primum vulgavit, ſimul refert, eundem ſibi communicatum à *Gottifredo*, & in CHRISTINÆ, Suecorum Reginæ, Theſauro collecto à *Franciſco Gottifredo*, doctiſſimo Patritio Romano, & tunc Regii Theſauri Præfecto deliteſcere, ex quo nunc & illum protraximus, paucisque ſaltem monemus, eundem ſine dubio Cappadociæ Cæſareæ cuſum fuiſſe, quod mons Argæus non ſolum deſignare videtur, hinc Sozomeno ἡ πρὸς τῷ ΑΡΓΑΙΩ Καισάρεια dicta; ſed & Othonis erga iſtam provinciam ſtudium, cui quippe nova juſſa dediſſe Othonem ut & nova Africæ, teſtis eſt *Tacitus* Hiſtor. Libro I. Iſtum Epiſtola humaniſſime ad *Patinum* ſcripta *Thomas Chiffletius* illuſtravit, digna quæ & heic legatur integra, vel eam cumprimis inter alias ob rationem, quod illius αὐθεντίαν in Diſſertatione ſua de Othonibus p. 29. ſingulariter impugnaverat & ex Macrini vel Diadumeniani nummo fuiſſe confictum, quaſi vox Καισάρεια in nummis ante Macrini tempora non reperiretur, exiſtimaverat.

„ CAROLO PATINO

„ THOMAS CHIFLETIUS,

„ S. D.

„ Honoro te Medicum non propter neceſſitudinem, quæ tuum inter meumque patrem vetus „ coaluit. Sed in Opuſculo tuo Gallico omitte „ ſpes illas concipere, ex quo regii fruor honore „ obſequii, me poſſe tibi nummorum CHRISTINÆ REGINÆ Dominæ maximorum congeriem accurate exponere, ænigmata ſolvere, obſcura elucidare. Ingenue fatebor enim *Vopiſci* „ verbis, ſum unus ex curioſis, quod infinita „ ſcire non poſſim, incendentibus vobis, qui cum „ ſciatis, ſcire multo plus cupitis. Hoc me nimirum nomine tacite compellas, *Patine Guidonis* fili digniſſime, cum ais in eodem Opuſculo „ tuo Gallico curioſum quemdam *Antonii Piſonis* „ opinioni adhæſiſſe de inaudito & incomperto „ Italis Antiquariis numiſmate Othonis æreo, & „ diſſertationem arguis quam admodum adoleſcens „ auditor tantum nondum inſpector Othonum æreorum edidi & inſcripſi *Leopoldo Guillelmo Auſtriæ Archiduci*, ad quem Ferdinandus III. Imperator à Patre, Archiducali Medico primario, & „ patruo Abbate Eleemoſynario examinanda miſerat ærea quatuor numiſmata Othoniana, quæ „ illi, utpote noverant quam rectiſſime *Horatianum*:

„ *Quid ſculptum infabre, quid fuſum durius eſſet.*

„ ficta cenſuere ex Auguſti, Galbæ, Hadriani „ numiſmatis & Antonini. Veſtrates Othones æreos *Ludovici Henrici Lomenii* Briennæ Comitis, *Achilis Harlæi*, & amiciſſimi *Abbatis Seguini*, *Taciti* verbis loquar, neque confirmare argumentis neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quiſque demat vel addat fidem. Tantum de Othone loquar, qui *Franciſci* antea *Gottifredi* Patritii Romani; nunc CHRISTINÆ „ REGINÆ Dominæ poſſeſſione inclaruit, cum „ antica Inſcriptione: CA. ΟΘΩΝΟΣ. KAIC. CEBACTOY, & poſtica KAICAPEIAC cum montis ſimulacro. Reus tandem temeritatis efficiar, ſi „ uni, quod omnium inſtar ſit, CHRISTINÆ REGI-

„ REGINÆ Dominæ judicio, si *Leopoldi Principis Medicæi* consensui, si *Regii Thesauri* Præfecti *Francisci Gottifredi*, in cujus verba solent jurare Antiquarii, approbationi; si *Magni Ducis Etruriæ Gazæ* custodis *Fittoniano* calculo, si *Abbatis Seguini* in nummorum veterum intelligentia & copia Antistantis viri, confirmationi accedere verear, aut sequi potius tot tantarum de ejus nummi fide auctoritatum testimonia, ipseque ego antiquum nunc ex veteri formula EX VISU, qua valeo in nummis dignoscendis auctoritate judico, cum in hoc genere industriæ transalpinorum non æque sit ac Italorum Romæ laudata solertia. Insignitum Othonem prænomine Salvii, Victor uterque memorat, & Cæsariensem, quæ in postica parte visitur inscriptionem mons indicat referendam ad Cappadociæ Cæsaream, cui provinciæ nova jura dedisse Othonem, ut & nova Africæ, leges in *Tacito.* Nummum hunc sola visa inscriptione damnavi, simul reputans nullos reperiri Græcos nummos cum figura monticuli & Cæsareæ inscriptione signatos ante Macrini Mauri Imperatoris, ut *Dio* testatur, Cæsarea oriundi, tempora. Exhibuit mihi in Urbe ectypum nummi ærei è *Thesauro Magni Ducis* cum eadem Cæsareæ inscriptione & montis simulacro, cusum Claudii temporibus, doctissimus *Spanhemius* cujus non minus celebrabitur quam olim Felicis Octavius, præclara illa de Præstantia & Usu numismatum antiquorum editionis Romanæ, qua me donavit Vir humanissimus, dissertatio. Exhibuit mihi alios æreos Titi Vespasiani, Commodi & Severi temporibus cusos, cum simili schemate è *Thesauro CHRISTINÆ REGINÆ* Dominæ *Franciscus Gottifredus.* Exhibuit mihi Lutetiæ Parisiorum è nummorum suorum divite penu alium æreum, Antonini Pii cusum temporibus, immodicus meæ crescentis curiositatis æstimator Regii ærarii Senator *Sevinus*, & argenteos binos Antoninorum fratrum Caracallæ & Getæ, ille & cujus amicitia gloriari soleo, *Petrus Abbas. Seguinus.* Licet erroris gloriam ex Othonis speculo à Juvenale memorato, sive ut in alium sensum convertam exemplo Othoniano occupare, quod se proprio Imperator mucrone confoderit, unde & meafmet ipse rationes jugulabo, quas duas in ea dissertatione attuli, cur Othones ærei non requirentur. Tertiam enim quæ conjectura verius dicenda est, ut non despiciam, paterni nominis reverentia facit: & primam quidem Imperii Othoniani brevitatem aliorum Cæsarum imperia breviora debilitant: alterum infensum Othoni Senatum & pene nullam aut certe modicam Othonianam memoriam, quamvis probare conatus sim ex aliquot autorum locis, sunt alii eorumdem favorem Senatus Othoni conciliantes. Omnia decreta fuisse Othoni à Senatu quæ solent Principibus decerni notat *Plutarchus*, & disertis verbis confirmat *Tacitus*: *Accurrunt Patres, decernitur Othoni Tribunicia Potestas & omnes Principum honores.* Ipsius Othonis verba disserentis apud *Tacitum* leges: *Senatus nobiscum est.* Si pro Othone jam olim Senatus, si principalis potestas & triumvirorum *Gottifredi*, *Fittonii*, *Seguini* Senatus contra me est, quæ diutius tergiversandi ratio relinquitur? Sequor, sequor suffragante responso Modestini constitutiones, tempore posteriores, potiores sunt his quæ ipsas præcesserunt."

Luci, ut diximus, exposuit hunc nummum haud communem *C. Patinus* in nummis Imperatorum med. ac min. formæ p. 130. è *Gaza Christinæ Reginæ*, parario *Francisco Gottifredo.*

NUM. 5.

ΑΥΤΟΚράτωρ Μάρκυ ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρ Σεβαςῦ. (*IMPERATORIS MARCI OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam versus, ante* Λυκάβαντ A. (*ANNO PRIMO.*)

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑ. (*LIBERTAS.*) *Figura muliebris stolata stans & columnæ innixa, dextra coronam lauream, sinistra hastam tenet, ante stella.*

Libertatem in nummo hoc præstantissimo accipimus obsignatam imitatione nummorum Romanorum, in quibus tamen si eandem offendimus, pileum manu tenere alias videmus, cum hic sit laurea, modo, qui unicuique harum intelligenti constat, haud consueto. Libertatem, Neronis interitu, recuperarant Ægyptii, hanc propterea profitentes non sine adulatione in suis Nummis. *A. Morellius* in *schedis MStis* illius delineationem ex genuino exemplari, quod in *Regio Thesauro Versaliensi* asservatur, dedit, in quo tamen nihil præter ΕΛΕΥ. legere potuit; sed in *Goltzii* MStis integrum deprehendit, ex quo Regium postea restituit, & Specimini suo primo Parisiensi Tab. XII. Num. 2. intulit. In hoc perinde ac illo, quem *Illustriss. Comes Soderini* Venetiis possidet, stellam præterea deprehendit, in altero minus stellam vidit & in eo *Car. Patinus*, eundemque æri incisum dedit in *Catalogo Thesauri Petri Mauroceni* p. 114. *Joh. Valens* in Nummis Græcis p. 19. qui ipsum apud *Nob. Morosini* deprehendisse affirmat, sine dubio errans, quod sinistra palmam gerere scribat, cum sit hasta, uti ex *Patini* delineatione loco citato adparet facile. *Goltzius* in Thesauro rei antiquar. p. 5.

NUM. 6.

ΑΥΤοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκ ΟΘΩΝ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. (*IMPERATOR CAESAR MARCUS OTHO CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Othonis laureatum, lævam versus.*

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑϹ. (*CAESAREAE.*) *Montis Argæi simulachrum, infra* ΕΤΟΥϛ Α. (*ANNO PRIMO.*)

Mirabitur forte Lector, quod hic nummum eundem denuo produxerimus, quem jam antecedente N. 6. dedimus. Verum est, eandem matrem eundem agnoscere, sed & in multis simul ab isto discrepare, quæ discrepantia omnino diversum typum innuit, dignus, qui & singulariter, præsertim in hujus generis nummis rarissimis, observetur. Nam sicut in illo ΚΑΙΣΑΡΕΑϹ; hic addito adhuc Litera Jota ΚΑΙΣΑΡΕΙΑϹ legitur; sicut ibi ΕΤ, heic explicatius adhuc paulo ΕΤΟΥϛ, sicut ibi in adversa habet: ϹΑλυίυ ΟΘΩΝΟϹ ΚΑΙϹαρ ϹΕΒΑϹΤΟΥ, h. e. *SALVII OTHONIS CAESARIS*

RIS AUGUSTI; ita heic contra: ΑΥΤοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος ΟΘΩΝ ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC. (*IMPERATOR CAESAR MARCUS OTHO CAESAR AUGUSTUS*) obſignatus eſt. Interim Cæſarea Cappadociæ idem ſignatus eſt perinde ac præcedens. Poſſidet eundem *Dn. Liberi* Romæ.

NUM. 7.

. . . ΟΘΩΝΟΣ . . . (*OTHONIS*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚράτορος ΜΑΡΚου ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒάςου. (*IMPERATORIS MARCI OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚράτορος ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒάςου. (*IMPERATORIS OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus, ante* Λυκάβαντος Α. (*ANNO I.*)

Canopus in hydria, loto inſignis.

Frequens inter Ægyptiorum Numina quoque eſt *Canopus*, de quo audiemus *Ruffinum* Lib. XI. Hiſtor. Eccleſ. Cap. 26.: *Jam vero*, inquit, *Canopi quis enumerare ſuperſtitioſa flagitia poſſit? ubi, prætextu Sacerdotalium literarum, magicæ artis erat penè publica ſchola.* Pergit *Ruffinus*, originemque ejus his exponit.: *Ferunt aliquando Chaldæos Ignem, Deum ſuum, circumferentes, cum omnium provinciarum Diis habuiſſe conflictum, quo ſcilicet, qui viciſſet, hic eſſe Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris, aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materia conſtabant, quæ per ignem procul dubio corrumperetur. Ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret. Hæc cum audiviſſet CANOPI Sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri ſolent in Ægypto fictiles, undique crebris & minutis admodum foraminibus patulæ, quibus aqua turbida deſudans, defæcatior ac purior redditur. Harum ille unam, cera foraminibus obturatis, deſuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam ſtatuit in Deum. Et exciſum veteris ſimulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput deſuper poſitum diligenter aptavit. Adſunt poſthæc Chaldæi, itur in conflictum, circa hydriam ignis accenditur, cera, qua foramina fuerant obturata, reſolvitur; ſudante hydria ignis extinguitur. Sacerdotis fraude, Canopus Ægyptiorum Victor oſtenditur.* Hucuſque *Ruffinus* Cum quo conveniunt, quæ habet *Vitruvius* in Præfatione Libri VIII.; *Qui Sacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum, oſtendunt, omnes res è liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cum hydriam tegunt, quæ ad templum, ædemque caſta religione defertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad cœlum ſublatis, inventionibus gratias agunt divinæ benignitatis.* Vide, quam belle conveniat heic cum verbis *Ruffini Canopus* in nummo obſignatus, ridiculum illud Ægyptiorum Numen. Conſpicitur *Menelai* de ſtatua caput, quaſi velatum; venter tumidus, minutiſque foraminibus plenus, variiſque coloribus extrinſecus pictus in modum plane hydriæ; pedes exigui, veluti baſi modo impoſitus. Certiſſimum præterea indicium eſt, ex Ægypto hunc ad nos eſſe nummum perlatum, Ægyptiorum Numen offerens, Annumque primum Othonis Imperii exhibens. Exſtat hic rarior mediæ formæ nummus jam vulgatus æreque inciſus à *Joh. Valente* in appendice Iconum, præfixa ſuis Numiſmatibus Imperatorum Græcis Lit. C. II. & in ipſis nummis Græcis p. 19. & apud *C. Patinum* in Nummis Imperatorum mediæ & min. formæ p. 135. Itidemque in *Theſauro Mauroceno* pag. 114. n. 2. & 4. Poſſedit & illum *Dominus de Seignelay*, & exſtat hodie in *Theſauro Verſalienſi*, teſtibus *Seguino* & *Valente*.

NUM. 8.

. . . . (Αὐτοκράτορος Μάρκου) ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαςοῦ. (*IMPERATORIS MARCI OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚράτορος ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαςοῦ. (*IMPERATORIS OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus, ante* L. A. hoc eſt, Λυκάβαντος Α. (*ANNO I.*)

Vel,

ΑΥΤΟΚράτορος ΜΑΡΚου ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαςοῦ. (*IMPERATORIS MARCI OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam verſus, ante faciem* L. A. (Λυκάβαντος Α. h. e. *ANNO PRIMO.*)

Caput Iſidis loto in capite inſigne, ante notæ L. A. (Λυκάβαντος Α. *ANNO I.*)

Ægyptum in honorem Othonis conflaſſe hunc nummum æreum mediocris magnitudinis, alterum Ægyptiorum Numen, eidem impreſſum, apertè commonſtrat, nempe *Iſis*; Ejuſdem vero ſacra non adſpernatum fuiſſe, ſed potius huic peregrino Numini addictiſſimum exſtitiſſe Othonem, docent *Tranquilli* verba Cap. XII: *Ipſum SACRA etiam ISIDIS ſæpe in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe. Linteis veſtibus*, quas λινοςολὰς nominabant, indutos fuiſſe *Iſidis Sacerdotes*, *Herodianus* autor eſt II.: Ἠμφιέσϑ λινέα φορεῖν αἰεὶ νεόπλυτα, ἐπιτηδεύοντες τοῦτο μάλιστα. *Linea ferunt veſtimenta ſemper recens abluta, huic rei præcipue vacantes.* Hinc *Juvenali* Iſidis ſunt Sacerdotes *grex Liniger* VI. 533.

Qui

Qui grege linigero circumdatur.

Turbam vocat *linigeram Ovidius* Met. I. 747.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Et Ep. ex Pont. Libro I. v. 51.

Vidi ego linigeræ Numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Itemque *Appianus* Bell. Civ. IV. Οὐολούσιος ἀγορανομῶν προεγράφη, καὶ φίλον ὀργιαστὴν τῆς Ἴσιδος ἔχων, ᾔτησε τὴν στολὴν, καὶ τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις, καὶ τὴν τοῦ κυνὸς κεφαλὴν ἐπέθετο, καὶ διῆλθον ἕτως ὀργιάτων αὐτῷ σχήματι ἐς Πομπήϊον. *Volusius in ædilitate proscriptus amicum habebat Isiacum, à quo linteam stolam talarem sumpsit, & canicipitem personam indutus, hoc habitu bacchabundus evasit ad Pompejum.* Causam, cur linteis vestimentis utantur, tradit *Plutarchus* de *Iside & Osiride*, quod *linum è terra* nascatur *immortali*, & *vestem* exhibeat *tenuem & puram*, quæ gerentem *non gravat*, & est *apta omnibus anni temporibus*, *minimeque pediculos gignit*, ut ajunt. Et *Apul* in *Apol.* inquit. *Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terrâ exorta non modo indutui & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui insuper in rebus sacris usurpatur.* De habitu Sacerdotum Isiacorum consule Torrentium ad *Domitianum Suetonii* C. 1. Isidem, uxorem Osiridis, cum Cerere eandem esse, existimat Diodorus Bibl. atque ex eo, quod Cereris sacra apud Athenienses tantopere convenerint cum sacris Isiacis. Disertè vero Herodianus II. Ἶσις δ' ἐςὶ τῇ τῶν Ἑλλήνων γλῶσσαν ἡ Δημήτηρ, Isis vero est in Græcorum lingua Δημήτηρ, id est Ceres. Receperunt & illam Romani juxta *Lucanum* Libro VIII, v. 831.

Nos in templa tuam Romana recepimus Isin.

Quin & *Tacitus* illam inter Germanorum Numina collocat, Germ. IX. 2. *Pars Suevorum & Isidi sacrificat. Vossius* reliquias *Adami & Evæ* ex Gentilismo autumat, quorum ille Mannus, hæc Isis, de Idololatria IX. 12. Possedit alias hunc Nummum rarissimum illustrissimus *Seguinus*, quem *Patinus* suo merito ita dilaudat: " Ille est, cujus „ autoritas tanti apud me valet, quanti quis „ existimare potest. Summa probitate, erudi- „ tione insigni, prudentissima in rebus antiquis, „ ut in cæteris omnibus, sagacitate, ita is in- „ notuit per orbem, ut quos antiquos judicavit „ nummos, suspectos habere religio fit: nec „ immeritò dictaturam obtinet, si quæ sit in di- „ gnoscendis nummis. " Et quo rectius de natalibus hujus, & aliorum hujus typi nummorum, constet, ipsa *Seguini* verba in Selectis suis Numismatibus p. 140. afferemus: " Huic num- „ mo Serenissimus Princeps Gasto, Dux Aure- „ lianensis, ὁ μακαρίτης, inter alios quosdam O- „ thonianos sibi oblatos, convocatis innata sua „ benignitate Parisiensibus antiquitatis studiosis, „ primam vetustatis & sinceritatis laudem detu- „ lit. Alterum metallo, inscriptione & capiti- „ bus ab utraque parte omnino similem, sed „ pondere & mole paulo leviorem, Patavii na- „ ctus sum apud Eruditissimum Octavium Fer- „ rarium, primarium eloquentiæ & historiæ „ Professorem in Academia Patavina, qui eum „ Regi Christianissimo suo nomine offerendum „ mihi commisit; munus studioso harum elegan- „ tiarum Rege non indignum, & ab eo summa „ ma gratissimi animi testificatione acceptum. „ Quin & alium, sed minus integrum, eadem „ in urbe vidi Othonem æreum antiquum Græ- „ cum, hisce non dissimilem, apud illustrissi- „ mum *Joh. Comitem de Lazara*, cujus locuple- „ tissimi Musei supra in Sauromatæ Regis nummo „ meminimus. Sed & novissime anno MDCLXX. „ Vir Clarissimus *Jo. Baptista Caponus*, Bono- „ niensis Medicus & Philosophus insignis, ele- „ gantem de Othonibus æreis libellum Christia- „ nissimo Regi offerens, nostris assertis fidem fe- „ cit, cum altero, item Græco ejusdem Impe- „ ratoris nummo. In hoc tamen Othoni meo „ minus favet, quod nominis ipsius duas primas „ literas ΟΘ. detraxerit integre, cum tamen in „ prototypo pro majori parte reliquæ sint, & „ ab ipsius vetustatis injuria vindicatæ: eo pror- „ sus modo, quo à Cælatore in hujus commen- „ tarioli ectypo expressas videre est. Ne quis „ autem sibi persuaderet, tres Othones istos ab „ una eademque manu esse, prohibet omnium „ ponderis, magnitudinis, typique diversitas. „ Cæterum Caput illud Isidis, in aversa nummo- „ rum istorum exaratum, ut & Canopi in altero „ minimo, item Regio, Ægyptum designat, „ Othoni obnoxiam, idque secundum mentem „ *Taciti* Histor. Libro I. *Ægyptus*, inquit, *om- „ nesque versæ in Orientem provinciæ, NOMI- „ NE EJUS* (Othonis) *TENEBANTUR:* „ quæ verba superiori nostro Maronæo non ad- „ versantur &c. " Huc usque *Seguinus*.

Vulgarunt eundem *Car. Patinus* in Nummis Imperatorum med. & minimæ formæ æreis p. 136. ubi tamen videas caput Isidis loto non insigne, idque minus recte, sculptoris forte incuria. Rectius vero, & cum loto, in Catalogo nummorum *Petri Mauroceni* p. 114. itemque in *Suetonio* nummis illustrato p. 363. *Seguinus* in Selectis Numismat. p. 140. *Joh. Valens* in Nummis Græcis p. 19. qui illum apud *Val. Polazzi* vidit.

N u m. 9.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαςοῦ. (*IMPERATORIS OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum, lævam versus, ante* Λυκάβαντος A. (*Anno I.*)

ΚΡΑΤΗΣΙΣ. (*VICTORIA*) *Figura muliebris stolata stans, dextra victoriolam tenet, sinistra tropæum amplectitur.*

Carolus Patinus, qui hunc nummum, quod scimus, vulgavit primus, ita commentatur eandem explicaturus: " Insolitam nec alibi scri- „ ptam ἐπιγραφὴν exhibet rarissimus hic num- „ mus, cujus interpretationem liberam esse vo- „ lo, propter multiplicem Κρατήσεως significatio- „ nem. Atque ut singulas non recenseam, sed „ solas, quæ ad nummum revocari possunt, „ nonne Κρατέω cum vinco, occupo, teneo, „ domo præcipue convertitur? Sicque hac voce „ post aliquam in Vitellianos adeptam victoriam „ (ter quippe referente *Suetonio* Cap. 9. illos vi- cit)

,, cit) Otho de victis hoſtibus gloriaretur. Ex-
,, empla ſint apud Demoſthenem Κρατῶ τῷ πολέ-
,, μῳ *ſuperior ſum armis*, ſeu bello, & *Grego-*
,, *rium Naziazenum*, Κρατούμενος τῷ πολέμῳ. E-
,, gregie apud *Iſocratem* Κρατεῖν τῶν ἀντιπάλων in
,, genitivo, pro *hoſtes vincere*. Interdum pro
,, occupatione, ut apud *Xenophontem*, Κρατῶ τῆς
,, χώρας & Κρατῶ τῆς θαλάττης *potior regione*, *te-*
,, *neo mare* & apud *Thucydidem*, Κρατοῦντες τοῦ πο-
,, ταμοῦ *fluvio potiti*. Aliquando etiam pro ipſa
,, poſſeſſione, ut apud *Xenophontem* τὸ Κρατοῦν τῆς πό-
,, λεως, pro eo qui principatum & imperium
,, urbis tenet; & Platonem Κρατῶ τῶν πραγμάτων
,, *rerum potior*. Sic uſurpat *Homerus* pro *im-*
,, *perare*, βασιλεύειν ὃς μέγα πάντων Ἀργείων Κρατέει.
,, Paſſivum è contrario *ſuccumbere*, *inferiorem*
,, *eſſe*, *ſervire* ſignificat. Ita apud Ariſtotelem,
,, Κρατοῦμαι ὑπὸ τούτων *vincor ab illis*. Relictis
,, porro grammaticis, ad nummum procedamus.
,, Victoriam is indicat & typo & characteribus,
,, nec alio referri poſſunt Victoriæ ſimulacrum,
,, trophæumque. Satis prætereaque conſtat nec
,, triumphaſſe nec ovaſſe Othonem, Vitellio
,, nondum omnimode ſuperato, quem tamen
,, jam aliquoties victum deſignat inſignis hic
,, Nummus. Populum qui ipſum cudi curavit
,, libenter ſcirem; Ægyptium fuiſſe, non levis
,, conjectura eſt." Hucuſque *Patinus*, qui ipſum æri inciſum dedit in Catalogo *Petri Mauroceni* p. 114. ex *Theſauro* hujus ipſius *Ducis Moroſini*, ex quo & repetit *Joh. Valens* in nummis ſuis Græcis p. 19.

NUM. 10.

ΑΥΤΟΚράτορος ΜΑΡΚου ΟΘΩΝΟΣ ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαστοῦ. (*IMPERATORIS MARCI OTHONIS CAESARIS AUGUSTI.*) *Caput Othonis laureatum lævam verſus.*

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. (*ALEXANDRIA.*) *Caput fœmineum galeam capite geſtans ex elephantinis exſuviis, quæ ex promuſcide, quæ ſuper frontem exſtat, colliguntur.*

Novum Ægyptiorum in Othonem benevolentiæ monumentum ſub manus accipimus, nempe Alexandriæ Ægypti. Hoc nempe palam fit ex capite illo, quod in Nummis Hadriani ab hac urbe cuſis exſtat. Nempe ab *Alexandro Magno* Olympiade CXII. anno 2. exſtructa, Ariſtophane magiſtratu Athenis, C. Valerio Potito Flacco, M. Claudio Marcello Coſ. V. C. 423. à Ptolemæo Lagi filio metropolis conſtituta, & exinde Regia facta regni Ægypti, ac tandem ab Antonio III. Viro ΡΩΜΗ appellata ac ab Auguſto ſub poteſtatem P. R. menſe ſextili anno 724. redacta. Mulier veſtitu patrio caput induta. De ea, utpote quod ad partes ſuas acceſſerat ſub Alexandro, qui legionibus Ægypti præerat, inquit *Tacitus*: *ſimul Ægyptus, omneſque verſæ in Orientem Provinciæ nomine ejus tenebantur*. Unde tot Othonis nummi in Ægypto occurrunt ſignati.

Affert hunc nummum *Joh. Valens*, quem apud Nob. Venet. *Hier. Correri* teſtatur inveniſſe, ut & *Harduinus* p. 27.

Huc uſque *Schlegeliana*. Nunc ex *Triſtano* lubet ſubjicere, quæ is de Othone protulit atque uxore ejus Poppæa Sabina, & quale de Othone judicium tulerit. Hæc fere ejus ſunt verba Tom. I. Comm. Hiſt. p. 206. 261. &c. "M. Salvius Otho,
,, filius fuit L. Salvii Othonis & Albiæ Teren-
,, tiæ, natus fuit 28 Aprilis A. U. C. 784. Sa-
,, lutis noſtræ 33. Coſſ. Camillo Aruntio atque
,, Domitio Ænobarbo; ſe ipſum occidit ætatis
,, anno circiter 37. poſtquam inperaſſet quinque
,, dies ſupra tres menſes.
,, Fuit Otho ſtatura infra juſtam, capite
,, prӕcalvo, unde galericulum, iſtam deformi-
,, tatem ut tegeret, geſtare ſolebat; utque for-
,, mæ diu florem retineret ſolitus erat barbam
,, (quam tamen haud denſam habebat) vellere,
,, & faciem madido pane macerare. Adeo mol-
,, lis erat atque effeminatus & in formæ cultura &
,, in reliqua vita, ut quidem præter nomen nihil
,, virile habere videretur. Erat inſuper ambitio-
,, ſus, liberalis, imo prodigus, vita diſſoluta,
,, moribus blandus, commodus, gratus, laſci-
,, vus, obſequioſus etiam ad infamiam & pudici-
,, tiae damnum. Pluribus itaque laborans vitiis,
,, ſed talibus, quæ poſſeſſori ſuo plus quam aliis
,, nocerent, ſpecie & colore virtutum quodam-
,, modo tectis. Talis tamen quum exſiſteret Otho,
,, Luſitaniam (quam nunc Portugalliam vocamus)
,, ſatis laudabiliter rexit. Verum hujus adfectatæ
,, laudis ambitio ejuſdem cauſſa fuiſſe videtur, &
,, concepta ſpes de ſummo potiundo loco. Quare
,, Galbam ſenem, cujuſque mores nihil cum ſuis
,, habebant commune, ſatis ambitioſe coluit at-
,, que obſervavit, neque quidquam remiſit offi-
,, ciorum, quibus, ſi vel filius ejus fuiſſet, pater-
,, num poſſet detinere animum. Omnibus enim
,, modis Imperio inhians, inter primos, Galbæ par-
,, tes fuerat amplexus, omnemque argenteam au-
,, reamque ſupellectilem in pecuniæ uſum conver-
,, ti atque conflari, ut Galba eadem uteretur,
,, fecerat. Quibus officiis adoptionem Galbæ ſpe-
,, ctabat Otho, per eamdem Galbæ in Imperio
,, ſucceſſurus. Sed veram Othonis indolem bre-
,, vi patefecit Piſonis adoptio, qua tantopere de-
,, jectus atque offenſus fuit Otho, ut quamvis ad
,, Conſulatum provectus a Galba fuiſſet, truci-
,, dandi eumdem conſilium ceperit. Quod & per-
,, fecit, corruptis militibus ingenti pecuniæ ſum-
,, ma, promiſſis inſuper atque blanditiis, quibus
,, plurimum valebat, ſic ut quaſi per Othonem
,, faſcinati Imperium illi detulerint, quod tanto-
,, pere, funeſtum tamen eidem, exoptaverat. Ve-
,, rum dicamus aliquid haud injucundum. Narrat
,, *Cedrenus* rem quandam (fabulam ſapit, ſed non
,, ſine ſpecie veri) accidiſſe Othoni notabilem.
,, Othonem ſcilicet inter ſacrificandum pronun-
,, ciaſſe verſiculos quoſdam laſcivos atque indecoros,
,, dum ſacræ peragerentur preces, atque inde ar-
,, repta occaſione Vitellium milites ab Othone
,, abalienaſſe atque ut ipſum Imperatorem ſaluta-
,, runt, impuliſſe; adjungit inſuper, dixiſſe, dum
,, ſeſe feriret, Othonem: *Quorſum enim adtinebat*
,, *me quoque longis cantare tibiis?* Quæ reſpicere
,, videntur occupationes Neronis illaudabiles, cu-
,, jus mores, illi ut placeret, ſemper fuerat imi-
,, tatus. Sed diſcrepat a *Cedreno Suetonius*, qui
,, de eodem Othonis dicto loquitur Cap. VI, ut quod
,, non protulerit tum quum ſemet occideret. La-
,, ſcivos autem verſiculos & obſcœnos cantiuncu-
,, las amaſſe Othonem nemo mirari debet; utpo-
,, te talem, qui omnem vitam in ſpadonum atque
,, concubinarum grege infamem egerat. Sic ut
,, non

„ non dissimilem dici fas sit homini cuidam, quem „ negabat *Plutarchus* dignum qui nomine suo ad- „ pellaretur, satis habens uxoris cujus maritus e- „ rat nomine eumdem designare. Exemplo vide- „ licet Homeri, qui mentione Paridis occurren- „ te, ipsius quidem nomen haud effert, sed pul- „ chræ Helenæ plerumqne nominat maritum, ut- „ pote qui præter illud nihil quo commendetur „ habeat. Quare & inter muliebres munditias „ ornatus quoque Othonis a *Juvenale* increpatur Sa- „ tyra. II. 99.

„ *Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis.*

„ Ubi præterea eundem *pathici* convicio infamat. „ Sed neque solus ille turpem formæ gloriam in „ Othone accusavit, audi & *Apollinarem Sidonium* „ in Panegyrico Majoriano dicto, versu 321.

„ *Post speculi immanis pompam, quo se ille vi-*
„ *debat,*
„ *Hinc turpis quod pulcher, Otho.*

„ Adfirmat *Plinius* Lib. XIII. Cap. 3. ab Otho- „ ne edoctum fuisse Neronem pretiosis unguentis „ operire atque inundare loca per quæ pedibus „ transibat. Quibus originem videtur dedisse quod „ in Othonis vita protulit *Plutarchus*. Accidisse „ videlicet aliquando ut a Nerone per ludum & „ blanditias pretiosi olei aliquot guttis adspergere- „ tur Otho; illum vocasse postridie Principem ad „ coenam, atque per aureos, atque argenteos tubos „ & fistulas, repente tantam vim ejusdem pre- „ tiosi unguenti sive olei, nihil tale exspe- „ ctanti profudisse, ut universus ibidem inunda- „ retur locus. Et tamen luxu adeo perditus at- „ que effeminatus homo quibusdam mereri videtur, „ ut constans & magnaminus dicatur; quod sci- „ licet perfidia singulari atque summa ingratitudi- „ ne senem Imperatorem Galbam trucidaverit, „ & inermem, qui ambitioni ejus obstabat, op- „ presserit Pisonem Irridet id merito *Juvenalis*, „ quodque se ipse occiderit, laudatum *Martiali* „ Lib. VI. Ep. 32. summopere factum, simul „ damnat, Sat. II. 102.

„ *Nimirum summi ducis est occidere Galbam,*
„ *Et curare cutem summi constantia civis.*

„ Othonis enim per se ipsum perpetrata cædes, „ constantiæ laudem iis temporibus ferebat. Cer- „ tum vero est, quod hunc finem optaverit Otho, „ quoniam de rebus suis desperabat post insignem „ illam suorum ad Bedriacum cladem. Neque e- „ nim natus vel institutus erat ad belli labores & „ certamina; quod clarissime patet ex ejusdem in- „ patientia & præcipitatione, qua voluit ut de „ summa rerum quacumque occasione ocius di- „ micaretur. Eo ipso ostendit inconstantiam ani- „ mi, qua perseverare haud quaquam atque du- „ rare propter inbecillitatem suam potuerit, ne- „ que perferre ulterius animi anxietatem & futu- „ ri metum, sicuti ex *Secundi*, quem Othonis o- „ ratorem & ab epistolis adpellat *Plutarchus*, apud „ eumdem testimonio patet.

OBSERVATIO.

„ Quod haud parum Othonis officit existimationi „ est honos ab illo Neronis memoriæ habitus. *Dio* „ enim Lib. LXIII. atque *Plutarchus* in Vita e- „ jus, testantur Neronis adsumsisse cognomen, „ neque refugisse in theatris Nero salutari, neque „ coërcuisse certos, qui imagines Neronis publice „ proponebant; quin & portanda in Hispaniam „ dedisse diplomata, quibus tabularios dimittunt, „ in quibus Neronis nomen suo erat adjectum. „ Imo certam ejus rei fidem adfert *Tacitus* Lib. I. „ quum scribit adclamasse novo Imperatori & „ milites & populum, *tamquam nobilitatem ac de-* „ *cus adstruerent, Neroni Othoni.* Patet etiam cla- „ rissime ex *Plutarcho* in Galba, atque ex *Tacito* „ Lib. XIII. quantopere Othonem amaverit Ne- „ ro, quum utriusque convenirent mores atque „ voluptates; documento insigni exstitit Poppæa, „ quam a marito suo per stupri consuetudinem „ abalienavit Otho, spe conjugii; utque Neronis „ inserviret illa liberius libidini, sepositus ipse fuit „ sub honoris specie in Lusitaniam. Quare nul- „ lum mihi dubium est, quin Othonem sugillet „ *Tertullianus* in Lib. de Pallio, quum scribit: „ *Nec magnæ forte constantiæ mandatum sit, ini-* „ *quiorem Physcone, molliorem Sardanapalo Cæsarem* „ *designare, & quidem sub-Neronem.* Neque enim „ moveor *Merceri* aliorumqne longis in libellum „ illum Commentariis, qui de Vitellio vel Do- „ mitiano illud dictum existimant. Præterquam „ enim quod *Suetonius* Cap VII. una cum *Tacito*, „ *Dione* & *Plutarcho* summam inter Neronem atque „ Othonem testantur fuisse familiaritatem, facile „ liquet tantam inter utrumque fuisse morum con- „ venientiam, ut veluti alter Nero existerit Otho. „ Quin & ubi ad Imperium venit Otho, certissi- „ ma mox dedit specimina quod & nomen Nero- „ nis amaret & coleret memoriam. Præterea haud „ mihi fit verosimile, per *sub-Neronis* vocem in- „ dicare voluisse *Tertullianum* mollitiem Othonis „ pathicam, qua demereri turpiter Neronem stu- „ duerit, quam *mutui stupri* crimine taxat in Vi- „ ta ejus *Suetonius* Cap. III. *Per hanc* (libertinam „ vetulam gratiosam in aula Principis) *insinuatus* „ *Neroni, facile summum inter amicos locum tenuit,* „ *congruentia morum, ut vero quidam tradunt, &* „ *consuetudine mutui stupri.* De *mutuo* tamen *stu-* „ *pro* haud videtur loqui *Victor. Salvius Otho* (in- „ quit) *Neroni quoque quondam criminose familiaris* „ &c. Potest quin etiam illud *criminose familiaris* „ explicari de quacumque turpi consuetudine mo- „ rum factorumque. Confirmant præterea meam „ de *Tertulliani* loco sententiam epitheta quæ idem „ Othoni dat, quum eundem *inpuriorem* vocat & „ *molliorem*, quæ maxime Othoni conveniunt, „ quum *mollis Otho*, tantundem sit, quam *inpu-* „ *rus Otho*, vel *turpis Otho*. Si enim de Vitellio „ idem intellexisset scriptor, ad gulam potius ejus- „ dem, prodigalitatem, luxum, atque crudeli- „ tatem adaptasset dicteria, quam mollem atque „ inpurum dixisset. Utrumque autem simul in „ Domitiano taxasset, utpote qui fuerit pusillani- „ mus, timidus, vanus, perfidus, malignus atque „ crudelis; sed & insuper lascivus atque omni „ pudore vacuus. "

POPPÆA.

„ Neque apud Scriptorem antiquum quem- „ quam legi, neque aliunde ex Inscriptionibus „ vel Monumentis antiquis cognovi uxorem Otho- „ ni exstitisse præter lascivam illam Poppæam. „ Hanc ut adipisceretur necesse erat ipsa divor- „ tium ut faceret a marito suo Crispino, licet „ jam ante stupri cum illa habuisset consuetudi-

„ nem

„ nem Otho. Conjugium tamen Othonis atque Poppææ nihil nisi mimus fuit. Uti enim alibi dictum a nobis est, adeo Neroni placuerat Poppæa, ut per Othonem mutua stupri consuetudine sibi devinctum, eandem a marito suo Crispino abalienaret, ea quidem conditione, ut Otho sub nuptiarum specie Poppæam domi suæ, quo facilius eadem potiretur Nero, teneret. Neque enim aperte marito Crispino auferre Poppæam audebat Nero reverentia conjugis suæ Octaviæ, Claudii filiæ. Verebatur enim, si divortium cum Octavia, muliere honesta atque laudata, per quam ad Imperium venerat, faceret, eo magis suspectum se fore de morte Britannici atque veneni eidem procurati; præsertim quum magna virtutis fama apud populum esset Octavia, infamis autem propter perditos mores Poppæa. Opera igitur atque nomine Othonis, qui sub prætextu mariti illam sibi reservaret, abusus fuit Nero, facta ante per Othonem spe fore ut Princeps illam uxorem adsumeret, ubi primum amovendæ Octaviæ commoda nata occasio fuisset. Quare & formam ejus sæpe coram Nerone laudavit Otho, atque ejusmodi blanditias Neroni admovit Poppæa, quibus incendi magis cupiditas Neronis potuit quam satiari. Poppæam hanc singulari arte in hoc mimo partes suas egisse observat *Tacitus*, sic ut quum jam in vulgus manassent amores Neronis & Poppææ, neque spes esset ut Neroni cum Octavia unquam bene conveniret (quum naturæ morumque diversitas longissime dissociarent utrumque) eo perduxerit Neronem Poppæa, ut sineret amoveri ab aula conjugem Octaviam, & tandem occidi, recepta infami Poppæa, cui & ipsi tandem hic mimus tragicum exhibuit finem. Neque mirari cum *Plutarcho* in Vita Othonis debemus, quod mori Othonem haud jusserit Nero, quum ipsi & uxorem suam & pupam auferret. Provinciam enim Lusitaniam Othoni dedisse videtur Nero non ut frigore percusso aut minus apud se gratioso, verum pro beneficio, atque in remunerationem præstitæ in adipiscenda Poppæa operæ; neque dubito quin illam, ut mercedem operæ a Nerone petierit Otho, ut tutius ab aula abesset, sibi conducibilem. Prævidebat enim facile vitæ & fortunarum summum sese adire discrimen, se diutius Romæ atque in aula versaretur, propter institutum vitæ aliasque dotes. Erat enim Otho moribus illis temporibus valde accommodatis; blandus, benignus, magnificus & alliciens, sic ut (observante *Tacito*) æquales omnes vinceret. Iisdem artibus instructa erat atque eadem vitæ ratione gaudebat Poppæa. Fieri itaque vix poterat, quin similem sibi amatorem Neroni præferret Othonem; quamtumvis ambitio eandem cogeret obsequi Neroni, qui ex privato consortio Imperii Romani dominam reddiderat, quod omnibus Othonis illecebris præponderabat. Quinimo si talis existens Otho, diutius versatus Romæ fuisset, evitare nequaquam potuisset insidias malas delatorum, qui plurimi tum exstabant atque Neronem undique cingebant, quin vel minima quæque quæ præ desiderio Othonis fecisset dixissetve Poppæa, exaggerata fuissent atque criminose detorta, adeoque apud crudelem Principem in pejus interpretata; & interitum Othoni, sicuti pluribus præclaris sub Nerone viris, accelerare potuissent. Præterea, quod magis meam firmat opinionem, atque evincit haud ex odio aut frigore Principis secessum hunc Othonis provenisse, verum gratum Othoni fuisse atque expetendum, si Germaniam aliamve provinciam laboriosam illi adsignasset Nero, quæ molli Othonis vitæ gravis exstitisset, aliam a Principe provinciam precibus expetivisset, vel de reditu in urbem ipsum sollicitasset. Verum dimissus est in Provinciam maxime quietam, quam sibi tam convenientem invenit Otho, ut per integros decem annos ibidem commorari sustinuerit. Cujus benevolentiæ Neronis gratia, ipse postea factus Imperator, gavisus fuit Neronis (ut benefactoris sui) nomine dici a milite & populo, statuas ejus reposuerit, memoriam coli siverit, sicuti & ipsius Poppææ, quod *Tacitus*, *Dio*, atque *Plutarchus* abunde probant."

TA-

TABULA I,

COMPREHENDENS

CAPITA

A. VITELLII

IMPERATORIS.

Num. I.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator. Caput Vitellii nudum, lævam verſus.

Nunc Auli Vitellii vitæ Hiſtoriam, ordine temporis & ſerie Imperatorum ducti, dum ex nummis auſpicamur, facilè credimus, parentes ipſius, dum faciem & habitum corporis intuiti ſunt, cauſæ ſatis habuiſſe, cur genituram ejus, prædictam à Mathematicis exhorruerint, id totidem verbis nobis prodente *Suetonio* Cap. III.: *GENITURAM EJUS, prædictam à Mathematicis, ita parentes exhorruerunt, ut pater magnopere ſemper contenderit, ne qua EI PROVINCIA, vivo ſe, COMMITTERETUR: & mater miſſum ad legiones*, (inferioris ſcilicet Germaniæ) *& appellatum IMPERATOREM pro afflicto ſtatim lamentata ſit.* Clarius vero hujuſdem ſuæ matris animi præſagii meminit *Tacitus* Hiſtor. Lib. II. 64.: *Dixiſſe quin etiam ad primas filii ſui epiſtolas ferebatur Sextilia* (quam *probatiſſimam* tamen, nec *ignobilem fœminam* nominat *Suetonius*, *Tacitus* vero Libro II. Hiſt. *pari probitate matrem, & antiqui moris*) *non GERMANICUM à SE, ſed VITELLIUM genitum. Nec ullis poſtea fortunæ illecebris, aut ambitu civitatis, in gaudium evecta, domus SUAE tantum adverſa ſenſit*; Ac Hiſtoriar. Libro III. 67. *Erat illi & feſſa ætate parens, quæ tamen paucis ante diebus, opportuna morte, excidium domus prævenit, nihil principatu FILII aſſecuta, niſi LUCTUM & bonam famam.* Nam, ſi pro ratione inſtituti noſtri, quod hactenus per ſingulos tenuimus Imperatores, faciem ejus heic, antequam perigraphen attendamus, in Num. I. curatius contemplamur, eas notas nobis iſta oggerit, quas non alias, niſi malas, cum Parentibus ejus interpretari, vel primo ſtatim intuitu poſſumus. Non mirum ergo, quod pars vulgi etiam, (tradente hoc nobis rurſus *Suetonio* Cap. XVII.) *CORPORIS VITIA IPSI EXPROBRAVERIT. ERAT enim*, pergit, *IN EO ENORMIS PROCERITAS, FACIES RUBIDA plerumque ex vinolentia, VENTER OBESUS, ALTERUM FEMUR SUBDEBILE, impulſu olim quadrigæ, cum auriganti Cajo miniſtratorem exhiberet.* Sed quid, ut ad primum redeamus, ex vaſta & immodica iſta corporis mole ac proceritate, quæ magis dehoneſtamento, quam venerationi & pulchritudini eſt Principibus, augurari ſubinde ſtatim licet, quam animum parum præſentem & admodum ſegne ingenium, quod *Tacitus* diſerte ipſi Hiſtor. Lib. I. tribuit, imprudentem animum, immo *ſtupidum*, ut recte de illo illud *Poëtæ* enuncies:

Non eſt in tanto corpore mica ſalis,

quod & actiones ejus ſubſequentes comprobant ſatis. Sane non de nihilo eſt, quod de ipſo prodidit *Dio* p. 734. & *Xiphilinus* p. 208. *ipſum omnia ſuo arbitatu egiſſe*, Βιτέλλιος δὲ, ſcribens: ἐπεὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐγένετο, τἆλλα τε διῴκει, ὥσπερ καὶ ἐδόκει αὐτῷ. *Vitellius, ut Romam venit, cœpit omnia ſuo arbitratu gerere*; & porro: οὐδὲν ἔτι τῶν ἄλλων οὔτε τῶν ἀνθρωπίνων οὔτε τῶν θείων ἐφρόντιζεν. *Nullam curam habere divinarum, aut humanarum rerum*; nec non *Suetonius* Cap. XI. & XII.: *Magis ac magis omne divinum humanumque jus neglexiſſe, talibus principiis magnam Im-*

perii partem, non nisi consilio & arbitrio vilissimi cujusque histrionum & aurigarum, administrâsse ; &, quod *Tacitus* tradit, Hist. II. 87. : *Aggregatos esse è plebe flagitiosa per obsequia Vitellio cognitos, scurras, histriones, aurigas, quibus illum amicitiarum dehonestamentis tamen mire gavisum fuisse.* Bonum factum ! Egregia Imperii auspicia ! Et ecquid aliud designat illa Mathematicorum ex omni Italia expulsio ? de qua rursus *Dio* Libro LXV. p. 734 & *Xiphilinus* p. 205. : Καὶ πρόγραμμα ἔθετο, ὅ, τε τοὺς ἀστρολόγους ἐξήλασε, προειπὼν σφίσιν, ἐντὸς τῆς δε τῆς ἡμέρας (ῥητὴν τινα τάξας) ἐξ ἁπάσης τῆς Ἰταλίας χωρῆσαι. *Sed imprimis edicto proposito, Astrologos expulit ex urbe edixitque, ut intra certam diem, quam ipse constituerat, ex omni Italia excederent* ; & *Suetonius* Cap. XIV. : *Nullis tamen infensior, quam vernaculis & mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat* ; nec non *Tacitus* Histor. Lib. II. 62: *Præmisit in Urbem edictum. . . Pulsi Italia Mathematici.* Sed quid eadem intendit expulsione, & obinere arbitratus est ? an vitam diuturniorem ? an Regiminis majorem felicitatem ? an brevioris Imperii rumoris abolitionem ? Nihil sane hujus per omnia ! Manebant omnino ipsum Fata, quæ astra portendebant, nec Astrologorum ejectione immutari ista omnino poterant. *Exacerbatus*, scribit *Suetonius* Cap. XIV. *quod post edictum suum, quo jubebat, intra Kalendas Octobris Urbe Italiaque mathematici excederent* ; *statim libellus est propositus, & Chaldæos dicere : bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam esset.* Quod *Xiphilinus* p. 205. & *Dio* Libro LXV. p. 734. sic exprimunt : Καὶ αὐτῷ ἐκεῖνοι (ἀστρόλογοι) νυκτὸς ἀντιπροσθέντες γράμματα, ἀντιπαρεσήγγειλαν, ἐν ᾗ ἐτελεύτησε. *Illi contra* (astrologi) *de nocte scripto proposito, vicissim denuntiarunt, ut è vita excederet intra eum diem, quo mortuus est. Adeo*, addit *Dio*, *futuros rerum eventus accuratè præcognoscebant* ; In hunc vero modum & *Zonaras* Annal. Tom. II p. 192. : Φιλόμαντις δὲ ὑπάρχων, καὶ μηδὲ τὸ βραχὺ πράσσων ἄνευ αὐτῶν, τότε μὲν τοὺς ἀστρονόμους, ὕστερον δὲ καὶ γόητας ἐξήλασε, προειπὼν σφίσιν ἐντὸς τῆς δὲ τῆς ἡμέρας ἐξ ἁπάσης ἐκχωρῆσαι τῆς Ἰταλίας· Κἀκεῖνοι νυκτὸς ἀντιπροσθέντες προγράμματα, ἀντιπαρήγγειλαν αὐτῷ ἀπαλλαγῆναι τοῦ βίου ἐντὸς τῆς ἡμέρας ἐν ᾗ ἐτελεύτησεν. *Jam cum divinationibus deditus esset, nec sine iis vel minima susciperet, tùm astronomos, post etiam ariolos pepulit, certo die præfinito, intra quem tota Italia excederent. Qui noctu vicissim schedis propositis, ei denunciarunt, ut intra eum diem è vita excederet, quo excessit.* Ubi obiter monuisse heic, forte non incongruum erit, *Vitellium* neque intra *eundem Kalendarum Octobris diem*, quod *Suetonius* tradere videtur, nec *ipsis Kalendis Octobris*, quod alios velle existimari posset, fuisse mortuum, sed circa *finem Decembris*, aut initium *Januarii*, quod ex *Taciti* verbis colligas Histor. III. 67 : *Kalendis Januarii, audita defectione Legionis, cohortiumque . . pullo amictu Palatium egreditur.* Ut adeò *Kalendæ Octobris sequentis anni* rectius intelligi, persuadeamur ex ipsa rerum gestarum serie, quas omnino vita non attigit *Vitellius*. Et quorsum istud ejus pronunciatum referendum est, detestabile, *Suetonii* Cap. X. judicio, cum campos, in quibus pugnatum esset cum Othone, adiisset, & cum quidam abhorrerent cadaverum tabem : *Optimè olere*, dixerat, *occisum hostem, & melius civem. Annon Vitellius flexit oculos*, (interrogat *Tacitus* Libro II. Histor.) *nec tot millia insepultorum civium exhorruit. Lætus ultro, & tam propinquæ sortis ignarus, instaurabat sacrum Diis loci.* Et quid illa vult dictio, quam refert itidem *Tacitus* Histor. III. 39. : *Addidit facinori fidem, nobili gaudio, Blæsum visendo* ; *quin & audita est sævissima Vitellii vox, qua, (ipsa enim verba referam) se pavisse oculos, spectata inimici morte, jactavit.* Si verò & conversationis suæ vis specimen, audi *Suetonium*, C. VII. scribentem : *Quam veterem de se persuasionem Vitellius recentibus etiam de se experimentis auxerat, tota via caligatorum quosque militum obvios exosculans : perque stabula ac diversoria mulionibus ac viatoribus præter modum comis, ut mane singulos, jamne jentassent, sciscitaretur, seque fecisse RUCTU quoque ostenderet* ; itemque *Tacitum*, Hist. I. 52. eum sic describentem : *Ita comitatem bonitatemque faventes vocabant, quod sine modo, sine judicio donaret sua, largiretur aliena.* FACIEM, ut progrediamur nunc cum *Suetonio*, atttendimus RUBIDAM, & plerumque, uti addit, ex vinolentia. Rubidam fuisse eandem, plenæ buccæ & genæ turgidæ ostendunt & collum suffarcinatum ac propendens, quod satis clare exhibent nummi. Frons præterea exstantior, nasus aduncus, labia prominula, mentum aliquantum evectum, oculi profundiores, collum vastum quid aliud designant, quam gulosum ac ebriosum, delicatulum, sævum, lascivientem, impudicum, rerum suarum negligentem, & earum rerum, quæ Imperatorem decent, neutiquam studiosum. Quæ omnia hæc ejus vitia ab aliis Auctoribus satis legimus quoque prodita, vivisque quasi coloribus depicta, ordine eadem nunc statim visuri.

Et quidem quando ipsum gulæ indulgentem diximus, & *Tacitus* Lib. I. Hist. *Omnium mortalium luxuria deterrimum* ; *Eutropius* in Breviario Lib. VI. *Ipsum ingluvie & voracitate notabilem* ; *Suidas*, *inexplebili gulæ incontinentia & ventris ingluvie* ; *Egnatius*, *ventri ac gulæ natum* nominent, prodeant nobis *Xiphilinus* p. 209. & *Dio* Lib. LXV. p. 734. itemque *Zonaras* Annal. T. II. p. 192. qui omnes, veluti uno ore : Καὶ ἐγένετο ὁ χρόνος ὁ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ σύμπας οὐδὲν ἄλλο ἢ μέθαι τε καὶ κῶμοι. *Fuit TEMPUS OMNE PRINCIPATUS VITELLII nihil aliud, quam EBRIETAS & COMMESSATIONES. Etenim*, pergunt, *pretiosissima quæque, etiam ab ipso usque Oceano, ne dicam ulterius, undique terra marique conquisita, usque adeo sumtuose adparabantur, ut omnes cupediæ cibique ejusdem generis, ex eo etiam nunc Vitelliani nominentur. Quæ omnia quis sigillatim queat attingere ? quando constet inter omnes, eum, quo tempore Principatum tenuit, consumsisse in cœnas novies millies sestertium, (sive, aureorum nonagies centena millia, aut, duas myriadas myriadum & bis mille quingentasque drachmas.) Sed omnes res hujuscemodi pretiosissimæ brevi tempore defecerunt, quod omnia pretiosa esse oporteret. Patinam quidem unam apparavit, in quam impendit decies sestertium* ; (*aureorum decem millia*, sive, *XXV. myriades drachmarum*, *seu viginti quinque millia Philippicorum*, censentibus *Budæo*, *Meursio* de Luxu Romanorum C. XIII. & *Lipsio* in Admir. Rom. IV. 7.) *linguis, cerebellisque & jecoribus piscium & quarundam avium, in eam conjectis. Hanc patinam, cum fictilis esse non posset propter magnitudinem, argenteam fecit : eaque diu permansit, veluti res Diis consecrata, quousque Adrianus eandem conspicatus, conflari jussit.* Et p. 735. : *Cæterum quia sumtus hos de alieno faciebant, quamvis eos magnopere non computarent, tamen ii, qui epulum dabant vicissim, magno incommodo afficiebantur, licet convivium ab uno minime totum diem ageretur. Dabant enim alii jentacula, alii prandium, alii cœnam, alii comessationes, veluti solatium pristinæ satietatis. Ex quo factum est, ut paucorum dierum spatio consumta sint in cœnam quadragies sestertium* i. e. *aureorum XL. M*

seu

seu *centum myriades drachmarum.* Paginaque 734. *Magnam diei noctisque partem consumere in comessationibus, crebroque vomere omnia, ut solo transitu ciborum nutriretur. Cui quidem rei ipse sufficere poterat, quamvis cæteri, qui cum eo cœnabant, omnes misere interirent.* *Zonaras* vero, qui superiorem summam aliter subducit, p. 192. l. c. scribit: Ὁπότε πρὸς πάντων ὡμολόγηται, δύο μυριάδας μυριάδων καὶ χιλίας πεντακοσίας ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ χρόνῳ ἐς τὰ δεῖπνα αὐτὸν δεδαπανηκέναι. *Cum inter omnes constet, eum imperii sui tempore bis millies centies quinquagies centena millia drachmarum in cœnas insumsisse* Rursusque *Suidas*: *Sæpe enim non interdiu modo, sed & noctu cibum capiebat, & in apparandis cœnis magna pars vectigalium consumebatur. Ferunt enim centena bina sestertia & semis in singulas cœnas insumsisse: cum quidem & continenter eructaret, atque revomeret omnia, qua una re crapulam ferre potuit. Nam ejus quidem convictores pessime habebant.* Paullo concisius dicta tradit *Suetonius* de ipso Cap. XIII. adspersis quibusdam singularibus, quæ merentur, ut & heic legantur: *Sed vel præcipue luxuriæ . . . deditus, epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat: in jentacula, & prandia, & cœnas, commessationesque: facile OMNIBUS SUFFICIENS, vomitandi consuetudine. Indicebat autem aliud alii eadem die: nec cuiquam minus singuli apparatus quadringenis millibus nummum (decem millibus Philippicorum,* ceu *Ciacconius* de *Triclinio* pag. 61. & *Lipsius* in Admirandis Romæ IV. 7. computant istam summam) *constiterunt. Famosissima super cæteras fuit cœna ei data adventitia à fratre: in qua duo millia lectissimorum piscium, septem avium apposita traduntur. Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem Clypeum, Minervæ* Αἰγίδα Πολιούχου, *dictitabat. In hac scarorum jecinora, phasianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes à Carpathico usque fretoque Hispaniæ, per navarchos ac triremes petitarum commiscuit. Ut autem homo non profundæ modo, sed intempestivæ quoque, ac sordidæ gulæ; ne in sacrificio quidem unquam, aut itinere ullo temperavit, quin inter altaria ibidem statim viscus, & farra pæne rapta è foco manderet, circaque viarum popinas fumantia obsonia, vel pridiana atque semesa.* Idem & de eo refert *Tacitus* Histor. Lib. I. 62.: *Torpebat Vitellius, & fortunam Principatus inerti luxu ac prodigis epulis præsumebat, medio diei temulentus, & sagina gravis*; Ac Libro II. *Epularum fœda & inexplebilis libido. Ex Urbe atque Italia irritamenta gulæ gestabantur, strepentibus ab utroque mari itineribus, exhausti conviviorum apparatibus Principes civitatum, vastabantur ipsæ civitates. Degenerabat à labore ac virtute miles, assuetudine voluptatum, & contemptu Ducis*; & paulo ante: *Vitellius ventre & gula sibi ipsi hostis ducebatur.* Ex re & veritate *Egesippus*: *Vina simul & sanguinem fundens, & ructans crapulam, qui, si diutius vixisset, luxuria, sumtibus & pretio mensarum Romani Imperii opes abligurisset.* Paucis multa comprehendit *Eutropius*, VII. 14. eum ita depingens: *Notabilis præcipuè ingluvie & VORACITATE; quippe cum de die quarto, vel quinto feratur epulatus.* Et patinarum paludes Vitellii memoriæ exprobravit *Licinius Mutianus* apud *Plinium* Libro XXXV. Cap. 12.; tum & modo laudatus *Tacitus* Histor. Lib. II. 95.: *Ipse abunde ratus*, scribens, *si præsentibus frueretur, nec in longius consultans, novies millies sestertium paucissimis mensibus intervertisse creditur.* Non sine ratione ergo, & propter eandem potius caussam ipse à Galba in provinciam, sive Germaniam inferiorem, ablegatus fuit, nempe quod Galba præ se tulerit ac significaverit, nullos minus metuendos, quam qui de solo victu cogitarent; ac posse provincialibus copiis profundam ejus expleri gulam: ut cuivis proinde evidens fuerit, contemtu magis, quam gratia fuisse electum. Nempe sciebat sagax Imperator, desidiam & torporem metuendum non esse, illosque, qui summum bonum in eduliis & potulentis collocant, nihil sublime arduumque meditari, sed veluti demersos voluptatum cœno indies marcescere, ventri vivere deditos ac gulæ, atque hinc inglorios. Delicatulus dehinc ejusdem genius non solum ex ante dictis dispalescit, sed & ex *Suetonii* verbis potest colligi, de eo scribentis Cap. X.: *Quod per flumina, delicatissimis navigiis, & variarum coronarum genere redimitis, inter profusissimos opsoniorum apparatus vectus fuerit*; itemque *Xiphilini* p. 208. *Vitellius cognitis his rebus omnibus, nihilominus remanet in Urbe: neque vero à deliciis abstinet.* (Τῇ τε ἄλλῃ τρυφῇ ἐς τότε χρώμενος, καὶ ἀγῶνας μονομαχίας τιθείς.) *Sed præter cætera ludos gladiatorios facit.* Ipsum porro *gravi sævitia notabilem*, uti loquitur *Eutropius* in Brev. Libr. VI. & *mente crudelem*, uti habent *Excerpta* ex *Sexti Aurelii Victoris* libris, non pauca exempla ipsum apud *Tacitum* & *Suetonium* exhibent; *Pronus*, præterea Cap. XVIII. scribentem, *ad cujuscunque & quacunque de causa necem atque supplicium: nobiles viros, condiscipulos, & æquales suos omnibus blanditiis tantum non ad societatem Imperii allicefactos, vario genere fraudis occidit: etiam unum veneno manu sua porrecto in aquæ frigidæ potione, quam is affectus febre poposcerat.* Ut taceamus, *Marini*, *Dolabellæ*, aliorumque, apud *Tacitum* exempla. Lascivientem & impudicum nemo negaverit, qui paulo penitius vitam ejus introspexerit. *Dio* sane apertissime de eo Libro LXV. p. 734. & ex eo *Xiphilinus* p. 206. & ex priore *Zonaras* p. 192. iisdem verbis: Αὐτὸς δὲ τῇ τε τρυφῇ καὶ τῇ ἀσελγείᾳ προσκείμενος. *Interim Vitellius explere libidinem suam, inservire voluptatibus* &c. Neque forte hoc adulta saltem ætate, sed etiam à prima usque pueritia facere consueverat, docente id nos *Suetonio* Cap. IV.: *Pueritiam, primamque adolescentiam Capreis egit inter Tiberiana scorta, & ipse perpetuo* spintriæ *cognomine notatus: existimatusque corporis gratia initium & causa incrementorum patri fuisse.* Et cui hæc non sufficiunt, audiat *Tacitum*, qui ipsum Histor. Libro I. *Omnium mortalium impudicitia deterrimum, & velut ad perdendum imperium fataliter electum nominat*; imo paulo post ibidem notat, *Othonem & Vitellium per literas STUPRA & FLAGITIA invicem objectâsse*; & aperte Histor. Libro I. fatetur: *Ante utriusque exitum, quo egregiam Otho famam, Vitellius flagitiosissimam meruêre, minus Vitellii ignavæ voluptates, quam Othonis flagrantissimæ libidines timebantur. Rerum* denique *summo Principe indignarum studiosum* verba *Dionis* pag. 734. & *Xiphilini* p. 205. eundem exhibent, scribentium: Ἦν μὲν γὰρ καὶ ἀπαρχῆς τοιοῦτος, ὁποῖος περί τε τὰ καπηλεῖα καὶ περὶ τὰ κυβευτήρια τούς τε ὀρχηστὰς καὶ τοὺς ἁρματηλάτας ἐσπουδακέναι. *Nimirum à principio talis erat; quippe popinas frequentaverat, & ludos aleatorios, saltatorumque & aurigarumque studiosus fuerat*; itemque *Zonaræ* Tom. II. p. 192.: Ἦν δὲ τρυφῇ τε καὶ ἀσελγείᾳ προσκείμενος, καὶ ἀπ᾽ ἀρχῆς τοιοῦτος ὢν οἷος περὶ τὰ κυβευτήρια, καὶ τοὺς ὀρχηστάς, καὶ τοὺς ἁρματηλάτας ἐσπουδακέναι. *Cum autem luxui & lasciviæ deditus, & à prima ætate in cauponis, foro aleatorio, saltationibus & aurigationibus versatus esset.* Ex quo non poterat non venditata ejus Majestas risui esse multis, quot rursus totidem verbis nobis consigna-

signarunt *Dio* Libro LXV. p. 735. & *Xiphilinus* p. 207. *Vitellius plerisque risum excitabat. Cum enim viderent gravitatem & majestatem ejus in publicis conventibus, cujus stupra ante cognoverant, sedereque in equo regio ornatum chlamyde purpurea eum, quem sciebant veneto vestitu certatores equos in certaminibus abstersisse: deinde cum tanta manu militum conscendere in Capitolium, quem nemo ante videre poterat in foro propter multitudinem creditorum: postremo adorari ab omnibus, quem ne osculari quidem libenter voluerat quisquam: teneri non poterant, quin riderent.* Nec ab ipso pæderastias crimine, Antecessoribus etiam suis plerisque communi, ipsum fuisse immunem, ex verbis *Suetonii* clarum est, & non solum iis, quæ supra ex cap. IV. jam attulimus, nempe, quod existimatus fuerit corporis gratia initium & causa incrementorum patri fuisse; sed & quæ leguntur cap. XII. *Talibus principiis magnam Imperii partem, nonnisi consilio & arbitrio vilissimi cujusque histrionum & aurigarum administravit, & maxime Asiatici liberti. Hunc adolescentulum mutua libidine constupratum, mox tædio profugum, cum & Puteolis poscam vendentem deprehendisset, conjecit in compedes, statimque solvit, & rursus in deliciis habuit: iterum deinde ob nimiam contumaciam & ferocitatem gravatus, circumforaneo lanistæ vendidit, dilatumque ad finem muneris repente surripuit, & provincia demum accepta manumisit: ac primo imperii die aureis donavit annulis super cœnam, cum mane rogantibus pro eo cunctis, detestatus esset severissime talem equestris Ordinis maculam.* Addimus, *COMAM* ipsi attribui a *Suetonio*, & *BARBAM* a *Dione* & *Xiphilino*, quarum nullam tamen in capite tum hoc, tum aliis observamus. De priori, coma scilicet, (quæ, ex communi loquendi usu, longiores indigitare solet capillos,) ita *Tranquillus* cap. XVII. ultima vitæ *Vitellii* expositurus: *Ab iis* (antecessoribus) *extractus e latebra, sciscitantes, quisnam esset, (nam ignorabatur) & ubi esse Vitellium, sciret, mendacio elusit: deinde agnitus rogare non destitit, quasi quædam de salute Vespasiani dicturus, ut custodiretur interim vel in carcere: donec, religatis post terga manibus, injecto cervicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria, per totum viæ Sacræ spatium, REDUCTA COMA CAPITE, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subjecto, ut visendam præberet faciem neve summitteret.* Ac ita deprehendisse in antiquis membranis *Regiæ Bibliothecæ, Viterbiensi & Pithoei Casaubonus* ad hunc Suetonii locum testatur; sicque *Turnebus* olim quoque legit, nempe ut sensus sit, *milites, qui pone Vitellium fuere, comam, hoc est, capillos ejus breviores arripuisse, prehendisse & retrorsum caput traxisse*, sive *eum hoc modo coegisse caput resupinare*; hanceque lectionem ex ipsa nummorum inspectione probamus. Nam, licet prolixa cæsarie non fuerit *Vitellius*, uti primus intuitus Capitum docet, sed breviori capillo; talis tamen fuit, ut prehendi eodem facile potuerit, caputque ejus reduci, ut conspici facilius ab omnibus posset. Ut ergo nesciamus quam recte *Marianus Scotus* olim descripserit, aliique *Suetonii* codices habeant: *REDUCTA COMA A CAPITE*, cum coma tam brevis in nummis compareat, ut remotio ejus a fronte vix habeat locum. Priorique sententiæ magis omnino accedere videtur *Eutropius* Libro IX. Rer. Roman. p. 106. scribens: *Cumque per Sacram viam publice nudus duceretur —— —— rubore faciem demitteret, ERECTA* (per milites scilicet) *COMA & CAPITE, subjecto in mentum gladio, seminudus, multo cœno fimoque & cæteris dictu turpioribus purgamentis ore & pectore involutus, in forum deductus est.* De Barba vero ejus hæc habet *Dio* Libro LXVI. p. 743. & *Xiphilinus* ex eo in Epitome p. 214. *ibi* (in foro) *quidam ei colaphos impingunt, alii BARBAM VELLUNT.* οἱ δὲ τὸ γένειον ἔτιλλον, *illudunt omnes* &c. uti *Stephanus* & *Xylander*, reddiderunt, & *Hier. Wolffius* apud *Zonaram* p. 192. eadem verba vertit: *barbam evellerunt*; Sed, quando γένειον non solum barbam, sed & mentum, teste *Xenophonte* & *Plutarcho*, significat, & nunquam barbam aluisse *Vitollium*, Autores prodiderint, omnesque potius reclament nummi; rectius mentum vellicasse, maxillasque quassasse, præsertim cum & hæc illusionis, cujus statim in verbis sequentibus fit mentio, sit quædam species, persuademur; vix ipsi ex luctu, aut præsenti miseria, tam brevi temporis spatio, barba in tantum crescente, ut vellicari a militibus potuerit, nedum evelli. Visa ejus tali helluone digna facie, eaque curatius considerata, ad perigraphen nummi nunc devenimus, cujus prima vox est: AULUS, quæ prænomen nostri *Vitellii* est, vel ipso sic indicante. *Suetonio* Cap. III.: *Aulus Vitellius, Lucii filius, IMPERATOR natus est octavo Kal. Octobris &c*; non solum aliis Romanis commune, sed & præcipue in *Familia Vitellia* frequens, cum patruelem ejus hoc prænomine quoque fuisse, sciamus ex *Suetouio* Cap. III.: *Cæterum P. Vitellius quatuor filios amplissimæ dignitatis cognomines, ac tantum PRAENOMINIBUS DISTINCTOS reliquit, AULUM, QUINTUM, PUBLIUM, LUCIUM.* De quo & consuli heîc meretur illustriss. *Spanhemius* Dissertat. VII. de V. & P. N. p. 508. "VITELLIUS sequitur, de cujus *Familia*, honorata magis, quam nobili, uti loquitur *Eutropius* in Brev. Libr. VI. multus est *Suetonius* sub initium Vitæ Vitellianæ Cap. I.: *Vitelliorum*, scribens, *originem alii aliam, & quidem diversissimam, tradunt: partim veterem & nobilem, partim vero novam & obscuram, atque etiam sordidam. Quae ego per adulatores, obtrectatoresque Imperatoris Vitellii evenisse opinarer, nisi aliquanto de familiæ conditione variatum esse &c.*" Qui omnia fusius ibidem persequens videri potest. GERMANICUS porro inscribitur in capite præsenti, quod à Galba in Germaniam inferiorem missus, & bene ibidem à militibus exceptus fuerat, & à superioris GERMANIAE exercitu GERMANICI cognomen acceperat, quo quippe in omnibus propemodum nummis sese jactare, ex iisdem omnino discimus, immo filio, infanti, idem dedisse, ex Autoribus novimus. Sic enim *Suetonius* Cap. VII., ut modo dicta ex Autoribus firmemus amplius: *A Galba in inferiorem GERMANIAM contra opinionem missus est. Adjutum putant T. Vinii suffragio, tunc potentissimi.* Et *Tacitus* Hist. I. 9. *Inferioris Germaniæ Legiones diutius sine Consulari fuere, donec, missu Galbæ, Vitellius aderat, Censoris Vitellii, ac ter Consulis filius. Qui sub ipsas superioris anni Calendas Decembres inferiorem Germaniam ingressus, hiberna legionum adierat.* Et paulo post: *Aulus Vitellius inferiorem GERMANIAM ingressus, hiberna legionum cum cura adierat.* Rursus *Suetonius* ibidem: *Advenientem male animatus erga Principem exercitus, pronusque ad res novas, libens ac supinis manibus excepit, velut dono Deum oblatum ter Consulis filium, ætate integra, facili ac prodigo animo.* Modum quo Duce *Flacco Hordeonio*, elegerint *Vitellium* describit *Plutarchus*: Ἡμέρας δὲ μιᾶς ὁδὸν ἀφέστηκεν ἡμῶν Οὐιτέλλιος ὁ τῆς ἑτέρας Γερμανίας ἡγεμὼν, πατρός τε τιμητοῦ καὶ τρὶς ὑπάτου γενομένου, καὶ Κλαυδίῳ Καίσαρι τρόπον τινὰ συνάρξαντος: αὐτός τε λοιδορουμένην ὑπ' ἐνίων πε-

πενίαν δεῖγμα λαμπρὸν ἔχων χρηστότητος καὶ μεγαλοφροσύνης. Φέρε, τοῦτον ἑλόμενοι, δείξωμεν ἀνθρώποις πᾶσιν ὡς Ἰβήρων καὶ Λυσιτανῶν ἀμείνους ἐσμὲν αὐτοκράτορα αἱρεῖσθαι, *unius diei iter abest a nobis Vitellius, qui alteri Germaniæ præest, cujus fuit pater censor, & ter Consul, & Claudio Cæsari quodammodo consors imperii: ac qui habet paupertatem, quam aliqui detestantur, insigne documentum probitatis suæ & magnanimitatis. Agite, hunc legamus, atque omnibus mortalibus ostendamus, Hispanis nos & Lusitanis rectius nosse Imperatorem creare. Germanicum dehinc ab utroque exercitu* fuisse dictum testis est *Tranquillus* cap. VIII. *Consentiente deinde etiam SUPERIORIS* (Germaniæ) *PROVINCIAE exercitu, qui prius a Galba ad Senatum defecerat, COGNOMEN GERMANICI delatum ab universis CUPIDE RECEPIT. Tacitus* Histor. I. 62. *Instructi, intentique signum profectiones exposcunt: NOMINE GERMANICI Vitellio statim addito.* Ebrium hoc recepisse, nobis exponit *Plutarchus* in Galba p. 1063. Ὁ δὲ τὰς μὲν ἔμπροσθεν ἡμέρας ἐδόκει διωθεῖσθαι καὶ ἀναδύεσθαι, τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς φοβούμενος: τότε δέ φασιν οἴνου διάπλεων καὶ τροφῆς ὄντα μεσημβρινῆς, προελθεῖν, καὶ ὑπακοῦσαι, Γερμανικὸν ὄνομα θεμένων αὐτοῦ *Ille*, (Vitellius) *superioribus diebus id nomen visus fuerat, molem timens imperii, repudiare, & recusare: verum tunc ajunt, cum esset vino, ciboque meridiano gravatus, progressum esse, ac recepisse nomen GERMANICI, quod ei imposuerunt.* Mire ergo sibi placuit non solum hoc elogio, quo, veluti cognomine, per omnem vitam & in nummis & in lapidibus utebatur, sed & Germanos singulariter æstimans, iisdem sui corporis custodiam, præ omnibus aliis populis, fidelitatem ipsorum expendendo, commendaverat, distincte hoc nobis rursus prodente *Dione* Libro LXV. p. 741. *Sed cum incidissent in Germanos, custodes Vitellii, malè accepti discedunt, atque in Capitolium perfugiunt.* Quin & Germanus fuit, qui ipsum sub vitæ finem ab ultima liberare voluit ignominia, rei indignitate commotus, & fide erga suum Dominum ductus, ceu rursus autor est *Dio* ibidem p. 743.: *Quumque Vitellius, ob has causas magno pudore affectus, demisso capite, terram intueretur, milites sub mento eum pungebant, ut caput extolleret invitus, altumque cerneret. Quod ubi quidam GERMANUS animadvertit,* (ἰδὼν δὲ τοῦτο Κελτός τις) *non pertulit diutius, sed misericordia permotus: Ego tibi* (inquit) *qua in re potero, opem feram. Itaque illum percussit, deinde sibi manus intulit.* Paulo aliter *Tacitus* Hist. Lib. II. *Obvius è GERMANICIS militibus Vitellium infesto ictu per iram, vel quo maturius ludibrio eximeret, an tribunum appetierit in incerto fuit. Aurem Tribuni amputavit, ac statim confossus est.* Et, ut neque hoc reticeamus, *ipsi Syllani FAMAM GERMANI EXERCITUS Italiam intrantes attollebant*; teste *Tacito* Hist. Libro I.; eodemque Autore Libro II. ibidem neque arduum fuit *Vitellio*, Maurorum animos sibi conciliare, *MAGNA per provincias GERMANICI EXERCITUS FAMA*; immo ipsi milites Othoniani in oppugnatione *Placentiæ GERMANICI EXERCITUS ROBUR attollebant.* Ibidem Libr. I.; &; quod longe adhuc majus est, victo Othonis exercitu, *additæ erga GERMANICOS EXERCITUS LAUDES, GRATESQUE à Senatu.* Succedit denique IMPERATORIS axioma, quod à militibus consecutum fuisse *Vitellium*, prodit *Tranquillus* Cap. VIII.: *Quare vix dum mense transacto, neque diei* (qui forte religiosus, aut nefastus fuit) *neque temporis* (de quo nullum tùm forte auspicium sumtum) *habita ratione, ac jam vespere, subito à militibus è cubiculo raptus ita ut erat in veste domestica, IMPERATOR est consalutatus,* (à Fabio Valente) *circumlatusque per celeberrimos vicos, strictum divi Julii gladium tenens, detractum delubro Martis, atque in prima gratulatione porrectum sibi à quodam; nec ante in Prætorium rediit, quam flagrante triclinio ex conceptu camini: tum quidem consternatis, & quasi omine adverso anxiis omnibus, Bono,* inquit, *animo estote, nobis alluxit, nullo sermone alio apud milites usus.* Idem confirmat & *Tacitus* Hist. I. 57.: *Proxima legionis primæ hiberna erant, & promtissimus è Legatis Fabius Valens. Is die postero Coloniam Agrippinensem cum equitibus Legionis, auxiliariorumque ingressus, IMPERATOREM Vitellium consalutavit. Secutæ ingenti certamine ejusdem provinciæ legiones: & superior exercitus, speciosis Senatus Populique Romani nominibus relictis, III. Nonas Januarias Vitellio accessit.* Idem & postea à Senatu quoque fuisse factum, verba *Taciti* arguunt Libr. II. Histor.: *Vitellio plausu. . . In Senatu, CUNCTA longis aliorum principatibus composita, STATIM DECERNITUR*; nec non *Dionis* Lib. LXV. p. 734.: *Postquam Romæ clades Othonis audita est, Populus Romanus statim* (*ut par erat*) *sententiam mutare cœpit . . ac Vitellium, quem detestatus fuerat, collaudare, eumque IMPEratorem dicere.* Καὶ τὸν Βιτέλλιον, ᾧ κατηγόρουν, καὶ ἐπῄνουν, καὶ αὐτοκράτορα ἀνηγόρευον. Sed probe considerande sunt *Taciti* verba circa finem Libri III. Hist.: *PRINCIPATUM EI detulere, qui ipsum non noverant. Studia exercitus raro cuiquam bonis artibus quæsita perinde affuere, quam huic per ignaviam.* Absolutis nunc perigraphes vocibus, hoc saltem adhuc addere placet, CAESARIS COGNOMEN in perpetuum recusasse *Vitellium*, AUGUSTI vero (de quo N. 7. pluribus) distulisse. Hoc asserit totidem verbis *Suetonius* Cap. VIII.: *Cognomen AUGUSTI distulit; CAESARIS in perpetuum recusavit.* In quo & *Tacitus* consentit Hist. II. 62. *Præmisit in Urbem edictum, quo vocabulum . . . CAESARIS non reciperet, cum de potestate nihil detraheret.* Et Libro I. 64: *Nomen Germanici Vitellio statim additum, CAESAREM se appellari etiam victor prohibuit.* Itemque *Plutarchus* §. 13. Hinc nulla plane Cæsaris in nummis mentio, nullum hujus vocis vestigium, quod in his, æque ac in Marmoribus, non deprehendisse quoque affirmant *Torrentius* atque *Patinus*. Sed cur? Forsan, ut animi magnitudinem ostentaret, qui alieni nominis præscriptione tueri imperium suum nollet, sicuti nec Augusti statim admisit? An, ut, invisis Reipublicæ nominibus abolitis, æquioris Principatus spem civibus præberet? uti existimat *Schildius*. An, ut Cæsaris nomine indignum, (ipsum quippe neque ingenii viribus, neque virtutibus assequendo) se reputaret, heroico quippe omni destitutus spiritu? An, ut, vana turgens gloria, nominis sui famam ex ipso tantum eo magis attollere voluerit, atque collocare altius, utpote qui primus huic suæ familiæ summam hancce in Orbe dignitatem intulerit, perinde ac Cæsar Juliæ? quorsum omnino nos inclinare non negamus. Multum tamen & nomini Cæsaris tribuisse, inprimis circa imperii finem, & hoc ipso se & populum simul erigere voluisse, inter alios nobis autor est *Tacitus* Histor. III. 58.: *Quin & CAESAREM se dici voluit, aspernatus antea, sed tunc superstitione nominis, & quia in metu consilia prudentium & vulgi rumor juxta audiuntur*; Sed hoc cum sub finem saltem imperii sui, ut diximus, contigerit, ille titulus in nummis obsignari haud potuit, iterum iisdem nummis testibus, temporis angustia, ceu clarum est, non permittente.

NUM. 2.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Duo heîc obſervamus. Primo propoſitum Imperatoris titulum, quem poſt Germanici cognomen in priori ſequi vidimus, illumque tamen cum dicto ſæpius alternare, Numeri ſequentes 6. 7. 8. 9. 10. & alii commonſtrant, de quo pluribus jam in præcedenti. Dehinc quod hoc cum laurea caput compareat, in præcedenti vero iſtud nudum videamus. Multum ipſum laurea fuiſſe delectatum, & ex decedenti e capite malum omen captaſſe, *Suetonius* nobis prodidit Cap. IX.: *Et LAUREA, quam religioſiſſime* (inter preces ſolennes) *circumdederat*, (capite) *in profluentem excidit.*

NUM. 3.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, dextram verſus.

Nihil eſt, quod heîc moneamus, cum omnia adfuerint in præcedentibus.

NUM. 4.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput laureatum, dextram verſus, globo impoſitum.

Peculiare eſt, quod Caput globo ſuperimpoſitum cernamus, quaſi univerſo Orbi nunc, demortuo Othone, imperaturus, quale quid & N. 16. infra occurret.

NUM. 5.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, dextram verſus, ante palmæ ramus.

Nihil denuo novi in hoc Capite obſervari datur, præter palmæ ramum, quem ſine dubio, obtenta ab Othonianis victoria, adjecit.

NUM. 6.

Aulus VITELLIUS GEMANicus IMPerator TRibunicia POTeſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Transpoſitionem ſaltem cognominum heîc obſervamus, & additam Tribuniciam poteſtatem, in perigraphis nummorum Græcorum etiam obviam, quam retinebant per omnes Imperii annos, ac ſecundum hujus Poteſtatis numeros hodie, quod notum Regiminis ipſorum annos computare ſolemus; quam & ſtatim ipſi fuiſſe collatam, verba *Taciti* Libro II. Hiſtor. docent: *Vitellio plauſere... In SENATU CUNCTA, longis aliorum Principatibus compoſita, STATIM DECERNUNTUR.* Præterea & hoc transmittendum heîc non eſt, quod & Conſulatum perpetuum ſibi fecerit *Vitellius*, ſingulariter hoc obſervante *Suetonio* Cap. XI.: *Comitia in decem annos ordinavit, ſeque PERPETUUM CONSULEM.* Cum quo egregie conſentit Inſcriptio baſis marmoreæ, quæ in *Ædibus Cardinalis Cæſii* Romæ viſitur, & à *Grutero* in Inſcriptionibus p. 239. 1. affertur:

A. VITELLIUS. L. F.
IMPERATOR
COS. PERP.

Imò & nummus, quem vidit *H. Goltzius* (in *Theſauro* p. 48.) & nos hucuſque fruſtra quærimus, cum perigraphe: A. VITELLIUS L. F. IMPERATOR. COS. PERP.

NUM. 7.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Omnia in præcedentibus Numeris jam vidimus, excepto AUGUSTI vocabulo, quod heîc prima vice perigraphes locum occupat, quodque aliquandiu diſtuliſſe, vel ex ſolis hiſce noſtris nummis conſtare poſſet, niſi & *Suetonii* accederet auctoritas, ſcribentis Cap. VIII.: *AUGUSTI cogomen diſtulit:* Non minus & *Taciti*, qui, etiam edicto iſtud prohibuiſſe, aſſeverat Hiſtor. II. 62.: *Præmiſit in Urbem edictum, quo VOCABULUM AUGUSTI DIFFERET, CAESARIS non reciperet, cum de poteſtate nihil detraheret.* Et mox eod. Libro: *Abnuentique NOMEN AUGUSTI, expreſſere, ut adſumeret.* Unde rariores omnino cenſendi *nummi Vitelliani*, qui AUG*uſti* cognomen, ſerius adſumtum, præferunt, recte cenſentibus *Spanhemio*, *Oiſelio*, & aliis, immo experientia omnium optime hoc ipſum comprobante.

NUM. 8.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Attendimus ſaltem Pontificiam Poteſtatem, quam in Græcis Nummis etiam deprehendit *H. Goltzius* quando has Inſcriptiones in Theſauro rei Antiquariæ p. 48. exhibet: ΑΥΛ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟϹ ΓΕΡΜ. ΑΥΤ. ϹΕΒ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ ΕΞΟΥΣΙ. item: ΑΥΤ. ΑΥΛ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΥ ΓΕΡΜΑ. ϹΕΒ. ΑΡΧΙ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥϹ. nec non: ΑΥΤ ΑΥΛ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ ΓΕΡ. ΣΕΒ. ΑΡΧΙΕΡ ΜΕΓ. ΔΗ. ΕΞΟΥ; quem Pontificis Maximi titulum prima vice heîc obſignatum offendimus. Hac & ſuperbire *Vitellium* in capitis perigraphe, omnino par eſt, cum conſtet, quo loco iſtam habuerint ſemper Cæſares. Nec deſtituimur teſtimoniis Auctorum, qui iſtum hoc elogio produnt, in quibus *Suetonius* præcipue, qui & diem (licet haud ſatis fauſtum) ſuſceptæ hujus dignitatis nobis adnotavit, ſcribens Cap. XI.: *Magis deinde ac magis, omni divino humanoque jure neglecto, Allienſi die PONTIFICATUM MAXIMUM CEPIT*; Nec non *Tacitus* Hiſtor. II. 91.: *Apud Civitatem, cuncta interpretantem, funeſti ominis loco acceptum eſt, quod MAXIMUM*

PON-

PONTIFICATUM adeptus Vitellius, de ceremoniis publicis XV. Kal. Aug. edixiſſet, antiquitus infauſto die Cremerenſi Allienſique cladibus: adeo omnis humani divinique juris expers, pari libertorum, amicorumque ſocordia, velut inter temulentos agebat. Cauſam vero, cur funeſtus ſit habitus hic ipſe dies, ut hoc obiter addamus, exponit *Florus: De diebus religioſis agitari cœptum, diemque a. d. XV. Kalendas Sextiles duplici clade inſignem (quo die ad Cremeram Fabii cæſi: quo deinde ad Alliam cum exitio Urbis fœde pugnatum) à poſteriore clade Allienſem appellarunt, inſignemque rei nulli publice privatimque agendæ fecerunt.* Occaſionem, qua ad ſacras Dignitates adſpiravit, tradit *Tacitus* Lib. III. Hiſt. *Conſulatum, SACERDOTIA, nomen locumque inter primores, nulla ſua induſtria, ſed cuncta Patris claritudine adeptus.*

NUM. 9.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus PONTifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Novi cum nihil contineat hoc caput, ad ſequens progreſſum facimus.

NUM. 10.

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Lacinia quædam cum ſaltem capiti infra adhæreat, cæterumque cum præcedenti idem ſit, tranſimus ad ſequens.

NUM. 11.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, circumjecta infra lacinia.

Peſſimi quique Imperatores optimis ſemper titulis ſeſe ornare geſtiverunt. Exempla habuimus in Tiberio, Caligula, Nerone, Othone. Et, quæſo, quid Ganeo noſter *Vitellius* non? Pater Patriæ audire cupit. Verba ſi rebus O! ſi reſponderent! & hominis ſaltem meruiſſet ſemper nomen!

NUM. 12.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, adjecta infra lacinia.

Nonniſi unica litera differt hoc caput ab illo N. 10. dum heîc GERMAN. ibi vero GERMA. legitur. Sequens ergo ſtatim intuebimur.

NUM. 13.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput laureatum, lævam verſus.

Sola rurſus voce GERMANICUS, quæ integrè heîc expreſſa eſt, à præcedentibus differt, reliqua ſunt eadem.

NUM. 14.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, circumjecta infra veſtis quaſi licinia.

Si demas laciniam, quæ caput infra ambit, reliqua habebis eadem cum præcedenti capite.

NUM. 15. uſque ad 37.
Vacant.

TABULA II.
QUÆ COMPREHENDIT NUMISMATA A. VITELLII AUREA ET ARGENTEA.

NUM. 1.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 7.

Vel,
Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AVGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 13.

Lu-

Lucius VITELLIUS COnSul III. (Tertium) CENSOR. Caput Lucii Vitellii laureatum, lævam verſus, ante quod ſcipio eburneus conſpicitur, in cujus extremitate aquila.

Nunc ad ipſos nummos Vitellii progredimur, cui non ſolum pecuniæ, dum imperabat, ſatis ſemper erat, ſed & in tantum laudandi, quod Anteceſſorum ſuorum numiſmata ſub ſuo Imperio toleraret, totidem verbis hoc nobis prodente, & inter virtutes ejus merito collocante *Zonara* Tom. II. Ann. p 192.: *Inter hæc vitia*, ſcribens, *virtutes ei non defuerunt.* Τὸ, τὲ γὰρ τοῦ Νέρωνος, καὶ τὸ τοῦ Γάλβου, τό τε Ὄθωνος κοπὲν νόμισμα ἐτήρησεν, οὐκ ἀγανακτῶν τῶν εἰκόσιν αὐτῶν. *Monetam enim ſub Nerone, Galbâ, Othone percuſſam retinuit, imaginibus illorum nihil offenſus.* Et cum duo omnino extent *Lucii Vitellii*, *unus Publii Vitellii filius*, & *Auli Vitellii*, Imperatoris, *pater*; *alter Lucii Vitellii filius*, & *Auli Vitellii*, Auguſti, frater, & utrique Conſules (*a*) egerint, atque Cenſores, dubium forte exinde enaſci poſſet, cuinam horum hic ipſe tribuendus veniat nummus aureus? Sed ſi rem paulo curatius expendimus, facile iſtud ſolvitur, conſiderando, quod major ſemper honor debeatur Parenti, quam fratri; (*b*) dehinc, quod heîc ipſe Conſul compelletur Tertium & Cenſor, quo elogio Imperatoris Patrem ipſe refert *Tacitus* Libro I. Hiſtoriarum: *VITELLIUS aderat, CENSORIS VITELLII ac TER CONSULIS FILIUS.* Vis vitæ hujus *L. Vitellii* ſummam? iſtam *Suetonii* dabimus filo, aliorum Autorum teſtimoniis roborato, inquientis Cap. II.: *LUCIUS ex CONSULATU Syriæ PRAEPOSITUS.* Conſulem vero egit A. U. C. $\frac{786}{87}$ cum Paulo Fabio Priſco ſub Tiberio, clare id affirmantibus *Tacito* & *Dione*; iſto, Libro VI. Annal. 28.: *Paullo Fabio, L. VITELLIO, Conſulibus, poſt longum ſeculorum ambitum, avis Phœnix in Ægyptum venit*; hoc vero Libro LVIII. p. 636: Οἱ δ' ὕπατοι Λούκιός τε Οὐϊτέλλιος καὶ Φάβιος Πρίσκος τὴν δεκαετηρίδα ὠνόμαζον. *Sed Conſules L. VITELLIUS & Fabius Priſcus ludos decennales nuncupaverunt.* In quo anno Faſti Capitolini, & Siculorum Autores, item Anonymi Faſti à Noriſio publicati, conſentiunt. Quando vero & Syriæ Præpoſitum ſupra ipſum nominaverat *Suetonius*, in eo conſentientem rurſus habet *Dionem* Libro LIV. p. 661.: Ὁ γοῦν Βιτέλλιος ὁ Λούκιος, οὔτ' ἀγενὴς, οὔτ' ἄφρων ὤν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς ἐν τῇ Συρίᾳ ἀρχῆς ὀνομαστὸς γενόμενος. *Fuit inter eos etiam L. VITELLIUS, neque ignobilis, neque inſipiens homo, præſertim SYRIA A SE GUBERNATA INSIGNIS.* Et hic ipſe eſt *L. Vitellius*, quem *Suetonius* ſupra in Caligula Cap. XIV. titulo Legati Conſularis inſigniverat, ſcribens: *Namque Artabanus Parthorum Rex, odium ſemper, contemptumque Tiberii præ ſe ferens, amicitiam ejus ultro petiit: venitque ad colloquium LEGATI CONSULARIS, & transgreſſus Euphratem, aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit.* Itemque *Joſephi* Ant. Judaic. XVIII. 6.: *His auditis Tiberius petiit amicitiam Artabani. . . . convenerunt ad Euphratem Artabanus & VITELLIUS, & in medio pontis facti ſibi occurrerunt cum ſuo quoque ſatellitio.* Quod & ex ſequentibus *Suetonii* hujus loci verbis in *Vitellio* Cap. II. clare amplius datur colligere, dum ſcribit: *Artabanum, Parthorum Regem, ſummis artibus, non modo ad colloquium ſuum, ſed etiam ad veneranda Legionum ſigna pellexit* Pergit: *Mox cum Claudio Principe, DUOS inſuper ordinarios CONSULATUS, CENSURAMQUE geſſit* Dixerat vero propemodum idem ſupra in *Claudio* Cap. XIV. *Conſulatus ſuper priſtinum* (Claudius) *quatuor geſſit. Ex quibus duos primos junctim* (nempe priorem cum Cajo Largo, poſteriorem cum *L. Vitellio* nempe A. U. C. $\frac{795}{96}$) *ſequentes per intervallum, quarto quemque anno, ſemeſtrem noviſſimum*, (cum Cornelio Orfido A. U. C. DCCCIII.) *bimeſtres cæteros. Tertium autem* (quem quartum dicunt *Dio* Libro LX. p. 684. & *Cenſorinus* de Die Natali C. XVII. geſſit cum *L. Vitellio* A. U. C. DCCXCIX. juxta *Faſtos Capitolinos*, (*c*) & *Sethum Calviſium*; ſive ut *Dio* & *Cenſorinus*, Autor *Faſtorum à Noriſio* editorum, *C. Mediobarbus* calculant, DCCC.) *novo circa Principem exemplo in locum demortui ſuffectus.* Sic vero *Dio*: Ἐν δὲ τῷ ἑξῆς ἔτει ὅ τε Κλαύδιος τὸ τέταρτον καὶ Βιτέλλιος Λούκιος τὸ τρίτον, ὀκτακοσιοστοῦ τῇ Ῥώμῃ ἔτους ὄντος, ὑπάτευσαν. *Anno ſequenti Claudius IV. L. VITELLIUS III. Conſules fuerunt, Anno Romæ octingenteſimo.* *Cenſorinus*: *Sextos* (ſeculares) *fecit Tiberius Claudius Cæſar, ſe IV. & L Vitellio III. Conſulibus Anno MDCCC.* Hinc eſt, quod *Vitellium*, Imperatorem, venientem in Germaniam, Exercitus TER CONSULIS FILIUM appellaverit, de quo videatur *Suetonius* in Vitel. Cap. VII. Hoc titulo ipſum & producit *Eutropius* Libro IX. p. m. 105.: *Nam pater ejus, L. Vitellius, non admodum clare natus, tres tamen ordinarios geſſerat Conſulatus*; Et *Excerpta ex Sexto Aurelio Victore*: *Vitellius ortus patre Lucio Vitellio, ter Conſule.* Monuerat idem & *Suetonius* de Cenſura in Claudio Cap. XVI.: *Geſſit & Cenſuram intermiſſam diu poſt Paullum Plancumque Cenſores*, nempe cum noſtro *Lucio Vitellio*. *Euſebii* Chronicon illam notat Olympiade 206.; *Plinius* vero Libro X. C. 2. N. H. ad annum DCCC. rejicit: *Allatus eſt & in Urbem, Claudii Principis Cenſura, Anno Urbis DCCC. & in Comitio propoſitus Phœnix.* Et Libro XV. Cap. 19.: *Omnia hæc* (cottana, caricas & cauneas) *in Albenſe rus è SYRIA intulit L. VITELLIUS, qui poſtea CENSOR fuit, cum LEGATUS in EA PROVINCIA eſſet, noviſſimis Tiberii Cæſaris temporibus.* Nec minus & illam tangit *Tacitus* Annal. XII. 4.: *Igitur Vitellius, nomine CENSORIS ſerviles fallacias obtegens*; Et *Fabius Valens* in Oratione apud *Tacitum* Libr. I. Hiſtoriar. utrumque conjungit: *VITELLIO*, dicens, *TRES PATRIS CONSULATUS CENSURAM, Collegium Cæſaris, imponere jam pridem IMPERATORIS dignationem, & auferre privati ſecuritatem*; ut ergo illum Anno $\frac{799}{800}$ obiiſſe, conſtet. Sed reliqua vitæ *L. Vitellii* apud *Suetonium* perſequamur: *Curam quoque im-*

(*a*) Sic *Suetonius* Cap. III.; *Deceſſit* (Lucius Vitellius) *paralyſi altero die quam correptus eſt, DUOBUS FILIIS ſuperſtitibus, quos ex Sextilia, probatiſſima nec ignobili fœmina, editos, CONSULES vidit: & quidem eodem ambos, totoque anno, cum majori minor in ſex menſes ſucceſſiſſet.*

(*b*) Conjecit & hoc *C. Patinus* in Theſ. minori pag. 58. *Primus nummus Lucium Cenſorem exhibet, quem ejus patrem libens conjicerem, quamvis fratrem babuerit ejuſdem nominis.* Sed non addit rationes. *L. Begerus* in Theſ. Palat. p. 301. *Primus celebrat Imperatoris parentem.* *Comes Mediobarbus* p. 104.: *L. Vitellius hoc Denario ſignatus Pater A. Vitellii Imperatoris.*

(*c*) Ita vero iſti:

LUDI SAECULARES SEXTUM
TI. CLAUDIO. DRUSI. F. AUG. GERMANICO IV.
L. VITELLIO P. F. III. COSS.
ANNO P. R. C. DCCXCIX.
EX S. C. FACTI SUNT.

imperii sustinuit, absente eo, (Claudio) *expeditione Britannica: vir innocens & industrius, sed amore libertinæ perinfamis, cujus etiam salivis melle commixtis, nec clam quidem, aut raro, sed quotidie ac palam arterias ac fauces pro remedio fovebat. Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæsarem adorari, ut Deum, instituit, cum reversus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam capite velato, circumvertensque se, deinde procumbens. Claudium uxoribus libertisque addictum, ne qua non arte demereretur, pro maximo munere à Messalina petiit, ut sibi pedes præberet excalceandos: detractumque socculum dextrum, inter togam tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus. Narcissi quoque & Pallantis imagines aureas inter Lares coluit. Hujus & illa vox est: Sæpe facias, cum seculares ludos edenti Claudio gratularetur. . . . . Defunctum Senatus publico funere honoravit: item statua pro Rostris, cum hac inscriptione: PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM.* Pietate ergo erga Parentem (veluti ille, dum viveret, erga *Claudium* Cæsarem,) ductus filius, quin hoc aureum ipsi dederit monumentum, vix dubitare licet, præcipuas *Lucii* exhibens dignitates, atque ante faciem signum Legionis militaris Romanæ, uti nonnullis videtur, quod adorare cum aliis coëgisse Artabanum, Parthorum Regem, supra ex *Dione* & *Suetonio* meminimus. Nobis sceptrum Consulare potius, eburneum quod erat, videtur, & signum Magistratus, Consulatus videlicet, quod perigraphe confirmat magis. Tacemus, Familiæ suæ Gloriam extollendi commodiorem modum invenire haud potuisse Vitellium. Quam toties in nummis jactatam gloriam amici, ipsi, in angustias à Vespasianis redacto, insigni quoque cum ignominia objectare videntur, dum sic apud *Tacitum* Libro IV. Histor. contendunt: *Quin ut CENSURAM PATRIS, ut TRES CONSULATUS, ut tot EGREGIÆ DOMUS HONORES DECERET, desperatione saltem in audaciam accingeretur. Perstare militem, superesse studia populi.* Vulgarunt eundem jam nummum *C. Mediobarbus* p. 104. & 105. 106. *L. Begerus* T. II. Thes. Brandenb. p. 628. & in Thes. Palatino p. 299. 300. argenteum. *Octavius Strada* f. 73. qui tamen male ad æreos eundem refert, cum aureus sit, vel argenteus, *C. Patinus* in *Suetonio* nummis illustrato p. 361. & in Thesauro suo Minori in argenteis p. 57. *L. Torrentius* in *Suetonio*, & ex eo *G. Grævius* in editione sua *Suet.* p. 647. *Ant. Zantanus* in argenteis Tab. III. N. 4. *Æneas Vicus* in argenteis Vitellii T. II. n. 4. *Occo* p. 20. *Anton. Augustinus* edit. Italic. p. 24. Dial. II. argenteum.

Num. 2.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 7.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Lucius VITELLIUS COnSul III. (*Tertium*) *CENSOR. Figura virilis togata sedens dextra protensa, læva scipionem eburneum tenet & pedes imponit proræ navis.*

Lucium Vitellium, Patrem denuo, juxta nonnullorum (*d*) mentem, conspicimus, Consulis ac Censoris (quæ dignitas aliorum magistratuum fastigium *Plutarcho* est,) habitu sedentem in sella curuli ex ebore, qua Censores non solum publice, sed & privatim utebantur; prætereaque sceptrum eburneum (quod Consulum insigne est.) tenentem, & veluti Syriæ Præpositum & Imperii curatorem; filialis pietatis, veluti alterum erga Parentem, ex auro monumentum. De quo & vita ejus multi jam ad præced. Num. fuimus, eo nunc B. L. plura desiderantem ablegantes. Hoc saltem monemus, esse, & in his *A. Rubenium*, qui hunc nummum ad *L. Vitellium*, Auli fratrem, referunt, existimantque, cum sellæ insideat, pedibus rostrum calcans, exinde posse colligi ejus præfecturam classis, sive, quod, teste *Suetonio*, C. 15. Classis præfectus exstiterit: *Urgenti deinde*, scribente, *terra marique hosti, hinc fratrem* (Lucium) *cum classe, ac tyronibus, & gladiatorum manu opposuit*: vel, quia Misenensem classem, quæ defecerat ad Vespasianum, rursus in potestatem redegerit, capta Tarracina. *Fuere* scribit *Tacitus* Libro III. Histor. qui uxorem *L. Vitellii Triariam incessierint, tanquam gladio militari cincta inter luctum cladesque expugnatæ Tarracinæ, superbe sæveque egisset. Ipse* (L. Vitellius) *LAUREAM prospere gestæ rei ad fratrem misit. —— quippe L. Vitellio, quamvis infami, inerat industria, nec virtutibus, ut boni, sed quo modo pessimus quisque vitiis valebat.* In quo omnino nos haberet consentientes nisi hoc extremis Regiminis diebus contigisse sciremus, ipsique vel temulento, vel subtimido non licuisse de tanto monumento curam tunc suscipere, nescientes, an vitia fratris id etiam meruerint? Luci jam istum exposuere *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIV. n. 13. qui tamen SC. infra figuræ sedenti subjecit, sinistraque volumen tenentem fecit, & ex his *C. Mediobarbus* in æreis p. 106. *C. Patinus* in *Suetonio* Nummis illustrato p. 367. ubi tamen istum sinistra volumen circumvolutum quasi tenere, literasque SC. infra subjectas denuo animadvertimus, nota attamen AR. supra addita; quæ heic recte desunt. Hac attamen, uti dedimus, forma hodie est ex auro pars *Thesauri Versaliensis* atque *Schwarzburgici*, è quibus *Morellius* sculpi fecit, visiturque in MStis *H. Golzii* tum aureis tum argenteis.

Num. 3.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 6.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 7.

Vel,

(*d*) Sic enim *C. Patinus* in *Suetonio*: *Quamvis dubium sit, cuinam e duobus Luciis illud potius sit tribuendum. Pro patre probabilior mihi est opinio, cujus honores extulisse videtur filius Augustus factus.*

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum lævam verſus, uti Tab. I. n. 13.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum lævam verſus,

LIBERI IMPeratoris GERMANici. Capita Liberorum Vitellii oppoſita.

Hunc nummum Romæ in honorem Vitellianæ domus cuſum fuiſſe, ex impreſſo conſtare poteſt facile typo. Duæ autem Vitellio contigere uxores, ut hoc in anteceſſum moneamus, Petronia & Galeria Fundana. Ex priori Petronianum ſuſcepit filium; ex altera vero duos liberos. Utramque uxorem prodit *Suetonius*, cap. VI. ſcribens: *Uxorem habuit PETRONIAM, Conſularis viri filiam, & ex ea filium Petronianum, captum altero oculo. Hunc hæredem a matre ſub conditione inſtitutum, ſi de poteſtate patris exiſſet, manu emiſit: breviqne, ut creditum eſt, interemit, inſimulatum inſuper parricidii, & quaſi paratum ad ſcelus venenum ex conſcientia hauſiſſet.* Hanc (*d*) *Cornelio Dolabellæ* nupſiſſe *Tacitus* autor eſt Libro II. Hiſtor. cap. LXIV. *Igitur Vitellius, metu & odio, quod Petroniam, uxorem ejus, mox Dolabella in matrimonium accepiſſet, vocatum per epiſtolas, vitata Flaminiae viae celebritate, devertere Interamnam, atque ibi interfici juſſit.* Quod alteram attinet, de ea ſic *Suetonius* cap. citato VI. pergit: *Duxit mox GALERIAM FUNDANAM prætorio patre. Ac de hac quoque LIBEROS UTRIUSQUE SEXUS tulit, ſed marem, titubantia oris prope mutum, & elinguem.* Hanc juſti recteque tenacem modeſtiæque fuiſſe ſtudioſiſſimam, ex *Taciti* verbis facile recteque collegeris, qui ita in ſuo Hiſtor. Libro II. Cap. 60, *Trachalum adverſus criminantes Galeria, uxor Vitellii, protexit.* Et Cap. LXIV. *Et Triariæ licentiam modeſtum e proximo exemplum onerabat Galeria, Imperatoris uxor.* Quo nomine & *Xiphilino* & *Dioni* Libro LXV. p. 735. laudatur, ſcribentibus: *Vitellii uxor, Galeria, ridere ſolebat, quod in Regia parum ornatus reperiſſet,* ἡ γυνὴ αὐτοῦ Γαλερία, ὡς ὀλίγου ἐν τῷ βασιλικῷ κόσμου εὑρεθέντος, κατεγέλα. De *Liberis* vero ejuſdem iterum *Tacitus* Hiſtor. Lib. I. tradit, *Exitium per literas ad Titianum, fratrem Othonis, filioque ejus minitatum fuiſſe Vitellium, ni incolumes ſibi MATER ac LIBERI ſervarentur. Otho viciſſim in ultima oratione ad ſuos milites: Fruetur Vitellius fratre, CONJUGE, LIBERIS. Contemplabimur vero paullo propius adhuc hoſce Vitellii liberos,* ſi *Taciti* prius verba adſcripſerimus. Hiſtor. Libro III. *Salutem, & pecuniam, & ſecreta Campaniæ Vitellio oblata fuiſſe, ſi, poſitis armis, ſeque ac LIBEROS SUOS Veſpaſiano permiſiſſet.* Nunc, quod filiam attinet, ejus Libro II. C. 59. iterum meminit *Tacitus*, quaſi illius nuptias *Otho* ambiverit, *Vitellius* vero *Valerio Aſiatico*, Belgicæ provinciæ Legato, deſponſaverit, (*e*) à *Veſpaſiano* poſtea, ſucceſſore, & rerum potito ſplendidiſſime maritata dotataque & inſtructa; tum ejus filii, cui quoque nomen GERMANICI; cum nempe *Vitellio* allatus eſſent de morte Othonis nuntius, mox *univerſum* ſcribens Libr. II. Hiſt. C. 59. *exercitum occurrere INFANTI FILIO jubet: Perlatum, & paludamento opertum ſinu retinens, GERMANICUM appellavit, cinxitque cunctis fortunæ Principalis inſignibus.* Diſerte & illum nominat *Zonaras* Tom. II. Ann. p. 192: *Cui* (Vitellio) *mors Othonis in Galliis verſanti nunciata eſt, ubi eum uxor cum filiolo, ſex annos nato, convenit, quem pro ſuggeſtu GERMANICUM & CAESAREM deſignavit,* Ἦλθε δὲ πρὸς αὐτὸν καὶ ἡ γυνὴ καὶ τὸ παιδίον, ὃ καὶ ἀπὸ βήματος Γερμανικόν τε καὶ αὐτοκράτορα ἐπωνόμασεν ἑξέτες ὄν. Hunc ipſum perturbatus adventu Veſpaſiani exercitus, neſcienſque quo ſe verteret, populo oſtendit, referente *Dione* Libro LXV. p. 741. *partim devovere ſe pro ſalute Reipublicæ, partim captare miſericordiam, ejuſque rei cauſa filium, quem tenebat in manibus, amplexari, & ante oculos eorum ponere* &c; qui tamen ipſe paulo poſt Parentis fata à *Muciano*, Veſpaſianarum partium Duce, interfectus fuit, manſuram diſcordiam obtendente, ni ſemina belli reſtinxiſſet, uti denuo eſt apud *Tacitum* Libro IV. Hiſtor. C. 80. cujus mortem paucis infra tangit quoque denuo *Suetonius* Cap. 18: *Periit* (Vitellius) *cum fratre* (Lucio) *& filio*; (Germanico) Et *Dio* Libro LXVI. p. 743. ex eoque *Xiphilinus* p. 212: *Frater ejus,* (Vitellii) *cum Tarracina profectus eſſet incidit in eos, qui contra ipſum miſſi erant, cum iiſque de ſalute ſua paciſcitur, licet & ipſe non multo poſt, & poſt eum FILIUS VITELLII, occiſus fuerit.* Quando ergo *Joſephus*, comparationem *Vitellii* & *Veſpaſiani* inſtituens, Libro V. Antiquitatum Judaicarum C. 10. ſuperioribus ſcriptoribus omnibus contradicit, illumque ἄπαιδα, ſine liberis, ſive improlem vocat, ſcribens: οὐδὲ ἀντὶ μὲν ἡγεμόνος ἀγαθοῦ τύραννον ὠμότατον, ἄπαιδα δὲ ἀντὶ πατρὸς αἱρεῖσθαι πρὸς ταύτην; *neque enim pro bono Imperatore crudeliſſimum tyrannum, nullos autem habentem liberos pro patre optaturos Principem*; exinde forte eſt, quod *Suetonius* illum vocaverit ſupra titubantia oris prope mutum & elinguem, ac proinde imperio haud idoneum; *Veſpaſiano* vero duo ætate & virtute florentes juvenes erant, quos ipſe *Mucianus* in Oratione erga *Veſpaſianam* laudat, apud *Tacitum* Lib. II. Hiſt. *Tuæ domui Triumphale nomen, DUO IUVENES, capax jam imperii alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque Exercitus clarus. Joh. Valens & C. Patinus* non filii (Germanici) & filiæ capita exhiberi heic autumant, ſed duorum filiorum poſterioris matrimonii, & alterius nomen ignorari; quorſum & tendere videtur *Occo* & *C. Mediobarbus*, dum duos pueros ſe mutuo aſpicientes interpretantur, & *C. Patinus* nummos ſupra libros hac in parte docere, exiſtimat in Theſ. p. 58. Sed, pace doctiſſimorum vi-

(*e*) *Samuel Pitiſcus* epiſtimat, forte fuiſſe ſororem *T. Petronii Turpiliani*, qui Conſulem egit cum Cæſonio Pæto, *Tacito* teſte, Annal. XIV. 29. ſive juxta Faſtos Capitolinos A. 813. Vid. *Pigbius* Ann. III. p. 594.

(*f*) Ita *Tacitus* Lib. I. Hiſtoriarum: *Acceſſere partibus Valerius Aſiaticus, Belgicæ provinciæ Legatus, quem mox Vitellius generum aſſcivit.*

Virorum, hoc faltem regerimus, quod amici Vitelliani, rebus ejus jam defperatis, oggeffere apud *Tacitum* Lib. III. Hift. Cap 66. *Sed quod nomen, quem ftatum FILIO ejus GERMANICO fore?* ex quo confequens eft, ipfi tunc non plures, fed hunc Germanicum tantum fuiffe filium. Novimus etiam ex *Taciti* Libro III. Hift. quod, populum adlocutus, in hunc modum verba fecerit: *Cedere fe pacis & Reipublicæ caufa: retinerent tantum memoriam fui, fratremque & conjugem, & innoxiam liberorum (filii & filiæ fcilicet) ætatem miferarentur, fimul FILIUM protendens, modo fingulis, modo univerfis commendans*; Cumque ad ultima deveniffet, *Et XV. Kal. Januar. audita defectione legionis cohortiumque, quæ fe Narniæ dediderant, pullo amictu Palatio degreditur, mœfta circum familia. Simul ferebatur Lecticula PARVULUS FILIUS velut in FUNEBREM POMPAM.* inquit *Tacitus*, fæpius nobis laudatus, Hiftor. Libro III. Unde ergo ipfi plures filii? Et fane plures omnino commendaffet, imo plures fecum in extremis conftitutus tuliffet, fi plures ipfi tunc fuiffent. Nos, cum alter filiorum noviffimi matrimonii ex Autoribus nobis nondum innotuerit, cum *Illuftriff. Spanhemio* Differtat. VII. de U. & P. N. p. 649. *Com. Mediobarbo*, *L. Begero*, & *Paulo Pedrufio* (*f*) utriufque fexus liberos pofterioris matrimonii interpretari malumus, *L. Vitellium* fcilicet, & *Vitelliam*; *Petroniano*, filio prioris matrimonii, veneno jam vel necato, vel certe Patri jam perodiofo; non nefcientes, *Æneam Vicum*, (*g*) & cum eo, *Seb. Erizzum*, (*h*) *A. Zantanum* effigies illas *Petroniani* & *Vitellii Germanici* agnofcere, fed fine omni veri fpecie. Tacemus, Petroniam mature ab ipfo fuiffe repudiatam, cumque imperio potitus effet, cohabitaffe Fundaniæ, quæ nunquam permififfet, alterius, repudiatæque filium conjunctim cum fuo exhiberi in nummis, prudentiæ laude à *Tacito* celebrata. Publici juris hunc nummum elegantiorem tum ex auro, tum ex argento jam fecere *L. Begerus* Tom. II. *Thef. Brand* p. 628. & in *Thef. Palatino* p. 299. 300. argenteum, *Com. Mediobarbus* p. 106. *Anton. Zantanus* in Arg. Tab. II. n. 1. p. 6. *Æneas Vicus* in Arg. T. II. n. 6. *Car. Patinus* in *Suetonio* Nummis illuftrato aureum & argenteum p. 370. & in Thefauro minori p. 57. in argenteis, *Læv. Torrentius* in *Suetonio*, & ex eo *J. G. Grævius* in fuo *Suetonio* p. 649. *J. Valens* in Nummis rarioribus argenteis & aureis p. 87. *Octavius Strada* p. 73. quamvis ille hunc nummum, nefcimus, quam recte, ad æreos referat, & caput in adverfa dextram verfus refpiciens exhibeat, cum potius fit lævam verfus. *Ez. Spanhemius* in Juliani Cæfaribus p. 64. *Sebaft. Erizzo in Difcorfo fopra le Medaglie de gli antichi* p. 123. *Levin. Hulfius* in Imper. Rom. Numifm ferie p. 19. in argenteis. Argenteus affervatur in *Thefauro Schwarzburgico*, eumque aureum olim poffedit *Læv. Torrentius.* Aureus hodie quoque pars eft *Thefauri Verfalienfis*, & ex eodem metallo poffedit illum *Dn. Monjeux*, teftibus fchedis *Morellianis.*

NUM. 4.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuftus TRibunicia Poteftate. Caput laureatum, lævam verfus, uti Tab. I. Num. 7.

LIBERI IMPeratoris GERMANici. Capita Liberorum Vitellii oppofita, fuper impofita ftella.

Nihil hic nummus aureus differt à præcedente, nifi imminente frontibus liberorum ftella, fplendorem dignitatemque *Familiæ Vitellianæ*, fine dubio, connotante. Equidem *Paulus Pedrufius* fingularem offert conjecturam, an fortè fatum, vel genituram horundem liberorum fidus illud fignificet? quamvis notum fit, fingulari laboraffe antipathia erga Mathematicos Vitellium; Dehinc, an forte providentiam defignet Deorum, aut certi Numinis cujufdam fuper hunc ejus filium? quale fidus in nummo *Helvii Pertinacis* quoque confpicitur; an forte fidus Veneris denotet, in honorem Galeriæ, matris horum liberorum, adjectum? Sed bene eft, quod addit: *Protefto però quefta interpretatione fondata in femplice congettura, è fotto pofta femper al giudicio di chi piu di me difcerne il vero.* Nam, quod illius effet de Aftrologia judicium, quem omnes Mathematicos Roma & Italia expuliffe, novimus? immo, quem omnia facra humanaque fufque deque habuiffe, ex *Dione* & aliis conftat. Dehinc ex dictis patet, parum providentiæ ipfum tribuiffe, multoque minus locum eidem in nummis conceffurum fuiffe lubentem. An Galeriam fub Veneris aftro latere voluerit, vel ea propter dubitare licebit, quod non Veneris Deæ cultorem legamus, in Venerem quamvis pronum, faciliufque forte fuiffet faciem Galeriæ ejufdem liberis interponere, ceu in *Severi* (*i*) & aliorum obfervamus nummis. Nunc ad fequentem pergimus, monentes faltem, quod eundem jam in lucem emiferit modo laudatus *Paulus Pedrufius* in Libro, infcripto: *I Cefari in oro Raccolti nel Farnefe Mufeo*, Parmæque 1694. edito Tab. VII. n. 6. p. 101. 102.

NUM. 5.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Poteftate. Caput Vitellii laureatum, lævam verfus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator. Caput Vitellii nudum, lævam verfus, uti Tab. I. Num. 1.

Vel,

(*g*) Qui p. 101. *E fono (Vitellio & Vitellia) apunto i foggetti impreffi nella Medaglia; non effendo probabile che di Petroniano fi faceffe menzione mancato già in disgratia del Padre; tuttavia poco più felice termine fortì altresì L. Vitellio l'altro figlio qui celebrato, poiche eftinto il Padre venne anch' egli uccifo da Muciano condottiero delle genti di Vefpafiano.*

(*h*) In indice nummis adjecto.

(*i*) Qui ita p. 123.: *I quali figliuoli io judico che fieno i due mafchi, Petronio, & P. Vitellio, che qui fi veggono in età di fanciulli.*

(*k*) Ubi nempe Caput Juliæ directa fronte inter Capita Caracallæ & Getæ vifitur oppofita cum epigraphe: FELICITAS SECULI.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

JUPPITER VICTOR. Jupiter sedens seminudus dextra victoriolam, læva hastam tenet.

Victor dicitur heîc Jupiter, quod omnia vincere à Gentilibus credebatur, autore *Livio & Phurnuto*, qui ita de ipso: Πολλαχοῦ δὲ καὶ νίκην κρατῶν πλάττεται, περίεστι γὰρ πάντων καὶ οὐδὲν ἡττᾶν αὐτοῦ δύναται. *Pingitur interdum tenens manibus Victoriam, quia ipse vincit omnia*; itemque *Porphyrio* apud *Eusebium* Lib. III. Cap. 9. de Præparatione Evangel. Προτείνει δὲ τῇ δεξιᾷ ἢ ἀετὸν ὅτι τῶν ἀεροπόρων Θεῶν, ὡς τῶν ὀρνέων ὁ ἀετός· ἢ νίκην ὅτι νενίκηκεν αὐτὸς πάντα. *Dextra vero aut aquilam protendit, quod ipse Diis, ut aquila avibus, dominetur; aut victoriam, quia ipse omnia superavit.* Si plura desideras, adi *Xiphilinum* in Claudio, *Lilium Gyraldum* Syntagm. II. Histor. Deorum, *Hyginum* fab. 185.; Quamquam & hoc certum sit, Jovem Victorem hanc suam virtutem parce admodum, apud *Vitellium* & ejus exercitum exseruisse, uti eventus satis docuit. *Templum* alias *Jupiter Victor* Romæ acceperat in monte *Palatino*. Descriptionem ejus communicat *Pausanias* in *Atticis*: Θέας δὲ ἄξιον τῶν ἐν Πειραιεῖ μάλιστα Ἀθηνᾶς ἐστὶ καὶ Διὸς τέμενος· χαλκοῦ μὲν ἀμφότερα τὰ ἀγάλματα, ἔχει δὲ ὁ μὲν σκῆπτρον καὶ νίκην, ἡ δὲ Ἀθηνᾶ δόρυ; qui & consuli potest Libro V. *de simulacro Jovis Olympii, quod dextra victoriam tenet ex ebore & auro.* Sed cur iste in nummis *Vitellii*? Non alia credimus de causa, quam quod die festi ejus, quod Romæ idibus Aprilis celebrari consueverat, victor Vitellii exercitus Othonis copias ad Bebriacum propemodum deleverat, cujus tamen ipse fuerat inscius in Gallia adhuc degens, ipso hoc referente *Tacito* Libro II. Hist.: *Interim Vitellius VICTORIAE SUAE NESCIUS, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. . . . . Et paucorum dierum iter progressus, PROSPERAS apud Bebriacum RES, ac morte Othonis concidisse bellum, accipit*; in quo eruditissimum *Joh. Valentem*, conjectis jam in chartam hisce, videmus habere nos consentientem. Hinc ergo per hunc nummum eandem ipsi Jovi Victoriam attribuens, veluti Julius Cæsar Veneri, gratias simul eo ipso persolvit decentes; quamquam & illam Victoriam aliis nummis sibi quoque adjudicasse ex genio suo satis perverso, sciamus. (*l*) Cœterum in lucem jam protraxit hunc nummum argenteum *Joh. Valens* in rarioribus argenteis p. 86. *Occo* p. 91. attamen litera P. geminata, *L. Begerus* in Thesauro Palat. p. 299. 300. & in Thes. Brandenb. T. II. p. 629. argenteum eadem literæ P. geminatione. *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIV. n. 11. p. 40. 41. ubi tamen vocem Jupiter cum simplici P. legas. *C. Mediobarbus* p. 105. sine P. literæ geminatione pariter.

NUM. 6. 7.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitelli laureatum, lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS GEMANicus IMPerator TRibunicia POTestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

VESTA Populi Romani QUIRITIUM. Vesta sedet in sella, velata, dextra pateram, sinistra facem ardentem præferens.

Pateram præfert Vesta, quod sacrificare Vestæ præcipuum officium inter alia fuerit; si non lampadem Vestalium; facem vero ardentem læva tenet, quod, referente *Floro* Lib. I. Cap. 2. *Numa focum Vestæ virginibus colendum dederit, (ut ad simulacrum cœlestium siderum custos Imperii flamma vigilaret*, cujus omnino initia ad Trojam referenda, unde *Æneas* attulerat, juxta *Virgilium:*

> *Sic ait & manibus vittas, Vestamque potentem*
> *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Si *Tristanum*, qui eundem hunc nummum nobis communicat, evolvimus, ille eo abit, quasi propterea heîc Vesta compareat, quod *Vitellius*, velut Pontifex Maximus, jus in Virgines Vestales habere se indicare voluerit hoc ipso monumento, quod & ex auro & argento deprehenditur; (nam Vestæ penetralis igne extincto, Virgo (Vestalis) jussu Æmilii, Pontificis Maximi, flagro cæsa fuit, juxta *Jul. Obsequentem* de prodigiis Cap. LXII.) cui conjecturæ, quod addimus, speciem omnino præbere videntur *nummi Othoniani*, supra in Nummis ejus Tab. III. ex *Goltzii* MStis adducti, ubi Vesta sedens pariter dextra pateram, sinistra hastam tenens conspicitur, cum epigraphe: *PONTifex Maximus*; nec non alius, in quo eodem quidem habitu sedet, sed subscripto insuper nomine: VESTA; itemque nummus *Vitellii* infra hac ipsa Tabula N. 27. adducendus. Multum illarum preces valuisse quoque apud Romanos, tritum est. Hinc & ipse *Vitellius*, rebus desperatis, illas ad Antonium, Vespasiani Ducem, ablegarat, pacem illi exoraturas, referente *Tacito* Histor. Libro III.: *Obviæ fuere & VIRGINES VESTALES cum epistolis VITELLII ad Antonium scriptis. Eximi supremo certamini unum diem postulabant. Si moram interjecissent, facilius omnia conventura. VIRGINES cum honore dimissæ. Vitellio rescriptum, Sabini cæde, & incendio Capitolii, dirempta belli commercia*; Itemque *Dione* Libro LXVI. p. 742. & *Xiphilino* p. 213.: Ὁ δὲ Βιτέλλιος τὴν βουλὴν συναγαγὼν, πρέσβεις παρ' αὐτῶν μετὰ τῶν ἀειπαρθένων πρὸς τὸν Κερεάλιον ἔπεμψεν. *Vitellius, convocato Senatu, Legatos ex eo cum VESTALIBUS ad Cerealem mittit*; nec non *Suetonio* in *Vitellio* Cap. XVI.: *A. Vitellius Aug. suasit Senatui, ut Legatos cum Virginibus VESTALIBUS mitterent, pacem, aut certe tempus ad consultandum petituros. J. Valentis* opinio est, an non forte hic nummus ad Vestarum Templum, quod sub Nerone incendio conflagaverat, & *Vitellius* restaurare in animum sumserat, sit referendus, quam-

(*l*) Servamus in *Museo nostro* nummum hunc cum hac Capitis Inscriptione: *Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate.* SIGEB. HAVERCAMP.

quamvis id demum sub *Vespasiano* absolutum fuerit. Addimus denique, (si dixerimus, promiscue in nummis & QUIRITIUM & QUIRITUM legi contra *Grammaticorum* placita) exhibuisse jam hunc ex argento rarum, ex auro vero rariorem *L. Begerum* T. II. Thesauro Brandenburg. p 629. & quidem argenteum, *Occonem* pag. 90. qui incertus, tædam an facem ardentem læva teneat? scribit, cum tamen sit fax ardens. *C. Mediobarbum* pag. 104. 105. qui tamen QUIRITUM pro QUIRITIUM reposuit, & tædam præferre pariter, minus recte tradit. *Tristanum* T. I. Commentar. in Num. Imper. p. 270. qui simul testatur, in alterius perigraphe deprehendisse: QUIRITUM, quod non negamus; ubi tamen figura sedens Vestæ inversa literisque aliter ac in nostro collocatis conspicitur, ceu remur, hoc positu in nummis nondum observato. Ex argento in *Thesauro Schwarzburgico* delitescit; ex auro *Thesaurus Regius Versaliensis*, itemque *Museum S. Genovefæ* eundem continet.

Num. 7. 8.

VESTA Populi Romani QUIRITIUM. Caput Vestæ velatum, ante fax ardens uti Num. 7. hac Tabula.

Jupiter Optimus MAXimus CAPITOLINUS. Jupiter medio in Templo sedens, dextra fulmen, sinistra hastam tenet.

Non miramur facem ardentem (frustra ergo plane est *Jacobus Oiselius*, qui pag. 256. in suo Thesauro istud in acutam desinens cuspidem ante pectus ignorans, acum comatoriam sive crinalem, & discriminalem, ex face fecit) cum in antecedente, tum in hoc nummo præferre *Vestam*, cum fuerit custos ignis, qui juxta *Pythagoricos* & *Platonicos* in medio terræ continetur, hinc *Ovidius* Libro VI. Fastorum: v. 267.

> *Vesta eadem est, quæ terra; subest vigil ignis utrique,*
> *Significant sedem terra focusque suam.*

Et alibi (loc. cit. Lib. VI. Fast. v. 297.)

> *Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur.*

Ubi simul originem Vestæ; nempe à vi stando inculcat, de quo jam supra. Paulo explicatius de ea *Plutarchus*: *Traditur, Numam custodiæ causa perenni igne Vestæ templum circumdedisse; quod rotundum ab eo exstructum est, non ut terræ (quasi ea Vesta esset) sed ut universi figuram exprimeret, in cujus medio ignem collatum Pythagoræi censent, eumque Vestam & unitatem appellant.* Eam hinc pene omnes Scriptores ignem interpretantur, quamvis & *Servius Honoratus* etiam pro terra sumat. Et *Chalcidius* de *Platone* p. 214.: *Placet Pythagoricis ignem, utpote materiarum omnium principem, medietatem mundi obtinere, quem Jovis custodem appellant; per hunc porro moveri, circumactis in gyrum tanquam stellas terram, & ἀντίχθονα; quare vel intelligendum, vel aliquando verisimilius medietati mundi adhærentem quiescere terram, propterea que & à Platone & à multis aliis VESTAM cognominari.* Præterea perpetuus æternusque ignis suspensus in vasculis fictilibus, & per excubias Virginum Vestalium conservatus, in templo ejus, veluti imperii certissimum pignus, asservabatur, & exstinctus certissima infausti ominis erat species, juxta illud *Val. Maximi* Lib. V. C. 4. *Ignoscite vetustissimi foci, veniamque æterni date ignes, si à vestro sacratissimo templo ad necessarium magisque speciosum Urbis locum contextus operis nostri progressus fuerit.* Et *T. Livius* Dec. I. Lib. V. *Quid de æternis Vestæ ignibus, signoque, quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur &c.* Hinc *Cicero* Lib. II. de Legibus: *Virgines Vestales in Urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* Cur autem custodia ignis perpetui virginibus his à Numa fuerit commissa, ejus rationem reddit *Plutarchus* in Vita ipsius: Νομᾶ καὶ τὴν τῶν ἑστιάδων παρθένων καθιέρωσιν, καὶ ὅλως τὴν περὶ τὸ πῦρ τὸ ἀθάνατον ὃ φυλάττουσιν αὗται, θεραπείαν καὶ τιμὴν ἀποδιδόασιν, εἴτε ὡς καθαρὰν καὶ ἄφθαρτον τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν, ἀκεραίοις καὶ ἀμιάντοις παρατιθέμενοι σώμασιν, εἴ τε τὸ ἄκαρπον καὶ ἄγονον τῇ παρθενίᾳ συνοικειοῦντες. *Numæ Vestalium virginum consecrationem, omnemque æterni ignis, quem adservant hæ, cultum ac honorem adsignant; sive puram & incorruptam ignis naturam integris & impollutis credidit corporibus? sive sterilem & infœcundam virginitati aggregavit.* Ignis vero cur Vestæ dicatus sit, hanc rationem reddit *Phurnutus*: Τὸ δὲ ἀεὶ ζῶον πῦρ ἀποδίδοται τῇ Ἑστίᾳ, διὰ τὸ καὶ αὐτὴν δοκεῖν εἶναι ὄν· τάχα δὲ ἐπεὶ τὰ πυρὰ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἐντεῦθεν τρέφεται, καὶ διὰ ταύτην ὑφέστηκεν· ἢ ἐπεὶ ζείδωρος ἄρουρά ἐστι, καὶ ζώων μήτηρ, ἧς ἐστιν αἴτιον τοῦ ζῆν τὸ πυρῶδες. *Ignis autem perpetuus Vestæ dicatus est, quod videatur plurimis & ipsum esse ens. Nimirum ignis iste perpetuus Vestæ consecratus quasi ejus vi exortus sit. Est & alia causa perpetui ignis, nempe quod terra fœcunda mater sit animalium omnium, & suam vitam ab igne habeat.* Culta fuit ante Romam conditam à Tyrrhenis, teste *Myrsilo Lesbio*; Romæque inter penates relata, in omnibus ædium privatarum vestibulis stabat, unde & vestibulum nomen accepit; & ipsum ei templum à Romulo existimant fuisse conditum; alii, in quibus *Plutarchus* & *Dionysius*, à Numa; alii à *Tito Tatio*; ejusque meminit *Onuphrius Panvinius* in descriptione XIV. Regionum Urbis, *Sextus Ruffus* & *P. Victor*. Licetque *Ovidius* scribat Libro VI. Fastorum, v. 295.

> *Ignis inexstinctus templo celatur in illo,*
> *Effigiem nullam Vesta nec ignis habet.*

& *Pausanias* Libro II. in Corinthiacis Cap. XXXV. referat in Vestæ templo nullum fuisse signum, (k) attamen deprehendimus, illam ab antiquis depingi forma non solum muliebri sedentem, & gestantem tympanum, quod terra ventos in se contineat; sed & eadem forma dextra pateram, sinistra hastam tenentem, uti supra in Caligula eandem jam vidimus, & infra hac ipsa Tabula n. 27. exhibebimus; imo & facem sinistra tenentem, uti heic; quæ vero quid velit jam innuimus. Pateram tenet dextra, quod ipsi non solum quotidie sacrificia fierent, illi collocata aqua, in eaque sale ruffo ipsi oblato; adhibita vero aqua ex Numico flumine, uti notat *Gyraldus* Syntagm. de Diis Gent. 17. & colligitur ex illo *Juvenalis* Sat. VI. v. 384.

Cum

(m) Παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἐστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσιν Ἑστίᾳ. *Jam qui in Vestæ transierint Templum, ibi signum nullum vident, unica ara est, & supra ea sacra Vestæ faciunt.*

Cum farre & vino Vestam lunamque rogabat;

Sed & quod ipsa in Dearum numero esset. Vitta caput tectum est, secundum illud *Lucani* Lib. III. Pharsal. v. 596.

Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.

Et *Ovidii* III. Lib. Fastorum;

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Unde & *Prudentius* Libro II. contra Symmachum:

Sedet illa verendis
Vittarum insignis phaleris —— ——

Et alibi:

—— —— cingunt
Tempora tæniolis & licia crinibus addunt.

Præter hæc & Suffibulum conspicimus, hoc est velum, sive tegumentum in capite, quod juxta *Festum Pomp.* Libro 17. Vestimentum album est prætextum, quadrangulum oblongum, quod in capite Vestales, cum sacrificant, semper habent: idque fibula comprehenditur. Et cum, juxta ignem, Palladium quoque servarent, signum æternæ felicitatis Urbis; hinc in nummo VESTA POPULI ROMANI QUIRITIUM audit, perinde ac S. Agnes à *Prudentio* in Hymno 14. vocatur virgo servans salutem QUIRITUM, dum ita canit:

Conspectu in ipso condita turrium
Servat salutem virgo Quiritium.

Planiorque redditur ejus ratio ex ista formula, qua recipiebantur Vestales, quam communicat *Fabius Pictor* apud *A. Gellium* Lib. I. c. 12. SACERDOTEM VESTALEM, QUÆ SACRA FACIAT, QUÆ IOVIS SIET, SACERDOTEM VESTALEM FACERE PRO POP. ROMANO QVIRITIBUS, UTI QUOD OPTUMA LEGE FIAT, ITA TE AMATA CAPIO. Tunc vero Populus Romanus Quiritium cœpit cum maxime dici, cum in regni consortium adscitus à Romulo *Tatius* Sabinorum Rex fuit, & postquam

— — in partem data Roma Sabinis,

Uti loquitur *Virgilius.* Dicturi vero sumus de Iove Capitolino ad proxime sequentem nummum plura; monentes saltem, quod heic Vesta & Jupiter Capitolinus conjuncti videantur, quod forte utrorumque Templa reædificare Populo Romano promiserit *Vitellius*, ac apud se constituerit, morte hoc ejus proposito postea turbato. Debemus hunc sic combinatum numum *schedis Morellianis*, qui, ubi eundum viderit, non addidit, qui tamen & illum in nummis Consularibus inter incertos exhibuit argenteum Tab. I. n. 1. Ut ergo iste inter incertos relinquendus amplius nunc non sit, sed potius ad *Vitellianos* referendus, cum utraque adversa, heic connexa, in *Vitellianis* exstet. Sic & *Jacobus Oiselius* Tab. N. 8. p. 256. illum inter nummos incertæ familiæ Romanæ exhibuit, prætereaque nescio quid floris, aut alius rei, loco facis, faciei; præfixit, in quo habet & *Joach. Oudanum* sequacem, Tab. 49. N. 8. p. 248. Minime omnium ferendus est *Justi Rycquii*, viri alias literatissimi, error, qui hunc nummum sine dubio innuens, eundem quidem ab altera parte cum Jove Capitolino recte exhibet, & figuram quoque *Vestæ*, ad nostrum typum, cum face ante vultum, exacte sistit, circa autem legit: VEST. AUR. QUIRINA, hoc est, AUR*elia* QUIRINA VEST*alis*, pro VESTA Populi Romani QUIRITIUM, uti jam docuimus, ubi quod ad oculum patet & ad AUR. rapuit, ex P. V. confinxit, & literis in fine fugientibus, ex TIUM terminationem NA commentus est, in libro de Capitolio Romano edit. Batav. Lugd. 1669. p. 246. & recentioris, ubi quod mireris, nihil inmutatum, neque hic crassior error sublatus, p. 197. 198. Primam hujus nummi faciem N. 7. etiam apud *Begerum* in Floro suo p. 39. offendimus. Sed frequentior est hic typus N. 8. cum capite *Vitellii*, de quo nunc.

Num. 8.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. *n.* 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum dextram versus, uti Tab. I. *n.* 3.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti T. I. n. 14.

Jupiter Optimus Maximus CAPITOLINUS. Jupiter seminudus in area Templi sedens, dextra fulmen, sinistra hastam tenet.

Jovis Capitolini Templum, in nummo argenteo obsignatum, heic intuemur, quasi mox à Vitellio restituendum (si *J. Valentis* conjecturam sequi velimus) quod nempe milites Vitelliani, Flav. Sabinum Vespasiani, fratrem, in arce obsidentes combusserant, vel ipsi Vespasiani, igne se contra istos tuentes, fortuito incenderant: omnem culpam hujus facinoris, veluti Populo Romano luctuosissimi, fœdissimi, indignissimique à se in milites, ipso transferente Vitellio. De quo *Suetonius* Cap. 15. *Rursus interpellante milite ac populo, & ne deficeret, hortante, omnemque operam suam certatim pollicente, animum resumsit. Sabinumque & reliquos Flavianos nihil jam metuentes, vi subita in Capitolium compulit: succensoque TEMPLO IOVIS OPT. MAX. oppressit, cum & prælium, & incendium è Tiberiana prospiceret domo inter epulas, non multo post pœnitens facti, & in ALIOS CULPAM CONFERENS, vocata concione, juravit, coëgitque jurare cæteros, nihil sibi antiquius quiete publica fore.* Confirmant & idem *Dio* Libro LXV. 741. & *Xiphilinus* p. 212. *Postridie ejus diei Vitelliani contra eos irruere: hi impetum illorum pro-*

propulsavere aliquandiu ; sed quum incensis iis, quæ circum Capitolium erant , igni impedirentur Vitelliani , ascendunt in Capitolium , magnumque numerum eorum concidunt, direptisque iis omnibus , quæ in Capitolio reposita erant , ac præter alia loca, (κατὰ πρῶτον ἄλλα τε καὶ τὸν ναὸν τὸν μέγαν) *magno TEMPLO. Jovis Optimi Maximi INCENSO , Sabinum & Atticum captos ad Vitellium mittunt ; Itemque* Eutropius Libro IX. p. 107. *Deinde à quibusdam animatus, Sabinum, Vespasiani fratrem, nil tum mali suspicantem , cum cæteris Flavianis in Capitolium compulit, succensoque Templo, & mixta simul flamma ruinaque omnes in unum pariter interitum ac tumulum dedit.* Cujus Templi excidium insigni ostento prænunciatum fuisse dicunt, quod pariter tradit *Dio* Libro LXV. pag. 736 & ex hoc *Xiphilinus* pag. 207. & 208 : *Inventa quoque sunt in Capitolio multa & magna vestigia quorundam Deorum, qui ex eo descendisse videbantur: renuntiatumque est à militibus , qui ea nocte in excubiis ejus* (Capitolii) *fuerant , TEMPLUM IOVIS Capitolini sua sponte cum magno fragore apertum esse, atque ob eam causam nonnullos custodes perterritos & exanimatos fuisse.* Quid ? si porro causam obsignati in nummo Jovis Capitolini indagantes dicamus , eundem , ob reportatam ab Othonianis copiis victoriam , in nummo exhiberi? cum constet ex bello reversos Imperatores Triumphali pompa in Capitolium fuisse deductos, Jovique in illo sacrum fecisse, & convivium celebrasse. Siquidem clare *Tacitus* Libro II. Histor. *Sic CAPITOLIUM ingressus , atque ibi matrem complexus, Augustæ nomine honoraverit* ; Vel etiam propterea hunc in nummo obsignari fecit Jovis Capitolini typum , quo nempe ostenderet, quanto iste tamen adhuc apud ipsum esset in pretio (nam in hoc Templo Imperatores in bellum ituri vota nuncupabant) cujus & opem inposterum speraturus ab ipso vicissim esset præsentem, maximamque, licet templum ejus, militum, non sua culpa, in cineres fuerat redactum, novo & nobili sic satis monumento in omnium oculis per nummos denuo excitato. Cujus sententiæ & olim fuisse *Illustriss. Spanhemium* , singulari perfundor gaudio , dum alia evolvens in hunc nummum incido , quamvis minus affabre à Sculptore ære expressum, cujus *Spanhemii* non possum non verba, lucem huic opinioni ampliorem affundentia, heic repetere : " Ita Jovis Olympii Templum in nummo
,, Augusti videas haud passim obvio, de quo jam
,, ante ; sicut IOVIS OPTIMI MAXIMI CA-
,, PITOLINI in sequenti Nummo Vitellii, cujus
,, iconem laudatus aliquoties *Chiffletius* noster ad
,, me haud ita pridem transmisit. At notum ex
,, Autoribus illorum temporum, *Tacito, Suetonio*,
,, arsisse sub *Vitellio* Ædem Jovis Capitolini ,
,, sub *Vespasiano* postea restitutam. Sed quod
,, dubium quasi & anceps foret, an incendium
,, illud ab obsidentibus *Vitellianis* , an à FLA-
,, VIANIS obsessis esset profectum, magna autem
,, esset infamia illius facti, quo multi finem Im-
,, perii adesse credebant ; (videatur *Tacitus* Hist. IV.
,, 54.) eam certe à se amoliri voluisse videtur Vi-
,, tellius, hac suæ erga sedem Jovis Opt. Max. ac
,, Imperii pignus pietatis contestatione. Equidem
,, quantum curæ ea res foret Vitellio , abunde
,, ostendit absolutus ab eo Atticus Consul , quan-
,, quam è Ducibus Flavianarum partium , quod
,, interrogantibus : quis Capitolium incendisset ? se
,, reum Atticus obtulerat. Eaque confessione, si-
,, ve aptum tempori mendacium fuit, invidiam,
,, crimenque amovisse, & à partibus Vitellii amo-
,, litus videbatur. Vide Hist. Lib. III. 75. Et
,, certe crebrior fama , ut tradit in hoc facto idem
,, *Tacitus* , obsessis *Flavianis* hoc incendium ad-
,, scripsit, quo nitentes ac progressos Vitellianos
,, depellerent , de quo Hist. Lib. III. Cap. 71.
Sed & nunc paucis typum ipsum in nummo obsignatum intueamur. Conspicitur vero Jupiter barbatus, juxta illum *Prudentii* hymnum in Romanum Martyrem : *Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.* Sedet dehinc idem superiore parte nudus, inferiore amiculo tectus ; quo ipso , juxta *Gerb. Joh. Vossium*, indicare voluerunt, animas cœlestes perspicere Dei naturam, vulgaribus illis, humilibus , terrenisque curis immersis omnia tecta esse, atque obscura. Sed & præterea in sella eburnea, sive aurea , *Threno* , peregrino vocabulo à *Plinio*, *Polonò* , *Alberico* & veteri Poëta , apud *Suetonium* in Augusto , appellata : quanquam ibi pro : *Fugit & auratos Jupiter ipse THRONOS, THOLOS*, quidam malint legere, quod ad cœlaturas Capitolii aureas referendum esset , de quibus supra Cap. XVI. *Vulgatæ tamen lectioni* & *Homerus* Poëtarum *Princeps favet , qui* Θεὺς χρυσοθρόνους *interdum appellat ; & consuetudo Romanorum Græcorumque , qui ex auro & ebore Deorum fere sellas habebant* , de qua *Cæcilius* in Panegyrico : *Jamdudum illi radiatum caput , & media inter Deos sedes , auro staret , aut ebore* ; & is , (quem diximus) *Albericus* in descriptione Jovis : *Pingebatur*, inquit, *in Threno eburneo, in sua Majestatis sede sedens, Sceptrum Regium in manu sinistra tenens ; altera vero fulmina ad inferos mittens.* Verba sunt *Justi Rycquii* de Capitolio Romano Libro pag. 246. scribentis. Dextra fulmen tenet, juxta illud *Virgilii*, aut Autoris Lusus in *Priapum : Fulmen habet, Mundi Dominus tenet illud aperte. Hastam* porro sinistra sustinet , *Deitatis insigne* ; Sedet vero, quod etiam Deorum est ; quo positu juxta *Strabonem* & Jovis Olympii simulacrum à Phidia formatum erat ; nempe ut non solum magnitudo Deorum indicaretur, sed & velut Rex in solio Majestatis, ac perpetui, probeque ponderati Regiminis argumento. Hoc observandum, *Plinio* Autore, Turianum à Fregellis Romam fuisse accitum , cui locarit Tarquinius Priscus effigiem Jovis in Capitolio dicandum ; &, juxta *Livium* , Jovis hujus simalacri faciem diebus festis minio illineri consuevisse. Dehinc perigraphe certissimo argumento est, Jovem Capitolinum dictum quoque fuisse Optimum Maximum, cujus rationem reddit *Rosinus* Antiquit. Rom. Libro II. C. 5. p. m. 139. : ,, JUPITER CAPITOLINUS , qui
,, & OPT. MAX. dictus est, quod velit & pos-
,, sit omnibus prodesse, & optimus quidem, ante
,, quam maximus : quia majus sit gratiusque pro-
,, desse, quam magnas opes habere , teste *Cicero-*
,, *ne* ; qui etiam alibi scribit, Jovem à Populo Ro-
,, mano propter bene, Optimum , propter vim,
,, Maximum appellatum fuisse. Capitolini nomen
,, habuit à monte Capitolino, in quo Templum
,, ei conditum , & cultus divinus institutus fuit.
,, De cujus Templi ædificatione, conflagratione,
,, & restauratione inter alios quoque *Tacitus* Libro
,, IV. Histor. : *Voverat hoc Templum Tarquinius*
,, *Priscus. Rex , Bello Sabino , jeceratque funda-*
,, *menta , spe magis futuræ magnitudinis , quam*
,, *quo modicæ adhuc Pop. Romani res sufficerent.*
,, *Mox Serv. Tullius sociorum studio, deinde Tarqui-*
,, *nus Superbus, capta Suessa Pometia, hostium spoliis*
,, *exstruxere. Sed gloria operis libertati reservata.*
,, *Pulsis Regibus, Horatius Pulvillus item Cos de-*
,, *dicavit ea magnificentia , quam immensæ post-*
,, *ea Pop. Romani opes ornarent potius ; quam*
,, *auge-*

„ *augerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, post-* „ *quam interjecto CDXV. annorum spatio L.* „ *Scipione, C. Norbano Coss. flagraverat. Curam* „ *Victor Sylla suscepit, neque tamen dedicavit.* „ *Hoc solum felicitati ejus negatum. Lutatii Ca-* „ *tuli nomen inter tanta Cæsarum opera, usque ad* „ *Vitellium mansit. EA tunc AEDES CRE-* „ *MABATUR* &c." Idem & testatur *Plutarchus* „ in Poplicola, qui pariter in Vitellii seditionibus „ eversum ac dirutum tradit." De Magnificentia hujus Templi, quæ non obscure etiam ex figura in Nummo nostro potest colligi, *Dionysius* tradit; *Situm fuisse & fundatum in alta crepidine IIX. jugerum ambitu, CC. ferme pedibus patens per latera singula pari propemodum longitudine atque latitudine, vix XV. pedum differentia, frontem ejus meridiem spectantem habuisse porticum cum triplici columnarum ordine, in lateribus autem duplici ordine: tresque ædes pares communibus contentas fuisse lateribus, mediam fuisse Jovis, à dextra Minervæ, à sinistra Junonis.* Nummum hunc ex argento rarissimum jam vulgavere *Laurent. Begerus* T. II. *Thes. Brandenb.* pag. 629. *Carol. Patinus* in *Thes. Mauroceni* pag. 22. *Joh. Smetius* in Antiquit. Noviomag. p. 206. *C. Mediobarbus* p. 105. 106. *Johan. Valens* in nummis rarioribus argenteis p. 85. 86. ubi tamen in adversa male forte irrepsit vox AUG. post VITELLIUS, contra nummi nostri fidem, qui est in *Thesauro Schwarzburgico*. *Ez. Spanhemius* de U. & P. N. Diss. IX. p. 854. ubi tamen nec Jupiter seminudus, nec barbatus, nec dextra fulmen gerens apparet; sed CAPI. præterea, pro CAPITOLINUS, inverso ordine scriptum, vitio sine dubio sculptoris.

NUM. 9.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput laureatum, dextram versus, uti Tab. I. Num. 2.

ROMA RENASCens. Roma galeata stans dextra victoriolam, sinistra hastam tenet.

Roma stat galeata, ut virtutem ipsius cognoscas bellicam, præ aliis Gentibus famosam; dextra tenet victoriolam, ut intelligas, eam esse Gentium Reginam, quæ non tam bellare, quam debellare sciat, ac hostes vincere; hastam tenet læva, ut Deam istam verearis. ROMA vero RENASCENS obsignata est in perigraphe nummi, ut, quæ Othonis tyrannide hactenus oppressa videri potuisset, nunc Vitellii cura & auspiciis renascens ac altius surrectura reputetur. De quo *Tacitus* Hist. Libro II.: *Gratum primoribus civitatis etiam plebs approbavit, quod reversis ab exilio jura libertorum concessisset. . . . Circum gladiatorum, ferarumque spectaculis opplere: tanquam in summa abundantia pecuniæ illudere. Quin & natalem Vitellii diem Cæcina ac Valens, editis tota urbe vicatim gladiatoribus celebravere INGENTI PARATU, & ante illum diem INSOLITO.* Exhibent hunc nummum *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIV. n. 7. p. 40. *Com. Mediobarbus* pag. 105. itemque *Schedæ Morellianæ.*

NUM. 10.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

ROMA VICTRIX. Roma galeata stans dextra victoriolam sustinet, sinistra hastam.

Romam victricem jactat, quod suis & Reipublicæ copiis Othonis exercitum delevisset; idque Urbis elogium postea magno numero à sequentibus Imperatoribus in nummis repetitum legimus, veluti eidem ac ipsismet maxime gloriosum, immo proprium. Maximeque attendendum est, quod victoriolam teneat in hoc & præcedenti nummo, veluti signum felicis & victricis semper Urbis; hastam læva sustinens veluti Dea, quo nomine sæpius in nummis eandem quoque offendimus. Immo & ipse *Vespasianus* exercitum *Vitellii* non alium ac victorem æstimabat, in Oratione apud *Tacitum* Libro II. Hist.: *Versabatur* (Vespasiano) *ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari; suas legiones civili bello inexpertas: VITELLII VICTRICES, & apud victos plus querimoniarum, quam virium.* Sistunt hunc nummum *schedæ Morellianæ*, nescientes, ubi ipsum viderit.

NUM. 11.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, dextram versus, uti Tab. I. Num. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

CLEMENTIA IMPeratoris GERMANici. Figura muliebris sedens, dextra ramusculum, sinistra hastam tenet.

Clementiam, qua virtute nulla dignior omnino est Principe, juxta illam, quam ex marmore tradit *du Choul* p. 139. cedro dignam sententiam: NIHIL EST, QUOD MAGIS DECEAT PRINCIPEM, QUAM LIBERALITAS ET CLEMENTIA, interpretamur illam, quæ sub habitu fœminæ heic sedet, figuram. Quando autem heic sedet, quietum animum secundum *Antonium Augustinum* Dial. II. notat; Baculus longiuscule remotus, sive scipio, vim, auctoritatemque, qua sine rigore utitur. Lauro autem, porro qui Deos violasset, expiari solet. Unde ergo spicæ in dextra, quas

quas *Jacobus Oiſelius* in Theſauro pag. 362. & *Oudanus* in Potentia Romanâ p. 296. conſpexerunt, qui utrique de rei frumentariæ largitione, aut procuratione, à Vitellio facta, de qua ſcilicet Autores taceant, illas, ſed perperam, uti conſtat, interpretantur, cùm non ſpicas ſed lauri ramuſculum, more ſolito, & heîc teneat dextra. Clementia quando heîc ſe effert *Vitellius*, illa præcipue intelligenda eſt, quam *Titiano*, Othonis fratri, (*n*) exhibuit poſt mortem Othonis; dehinc forte & ea, qua fuit erga *Marium Celſum*, Othonis Ducem, dum Conſulem eum paſſus eſt eſſe; itemque iſta, qua impunes eſſe voluit illos, qui adverſus ipſum inſurrexerant, quam in ipſo & prædicat *Tacitus* Lib. I. Hiſtor. *Vitellius VICTOR CLEMENTIÆ GLORIAM tulit.* Cave vero, ne intelligas illam, quam adulatores ipſi tribuebant inclementiſſimo, de quo *Suetonius* Cap. XIV. Vitel. *Ex quibus* (fœneratoribus, ſtipulatoribus & publicanis) *quendam in ipſa ſalutatione ſupplicio traditum, ſtatimque revocatum, cunctis CLEMENTIAM laudantibus, coram interfici juſſit, velle ſe, dicens, paſcere oculos: alterius pœnæ duos filios adjecit, deprecari pro patre conatos.* Hunc ex argento rariorem, ex auro maxime rarum nummum jam in lucem dederunt *Occo* p. 91. *Guilielmus du Choul dans ſon Diſcours de la Religion des anciens Romains* p. 140. *Joh. Valens* in rarioribus aureis & argenteis p. 85. *Ant. Zantanus* in aureis Tab. IV. N. 2 *Æneas Vicus* Tab III. N. 2. *C. Mediobarbus* p 104. ubi ſcribit: *Clementiam ſiniſtra columnæ innixam eſſe*, ſed haſtæ innititur, ſeu potius eandem tenet, non columnæ innititur. *Anton. Auguſtinus* Dialog. II. edit. Ital. pag. 47. argenteum, *Jacob. Oiſelius* in Theſ. Tab. LXIV. n. 6. p. 362. *Joach. Oudanus* Tab. LXVI. N. 6. p. 296. qui tamen utrique, uti ſupra jam diximus, ſpicas dextræ indidere.

NUM. 12.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 6.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AVGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 7.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator. Caput Vitellii nudum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 1.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

CONCORDIA Populi Romani. Concordia ſub figura muliebri dextrorſum ſedens, dextra pateram, læva duplex cornu copiæ tenet.

Sicuti Othoni Senatum adverſum fuiſſe; ita in *Vitellium* ſingulariter pronum ex pluribus ejus temporis Scriptoribus novimus. Hinc quoad modo de Othonis morte nuncius Romam pervenerat, omnium animi in Vitellium inclinavere, inquit *Tacitus* Lib. II. Hiſt.; *& Populus univerſus Vitellio plauſit, in Senatu cuncta longis aliorum Principatibus compoſita, ipſi decernuntur ſtatim*, uti ipſe rurſus autor eſt *Tacitus*, idemque *Dio* Libro LXV. p. 734. Οἱ δ᾽ ἐν τῇ Ῥώμῃ ὡς ἤκουσαν τὸ τοῦ Ὄθωνος πάθος, παραχρῆμα, ὥσπερ εἰκὸς ἦν, μετεβάλλοντο. Τόν τε γὰρ Ὄθωνα, ὃν πρότερον ἐπῄνουν καὶ νικᾶν ηὔχοντο, ἐλοιδόρουν ὡς πολέμιον, καὶ τὸν Βιτέλλιον, ᾧ κατηρῶντο, καὶ ἐπῄνουν, καὶ αὐτοκράτορα ἀνηγόρευον. *Poſtquam Romæ clades Othonis audita eſt, populus Romanus ſtatim (ut par erat,) ſententiam mutare cœpit; Othonique, quem laudaverat antea, & cujus victoriam optaverat, non aliter atque hoſti contumelioſe maledicere; ac Vitellium, quem deteſtatus fuerat, collaudare, eumque imperatorem dicere.* Commodiori ergo uti non potuit concordiæ emblemate in nummis ſuis Vitellius, quam hoc ipſo, quod præ manibus nobis eſt, licet ſtabilis diu haud fuerit. Ut taceamus, quæ prodidit nobis *Suetonius* Cap. XV. in Vitel.: *Vocata concione juraſſe Vitellium, coëgiſſeque jurare cæteros, nihil ſibi antiquius quiete publica fore. Tuncque ſolutum à latere pugionem, Conſuli primum, deinde, illo recuſante, Magiſtratibus, ac mox Senatoribus ſingulis porrexiſſe: nullo recipiente, quaſi in ÆDE CONCORDIÆ poſiturum abſceſſiſſe; ſed quibuſdam acclamantibus, IPSUM eſſe CONCORDIAM, rediiſſe; nec ſolum retinere ſe ferrum affirmaſſe, verum etiam CONCORDIÆ recipere COGNOMEN.* Et *Tacitus* Hiſt. Lib. III. paucioribus ſaltem hæc tangit: *Poſtremo, fletu præpediente, aſſiſtenti Conſuli (Cæcilius Simplex erat) exſolutum à latere pugionem, velut jus necis vitæque civium, reddebat. Aſpernante Conſule, reclamantibus, qui in concione adſtiterant, ut in ÆDE CONCORDIÆ poſiturus inſignia Imperii, domumque fratris petiturus, diſceſſit.* Atque ita VITELLIUS dictus fuit CONCORDIA ea propemodum ratione, qua *L. Antonius*, Triumviri frater, dictus fuerat PIETAS, uti hoc ex nummis & *Dione* colligimus. Sed ſtabilis, uti jam diximus, haud diu fuit iſta Concordia, ſiquidem mox *Tacitus*: *Igitur tanquam omnis Reſpublica in Veſpaſiani ſinum ceſſiſſet, primores Senatus & plerique Equeſtris ordinis, omniſque miles Urbanus & vigiles domum Flavii Sabini complevere.* Jacta nunc tuam Concordiam P. R. Vitelli! Nummum ex argento non infrequentem, ex auro rariorem communicavit jam *Occo* p. 90. *Car. Patinus* in *Theſauro Maurocen.* p. 22. *Ant. Zantanus* in arg. T. III. N. 7. *Æneas Vicus* in argent. T. II. N. 7. *C. Mediobarbus* p. 104. & 105. *Ant. Zantan.* T. III. in arg. Vit. N. 7. ex *P. Cattanei* indice. *J. Valens* in aureis & argenteis pag. 85. qui tamen ramum dextera tenere aſſerit, cum patera ſit; hodieque ex auro pars eſt *Theſauri Regii Verſalienſis*, & tum ex auro, tum ex argento *Schwarzburgici*. Poſſedit & olim hunc *Fæſchius* (*o*) argenteum, aureum vero *Dn. Monjeux*.

NUM.

(*n*) Sic enim *Dio* Libro LXVI. p. 743.: *Quanquam Vitellius nullum ex propinquis Othonis & Veſpaſiani occiderat.* Et *Tacitus* Lib. II. Hiſt. *Salvius Titianus, Othonis frater, nullum diſcrimen adiit, pietate & ignavia excuſatus.*

(*o*) Servatur ex argento quoque in *Muſeo noſtro* SIG. HATERC.

Num. 13.

CONCORDIA PRÆTORIANORUM. Figura muliebris ſtans, dextra ramum olivæ, læva cornu copiæ tenet.

FIDES EXERCITUUM. Dextræ junctæ, uti hac Tab. n. 18.

Brixelli mortuus fuerat Otho, ſibi ipſi manum inferens violentam; ſed cum multi milites adhuc circa ipſum eſſent, eorum preces Rubrius Gallus non ſolum offerebat *Vitellio*: *Earum*, (ſcribente *Tacito* Libro II. Hiſtor.) *quæ Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit. Et venia ſtatim impetrata, concedentibus ad victorem, per Flavium Sabinum, iis copiis, quibus præfuerat;* Sed & per *Vitellii* Ducem veniam ipſis impetrabat. Illi vero, qui Romæ adhuc agebant, per ſacramentum Vitellio ſe addixerant, referente *Tacito* Libro II. Hiſtor.: *At Romæ nihil trepidationis. Cereales ludi ex more ſpectabantur, ut ceſſiſſe vita Othonem, & à Fl. Sabino, Præfecto Urbis, quod erat in Urbe militum ſacramento Vitellii adactum, certi autores in Theatrum attulerunt; Vitellio plauſere.* Gloriatur ergo jure in nummo CONCORDIA PRÆTORIANORUM. Imo fide & concordia illorum Sabini copias diſſipaverat, & in Capitolium compulſos obſederat, de quo iterum *Tacitus* Libro III. Hiſtor.: *Circa lacum Fundani, deſcendentibus, qui Sabinum comitabantur, armatis, occurrunt promtiſſimi Vitellianorum. Modicum ibi prælium, improviſo tumultu, ſed proſperum Vitellianis fuit.* Quamvis, quæ ante etiam inter illos fuerit concordia, *Tacitus* quoque Libro II. Hiſtor. jam prodiderit: *Multæ & atroces inter ſe militum cædes poſt ſeditionem Ticini cœptam, manente LEGIONUM AUXILIARUMque DISCORDIA, ubi adverſus paganos certandum foret, conſenſu.* Et Lib. III.: *Ne in Vitellii quidem partibus quietæ mentes, exitioſiore DISCORDIA, non ſuſpicionibus vulgi, ſed perfidia Ducum turbabantur.* In lucem jam qui protraxerit hunc nummum ſub Vitellianis, nominare hucuſque poſſumus Autorem nullum, ſed delineatus in *Schedis Morellianis* inter argenteos Vitellii viſitur, qui & iſtum inter Conſularium incertos Tab. II. Lit. V. argenteum exhibuit, ſequutus ſine dubio *Car. Patinum*, qui in Theſauro minori p. 43. illum pariter ſub incertis retulit; „Hujus, (ſcribens,) tabellæ nummis adſcribere propria familiarum nomina, valde fore difficile. De fide exercituum ſeq. N. agemus." Ut ergo rectius inter *Vitellianos* locum heîc occupet, cum utramque adverſam, heîc conjunctas, cum capite Vitelliano non in uno ære quoque habeamus. Partem ejus unam *J. Valens* in argenteis rarioribus p. 86. affert, ſed hoc modo non combinatam.

Num. 14.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator. Caput Vitellii nudum lævam verſus, uti Tab. I. n. 1.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPERATOR GERMANicus Caput Vitellii laureatum lævam verſus, uti Tab. 1. *n.* 1.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum lævam verſus, globo impoſitum, ante palmæ ramus.

FIDES EXERCITUUM. Dextræ junctæ.

Cum ſatis fidum exercitum ſemper Vitellius, Imperator, expertus fuerit, FIDEM EXERCITUUM ſuorum propterea jactat in nummis. Laudat & illam apud *Tacitum* Lib. II. Hiſtor. *Vocata concione, VIRTUTEM* (qua non ſolum fortitudinem, ſed & fidem complectitur) *MILITUM LAUDIBBUS CUMULAT.* Et alibi: *Vitellius transgreſſus in caſtra, ultro PIETATEM VILITUM collaudavit.* Quando autem dextras heic videmus junctas, non aliter ac *Fidei Concordiæque* Symbola; in præcedenti Nummo conjuncta, eaſdem interpretari licet, quod & *Taciti* comprobat locus Libro XVII. *Centurio Siſenna dextras, concordiæ ſigna, Syriaci exercitus nomine, ad Prætorianos tulit.* Sed quam fluxa militum fides, & periculum ex ſingulis ſit, quam huic tantopere tamen celebrat Vitellius, probe ponderat *Veſpaſianus* in Oratione apud *Tacitum* Libro II. Hiſtor. & re ipſa Vitellius expertus eſt. Nam mox: *PRIMA Vitellio tertiæ legionis DEFECTIO nunciatur, miſſis ab Aponio Saturnino Epiſtolis.* Quid ad hæc Vitellius? FIDEM EXERCITUUM ſine mente crepat. *Unius Legionis eam ſeditionem: cæteris EXERCITIBUS conſtare FIDEM*, eodem referente ibidem *Tacito*. Sed quæ ſequela? Hanc *Suetonius* inſinuat: *Deſciverant ab eo Exercitus Mœſiarum atque Pannoniæ: item ex transmarinis Judaicus & Syriacus.* Quæ facies Germanici exercitus? *Quantum hebes ad ſuſtinendum laborem miles, tanto ad diſcordias promtior.* Aperte præterea in Oratione apud *Tacitum* Cæcina: *transfugiſſe claſſem inopia commeatuum, adverſas Gallias Hiſpaniasque, NIHIL IN URBE FIDUM, atque omnia de Vitellio deterius.* Clariuſque Antonius Libro III. id exponit: *Jam Miſenenſem claſſem & pulcherrimam Campaniæ oram defeciſſe, nec plus è toto terrarum orbe reliquum Vitellio, quam quod inter Tarracinam Narniamque jaceat. Neque in his demum fides, ſed mox: XV. Kal. Jan. AUDITA DEFECTIONE LEGIONIS COHORTIUMQUE, quæ ſe Narniæ dederant, pullo amictu palatio digreditur, mœſta circum familia.* Neque mirum:, nam teſte *Tacito*, Lib. II. Hiſt. *Apud Vitellium omnia indiſpoſita, temulenta; pervigiliis ac Bacchanalibus, quam DISCIPLINÆ ET CASTRIS propiora. Recurrit tamen ipſis eadem quaſi poſtliminio, præcordia, dum* Vitellii *imagines proſtratas erexere, vincula Cæcinæ injiciunt, Baſſum & Cæcinam domos, hortos, opes Principi abſtuliſſe, etiam militibus nunc Principem auferre, licet integris incruentiſque, clamant.* Luci dedit jam nummum illum argenteum ſatis obvium *A. Occo* p. 90. *L. Begerus* in Theſ. Pal. p. 299. & in *Theſauro Brandenb.* Tom. II. p. 629. *C. Mediobarbus* ex Theſ. *Theupoli* p. 105. *A. Rubenius* in Nummis *Arſchotan.* Tab. XXIV. n. 16. *C. Patinus* in Theſ. Mauroceno p. 22. *Ant. Zantanus* in argenteis Tab. III. N. 2. *Æn. Vicus* in argent. T. 2. n. 2. hodieque exſtat in *Theſauro Schwarzburgico* cum triplici capitis inſcriptione.

Num.

NUM. 15.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum dextram versus, uti Tab. I. n 3.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum lævam versus, Tab. I. n. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum dextram versus, globoque impositum, ut Tab. I. n. 4.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Poteſtate. Caput Vetellii laureatum lævam verſus.

CONSENSUS EXERCITUUM. Mars galeatatus gradivus ac nudus dextrâ haſtam, ſiniſtra ſignum militare ſive labarum humeris impoſitum geſtat.

Mars Gradivus, qui a *Feſto* ſic dictus exiſtimatur, quod in bello ultro citroque gradiatur, vel, quod haſtam vibret, quod Græci dicunt Κραδαίνειν (cujus Templum elegans & magnum extra urbem prope portam in via Appia fuit, indeque etiam Templum Martis extramuranei a *P. Victore* appellatur) nudus incedit, quod (ſecundum *S. Gregorium* Homil. 32. in Evang.) *nudi cum nudis luctari debeant; nam ſi veſtitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet, unde teneatur.* Heic vero quando in nummis comparet tum aureis tum argenteis, ſymbolum eſt arcendorum hoſtium, propterea & mox poſt mortem *Othonis* cuſus videtur. Attulerat & ipſi *Vitellio*, boni ominis cauſa, & in felix potentiæ augurium, miles D. Julii Cæſaris ex Martis Templo enſem, poſtquam, utriusque Exercitus Germanici conſenſu, Imperator eſſet declararus & electus. Sic enim *Suetonius* C. 8: *Imperator eſt conſalutatus, circumlatusque per celeberrimos vicos, ſtrictum Divi Julii gladium tenens, detractum DELUBRO MARTIS, atque in prima gratulatione porrectum ſibi a quodam.* Immo & pugionem, quo ſeſe occiderat *Otho*, *Marti* conſecraverat, de quo *Suetonius* Cap. 10: *pugionemque, quo ſe is* (Otho) *occiderat, in Agrippinenſem Coloniam miſit, MARTI dedicandum; nempe quod in illa Urbe primum non ſolum Imperator eſſet ſalutatus, ſed & quod Mars præcipuus Germanorum Deus fuerit.* De Conſenſu vero utriuſque Exercitus hæc nobis adnotavit *Suetonius* Cap. 8. *CONSENTIENTE deinde etiam ſuperioris Provinciæ* (Germaniæ) *EXERCITU qui prius à Galba ad Senatum defecerat, cognomen GERMANICI delatum ab univerſis cupide recepit.* Et in *Othone* Cap. VIII. *Sub idem fere tempus Germaniciani Exercitus* (puta Germaniæ inferioris & ſuperioris) *in Vitellii verba juraverant.* Et *Tacitus* Hiſt. Lib. I. c. 57: *Is* (Fabius Valens) *die poſtero Coloniam Agrippinenſem cum equitibus legionis, auxiliariorumque, ingreſſus, Imperatorem Vitellium conſulatavit. SECUTÆ INGENTI CERTAMINE EJUSDEM PROVINCIÆ LEGIONES, ET SUPERIOR EXERCITUS*, (en! *Conſenſum Exercituum* in nummo jactatum à Vitellio!) *ſpecioſis Senatus, Populique Romani nominibus relictis, III. Nonas Januarias* Vitellio *acceſſit.* Et quando heic ſignum, quod *Mars* geſtat, ſupervolare quaſi aquilam videmus, uti etiam exiſtimat *Pedruſius* p. 98, mentem ſubit fauſti ominis memoria, quam refert *Suetonius* c. IX: *Ac ſubinde cæde Galbæ annuntiata, compoſitis GERMANICIS REBUS, partitus eſt COPIAS, quas adverſus OTHONEM præmitteret, quaſque ipſe perduceret. Præmiſſo agmini lætum evenit auſpicium: Siquidem à parte dextra repente AQUILA advolavit; luſtratiſque* (circumitis) *SIGNIS, ingreſſos viam ſenſim anteceſſit*: Itemque *Tacitus* Hiſtor. Lib. I. Cap. 62: *Lætum augurium Fabio Valenti, EXERCITUIQUE, QUEM IN BELLUM AGEBAT; ipſo profectionis die, AQUILA leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ, prævolavit, longumque per ſpatium, is gaudentium militum clamor, ea quies interritæ alitis fuit, ut haud dubium magnæ & proſperæ rei omen accipiretur.* Quanquam & exiſtimari poſſit, infixam aquilam ſigno, more Romanorum, fuiſſe; nam aureum aquilæ ſignum haſtæ præpilatæ ſuffixum erat, & ab aquilifero ferebatur, inquit *Roſinus* Libro X. Antiquit. p. 967. Quod ſigna attinet, & *Tacitus* ipſe ſigna & vexilla diſtinguit Hiſt. III. 63.: *Sed ſub ſignis vexilliſque in ſubjectos Narniæ campos deſcendere.* Et II. 89. *Quatuor legionum aquilæ per frontem, totidemque circa è legionibus aliis vexilla, mox duodecim alarum ſigna.* Ut ergo ſigna ſint aquilæ, quæ ſunt prima ſigna legionum; vexilla vero minora ſigna; unde noti & vexillarii & vexillationes. Hæc ipſa lacerata poſtea quoque à militibus Othonis fuiſſe, *Tacitus* nobis rurſus prodidit Hiſt. II. 85.: *Tertia legio exemplum cæteris Mæſiæ legionibus præbuit. Octava erat ac ſeptima Claudiana, imbutæ favore* Othonis, *quamvis prælio non interfuiſſent. Aquilejam jam progreſſæ, proturbatis, qui de* Othone *nuntiabant, laceratiſque VEXILLIS, nomen* Vitellii *præferentibus, rapta poſtremo pecunia & inter ſe diviſa, hoſtiliter egerant.* Ut ergo pateat, in unanimem electionem ad Imperium ab exercitu, hunc fuiſſe cuſum nummum à *Vitellio.* In lucem protractus eſt jam ex auro à *Paulo Pedruſio* in Nummis Parmæ Ducis Tab. VII. n. 5. *J. Valente* in Nummis rariobus aureis & argent. p. 86. *A. Occone* p. 91. qui tamen minus recte dextra Martem ſcipionem, aut pilum geſtare, autumat, cum ſit haſta. *L. Begero* in Theſauro Palatino p. 299. 300. & in Theſ. Brandenb. T. II. p. 628. argenteum, qui pariter Martem cum ſcipione in dextra minus recte exhibet, & in perigraphe anticæ GERM. pro GERMAN. ſiſtit, prætereaque aquilam ſupra ſignum, utrobique plane omiſit. *C. Mediobarbo* p. 105. qui rurſus male ſcipionem dextræ ipſius indidit; *Hub. Goltzio* in Theſ. rei antiquariæ p. 4. Ex auro hic ipſe & argento non obvius in *Theſauro* aſſervatur *Schwarzburgico*, itemque *Verſalienſi Regio.*

Num. 16. 17.

VESTA Populi Romani QUIRITIUM. Caput Vestæ velatum, ante fax ardens.

FIDES EXERCITUUM. Dextræ junctæ.

Cum aversa supra N. 7. & adversa N. 14. jam adfuerint, ibique tum de Vesta, tum de fide exercituum multa in medium jam attulerimus, nihilque forte aliud velit nummus, quam omnis ordinis hominum in sua electione consensum, pergimus, monentes saltem quod illum in lucem jam protraxerint *A. Morellius* in nummis Consularibus, qui tamen Tab. I. Lit. A. illum incertis subjicit, cum potius jure omni ad *Vitellianos* spectet, utraque ejus facie cum capite *Vitellii* obvio, sequutus forte *C. Patinum*, qui in Thes. min. p. 43. n. 8. (ubi tamen QUIRITUM, I. eliso, habet) eundem æri incisum dedit, additque: " Hujus Tabellæ nummis adscribere pro- „ pria familiarum nomina, valde foret difficile" *Laur. Begerus* ad Florum p. 39. Possedit & illum *Dn. de Quenel*, & delituit quoque in *Museo Abbatiæ S. Genovefæ* Parisi.

Num. 18. 19.

FIDES EXERCITUUM. Duæ dexteræ junctæ.

FIDES PRAETORIANORUM. Duæ dexteræ junctæ.

Fides exercituum cum plus indicet, quam Prætorianorum, & hæc posterior singulariter obsignata per *Vitellium* in nummo fuit, cum supra N. 13. & CONCORDIAM ipsorum peculiari nummo celebraverit, speciosis & irritis nominibus, *Tacito* teste Lib. II. Histor. jactatam. Nihil autem aliud erant Prætoriani, quam Cohortis Prætoriæ milites, ab Imperatore corporis sui custodiæ causa delecti, quique Prætorium & urbem simul custodiebant. Novimus vero, Scipionem Africanum primum sibi nonnullos in sui corporis custodiam milites fortissimos elegisse, oneribus exemtos. Ex Imperatoribus postea institutum hoc adprobavit *Augustus*, teste *Suetonio & Dione*, deinde a *Tiberio* Imperatore stabilitum fuit. Præfectique Prætorio primum ex Equitibus, postea vero etiam ex Senatoribus & Consularibus legebantur. Fuere autem duodecim cohortes sub Galba, quæ Othoni adclamaverant. Vitellius, in Germania Imperator ab Exercitu dictus, sibi statim alias elegit. Ita siquidem *Suetonius* C. 10: *Nihilque cunctatus, quidquid* PRAETORIANARUM COHORTIUM *fuit, ut pessimi exempli, uno exauctoravit edicto, jussas Tribunis tradere arma*; nempe quod facinus pessimi moris patrassent, Galbam deserendo, & Othonem, sine S. P. R. consensu Imperatorem eligendo: Rursusque *Tacitus* Lib. II: *proximus Vitellii e prætoriis cohortibus metus erat, separati primum, deinde, addito honesto missionis lenimento, arma ad Tribunos suos ferebant.* Interim tamen & hæ fidem ipsi dederant, concordiamque cum reliquis inierant, ut exinde recte in præcedenti nummo Concordiam exercituum jactare potuerit Vitellius. Robur ergo Prætorianorum ut ostenderet, eosque arctius sibi jungeret, laudibus fidem & Prætorianorum & exercituum extollit hoc monumento, simulque memoriam juramenti sibi præstiti de fide servanda, hoc ipso monumento refricare pariter voluisse, vero admodum videtur simile. Nam junctæ dextræ fidem datam & acceptam, concordiamque stabilem designant, ut supra jam diximus. Vulgavit & illum *A. Morellius* in Nummis Consularibus, sub titulo Incertorum Tab. 2. Lit. W. Sed, quando utriusque faciei perigraphen cum capite Vitellii supra jam vidimus, eo minus dubii subesse potest, quin ad Vitellianos iste pertineat rectius. In quo *Morellius* tamen sine dubio præeuntem habuit *C. Patinum*, qui in suo Thesauro minori p. 43, inter illos pariter eum retulit, quibus proprium familiæ nomen adscribi non possit. Luci quoque exposuit illum *Antoine le Pois dans son Discours sur les Medailles antiques* Tab. Lit I. n. 4. p. 112. 6. *Jobertus* in notitia rei Nummariæ p. 60 Tab. VI. N. 2. eundem pariter ad Vitellianos referens. Hodie ex argento haud multum obvius in *Thesauro* asservatur *Schwarzburgico*.

Num. 20.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti T. I. n. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 7.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus, Pontifex Maximus, Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus. Caput Vitellii laureatum lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vitellii laureatum lævam versus.

LIBERTAS RESTITUTA. Figura muliebris sinistrorsum stans, dextera pileum, sinistra hastam tenet.

Libertas hîc non Urbis tantummodo, sed & universæ Romanæ Gentis, (vano plane, & ad ostentationem modo comparato titulo, ut recte censet Illustriss. *Spanhemius*) obsignata est, quam præcipue post Othonis mortem Populo Romano se recuperasse, gloriatur Vitellius; quanquam

quam quæ iſta fuerit, non taceant Hiſtorici. Sufficiebat, ſchema Libertatis exhibuiſſe, ut haberet tantum, de quo gauderet vane cum Senatu, & hic viciſſim illi plauderet; Vulgus vero, VACUUM CURIS, (& quaſi in Libertatem reſtituum) &, ſine falſi verique diſcrimine, ſolitas adulationes edoctum, clamore & vocibus adſtrepere poſſet, referente *Tacito* Hiſt. II. *Imo in tanta libertate viventes, circum gladiatorum ferarumque ſpectaculis opplere, tanquam in ſumma abundantia pecuniæ illudere*; juxta eundem Libro II. Hiſt. Typum quod concernit, matrona ſpectatur erecta, dextra pileum rotundum tenens, ſiniſtra vero virgam. Pileus libertatis ſemper fuit ſymbolum, teſte *Juſto Lipſio* de Amphitheatris, & *Lazaro Bayſio* de Re veſtiaria; & ſervi cum manu mitterentur, attondebantur, pileoque capiti impoſito, veſte candida induebantur. Ad hæc liberti, inquit *Auguſtinus* Dial. II. poſt longam ſervitutem pileum geſtabant, ut &in bello, libertate donati ac ſervitutis jugo excuſſo, triumphantis (ut liberatoris) currum pone ſequebantur: uti in Triumphis aliquot *T. Livius* Libro XLV extremo commemorat. Virgam, quam ſiniſtra matrona geſtat, ea forte eſt, quam *vindictam* nominabant, qua ſervus percuſſus non à Patrono, ſed Prætore, aut Conſule, quibus præſentibus libertate ſervi donati. Hodie hic ipſe exſtat tum ex auro tum ex argento in *Theſauro Schwarzburgico*, itemque ex auro & argento in *Regio Verſalienſi.* Luci quoque iſtum expoſuit *C. Mediobarbus* p. 105. & 106. ex *Theſ. Mauroceno* J. C. Bonon. *Car. Patinus* in *Theſaur. Mauroceno* p. 22. argenteum. *Ant. Zantanus* in argenteis Tab. III. N. 5. *Occo* p. 90. 219. *Ez. Spanhem.* aureum adfert in de U. & P. N. f. 704. 788. ex *Cimeliarchio Cardinalis Leopoldi, Auſtriaci. Æneas Vicus* in Argenteis Tab. 2. n. 5. *Anton Auguſtinus* Dial. II. argenteum p. 83. edit. Ital.

NUM. 21.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum dextram verſus, ante palmæ ramus uti Tab. I. n. 5.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Viiellii laureatum lævam verſus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum lævam verſus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum lævam verſus, uti Tab. 1. n. 18.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Vitellii laureatum lævam verſus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum lævam verſus.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANICUS. Caput Vitellii laureatum lævam verſus.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria alata gradiens clypeum dextera protendit, in quo: Senatus PopulusQue Romanus

Primo intuitu patet, non aliam heic intelligi victoriam, quam illam, quam de copiis *Othonis Bebriaci* reportavit. Hanc ab initio cunctanter excepiſſe, aliquando formido fuit Senatui Romano, teſte *Tacito* Libro II. Hiſtor. c. 57. ſcribente; *Cum alius inſuper metus Senatoribus inſtaret, ne, prævalidis jam Vitellii partibus, cunctanter excepiſſe VICTORIAM, crederentur.* Pauloque poſt: *Interim Vitellius, VICTORIÆ ſuæ neſcius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires trahebat. Suetonius* in eundem fere modum Cap. X.: *De Bebriacenſi VICTORIA, & Othonis exitu, cum adhuc in Gallia eſſet, audiit. Bebriacum* autem, cujus heic fit mentio, & juxta quod Victoria hæc celebrior Vitellii contigit, Galliæ Ciſalpinæ Oppidum eſt inter Cremonam & Veronam, de quo *Juvenalis* Sat. II. jam cecinit:

Bebriaci in campo ſpolium affectare palati.

Hodie ab Italis *Labinta* & *Labina* vocatur vel (uti *Harduinus* ad Librum II. c. 49. *Plinii* II. N. monet ex *Cluveri* Italia Antiqua Libro I. p. 261.) hodie pagus eſt, qui *Caneto* vocatur, via quæ à cremona Veronam ducit. *Freculphus* Tom. II. Lib. I. C. 21. *Hedriacum* legit; *Joſephus* de B. I. Lib. V. C. 8. Φερηγδακὸν nominat; Pitiſci *Suetonius* & *Tacitus Bedriacum*, & *Betriacum*; *Plutarchus* Βητελιακὸν; ita ſcribens in *Othone* p. 1070.: Ἔστι δὲ πολίχνη πλησίον Κρεμώνης τὸ Βητελιακόν. Noti & apud *Plinium* LX. c. 49. ſunt *aves Bebriacenſes.* (p) Conferatur de eo pluribus *Cluverus* in Italia antiqua p. 259. 260. Victoriam heic cito quaſi gradientem, veluti in aliis Auguſti & Neronis nummis obſervamus, non alio ſine dubio fine, quam ut cito partam deſignare debeat. Vulgarunt jam hunc nummum argenteum *C. Patinus* in *Suetonio* nummis illuſtrato p. 372. idemque in *Theſ. Mauroceno* p. 22. qui tamen ſaltem AUG. ibidem

(p) Ubi ita: *Venere in Italiam Bebriacenſibus bellis civilibus*, (hoc eſt, ut recte commentatur *Gelenius*, bello civili Othoniano) *trans Padum & novæ aves* (*ita enim adhuc vocantur*) *turdorum ſpecie, paulum infra columbas magnitudine, ſapore gratæ.* Has aves portendiſſe hoc bellum civile Othonianum, dubium haud eſt, an experientia docuit, novas aves nova plerumque ſignificare bella, quæ ex longo ſequenti tempore exinde in memoriam rei dictæ fuerunt aves Bebriacenſes, hodieque ex Harduini ſententia ſunt illæ, quæ gallis *perdices griſeæ* vocantur.

dem pro AUGUSTI exhibet in perigraphe, forte quod literæ aciem oculorum effugerint. *Occo* p. 91, argenteum, qui, Victoriam globo insistere, simul ait, & p. 90. aureum, in quo saltem AUGUSTI legere potuit, conjicit tamen, adhuc additam fuisse vocem VIC; sed VICTORIA rectius complete legi, noster docet nummus; in quo tamen eum exscripsit, ut solet, *C. Mediobarbus* p. 104. itemque p. 105. ex *P. Minii Museo*. *Antonius Augustinus* Dial. II. Edit. Italicæ p. 53. argenteum. Hodie tum ex auro tum ex argento pars est *Thesauri Versaliensis*, itemque *Schwarzburgici*. (q) Possedit & illum, testibus schedis *Morellianis*, *D. Monjeux*.

Num. 22.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. N. 7.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator Tribunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Senatus PopulusQue Romanus OB Cives Servatos. In area, circa corona quernea.

Multa de corona quernea, quæ & civica dicta, ejusque usu & abusu jam differuimus ad Tab. III. Caligulæ N. 1. in aureis, & eadem Tabula Num. 9. in argenteis, itemque ad Galbæ Tab. III. N. 10. in argenteis, quæ relegi ibidem, si non grave fuerit Lectori, possunt, ne cramben bis coctam toties cum tædio apponamus. An cives vero servaverit Vitellius, merito dubitari potest; hoc tamen minus dubii habet, eidem ea ratione coronam quoque querneam fuisse à Senatu decretam, qua Caligulæ, de quo supra; ut potius hoc aureum & argenteum monumentum immodicæ adulationis argumentum & magnarum metus virium censeamus. Nam licet, Othone demortuo, aliquam boni Principis speciem præ se ferret, puniendo illos, qui à Galba ad Othonem defecerant, Prætorianos; rata habendo illorum, qui acie Othoniana ceciderant, testamenta; cavendo severe, ne Equites Romani ludo & arena polluerentur; abnuendo, nomen Augusti assumere; Comitia Consulum cum candidatis civiliter celebrando; omnem infimæ plebis rumorem in theatro, ut spectator, in circo, ut fautor, affectando; in Senatum ventitando; vel, ut *Zonaras* Annalium Tom. II. laudes ejus refert, dum, Ὅσα τισὶν ἐδεδώρηντο, ἐφύλαξε, μηδένα μηδὲν ἀφελόμενος. Καὶ οὔτε τὰ ἐκ τῶν συντελειῶν ἐποφληθέντα ἀπήτησεν, οὔτε οὐσίαν τινὸς ἐδήμευσεν, ὀλίγους μὲν πάνυ δὲ τῶν Ὄθωνος πραξάντων ἀποκτείνας, μηδὲ τοὺς ἐκείνων μέν τοι οὐσίας τοὺς προσηκόντας σφῶν ἀποστερήσας. Καὶ τοῖς οἰκείοις δὲ τῶν πρότερον ποτὲ θανατωθέντων ἐδωρήσατο πάντα, ὅσα ἐν τῷ δημοσίῳ εὕρηντο· ἀλλ' οὐ δὲ τὰς διαθήκας τῶν ἀντιπολεμησάντων αὐτῷ, καὶ ἐν τῷ μάχαις πεσόντων ἠτιάσατο· ἀπηγόρευσε δὲ καὶ τοῖς βουλευταῖς καὶ τοῖς ἱππεῦσι μονομαχεῖν, ἢ ἐν ὀρχήστρᾳ θέαν τινὰ παρέχειν· καὶ διὰ ταῦτα ἐπῃνεῖτο. *Quæ aliquibus donata fuerant, omnia rata habuit, neque cuiquam quicquam eripuit: neque ea, quæ ex contributionibus debebantur, exegit, neque cujusquam bona publicavit; paucis duntaxat Othonianæ factionis occisis, neque tamen eorum bona cognatis eripuit; Eorum item cognatis, qui prius occisi fuerant, ea restituit omnia, quæ adhuc in publico reperiebantur. Neque Testamenta adversariorum, qui in bello ceciderant, reprehendit; Vetuit ne Senatores & Equites in arena pugnarent, aut in orchestra se spectandos præberent: atque ob hæc laudabatur;* Non tamen aliter hæc ipsa omnia comparata erant, ac quando ipse in Oratione INDUSTRIAM ac TEMPERANTIAM SUAM laudibus attolleret, *conscii*, ut benè addit *Tacitus*, *ipsis, qui aderant, omnique Italia, per quam SOMNO & LUXU pudendus incesserat*; de quo luculenter satis propterea *Tacitus* Libro II. Histor.: *Cæterum Italia gravius atque atrocius, quam BELLO affligtabatur. Dispersi per municipia & colonias Vitelliani; spoliare, rapere, vi & stupris polluere, in omne fas nefasque avidi, aut venales, non sacro, non profano abstinebant. Ipsique milites, regionum gnari, refertos agros, dites dominos in prædam, aut, si repugnatum foret, ad excidium destinabant, obnoxiis ducibus, & prohibere non ausis.* Pauloque post: *Nec coloniæ modo, aut municipia, congestu copiarum, sed ipsi cultores, arvaque, maturis jam frugibus, ut hostile solum, vastabantur. . . Magna & misera civitas eodem anno Othonem & Vitellium passa, inter Junios, Fabios, Icellos, Asiaticos varia & pudenda sorte agebat. . . Fœdera sociis, Latium externis dilargiri. His tributa dimittere, alios immunitatibus juvare; denique nulla in posterum cura lacerare imperium. . . Sæva ac deformis urbe tota facies; alibi prælia & vulnera, alibi balneæ popinæque, simul cruor & strues corporum, juxta scorta, & scortis similes.* Hoccine ergo est cives servare? Quid ad hæc Senatus PopulusQueRomanus? *Vulgus, vacuum curis, &, sine falsi verique discrimine, SOLITAS ADULATIONES EDOCTUM, clamore & vocibus adstrepebat*, respondet *Tacitus* Lib. II. Hist. Immo & nummis adulatoriis adstrepuisse Senatum documento non solum sit hic, sed & alii Vitelliani nummi subsequentes, de quibus suo loco. Communicat nobis hunc nummum aureum rariorem *A. Rubenius* in *Nummis Arschotanis* Tab. XXIV. Num. 5. *Car. Patinus* in *Thesauro Maurec.* pag. 22. argenteum *Occo* pag. 91. *Com. Mediobarbus* pag 105. argenteum. Hic nummus quoque aureus rarioris, ut diximus, notæ, in *Thesauro Versaliensi* delitescit. *Andr. Alciatus* in Emblematibus Edit. Patav. 1621. p. 853. etiam argenteum eundem adfert.

Num. 23.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 6.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus.

Vel,

(q) Ex argento quoque servatur in *Museo nostro*, ut & is qui mox sequitur. S. HAVERC.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 11.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Senatus PopulusQue Romanus OB Cives Servatos, in area, intra coronam querneam, sive civicam.

Nihil novum cum contineat hicce typus, nisi quod positu literarum in area differt, rem cæterum unam eandemque sistat, ad sequentem progredimur; addentes prius, quod singulariter sibi placuisse hoc elogio Vitellius, existimari omnino possit, dum nempe toties, & tam diversimode illum in omni ære voluerit repetitum hunc eundem typum. Dederunt cæteroquin istum jam publico *Ant. Zantanus* in argenteis T. III. N. 3. *Æneas Vicus* in argenteis N. 3. *L. Begerus* in Thes. Brandenb. aureum Tomo II. p. 628. & in Thes. Palatino p. 299. 300. aureum pariter *A. Occo* p. 91. *C. Mediobarbus* p 105. argenteum *Andr. Alciatus* in Emblemat. Edit. Patav. 1621. pag. 853. itidem argenteum. *J. B. Menestrier* argenteum p. 78. qui tamen, contra morem, in nummis Vitellii consuetum, adversam ejus exhibet cum perigraphe, in qua prænomen AULUS plene exscriptum conspicitur. Ex auro & argento hodie exstat in *Thesauro Schwarzburgico*, possedit aureum *Dn. Monjeux* & *Bouletus*.

Num. 24.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator. Caput Vitellii nudum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

Senatus PopulusQue Romanus Patri Patriæ OB Cives Servatos, in area, circa corona quernea, vel civica.

Belle Patri Patriæ convenit servare cives, modo & vita & morte illos non perdidisset Vitellius. Non honoris meriti, sed adulationis, metu expressæ, monumentum censemus. Consentit *Tacitus* Libro II. Histor.: *Cum alius insuper METUS SENATORIBUS instaret, ne, prævalidis jam Vitellii partibus, cunctanter excepisse Victoriam crederentur. Ita TREPIDI ET UTRINQUE ANXII coëunt. Nemo privatim expedito consilio, inter multos societate culpæ tutior.* Sistit hunc nummum quoque *Comes Mediobarbus* p. 105. ex *P. Cattanei Museo*, & *Morellius* in Schedis suis.

Num. 25.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 6.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

XV. (Quindecim) VIR SACRis FACiundis. Tripus Apollinis, cui incumbit vas concavum, super quem Delphinus conspicitur, infra corvus.

Si quis est inter omnes *Imperatoris Vitellii* nummos apud Autores sæpius vulgatos, certe hic ipse est. Nempe quod Quindecim vir sacris faciundis esset Vitellius, propterea heic Tripus additus visitur cum Delphino. Tripus autem erat mensa in Templo Apollinis Delphici, quibus insidentes Phœbades, Apollinis Sacerdotes, responsa, oraculaque reddebant. Symbolum præsagi, sive prophetici Spiritus, apud Gentiles existimatur, aut certe Diis immortalibus amici. Cujus quoque mentio est apud *Plinium* Lib. IV. Nat. Hist. Cap. 3. *A quo* (portu Chalæonte) *VII. M. passibus introrsus liberum oppidum Delphi, sub monte Parnasso, clarissimum in terris oraculo Apollinis.* Omnium optime de instituto *Servius* disserit hocce ad Librum III. Æneidos: *DELPHINUM ajunt inter sacrata Apollinis receptum. Cujus rei vestigium est, quod hodieque XV. VIRORUM CORTINIS DELPHINUS circumfertur: ob hoc scilicet, quod XV. VIRI Librorum Sibyllinorum sunt Antistites; Sibylla autem APOLLINIS vates, & Delphinus Apollini sacer.* Hinc est, quód *Martialis* Libro IX. Epigr. XLII. ceu recte ad *Manilium* jam olim adnotavit *Scaliger*, scribat:

Campis dives Apollo sic marinis;

Intelligit vero per Campas marinas Delphinos, Apollini sacros, & quidem ideo, quod veteres Latini omnia κητώδη & magnos pisces *Campas* dicebant. Alii Apollinem Delphinium fuisse dictum contendunt, cui Theseus (uti tradit *Plutarchus* in ejus Vita) taurum Marathonium immolavit; vocatusque Delphinius, quia se Ducem præbuerit Castalio Cretensi, qui Coloniam deduxit sub Delphini symbolo, unde nonnulli Delphinum appictum tripodi quoque augurantur; vel etiam, ut autor est *Plutarchus*, quod multæ Apollinis aræ apud Græcos Delphinis insculptæ fuerint. Nos priorem præferimus *Serviique* sententiam, sacrum nempe fuisse Apollini Delphinum. Sunt, & in his *Joh. Hemelarius*, *Com. Mediobarbus*, qui inferius subjectam aviculam cornicem interpretantur, quam ad divinatio-

nationem facere, præter cætera (*r*), & inprimis *Plinii* Libro X. Cap. 12. effatum: *Ipſa ales* (Cornix) *eſt inauſpicàtæ garrulitatis, à quibuſdam tamen laudata*; iſtudque *Plauti*: (*s*) *Picus & cornix eſt ab læva, corvus porro à dextera.* Confirmant verſus illi *Virgilii* in Bucolicis Ecloga IX.:

Quod niſi me quacunque novas componere lites
Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice CORNIX:
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipſe Menalcas

Itemque Eloga I.:

Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læva fuiſſet,
Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Et *Phædrus* Fabula XVIII. Lib. 3. ſic compellari pavonem à *Junone* fingit:

Tibi forma, vires aquilæ, luſcinio melos,
Augurium corvo, læva cornici omina.

Nobis, cum *Triſtano*, corvus potius videtur, quod hic *Phœbo*, Vaticinorum Præſidi, ſacer eſſet, juxta *Manilii* Lib. I. Aſtronom. Lib. I. v. 779.

Et cum militia volucris corvinus adeptus
Et ſpolia, & nomen, qui geſtat in alite Phœbum.

Egregieque rem hanc illuſtrans *Pap. Statius* Libro III. *Theb.* v. 506. corvum ita deſcribit:

Non COMES obſcurus TRIPODUM, non fulminis ardens
Vector ades, flavæque ſonas avis unca Minervæ.

quaſi diceret, neque corvus, neque aquila, neque noctua adeſt. Et *Plinius* H. N. Libro X. C. 12. inquit: *Corvi in auſpiciis ſoli videntur intellectum habere ſignificationum ſuarum.* Nec non *Plautus* in Aulularia Act. IV. Sc. 3.

Non temere eſt, quod corvus cantat mihi nunc ab læva manu,
Semel radebat pedibus terram, & voce crocitabat ſua.

Manilius vero Libro I. refert: *Quod aſtrum ejus Apollini ſit dicatum.* Atque hæc cauſa eſt, cur *Ælianus* Libro I. Cap. 47. & 48. corvum nominet: Ἀπόλλωνος θεράποντα & ἀκόλουθον, h. e. *Apollinis famulum & pediſſequum.* Et Libro VII. C. 18. inquit: Νεὼς δὲ Ἀπόλλων τιμᾶται ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείνῳ, ὑπὲρ οὗ ἱερούς (κόρακας) εἶναί φασιν αὐτούς. *Templum vero Apollini ſacrum in eo loco colitur, cui corvos ſacros eſſe ajunt.* Itemque *Auſonius* Idyl. XI.:

Tris quorum ætates ſuperat PHOEBEIUS OSCEN.

Mereturque vel id propter inſpici Jaſpis antiquus, in quo corvus tripodi inſidet, quem communicat *du Choul dans la religion des anciens Romains* p. 215. adjecta infra lyra, & lauri ramo; ex quo conficitur, omnia hæc Apollini fuiſſe ſacra; *ComitemqueTripodum* (*t*) vel propterea corvum *Statius* Lib. III. v. 506. nominat etiam, quod iſte in Apollinis tutela fuerit, bonumque augurium deſignaret, ſi a dextra volaret. Neque de nihilo eſt, quod & heic dextram verſus conſpiciatur. De quo non ſolum pluribus videndus *Plautus* in Aſinaria, ſed & illi qui ſingulariter de Auguriis & Auſpiciis commentati ſunt, in quibus *Julius Cæſar Bulengerus*, Theſauro Græv. T. V. p. 405. illatus, & *Auguſtinus Niphus*, qui eodem Tomo p. 324. comparet. Sacra vero obiiſſe Vitellium munia, teſtis luculentus eſt *Tacitus* Libro III. Hiſtor.: *Conſulatum, SACERDOTIA, nomen, locumque inter primores, nulla ſua induſtria, ſed cuncta Patris claritudine adeptus.* Et luculentius adhuc *Suetonius* Cap. III.: *Privatum etiam SACERDOTIIS auctum ampliſſimis fuiſſe.* Quum XV. Viralem & Auguratus dignitatem Sacerdotia ampliſſima fuiſſe, vel ex hoc & infra adducendo nummo ſatis poteſt colligi, cum nempe jam Imperator, & rerum potius, iſtam tamen adſumere, & Imperatoris titulis immiſcere ipſum, non puduerit. Fuit autem XV. Virorum munus, uti ex parte ſupra jam ex *Servio* innuimus, *Libros Sibyllinos, quibus Populi Romani fata continebantur, cuſtodire, cum ex S. C. adeundi eſſent, adire, & quæ in iis legiſſent, Senatui renunciare, & de iis Senatus Conſulto decreta procurare, Ludos ſeculares celebrare, & poſtremo omnia peragere, quæ Sibylliaorum carminum juſſu eſſent facienda.* Hujus generis primum duo tantum erant; dehinc decem inſtituti; poſtea *Quindecim*; denique, licet numerus eorum creverit ad *Sexaginta* uſque, attamen XV. Virorum vocabulum & denominatio in uſu remanſit, notante *Servio* ad Librum VI. *Æneidos* V. 74. cujus hæc ſunt verba: *Sciendum tamen, primum duos librorum* (Sibyllinorum) *fuiſſe cuſtodes; inde decem, inde quindecim uſque ad Syllana tempora, poſtea crevit numerus. Nam & ſexaginta fuerunt, ſed REMANSIT IN HIS QUINDECIMVIRORUM VOCABULUM.* Viſo, &, ut putamus, aliqua luce donato nummo, non poſſumus non, ut jucundi aliquid ſeriis admiſceamus, heic adjicere *Rud. Capelli* perbellam explicationem hujus nummi, quæ an ſine riſu legi queat, ſane neſcimus. Verbis vero ipſius, & integra, uti eſt, oratione eandem dabimus ex rarioribus *Becceleriania*, ab ipſo Anno 1684. in forma folii Hamburgi evulgatis: „Nummus argenteus magnitudinis, „craſſitiei, ponderis, ut cæteri. In uno latere „imago bucculenta, (Vitellium intelligit) laureata, „ſed ſubtili modo, & gracilibus tæniis, collo „craſſo & nudo, à cervice ſurſum: A. VITELLIUS „GERMAN. IMP. TR. P. In altero „latere: MACHINA TRIBUS ARRECTIS „TIGNIS CONSTANS, quorum ſupremæ „extremitates circulo connectuntur, intra „quem globus eſt, totum penè circulum explens, „ſupra medium globum prominet, quaſi tigni „medii productio: poteſt autem eſſe APEX, „GLOBO IMPOSITUS, ſupra quem extenſum „conſpicitur COLLUM cum CAPITE & ROSTRO „ANSERINO, (Riſum teneatis amici!) „ſcabello machinæ transverſo non longe ſupra „ſolum poſito inſidet avis, roſtro tecto, fortaſſe „cor-

(*r*) Teſtimonia adde *Ciceronis*, Libro I. de Divinatione p. 85. *Qui Cornicem à læva ratum*, h. e. propitium & certum facere augurium ſcripſit. Itemque *Petri Bleſenſis* Ep. LXV. *Qui de jucundo gloriantur hoſpitio, ſi à ſiniſtra in dexteram avis ſancti Martini volaverit.* Adnotavitque, *Joh. Harduinus* in Notis ad *Plinium*, Gallos veteres ſic quoque cornicem appellare, provocans ad Gloſſarium *Du Cangii*, verbo *Avis.*

(*s*) In Aſinaria Act. II. Sc. 1. v. 12.

(*t*) Verba ſonant ita:

Non comes obſcurus Tripodum, non fulminis ardens
Vector ades, flavæque ſonas avis unca Minervæ.

„ corvus, vel cornix (cui in auguriis priores partes) spectans dextram, ut & caput anserinum, „ supra indicatum. Ad sinistram sursum: XV. „ VIR ad rostra deorsum: SACR. FAC." Hucusque elegantissima *Capelli* descriptio. In lucem hunc nummum jam emiserunt *A. Rubenius* in *Nummis Arschotanis* Tab. XXIV. N. 3. *Jac. Oiselius* Tab. CX. N. 4. p. 558. *Joach. Udanus* in Majestate Romana Tab. CXIII. N. 4. p. 484. *Comes Mediobarbus* p. 104. & 105. argenteum. *Adolp. Occo* pag. 90. & 91. aur. & arg. *Joh. Hemelarius* Tab. X. N. 10. p. 32. 33. aureum, *Joh. Tristanus* in Commentar. super Vitellii nummos Tom. I. p. 274. *Guil. du Choul dans la Religion des Anciens Romains* p. 215. aureum & argenteum *Carolus Patinus* in *Thesauro Mauroceno* p. 22. argenteum *Ant. Zantanus* in Vitellii Aureis Tab. III. N. 1. & in argent. Tab. I. 1. N. 8. *Æneas Vicus* in argenteis Tab. II. N. 8. & in aureis Tab. I. n. 1. *Joh. Bapt. Menestrier dans Medailles illustres* p. 79. ubi tamen, pro more suo, figura Delphini & corvi non solum inversa conspicitur, sed & in aversa prænomen SALUS integre expressum legitur, contra veterum scribendi modum; ut exinde, si non omnes certe plerosque pro spuriis & confictis ejusdem in lucem emissos nummos reputemus, uti, aliquoties nos monuisse jam, meminimus. *D. Capellus* in rarioribus Beccelerianis argenteis p. 64. 6. N. 2. *Schottus* in explicatione apotheoseos Homeri p. 73. Ex utroque ære nobiliori tum in *Versaliensi*, tum *Schwartzburgico* hic ipse quoque hodie delitescit *Thesauris*. Possedit & aureum *Dn. Monjeux*.

NUM. 26.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 13.

PONTifex Maximus. Æquitas stans stolata, dextra lances, sinistra hastam tenet.

De Pontificatu Vitellii supra ad Tab. I. n. 8. jam multi fuimus, quorsum B. L. remittimus. Hoc saltem addimus, hujus nummi aurei exemplum nullibi nisi in *Schedis Morellianis* reperire nos potuisse, adeoque dicere haud valere, ubi eundem viderit, *Comite Mediobarbo* & aliis de hoc Emblemate ad unum omnibus tacentibus. Nec videre possumus, quid ipsi, Pontifici Maximo, cum Æquitatis aut Monetæ simulachro? aliis eundem amplius indagandum relinquentes.

NUM. 27.

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. Num. 7.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii nudum, lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 6.

Vel,

Aulus GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 7.

PONTifex MAXIMus. Figura muliebris velata sinistrorsum sedens, dextra pateram, sinistra hastam tenet.

Quanti fecerit Vitellius sacras dignitates, non solum ex illo N. 25. Nummo constare potest facile; sed & ex præcedente, eandem cum nostro præferente perigraphen, præcipue autem isto, infra N. 39. in hac Tabula adducendo. De quo ejus Pontificis Maximi titulo cum maxime evolvenda sunt illa, quæ supra jam Tab. I. N. 8. attulimus. Vestam adjectam remur, (sic enim existimamus cum *Ænea Vico*, in indice rerum & Numismatum p. 66.) quod ille ut Pontifex Maximus Vestæ & Virginibus Vestalibus præfuerit, quod supra etiam monuisse in Othone, heic reminiscimur. De patera, quam dextra præfert, supra I. c. diximus; hasta pura, quam læva sustinet, Divinitatis nota est. Quamvis bene sciamus, *A. Rubenium* hanc figuram Vitellii potius Pietatem interpretari, de quo non litigabimus, cùm res, quomodo cunque interpreteris, eodem recidat; Sed quando *Joh Hemelarius* hæret dubius, an Pietatem, an Statuam Liviæ vocet, in hanc ejus sententiam plane concedere non possumus. Nam quid Vitellio cum Livia unquam fuit negotii? Si statuam ejus positam aut renovatam ab eo dicas, ex Autoribus idoneis hoc omnino ut probes, necesse est. Emisere cæterum, hunc ipsum jam in lucem nummum tum ex auro tum ex argento, *A. Occo* aureum & argenteum *Com. Mediobarbus* argenteum p. 105. & ex *suo Museo* p. 106. *A. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIV. n. 1. 2. *Ant. Zantanus* argenteum Tab. III. N. 1. *Æneas Vicus* argenteum Tab. I. N. 1. *Joh. Hemelarius* aureum T. X. n. 12. p. 33. ex extat hodie aureus & argenteus in *Thesauro Versaliensi*, itemque *Schwarzburgico*. Possedit & illum *Dn. Monjeux* aureum.

NUM. 28.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator. Caput nudum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 1.

Victoria sedens alata sinistrorsum dextra palmæ ramum, sinistra coronam tenet.

De Bebriacensi victoria quin hic & sequens nummus intelligendus sit, dubio omnino caret; de qua tamen jam satis supra ad Tab. II. hanc, N. 21. diximus. De typo saltem observamus, quod illum heic deprehendamus, qua ratione Victoriam describit *Varro* Lib. IV. de Lingua Latina, Puta vir-

virginem dextra lauream coronam tenentem, sinistra vero palmam. Et alata est, ut clarius ostendit Græcum Epigramma Libro IV. Anthologiæ (sunt verba *Augustini* Dialog. II.) Cap. XXI cum fortè fulmine ictæ atque exustæ essent alæ Victoriæ, quam Romæ statua manu gestabat, bonum signum esse Poëta, *Pompejus* nomine, auguratur, fore nimirum, ut victrix perpetuo Roma exsisteret, quod eam Victoria, alis destituta, fuga deserere non posset. Versus sic legitur:

Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος οὔ ποτ' ὀλεῖται
Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.

Roma potens, alis cur stat Victoria lapsis?
Urbem ne valeat deseruisse tuam.

Alatam quoque fingi, pingique solitam, ob velocitatem dixeris. Quo enim citius victoria parta, ac breviori spatio victi fugatique hostes, eo illustrior est ac celebrior, uti *Cn. Pompeji* de Piratis victoria. Quo sensu & heic alatam exhiberi, omnino credimus. De palma vero & lauro pluribus infra Num. 36. dicturi sumus. Nec dicere habemus, ubi nummum viderit *Morellius*, qui eundem sic æri incidi fecit.

NUM. 29.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator. Caput Vitellii nudum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 1.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. N. 7.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Victoria alata sedet dextrorsum, dextra coronam, sinistra palmam tenens super humerum protensam.

Rursus Bebriacensis victoriæ memoria per hunc nummum refricatur, quæ, quia inter singularia ejus facta primum prope fuit, ac unicum; ita tot monumentis quoque ab ipso celebratum, tamque eximiis. Sistit & illum nummum ex argento *Car. Patinus* in *Suetonio* nummis illustrato p. 372. *C. Mediobarbus* p. 115. in eo errans, quod dicat dextra pateram tenere cum sit corona Nam quid Victoriæ est cum patera? corona vero, quod notius, illius omnino signum est. Possedit & illum olim *Joh. Valens* argenteum; hodieque in *Thesauro Schwarzburgico* videre est.

NUM. 30. 31. 32. 33. 34. & 35.

Vacant.

EX MSTIS GOLTZII.

NUM. 36.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

VICTORIA VITELLII. Victoria alata sinistrorsum gradiens, dextra coronam prætendit, læva palmam gestat.

Eximie hoc nummo illustrantur ista, quæ supra ad N. 21. 28. 29 jam diximus. In omnibus Victoria alata comparet, ut celeriter partam sciamus; in posterioribus eadem & consuetissima symbola monstrat, nempe coronas & palmas, quæ & sequi, & dari olim solebant, ea parta. Palma siquidem (verba sunt *Augustini* Dial. II.) *Victoriæ tributa, quod ejus rami,* ut auctor est *Aristoteles, Plutarchus, Plinius,* & *A. Gellius* Libro III. Noct. Attic. Cap. VI. *ponderi imposito resistunt, nec premi se patiuntur, immo obsistunt. Corona vero datur laurea, quia est vinculum, quo & victi hostes alligari solent, aut verius præmium est victori.* Refert *Pausanias* Libro VIII. *Theseum ludos in Delo instituisse,* primumque victori palmæ coronam imposuisse ex ea arbore, quæ in Delo Apollini consecrata; cujus palmæ *Homerus* aliique deinceps meminerunt. Post aliis in ludis victores palma donati, & ubi alii coronabantur ramis, palmæ quoque semper ramus, qui rectus manuque gestaretur, adjici solet. Adhæc qui Delphis Pythia vicisset, lauro coronatus; quod *Apollini* sit dedicata, ut idem *Pausanias* ultimo libro commemorat. Et AUGUSTI supra cùm audierat VICTORIA; heic specialiori, VITELLII, nomine, & Gentilitio se jactat. Debemus hunc nummum *Schedis Morellianis*, qui ex *MStis Goltzii* illum delineavit.

NUM. 37.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. n. 7.

VICTORIA GERMANici. Victoria alata gradiens dextra coronam prætendit, læva palmam gestat.

Victoriam non solum cum nomine Gentilitio VITELLII in antecedente Num. 36. vidimus; sed & heic cum cognomine, quod ab exercitu Germanico tulerat; immo & cum cognomine Dignitatis, quod aliquando, uti supra audivimus, distulerat, supra N. 21. observavimus. Ut ergo credamus, hos posteriores *Goltzii* ordine temporis prius fuisse cusos isto, quem supra N. 21. cum elogio Augusti attulimus. Cætera ibidem jam dicta.

cta. Iterum eundem acceptum ferimus *Schedis Morellii*, qui ex *MStis Goltzii* depromsit.

NUM. 38.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 1.

FIDES EXErcituum. Aquila legionaria inter duo signa cohortium.

De FIDE EXERCITUUM, iisque, quæ eo spectabant, supra jam ad Num. 13. item N. 14. 16. & 17. item 18. & 19. diximus. Ibi vero junctis dextris designata est, heîc signis militaribus expressa visitur. Ex *MStis Goltzii* delineavit *Morellius* eundem.

NUM. 39.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. n. 13.

PONTifex MAXimus TRibunicia POTestate AUGUR. Tripus, cui Delphinus impositus.

Novum *Vitelliani* ejusque dignitatis sacræ heîc monumentum sub manus accipimus. Singulariter jam tùm de obsignato in nummo typo supra hac ipsa Tabula N. 25.; tùm simul etiam de perigraphes vocibus, speciatimque Pontifice Maximo Tab. I. N. 8.; Tribunicia Potestate Tab. I. N. 6. egimus; Auguris saltem heîc primum obveniente dignitate, de qua satis jam supra ad Cæsaris Tab. I. dixisse, meminimus. Discimus vero, & hac dignitate sacra singulariter compellari voluisse Vitellium in nummis sane plurimis, Cæsaris cognomentum, alias respuentem. Sistunt vero hunc nummum argenteum rariorem non solum *MSta Goltziana*, e quibus delineatum *Morellius* heîc dedit, sed & *A. Rubenius* in *Nummis Arschotanis* Tab. XXIV. Num. 15. & ex hoc *C. Mediobarbus* p. 105. *Jacob. Oiselius* Tab. CX. n. 5. pag. 539. *Du Choul dans la Religion des Anciens Romains* pag. 262. *Udanus* in Romana Majestate ac Potentia, Belgice conscripta, Tab. CXIII. n. 5. p. 405. Ex quo denuo simul conficimus, quam male multi agant cum *Goltzio*, nummos ejus vocantes in dubium, cum is certe sit, quo nemo plures unquam viderit, quique inspexerit accurate nummos, addo, quod & rerum harum suo tempore intelligentissimus fuerit.

NUM. 40.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 13.

PONTIFex MAXimus TRibunicia POTestate AUGUR. Tripus, desuper Delphinus coronæ impositus, ad utrumque ejusdem latus desuper quoque sedentibus duobus corvis.

Cum Mathemata vana neglexerit, mire tamen sacra, sacrasque dignitates crepasse, religioneque singulari videri voluisse Vitellium, vel ex tot monumentis, posteritati relictis, satis datur colligere. Supra vero N. 25. cùm unus saltem corvus infra tripodem sedeat, heîc duo supra tripodem conspiciuntur, neque deëst Delphinus coronæ impositus, quæ omnia ad cultum Gentilium spectantia, ceu supra jam innuimus, sunt symbola. Præter *MSta Goltziana* affert quoque hunc nummum *du Choul* loc. cit. p. 216. & 262. 6. novo *Goltzianæ* fidei certioris, quam vulgo hactenus fuit creditum, argumento; sed quod notes, falsam perigraphen utrobique addidit, nempe quæ sit Nummi Vespasiani: TR. P. X. IMP. XV. COS. VIII. P. P. cum sic scribi debeat, uti supra eum jam dedimus.

TABULA III.
QUA
NUMISMATA
DEPINGUNTUR
A. VITELLII
EX ÆRE MAGNO ET MEDIO.

Num. I.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus.

Caput Vitellii laureatum lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus uti Tab. I. n. 13.

Lucius VITELlius CENSOR II. IMPerator. Sedens in substructione, ex adverso sedet & alia figura togata, tribus aliis figuris in imo stantibus, priore ex illis jungente dextram cum Imperatore.

Supra Tab. I. n. 1. *Lucii Vitellii* Consulatum III. & Censuram jam attendimus, multa ad illum monentes, quæ heic repetere supersedemus. Heic Censura altera ejusdem obviat, eamque actionem Censoriam typus satis clare & luculenter admodum exprimit. Nam sedet Censor pro Tribunali in Sella curuli, ante sunt quatuor figuræ, ex quibus una supra tres reliquas sublata, prima vero aliquid Cæsari porrigit. „ Proprium „ nempe, inquit Illustriss. Spanhemius, loco in„ fra citando, hujus muneris censum agere, quod „ fiebat, sedente pro tribunali Censore, & vo„ cato per præconem populo, quo nomine plu„ res Quiritium figuras vides in hoc Nummo „ expressas. Quæ vero sedenti Censori proxima „ aliquid porrigit, haud dubito, quin eum mo„ rem innuat, juxta quem ad illos decoris dede„ corisque publici arbitros privata acta referri „ consueverant, secundum legem de iisdem Cen„ soribus à *Tullio* traditam Libro III. de Legi„ bus: PRIVATA AD EOS ACTA REFE„ RUNTO. Abunde insuper docet hic Num„ mus dignitatem muneris Censorii, cujus gesti „ memoria sub Imperatore filio revocari & publi„ co ære signari meruit. Ut pateat, non ab„ surde *Plutarcho* in Catone majore Censuram „ omnium honorum Apicem vocari; alibi dici ab „ eodem (*in Marco Crasso*) M. Crassum dignita„ te Censoria Pompejum superasse; aut cur *Pol„ lio* tradat, Valerianum antea Censorem, postea „ Imperatorem fuisse, omissa aliarum dignita„ tum mentione; quod non debuit ibi magno „ Interpreti negotium facessere. Etenim cum „ tres Consulatus præter Censuram gesserit hic „ Vitellius, atque ita non, ut Q. FULVIUS, „ aut T. MANLIUS TORQUATUS DUO„ BUS, sed TRIBUS esset CONSULATIBUS „ ET CENSURA INSIGNIS; ab hac tamen „ potius, ut per se eximia & sub Cæsaribus sin„ gularis exempli, quæsitum honoris apud poste„ ros monumentum: EXPLICA TOTOS FA„ STOS, inquit, DE SCIPIONE Censore *Va„ lerius* Libro VIII. C. 15. CONSULE OM„ NES CURRUS TRIUMPHALES, NIHIL „ TAMEN MORUM PRINCIPATU SPE„ CIOSIUS REPERIES. Certe ut hic L. Vi„ tellii nummus, ita Scipionis statua nihil aliud „ olim inscriptum habuit, nisi CENSORIS no„ men, ut auctor alicubi *Tullius* (qui eo nomine „ Metellum exagitat, Lib. VI. Epist. ad Attic. „ 1.) quod Scipionem, proavum suum, nesci„ verit tamen Censorem fuisse, SED NESCIRE „ PROAVUM SUUM CENSOREM FUIS„ SE TURPE EST. Pater itaque ut L. Pisoni, „ (cujus nobilitatem eo nomine extollit *Tacitus* „ Annal. III. 28.) ita VITELLIO Imperatori „ CENSORIUS, quod nesciri etiam à posteris „ noluit, & quo nomine eidem *Tacito* Histor. „ III. 9. dicitur CENSORIS Vitellii & ter „ Consulis filius. Præcipuum nempe Romanæ „ nobilitatis decus domus Censoriæ, quarum ali„ cubi meminit *Halicarnassensis* (Libro I.) qui „ commentarios Censorios tanquam paterna sacra à „ patre ad filium docet transiisse, πολλοὶ γ' εἰσὶν ἀπὸ τῶν τιμητικῶν οἴκων ἄνδρες ἐπιφανεῖς οἱ διαφυλάττοντες αὐτά, *multi enim sunt è DOMIBUS CEN„ SORIIS, viri illustres conservantes talia.* Non „ ergo sine caussa Imperatorem Vitellium ab eo„ dem Parente omnem suam claritudinem conse„ quutum docet *Tranquillus*. Quanquam nota „ ex autoritatibus illorum temporum exquisita „ illius L. Vitellii adulatio, qua sub impuris Prin„ cipibus summos honorum apices adeptus est, „ & inter eos Censuram sub Claudio: ut cum „ aliunde, tum ex *Tacito* Annal. XII. c. 4. con„ stat; *IGITUR VITELLIUS NOMINE CEN„ SO-*

„ *SORIS SERVILES FALLACIAS OBTE-*
„ *GENS*, qui & Silanum Prætorem per edictum
„ Vitellii (Cenforis nempe) ordine Senatoris mo-
„ tum tradit in fequentibus. Hucufque *Ill. Spanhemius.* Et licet & Auli frater Confulem Cenforemque egerit, probabilius tamen nobis videtur, hunc honorem magis a filio Patri, quam fratri, quod etiam de Trajano, & aliis, novimus, fuiffe exhibitum; cum ex *Suetonio* Cap. 2. fciamus, cum Claudio, Principe, duos ordinarios Confulatus, CENSURAMque geffiffe, de quo fupra. *A. Rubenius* cuinam horum affignandus fit, in medio, relinquit; *C. Patinus* in Suetonio Nummis illuftrato p. 367. & Illuftriff. *Ez. Spanhemius* nobifcum in Patrem inclinant, ex quibus prior tamen in delineatione fua numerum Cenfuræ (II.) omifit, prætereaque non dextras junctas, fed alterius ante ftantis elevatam faltem expreffit. Communicant & hunc nummum *Joh. Valens* in rarioribus æreis ex *Mufeo* illuftriff. *Lamonii*, *A. Rubenius* in Nummis Arfchotanis Tab. XXIII. n. 17. 18. p. 39. *C. Patinus* Thefauro minori p. 147. ubi rurfus numerus II. omiffus cernitur. Ill. *Ez. Spanhemius* in Differtatione VIII. p. 737. *Joachimus Udanus* de Romana potentia Tab. VII. N. 1. 2. *Jac. Oifelius* in Thefauro Numifm. Tab. IV. n. 1. 2. *Com. Mediobarbus* pag. 106. ubi tamen tantum tres figuras ftolatas ante ftantes; in alio nummo vero ex *Mufeo fuo*, quatuor, & recte, refert eadem pagina.

Num. 2.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate. Caput Vitellii laureatum, laevam verfus, uti Tab. I. n. 13.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator TRibunicia Poteftate. Caput Vitellii laureatum, lævam verfus, uti Tab. I. n. 6.

PAX GERManici ROMA. Tres figuræ, una Romæ armis infidentis folito typo, galeatæ fcilicet, dextra protendentis victoriolam, finiftram clypeo inclinantis, dextro pede galeam calcantis. Victoriola, quam manibus tenet, coronam lauream offert Vitellio ante Romam ftanti togato, a tergo muliebris figura tunicata, non quidem Germaniæ, uti quis vel primo intuitu poffet ftatuere facile, fed ipfius Pacis.

Sicuti infra 13. & 14. Pax Augufti, licet aliis cum fymbolis additis, in confpectum, ita & heic fociata junctaque perfonis aliis, Romæ fcilicet & Vitellio. Et quamvis pofteriorem figuram quis pro Germaniæ typo poffet agnofcere, repugnabunt alii hujus typi, qui nihil cum hac prorfus habent commune, ut potius eandem pro Pacis effigie capiamus, tum quod infcriptio addita hoc corroboret, tum quod habitu ad alia id genus Dearum fimulacra ufitata quam proxime accedat. „ Neque
„ indiget, fcribit de hoc ipfo typo Ill. *Spanhemius*, il-
„ le ulteriori commentario; quum plana fint omnia,
„ partim ex ftudio illo paullo ante commemorato
„ Romanorum Principum, non a devictis folum,
„ fed a pacatis etiam Urbe ac Provinciis, gloriam
„ fuorum temporum, quanquam vana fæpius, ut
„ hic loci, prædicatione celebrandi: partim ex re-
„ bus Vitellii, opera & fide Germanici Exercitus,
„ cui præfuerat, ad imperium promoti, & inde
„ GERMANICI appellationem fibi filioque adhuc
„ infanti tribuentis. Quo fpectat etiam matris ejuf-
„ dem Vitellii dictum, non GERMANICUM a fe
„ fed VITELLIUM genitum. Ut mittam in prio-
„ ri Nummi area omiffum Cæfaris, expreffum vero
„ Augufti cognomen; utrumque rurfus ad *Taciti*
„ fidem, *vocabulum AUGUSTI differret, CÆSA-*
„ *RIS non reciperet*; mox: *abnuentique nomen*
„ *AUGUSTI expreffere, ut adfumeret*; & quibus
„ etiam confentanea alibi ex *Suetonio* retuli." Hucufque laudatiffimus *Spanhemius.* Neque plura addimus, nifi quod moneamus fupra de nomine Germanici Tabula I. jam plura attuliffe in medium. Siftit hunc infignem neque vulgo apud Antiquarios obvium, fed potius eximiæ raritatis ac elegantiæ nummum æri incifum, uti jam diximus Ill. *Ezech. Spanhemius* in æterno opere de U. & P. Numifm. Differtat. IX. p. 851. ex *Mufeo* Eminentiff. Cardinalis *Camilli Maximi*, ut & *Joh. Valens* in rarioribus æreis p. 27.

Num. 3.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuftus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum lævam verfus. uti Tab. Num. 11.

URBS RESTITUTA. Figura paludata galeato capite ftans, dextra extenfa victoriolam, finiftra haftam gerit.

Supra Tab. II. N. 20. in aureo argenteoque monumento LIBERTATEM RESTITUTAM jactabat Vitellius, heic & in fequenti typo URBEM RESTITUTAM Senatus effert, pari utrobique fide, folita gloriandi affentandique & Principi & Senatui licentia. Nec aliis oculis heic Urbem reftitutam intuemur, ac fupra Tab. II. N. 9. ROMAM RENASCENTEM, ubi confulere poterit Lector, quæ huc quoque fpectant. Hunc nummum rariorem exhibet *Johan. Valens* in nummis fuis æreis rariorib. Tom. I. p. 28. ex *Cimeliarchio Ser. Suec. Reginæ Chriftinæ*, item *Comes Mediobarbus* p. 107.

Num. 4.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuftus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam verfus, uti Tab. I. Num. 11.

URBEM RESTITUTAM. Imperator paludatus ſtans cum duobus adſiſtentibus militibus galeatis, dextris haſtas, ſiniſtris ſcuta tenentibus, figuram muliebrem galeatam ad genua procumbentem, Romamque deſignantem, ſublevans.

Cum in caſu nominativo Urbem Reſtitutam obſignatam voluerit Senatus nunc in accuſativo eandem exhibet, eamque quaſi luxam genuque flexam, nunc integram reſtitutamque ſublevat, licet integritati priſtinæ ſub nullius minus quam ſub Vitellii regimine fuerit reſtituta, priſtinoque ſplendore decorata; quod tamen gloriandi genus admodum Imperatoribus familiare fuiſſe, ex præcedentibus tùm hujus tùm aliorum Imperatorum nummis conſtare poteſt facile. Exhibet hunc raritate & elegantia præſtantiſſimum nummum *Joh. Valens* in rariorib. æreis p. 28. ex *Cimeliarchio Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ*, *Franciſcus Angelonus* in Hiſtoria Auguſta p. 73. N. 10. ubi quidem Imperator non ſtat in loco elatiore, uti tamen deſcriptio ejus habet, ſed incuria ſculptoris in plano cum cæteris, qui eum ex communicatione Eminentiſſ. Cardinalis *Franciſci Boncompagni*, Epiſcopi Neapolitani addidit, & denique *Comes Mediobarbus* pag. 107.

NUM. 5.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 14.

Mars galeatus corpore nudus lævam verſus gradiens, dextra haſtam, læva aquilam legionariam gerit, ad latus: S. C. nota adjecta.

Qui bella Vitellii & conflictus Legionum primum cum Othonianis dehinc Veſpaſianis geſta paullo penitus conſiderat, non mirabitur Martem toties in nummis Vitellii cum aquila & trophæo obvium, eumque gradientem, qui etiam alias ſolet denotare expeditionem, brevique confectam, qualis omnino utrobique fuit, quamvis impari fortuna ſucceſſuque, de quo ſupra ſatis jam dictum eſt. Luci eundem jam nummum haud obvium, qui expoſuerit hucuſque laudare poſſumus Autorem neminem, ſed ita in *Theſauro* obviat *Schwarzburgico.*

NUM. 6.

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 9.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 12.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. N. 13.

Mars galeatus corpore nudus lævam verſus gradiens, dextra haſtam, ſiniſtra trophæum tenens ſpoliis onuſtum ſuper lævum humerum, cum SC. nota adjecta.

Sicuti in ſuperiori nummo velut in expeditionem abeuntem conſpicimus, ita heic quaſi Bebriaco ab eadem per campum cum trophæo nunc cito pede redeuntem, victoriaque onuſtum intuemur, typo hoc à Senatu Romano in honorem & gloriam Vitellii ob hoſtes Othonianos deletos, ſignato. Gradivus audit juxta Feſtum, à gradiendo in bello ultro citroque, modo huic modo illi victoriam adferens, quod ex Hiſtoria Vitellii clarum eſt, Othoni primo, uti videmus, trophæum adferens, paulo poſt vero Vitellio; uti ex illius viciſſim conſtat nummis, vel quod gradatim, & per ordines in bellum eatur, aut certe à vibratione haſtæ, quod Græci κραδαίνειν vocant. *Homerus* de Marte loquens utrumque conjungit: Hic μακρὰ βιβὰς κραδαίνων δολιχόσκιον ἔγχος. De illo Gradivo ſedem apud *Getas* & *Thracas* habente *Virgilius* Lib. III. Æneidos:

> *Gradivumque Patrem, Geticis qui præſidet arvis.*

Ovidius in Metamorphoſi:

> *Et genus à magno ducentem forte Gradivo.*

Itemque *Valerius Flaccus:*

> *Ecce autem Geticis veniens Gradivus ab antris.*

Et alibi:

> *Excubias Gradive tene præſentia luco*
> *Martia tuba ſonet.*

Statius Thebaid. III.

> *Gradivum acciri propere jubet. Ille furentes*
> *Biſtonas & Geticas populatus cædibus urbes.*

Claudianus vero egregiè:

> *Qualis & biſera populatus cæde Gelonos*
> *Procubat horrendus Getico Gradivus in antro.*

Supra & obſervavimus ipſi, Julii Cæſaris gladium Martis Templo dicatum à militibus Imperatorem ipſum renunciantibus, fuiſſe oblatum, cumque

que *Romani* Martem patrem crederent Romuli, summo cultu eundem venerati sunt, cujus rei indicium in nummis quoque nonnullis proditum fuisse novimus. De ejus templo, nomine, cultu, supra quoque huc facientia ad Tab. II. N. 15. attulimus, quo B. L. ablegatum hac vice cupimus. Vulgarunt jam eundem haud vulgarem *Franc. Angelonus* in Historia Augusta pag. 70. & 73. N. 4. *A. Rubenium* in *Nummis Arschotanis* Tab. XXIII. N. 19. *Com. Mediobarbus* p. 106. ex *Museo suo. Seb. Erizzo* in *Discorso sopra le Medaglie* p. 120. *Ant. Zantanus* in æreis *Vitellii* Tab. II. N. 14. *Lorenzo Legati* in *Museo Cospiano* p. 349. (a) Pars hodie est *Thesauri Schwarzburgici*, sicuti & *Musei Abbatiæ S. Genovefæ*, & olim in *Thesauro Maximiliani*, *Ducis Bavariæ*, teste *Joh. Bapt. Ficlero*, delituit.

NUM. 7.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 11.

MARS VICTOR. Mars capite galeatus corpore nudus stans antrorsum, dextra hastam, læva trophæum gestat.

Sicuti in præcedente de victo hoste ex campis hostilibus redeuntem conspeximus Martem, ita heic stantem & spolia quasi Othonianis ablata offerentem offendimus, (de quo supra abunde dictum) addito hoc, quod diximus, satis arguente VICTORIS elogio, quod ipsi tam solenne ac alias QUIRINI, ULTORIS, ac alia esse inter alia & ex Inscriptionibus novimus, veluti in Basi apud Batavos inventa, quæ sic habet;

MARTI VICT.
GLADIATORES
L. C. P. F.

Et *Guilielmus Malmesburiensis* : *Tunc visum erat Triclinium Romanum ex lapidibus fornicibus concameratum, quod nulla unquam tempestatum contumelia aut ignium flamma labefactari potuit, in cujus fronte inscriptum erat: MARTI VICTORI.* Atque ita in MStis libris, teste *Cambdeno* in Britannia fol. 705. Colebantque ipsum hoc nomine, quod ab ipso potissimum victoriam esse, crederent, quo sensu & elogio Jovi id ipsum datum quoque fuisse epitheton, supra Tab. II. N. 5. observavimus. Jam in lucem hunc ediderunt *Carol. Patinus* in Thesauro minori p. 147. & in *Thes. Maureceno* pag. 95. *Ad. Occo* p. 91. *Guil. du Choul* p. 122. Asservatur hodie quoque in *Thesauro Schwarzburgico*.

NUM. 8.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. N. 2.

CONSENSUS EXERCITUUM. Mars capite galeatus corpore nudus dextrorsum gradiens, dextra hastam, læva aquilam legionariam gestat.

Cum eundem prorsus typum supra jam Tab. II. N. 15. in argenteis contemplati simus, ibidem plura quæ ad ejus illustrationam facere poterant, B. L. offendet, addentes, quod hic in ære majori rarior nummi typus quondam, teste *Adolpho Occone*, in campo Coloniensi fuerit repertus, ubi, quod notum, Vitellius Imperator ab Exercitu Germanico fuit renunciatus, vulgavit eundem *Joh. Valens* in nummis rarioribus æreis maj. mod. Tab. I. p. 27. in eo tamen errans, quod scribat Martem dextra victoriolam gestare, cum tamen, ut patet, hasta sit. *Alb. Rubenius* in *Nummis Arschot.* Tab. XXIV. N. 5. p. 40. qui tamen, nescio quam recte, sinistra labarum tenere scribit, cum aquila legionaria potius vexillo, quod Mars læva tenet, sit superposita. *Fr. Angelonus* p. 73. N. 1. 2. ubi tamen male Mars trophæum vel thoracem solum læva pro aquila legionaria gestat, qui illum à *Doct. Fabio Nucula* acceperat, ut tamen simul & nota S. C. ab utroque latere omissa sit. *C. Mediobarbus* p. 106. denuo male dextra scipionem gestare scribit, cum hasta sit, dehinc læva non trophæum, sed uti recte in altero ex R. P. *Cattanei Museo* subdidit signum militare sinistra & aquilam legionariam gerit.

NUM. 9.

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 9.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

MARS VICTOR. Mars galeatus armatusque thorace & ad sinistrum latus parazonio, dextrorsum stans, dextra victoriolam alatam globo insistentem, sinistra lauream & dextra palmam protendentem gestans, læva vero trophæum armis hosti ablatis onustum.

Multum lætans ob victoriam Vitellius de Othonianis reportatam (somniat *Joh. Bapt. Ficlerus* quando in Explicatione MSta Nummorum æreorum *Maximiliani* Bavariæ Ducis victoriam ad-

(a) Servatur hic Vitellii nummus cum Inscriptione prima capitis, sculptura conspicuus, in *Museo nostro*. S. HAV.

adversus Galbam heic innui, scribit) variis diversisque monumentis eandem quoque voluit æternitati consecratam, quorum jam quintum hac saltem in Tabula accipimus, Martique VICTORI debitam pro eo persolutam gratiam, quam etiam in præcedenti Num. 7. persolvit, de quo tamen plura dicere nunc non attinet, alibi cum sit factum. De typo saltem monemus, quod Martem offendamus consueto modo, lorica armatum, dextra victoriolam, coronam offerentem, sinistra trophæum ex spoliis ferentem, cum parazonio lateri adplicato, maximam partem ad descriptionem *Albrici* de Imaginibus Deorum: Armatus lorica & cæteris armis, offensivis & defensivis, qui & galeam habeat in capite, & flagellum in manu portans, accinctusque mucrone. Miserunt eundem in lucem & ante nos alii, nempe *Alb. Rubenius* in Nummis Arschotanis Tab. XXIII. n. 20. ubi tamen nec victoriolam, palmam & lauream manibus tenere videas, nec trophæum, ut debuisset, sinistra, sed signum militare, uti videtur, legionarium, idque minus recte. Eodem modo & illum deprehendes apud *Jacob. Oiselium* in Thesauro Numism. Tab. XXXIV. N. 7. p. 192. nempe nec victoriola corollam tenet, nec trophæum læva gestat, sed signum militare seu legionis cum aquila, & hunc in modum quoque & apud *Joach Oudanum* in Potentia Romana Tab XLII. N. 7. Publicavit & *Car. Patinus* in Thesauro Mauroceno p. 95. *Ant. Zantanus* in æreis Tab. I. n. 12. ubi tamen notes victoriolam in dextra omissam, nec trophæum spoliis satis onustum, nec parazonium, sed veluti acinacem haud recte, contemplaberis. *Guil. du Choul dans son discours de la Religion des Anciens Romains* p. 222. ubi tamen nescio, quid lævæ Martis indiderit? *Fr. Angelonus* p. 73. n. 3. ubi quidem victoriola dextra palmam, sinistra lauream tenet, sed falso rursus sinistra signum militare; *Com. Mediobarbus*, qui recte omnium ex Indice *Polatio* nummum nostrum cum victoriola in dextra & trophæo in sinistra exhibet p. 106. Quando vero ex Indice *Cavotortæ* alium subdit, dextra victoriolam, sinistra parazonium gestantem, eundem cum nostro reor, trophæo forte injuria temporum visum subterfugiente & parazonio saltem adhuc conspicuo.

NUM. 10.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. n. 8.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

ANNONA AUGuſti. Duæ figuræ, una quæ ſtat, Imperatoris Vitellii, dextra haſtam, ſiniſtra parazonium tenens; ſiniſtroque pede calcans galeam; altera Cereris ſedentis velatu, dextraque patera ſuper aram fumantem ſacrificantis, ſiniſtra facem ardentem tenentis, prora navis intermedia.

Bellis aliquantum, victoria super Othonianos, quietis, insignem frugum copiam navibus fuisse per mare advectam, & in Urbe exinde ANNONÆ fuisse vilitatem & omnium rerum abundantiam, quam & suo nomine heic in nummo jactat AUGUSTUS, facile potest concludi, quasi nempe nunc, ejus munere secura urbs, libere lætequelitare Cereri, omnique rerum copia subdiii ipsius nunc frui possent libere. Quod vero navis compareat, indicio est, quod frumenti triticique copia mari cumprimis deportata Vitellii temporibus Romam fuerit. Facem tenet *Ceres*, quod in æstate fruges colligantur. Sistit hunc majoris moduli nummum rarissimum *Joh. Valens* in nummis rarioribus Tom. I. p. 26. ære expressum, ubi tamen in ejus anticæ delineatione voces TRibunicia Potestate non solum omisit, quas tamen eo spectare in ejus subsequente descriptione recte monuit; sed etiam pateram in Cereris dextra prætermisit. *Comes Mediobarbus* p. 106. qui tamen figuram ante stantis Imperatoris Fortunæ credit, cum sit Vitellius. Olim & hunc rarissimum nummum *Christina* Sueciæ Regina possedit, testibus schedis *Morellianis* & *Joh. Valente* editionis primæ Nummorum æreorum rariorum. Sistit & illum *Sponius en Recherches curieuses d'antiquité, Dissert.* 24. p. 375. sed omissis ultimis pariter in perigraphe literis TR P.

NUM. 11.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. n. 14.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitelli laureatum lævam verſus.

HONOS ET VIRTUS. Honos dextrorſum verſus ſtans ſeminudus, dextra haſtam, læva cornucopiæ tenet; ſiniſtrorſum vero Virtus dextram verſus galeata, dextra parazonium, ſiniſtra haſtam gerit, dextro pede calcans galeam.

Non credimus in æreis *Vitellii* numismatibus frequentiorem typum conspici, quam hunc ipsum. Deprædicat Honorem in nummis, eodem propemodum carens, & nonnisi vulgi ludibrio, Cæsarem acturus, ceu supra audivimus: Meticulosus ille jactat Virtutem, qua tamen destitutum fuisse, vel ultima ejus vitæ satis comprobant. Quoties enim a vilissimis quibusque militibus ad resumenda arma & animum adversus Vespasianum stimulatus non fuit & admonitus? De Virtute alias, quæ a viro dici, auctor est *Cicero*, eo quod virum Virtus maxime honestet, & quam singulariter coluere Romani, ut scilicet virtutem daret, referente

rente *Aurelio Augustino* ex *Varrone* Libro IV. C. 20. Et ficuti heîc in nummo videmus conjunctas, ita Marcellus Virtuti & Honori simul Templum ex manubiis Siciliensibus exstruxit, cum ante Virtuti Scipio Numantinus jam posuerat, referente *Plutarcho* in Libro de Fortuna Romanorum & in Vita Marcelli, *Valerio Maximo* Libro I. Cap. 1. Libro XXIX. & *Cicerone* Libro II. de Natura Deorum: *Vides VIRTUTIS Templum, vides Honoris à M. Marcello renovatum, quod multis annis erat bello Ligustico à Q. Maximo dedicatum.* Ita tamen Virtutis & Honoris templa erant exstructa, ut non duo templa sed unum tantum esset, ut per Virtutis Templum ingressus esset ad ædem Honoris, quo ostendebatur non patere aditum ad verum honorem consequendum nisi per virtutem ipsam. Videatur *Cicero* Lib. I. de Natura Deorum & Lib. II. de Leg. *Titus Livius* Lib. XXVII. *Plinius* Lib. XXXV. C. 10. *Plutarchus* de Fortuna Rom. *Vitruvius* Lib. III. & VII. Archit. Fuit & alia Romæ Virtutis & Honoris ædes à Cajo Mario, devictis Cimbris consecrata, de qua videri quoque potest *Rosinus* p. 236. de Honore alias *Franciscus Patricius* & *Passevinus* peculiaribus Libellis egerunt. Virtus heîc armata est, inquit *Constantinus Landus*, quia virtus in bello enitet, suaque virtus est unicuique militanti: Hinc *Virgilius* Libro V. 754.

Exigui numero, sed bello vivida virtus.

Vulgo potius, uti conjicit *Antonius Augustinus* Dial. II. p. 15. virili habitu comparet, quod à viro & viribus virtutis nomen derivetur, juxta *Ciceronem* in Tuscul Lib. II. Parazonium dextra tenet, h. e. latum gladium, cui acies deest, pede altero galeam calcans. Honos vero inermis conspicitur & muliebri forma, absque corona, sinistra cornu copiæ tenens, dextra sceptrum, seu hastam, imperium honoris plerumque designans. Hunc nummum rariorem vulgarunt jam *Joh. Valens* ex *Gaza Regis Christianissimi* in raris æreis Tom. I. p. 27. *Thomas Dempsterus* in *Johan. Rosini* Antiquitatibus Romanis auctis edit. Genev. 1620. pag. 237. *Jacobus de Strada* in Epitome Thesauri Antiquit pag. 46. ubi tamen perinde ac *Dempsterus*, Honorem dextrorsum stantem exhibet, quasi pede sinistro calcet galeam; Virtus ibidem pede dextro testudinem dextra, manu vero sceptrum gerit; in *Dempsteri* nummo vero nescio quid manu dextra tenet, in quibus erroribus & hos sequutus est *Octavius de Strada* in Vitis Cæsarum, nummis illustratis, p. 69. ubi rursus Honos perperam sinistro pede galeam, Virtus vero globum dextro pede calcant. *Jean Baptiste le Menestrier Medailles illustreés* p. 77. ubi, pro more suo, Honos pede sinistro vel larvam, vel caput suis; Virtus vero pede dextro testudinem rursus calcat; posteriorque figura dextra gladium tenet strictum, quam recte; quilibet perspicit. Ut taceamus, in antica AU. pro simplici A. conspici, Auli prænomen denotans, prætereaque cognomen Germanici poni post nomen Augusti, contra consuetum in *Nummis Vitellianis* morem, ita videlicet: AU. VITELLIUS IMP. AUG. GER. P. M. TR. P. Paulo rectius *Æneas Vicus* in æreis Vitellianis T. I. N. 10. ubi tamen & hoc desideres, quod Honos sinistro pede pariter galeam, & Virtus dextro testudinem calcare videantur; supraque pro ET inversis literis TE reposuerit, quod equidem *Anton. Zantanus* in æreis Tab. I. n. 11. correxit, sed sub pedibus & galeam & testudinem retinuit. *Ad. Occo* pag. 91. *Com. Mediobarbus* p. 109. *Constantinus Landus* in Miscellaneis explicat. *Tom. II.* p. 60. 61. 62. in eo vehementer errans, quod Virtutem hastam dextra tenere scribat, cum in sinistra sit; dehinc, quod inculcet, læva veluti quandam clavam, seu tesseram, gestare, cum sciamus, esse parazonium, rursus quod uno pede testudinem (cujus pluribus rationem reddit) premat, cum sit galea, & quod Honos altero pede Delphinum premat. *Ant. Augustinus* Dial. II. edit. Ital. pag. 28. itemque 81. *Du Choul dans son livre de la Religion de Anciens Romains* p. 37. *Goltzius* in Thesauro rei Antiq. p. 8. Possedit & illum *Christina Regina Sueciæ*, hodie exstat in *Thesauro Schwarzburgico.*

NUM. 12.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. N. 2.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

FIDES EXERCITUUM. Manus junctæ.

Eundem typum supra Tab. II. N. 13. & 14. jam vidimus, ob ejus vero præstantiam & in ære fuisse à Senatu repetitum, hoc noster præsens comprobat nummus. Quid vero voluerint ista inscriptione, de eo supra jam dictum est. Deque ipso Symbolo alibi, ubi in subsidium illud *Virgilii* Æneid. IX. *Accipe daque fidem*, & Æneidos XI.: *Junximus hospitio dextras.* Nunc adjicimus modo, hunc eximiæ raritatis nummum in lucem emissum sive publicatam esse à *Joh. Valente* in rarioribus æreis Tom. I. pag. 27. *Ant. Zantano* in æreis Vitellii Tab. II. N. 15. omissa tamen infra, quod notes, S. C. nota in æreis consueta, & in nostro conspciua. *Com. Mediobarbus* ex *Museo* R. P. Cattanei p. 106. *Antonius Augustinus* Dialog. II. edit. Ital. N. 1. p. 38.

NUM. 13.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 9.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 7.

PAX AUGUSTI. Pax dextrorſum ſtans dextra oleæ ramuſculum, ſiniſtra cornu copiæ tenet.

Ne quid deſit ex bonis iſtis, quæ rempublicam beatam efficiunt, & heic Senatus pacem dilaudat Vitellianis temporibus, qua quam diu frui iiſdem licuerit, forte iidem ſuo neſcivere tempore. Interim ut omnes adulationum numeri complerentur, & hæc pacis commoda in ſubſidium vocantur, licet toto ſui regiminis tempore nulla fuerit, niſi quam Vitellius epulando, comeſſando, bibendo, laſciviendo ſibi finxerit, quaſi rebus bene ſic admodum geſtis, omnibuſque ſimul ita ex voto compoſitis. In lucem jam produxere rariorem hunc nummum *Car. Patinus* in Theſauro minori p. 147. *Ant. Zantanus* in æreis Vitellii Tab. I. N. 1. ubi tamen, ſine dubio, minus recte AUGUST. pro AUGUSTI legitur in nummi delineatione, ſequutus *Æneam Vicum*, qui in æreis Tab. I. N. 1. eodem modo ipſum quoque communicat. *Com. Mediobarbus* p. 106. ex Indice *Cavotortæ*. *Lorenzo Legati* in *Muſeo Coſpiano* p. 349. ubi errat, dum ſcribit, læva tenere ramum olivæ, dextra vero cornu copiæ, cum contrarium ex nummo pateat, qui hodie (*b*) in *Theſauro Schwarzburgico* deliteſcit.

NUM. 14.

PAX AUGUSTI. Pacis figura ſedens, dextra oleæ ramuſculum protendit, ſiniſtra haſtam puram tenet.

Non ſufficiebat uno momento hanc vanam ſpem propinaſſe populo, ſed ſubinde repetitam fuiſſe pluribus, noſter docere poteſt nummus, ut tamen non alia fuerit, quam antecedente Numero jam diximus. *Schedæ Morellianæ.*

NUM. 15.

Spes ſtans dextra florem tenens.

Spem heic intuemur juvenculæ ſpecie hilari vultu, demiſſa, pellucida & diſcincta veſte indutam, ejuſque laciniam læva manu tollentem, & ſummis pedum articulis incedentem, dextra vero herbam trium duntaxat foliorum præferentem. Juvenili facie comparet, inquit *Antonius Auguſtinus* Dialogo II. quia tunc incipit ſpes: utque pueri ſpem bonam de ſe concitant, viros ſe probos fore, quodque in ea ætate ſpes, non res, ut *Cicero* ait, laudari ſoleat; ad eundem modum ſperat quiſque, non tamen re plene potitur. Hilari vultu adſtat, quod omne, quod ſperat homo hilaritatem adferat; veſte pellucida & longa, quia ſpes omnis longa & ſic res deſiderata; tranſparens, diſcincta, quod nondum comprehendat rem veram, ſed verius huc illuc rapiatur; ſummis pedum articulis incedit, quia nondum ſtat ſolida, donec res ſit adepta, neque timore caret, ſemperque uſu veniat, ut major res quæque appareat, dum expeditur, quam dum poſſidetur. Herbam trifolii dextra tenet; quia primum quod jacto grani ſemine exſiſtit, germen ſit, cujus adhuc ſpes in gramine eſſe vetere verbo dicitur, ut granum recens colore ac tempeſtivitate bonam malamve ſpem meſſis concitat. *Albertus Rubenius* vero exiſtimat herbam illam non aliam, quam lilium eſſe, eo etiam abeunte *Pierio* Libro LV. Cap 9. Hieroglyphicorum, inductus inprimis *Artemidori* verbis Libro I. Cap. 79. Coronæ ex Liliis concinnatæ, res in ſpes differunt ac dilatant, obſervante id etiam *Becano* in Francicis. Nec à noſtro typo longe abit *Luciani* Spei delineatio in de Mercede conductis, εὐπρόσωπον καὶ ποικίλα ἀμπεχομένην eandem nominantis, hoc eſt, *formoſam vultu, & varia veſte indutam.* Interim quam vana prorſus fuerit Vitellii ſpes & ſibi & Populo Romano facta de optimo Imperio, de conſtanti pace, de fide exercituum, de concordia Prætorianorum, de Libertate, ac Urbe reſtituta, de victoriis, & aliis, ex ſupra dictis conſtare poteſt facile. Debemus hunc *Schedis Morellianis.*

(*b*) Hic nummus cum ſecunda capitis Inſcriptione, eximie conſervatus, atque nuperrime ex Uylenbroeckianæ Gazæ diſtractione haud levi pretio coemtus, cuſtoditur quoque in *Muſeo noſtro*; eum, qui ſequitur Num. 16. offendi pulcherrimum, cum tertia capitis Inſcriptione, in *Muſeo Comitis de Thoms.* S. HAVERCAMP.

NUM. 16.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum lævam verſus, uti Tab. I. Num. 8.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 12.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria alata ac ſeminuda ſtans, clypeo palmæ arbori alligato inſcribit: OB CIVIS SERvatos, ſiniſtrum pedem galeæ imponit.

Uti ſupra Tab. II. N. 21. VICTORIAM AUGUSTI obſervavimus cum ipſo Victoriæ alatæ typo ſcutum præferentis, in quo *Senatus Populuſque Romanus*, & quæ Auctores de eadem memoriæ prodidere, monuimus; ita heic denuo Victoriam obviam habemus alatam, ſcuto palmæ alligato inſcribentem: OB CIVIS SERvatos, quæ, quid velint verba, ad N. 22, Tab. II. pariter diximus, ad quæ loca ſaltem B. L. remiſſum cupimus. Vulgarunt jam eundem *Laur. Begerus* in Theſauro Palatino p. 299. 300. & Tom. II. Brandenb. Theſ. p. 629. ſed, quod notes, utrobique trunco ſaltem arboris imponit clypeum, omiſſis palmæ ramis, ſupra ſcutum in noſtro etiam conſpicuis, præterea que nullæ literæ in ſcuto comparent, quod forte in nummo diſtincte cognoſci non potuerint. *Com. Mediobarbus* p. 106. qui tamen ſaltem CIV. habet in ſcuto non CIVIS, forte literis etiam exeſis, aut non ſatis cognoſcibilibus, ſecutus ſine dubio *Occonem* p. 91. qui eundem nummum referens quoque habet OB CIV. SER. Delituit & olim in Theſauro *Maximiliani*, *Ducis Bava-*

Bavariæ, teste descriptione Nummorum MSta *Joh. Bapt. Ficleri*, *Gazæ Christinæ Reginæ* olim quoque pars fuit.

NUM. 17.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. 1. Num. 9.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 12.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 13.

SenatusPopulusQueRomanus OB CIVes SERvatos, in area, intra coronam querneam.

Hic relegi poterunt ea, quæ supra ad eundem typum & coronam, adulatione magis quam jure ipsi delatam Tab. I. N. 22. jam attulimus. Monemus saltem dedisse jam in lucem hunc nummum *Carolum Patinum* in Thesauro suo minore p.247. in ære magno, & *C. Mediobarbum* p. 106. ex indice *Polatio*. Possedit & illum in Thesauro suo Bavarico *Maximilianus*, *Dux Bavariæ*, teste Catalogo MSto *Joh. Bapt. Ficleri*.

NUM. 18. 19. & 20.

Vacant.

NUMMI EX ÆRE MEDIO.

NUM. 21.

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 2.

Senatus PopulusQue Romanus OB CIVes SERvatos, intra coronam querneam.

Eundem typum, & quid iste velit Tab. II. N. 22. 23. 24. & inprimis 34. Tab. III. N. 17. 18. 21. jam vidimus. Restat saltem, ut addamus, illum nos debere *Schedis Morellianis*.

NUM. 22.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. N. 2.

CONSENSUS EXERCITUUM. Mars nudus ac galeatus gradiens, dextra hastam, sinistra signum militare tenet, cui insidet aquila.

Idem typus supra Tab. II. N. 15. & Tab. III. N. 8. jam adfuit, quo B. L. ablegatum volumus. Hunc *Schedæ Morellianæ* sistunt.

NUM. 23.

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANICUS. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 21.

FIDES EXERCITUUM. Dextræ junctæ:

Eundem typum offendet B. L. supra Tab. II. N. 14. 17. 18. Tab. III. N. 12. ubi plura jam dicta. (b) Communicant & hunc rarum nummum *Joh. Valens* in rarioribus æreis p. 27. & *Carolus Patinus* in Nummis æreis medii moduli p. 138.

NUM. 24.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria dextram versus stat scribens in clypeo, quem imponit trophæo, ad quod captivus mœstus humi desidet.

Perigraphen hanc supra jam T. II. N. 21. Tab. III. N. 16. & 20. contemplati sumus, Typo saltem hoc, paululum à præcedentibus discrepante. Vulgarunt jam illum *Com. Mediobarbus* p. 106. qui quidem Victoriam galeam trophæo imponere ait, cum tamen sit scutum, sive clypeus, *Job Valens* in rarioribus p. 28. *Car. Patinus* in Nummis æreis med. ac min. formæ p. 138. ubi tamen saltem VICTOR in nummo exhibet. Itemque in *Thesauro Mauroceno* p. 95. *Ant. Zantanus* in æreis Tab. I. N. 7. verum omisso scuto, cui inscribit Victoria, sed utraque manu palmæ veluti imposita, sequutus sine dubio *Æneam Vicum*, qui eodem modo eundem sistit in æreis Tab. I. N. 7. *Fr. Angelonus* pag. 73. N. 6. ubi tamen Victoria una saltem manu gaudens galeam imponit trophæo.

(b) Servatur similis nummus in *Museo nostro*, sed inscriptus à parte capitis *Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus*, capite laureato, dextram versus, cum globo ad collum, ut *Tom. II.* Tab. I. Num. 4. Possideo & præcedentem Num. 12. sed in meo caput Vitellii laureatum non lævam, sed dextram versus convertitur, ut Tab. I. Num. 3. S. HAVERCAMP.

TABULA IV.
QUÆ PERSEQUITUR
NUMISMATA
A. VITELLII
EX ÆRE MEDIO UT ET GRÆCA.

NUM. I.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

ROMA. Roma galeata inſidens ſpoliis, dextra victoriolam, ſiniſtra parazonium tenet.

Romam victoriis adſuetam, Othonis tyrannide oppreſſam, & heîc cum victoriola exhibet *Vitellius*, ut ſciret Orbis, quam potens per Victorias & ipſe factus ſit, neſcius tamen, quam pronus fuerit in caſum per eaſdem. Exhibet hunc nummum haud obvium *A. Rubenius* in *Nummis Arſchotanis* Tab. XXIV. N. 12. *Comes Mediobarbus* p. 106. ex Indice *Cavotortæ*.

NUM. 2.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus, Pontifex Maximus, Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum lævam verſus, uti Tab. I. n. 11.

ROMA RENASCENS. Roma galeata lævam verſus graditur, dextra tenens victoriolam, ſiniſtra haſtam puram.

Typum eundem B. L. ſupra Tab. II. Num. 9. deprehendet, ubi jam plura. Hunc elegantiorem ſiſtit & *Joh. Valens* in rarioribus Tom. I. p. 28. ex *Theſauro Regis Verſalienſi*, ut & *Com. Mediobarbus*. p. 107.

NUM. 3.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 11.

ROMA RENASCENS. Roma galeata ſtans, dextram verſus, dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenet.

Et typo & perigraphe prope convenit cum præcedente, quare pergimus ad ſequentem, addentes, quod illum debeamus *A. Rubenio* in *Nummis Arſchotanis* Tab. XXIV. N. 7. & *Schedis Morellianis*.

NUM. 4.

ROMA VICTRIX. Roma galeata ſtans, dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam puram tenet.

Typum eundem vide ſupra Tab. II. N. 10. ubi jam pluribus de eo. Alias hunc *Schedis* debemus *Morellianis*, qui illum ex *MStis Goltzianis* deprompſit.

NUM. 5.

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. n. 9.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMAnicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii lævam verſus, uti Tab. I. n. 13.

Vel,

Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANicus. Caput Vitellii laureatum, dextram verſus.

AEQUITAS AUGUSTI. Æquitas dextram verſus ſtans, dextra bilancem æquam, ſiniſtra perticam ſive ulnam ad menſurandum aptam, tenet.

Gulæ

Gulæ non minus, quam ſtultitiæ Vitellianæ litaſſe Romanos, vel ex hoc denuo colligimus nummo, ipſumque non hominem, ſed cum ratione belluam, non tam ciborum, quam æque titulorum fuiſſe appetentem. Unde ergo æquitas in ſupra modum oppleta lagena? Unde juſtitia in nunquam ſatis mentis compote ex vinolentia & crapulis corpore? Cæterum quod ſymbolum attinet impreſſum, illud admodum obvium novimus, & in primis in nummis Veſpaſiani; an quod Romani admodum amantes æquitatis, an quod ipſam Romam conditam ſcribant nonnulli, & in his *Manilius* Libro IV. ſub libra? canens:

> *Quod potius regat Italiam, ſi ſeligis aſtrum,*
> *Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,*
> *Deſignat ſummas, & iniquam ſeparat æquo,*
> *Tempora quo pendent, cedunt quo noxque dieſque,*
> *Heſperiam ſua libra tenet, quâ condita Roma,*
> *Et propriis frenat pendentem nutibus orbem,*
> *Orbis & Imperium retinet; diſcrimina rerum*
> *Lancibus, & poſitas gentes tollitque premitque:*
> *Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Urbem.*

Et cum ſecundum *Caſſiodorum* Libro II. Epiſt. 32. *Regni decus eſt æquitatis affectio, mirum non eſt, & Romanos & horum Imperatores eandem in nummis affectaſſe, hujus titulo haud merenti fuiſſe adulatos. Æquitas vero in nummo diſcincta ſtans virginis forma dextra tenet bilancem, pondere æqualem, altera ſcipionem ſive virgam, ulnam ſive perticam menſoriam.* Ratio eſt, inquit, *Auguſtinus* Dialogo II quia omnibus æqua metiri loca pertica ſolet. Hinc & Latini *æquare* dixerunt. Diſcincta conſpicitur, quod ſubjici nolit. Vulgarunt jam eundem *A. Rubenius* in *Nummis Arſchotanis* Tab XXIII. N. 24. *Carolus Patinus* in Nummis æreis medii mod. p. 38. N. 9. *Ant. Zantanus* in æreis Tab I. N. 6. *Æneas Vicus* T. I. N. 6. *Franc. Angelonus* p. 73. N. 12. *Comes Mediobarbus* p. 106. *Joh. Triſtanus* in Commentar. p. 272. modo quod AUG. pro AUGUSTI habeat. *Jacobus Oiſelius* in Theſauro Tab. LXII. N. 10. p. 359. *Joachimus Oudanus* Tab. LXV. N. 10. Hodieque pars eſt *Theſauri Schwarzburgici.*

NUM. 6.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Vitellii.

CERES AUGuſti. Ceres ſedens duas ſpicas & papaveris caput, ſiniſtra facem ardentem tenet.

Eodem jure & affectaſſe hunc titulum Vitellium, illi quoque tributum fuiſſe & per ſe patet. De Symbolo alibi. Siniſtra ardentem facem tenet, quod nempe fruges calore maturæ colligantur, tritici vero ſpicas vel papaveris tenet, ut qui veſcitur, capere ſomnum queat, aut quia Ceres Dea raptam à *Plutone Proſerpinam* filiam dum quærit, ſomno oppreſſa quievit; vel, quod Cererem repertis frugibus (quæ forte verior cauſa) glandibus abſtinere mortales docuerit, & papaveris quoddam genus ad eſum ſeminaverit, teſte *Dioſcoride* Libro IV. C. 55. *E ſativis*, inquit, *papaveris genere, quod hortenſe ſemen in panem denſatur, qui ſanis in uſu ſit.* Hinc *Maro* Lib. I. Georgic.

> *Nec non & Lini ſegetem, & Cereale papaver*
> *Tempus humo tegere.*

Idemque *Lib. IV. veſcum* nominat:

> *Lilia, verbenaſque premens, veſcumque papaver.*

Ubi *Servius Honoratus*: *Veſcum, quo veſcimur*, huncque panem ille ipſe *Dioſcorides* θυλακῖτην vocat, quaſi *caniſtris aſſervatum*. Vulgarunt jam hunc nummum rarum *Joh. Valens* in rarioribus æreis p. 27. in eo forte errans, quod ſcribat læva Deam tenere haſtam puram, cum potius fax ardens ſit. *Car. Patinus* in Nummis æreis med. formæ p. 138. N. 7. *Comes Mediobarbus* p. 106. ex indice *Patini*, hodieque pars eſt *Theſauri Regis Galliæ.*

NUM. 7.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. n. 9.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus.

Vel,

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate. Caput Vitellii laureatum, lævam verſus, uti Tab. I. Num. 13.

CONCORDIA AUGUSTI. Concordia ſedens, dextra pateram ſuper aram fumantem, læva cornu copiæ tenet.

Quod perigraphen attinet, de ea in modum huic prope conformem jam egimus Tab. II. N. 12. diximuſque qualis ſub ipſo fuerit Concordia. Quando vero figura muliebris ſedens cum patera in dextra viſitur, rem ſacram denotat, cui quippe ſacrorum honos debeatur. Hinc & Romæ Templum Concordiæ fuit exſtructum. Cornucopiæ autem ubertatem è Pace atque Concordia naſci ſolitam demonſtrat. Quæ quam exigua Vitellii temporibus, rebus omnibus per Veſpaſianum turbatis, fuerit, alibi jam diximus. Dederunt jam nobis hunc, nummum *Æneas Vicus* in æreis N. 9. itemque *Ant. Zantanus* in iiſdem T. I. N. 9. *Car. Patinus* in æreis medii formæ p. 183. N. 6. *Fr. Angelonus* p. 73. N. 11. *Ad. Occo* p. 91. *Com. Mediobarbus* p. 106. & exſtat hodie in *Theſauro Schwarzburgico*, olimque pars fuit *Theſauri Ducis Bavariæ Maximiliani*, teſte Deſcriptione hujus à *Ficlero* confecta.

NUM. 8.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

CONCORDIA Populi Romani. Concordia sedens dextra pateram protendit, sinistra cornu copiæ tenet.

De perigraphe & typo in præcedente dictum jam est, restat, ut addamus illos, qui jam illum vulgarunt, qui sunt, *A. Rubenius* in *Arschotanis* Tab. XXIV. N. 21. *Ant. Zantanus* in *æreis Vitellii* T. I. N. 8. *Æneas Vicus* in æreis N. 8. qui cum *Zantano* male pro P. R. effinxit PRINC. *C. Mediobarbus* p. 116.

NUM. 9.

CONSENSUS EXERCITUUM. Mars galeatus ac nudus gradiens, dextra victoriolam, læva vexillum cum aquila, vel potius trophæum portat.

Perigraphen eandem jam supra Tab. II. N. 15. typum vero Tab. III. N. 9. vidimus, de quibus adeoque nihil nunc attinet dicere, observantes modo, quod nummum jam hunc ipsum vulgaverint (a) *Car Patinus* in Nummis æreis mediæ formæ p. 138. *Hubertus Goltzius* in Thes. Rei antiquariæ p. 4. *A. Morellius* in Schedis suis.

NUM. 10.

Vacat.

NUM. 11.

FIDES EXERCITUUM. Duo signa militaria, media aquila legionaria.

Nummi perigraphen jam aliquoties, nempe Tab. II. N. 14. 17. 18. Tab. III. N. 12. 23. Typum vero etiam Tab. II. N. 38. consideravimus. Signa militaria cohortium & legionum comparent pro symbolo, ut in memoriam revocent Fidem, quam Sacramento dedissent Imperatori milites. Addimus modo, quod illum debeamus *Schedis Morellianis*, in has ex *MStis Goltzii* relatis.

NUM. 12.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 11.

LIBERTAS RESTITUTA. Libertas stans, (b) dextera pileum, sinistra hastam tenet.

Et typum & descriptionem eandem supra jam Tab. II. N. 20. contemplati sumus, quorsum B. L. ablegamus. Addimus modo nummum hunc jam vulgasse quoque *Alb. Rubenium* in *Nummis Arschotanis* Tab. XXIV. ubi forte minus recte lævam extendit, nec eadem hastam uti heic tenet N. 9. *Comes Mediobarbus* p. 107. qui tamen Libertatem prodit dextra elata stolam tenentem cum pileo, cum dextra potius pileum teneat, sinistra hastam ex *Museo Moscardi.* Olim quoque in *Maximiliani Bavariæ Ducis Thesauro* delituit.

NUM. 13.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus TRibunicia Potestate. Caput laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 7.

PAX AUGUSTI. Pax stans dextra ramum oleæ, sinistra cornu copiæ tenens.

De typo & perigraphe simili jam Tab. III. N. 13. egimus. Habent & eundem *Schedæ Morellianæ. C. Mediobarbus* ex Indice *Cavotortæ* p. 106.

NUM. 14.

PAXS AUGUSTI. Pax facem ardentem tenens dextra comburit arma, sinistra cornu copiæ tenet.

Solum attendimus, quod heic PAXS scripta sit singulari modo, in aliis nummis non observando, & face, quam tenet dextra, accendat arma, cum in præcedente ramum olivæ teneat.

NUM. 15.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum lævam versus, uti Tab. I. Num. 11.

PAX AUGusti. Pax stans, dextra ramum olivæ, sinistra cornu copiæ tenens.

Typum jam supra Tab. III. N. 13. & Tab. IV. N. 15. observavimus cum epigraphe eadem; nec est, quod addamus amplius, nisi illos, qui istum jam in lucem protraxerunt, nempe *Albertum Rubenium* in *Nummis Arschotanis* Tab. XXIV. N. 10. *Com. Mediobarbum* p. 107.

NUM. 16.

Aulus VITELLIUS GERMANICUS IMPerator TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 7.

PAX

(a) Revera pingitur cum trophæo apud *Patinum*; de capitis epigraphe non dubito quin conveniat cum Tabulæ præcedentis Num. 22. S. HAVERC.

(b) Discrepat *Meus* in eo quod literæ in parte postica ita scribantur, ut vox LIBERTAS ante Deam, RESTITUTA post eandem collocetur. In antica parte Vitellii caput laureatum versus dextram convertitur, cum globo ad collum, atque hac Inscriptione: *Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator.* S. HAVERC.

PAX AUGUSTI. Miles galeatus ac paludatus lævaque hastam & clypeum gerens parazonioque armatus, dextram porrigit Imperatori togato Vitellio.

De Epigraphe jam dictum Tab. III. N. 13. & 14. Typum saltem observamus, quod nempe heic Vitellius stet, quasi promittens Senatui ac militi sublato Othone perpetuam pacem, aut reconciliatum Senatum exercitui, quem non satis convenisse antea cum isto constat. Vulgarunt jam eundem rariorem ex ære nummum *Fr. Angelonus* p. 73. N. 8. ubi tamen hasta omissa est, quam sinistra simul tenet, & infra S. C. nota, neque parazonium recte satis est expressum. *Car. Patinus* in Nummis æreis med. formæ p. 138. N. 5. rectius, itemque in *Thesauro Mauroceno* p. 95. *Comes Mediobarbus* pag. 106. *Joh. Valens* in rarioribus æreis pag. 27.

NUM. 17.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vitellii laureatum, lævam versus.

PROVIDENTiæ. Ara, sive Templum.

Non legitur apud Autores, utrum Vitellius aram Providentiæ dicaverit, an sacra in Providentiæ Templo fecerit Othone è medio sublato; quod tamen vel ex hoc Nummo hariolari haud vanè licebit, quamvis nihil minus per vitam quam eandem curaverit, nisi ex adulatione Senatus profectum quoque credamus cum *Patino*, Providentiam Augusti in nummis exprimentis, quamvis priori sententiæ inhærere malimus. In lucem protraxerunt jam hunc nummum rarum & elegantem *Comes Mediobarbus* p 106. ex *R. P. Cattanei Museo*, qui ibi uti aram recte in illo afferit, PROVID. tamen tantummodo ipsi adjudicat, forte ob literas non satis legibiles; paulo vero supra ubi ex nummo *Musei sui* PROVIDENT. exhibet, Templum tamen in eo adstruit. *Joh. Valens* in rarioribus æreis p. 27. ex *Museo Illustriss. P. Morosini*, Senatoris Veneti, *Adolph. Occo*, qui pariter cum PROVIDENTIA p. 91. sistit. *Car. Patinus* in Nummis mediæ formæ p. 138. N. 10. itemque in *Thesauro Mauroceno* p. 95. qui utrobique PROVIDENT. rursus communicat infra aram. *Ant. Zantanus* in æreis T. I. N. 3. *Æneas Vicus* in æreis p. 3. qui cum præcedente saltem PROVIDENT. rursus sistunt.

NUM. 18.

Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 9.

SECURITAS Populi ROMANI. Securitas sedens, dextram capiti subjiciens, lævo cubitu sellæ innixa, ante eam ara fumans, ex qua surgit fax ardens.

Securitatem crepat in Nummo *Vitellius*, qui per omne Regiminis sui tempus vitæ suæ tum ab *Othone*, tum à *Flavio Vespasiano* timere habuit. Ita ludunt Augusti vanis titulis, & nemini minus quam ipsis convenientibus. Luci eundem jam exposuerunt *Car. Patinus* in Nummis æreis mediæ formæ p. 138. N. 8. *Comes Mediobarbus* p. 107. ex Indice *Polatio*, credimusque eundem quem paulo supra ex Indice *Patiniano* describit, quasi dextra velum levet, ante vas stet cum face, sed perigraphen addit: SECURIT. P. ROMANI, forte quod omnes legere non potuerit literas.

NUM. 19.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator. Caput Vitellii laureatum lævam versus.

Figura muliebris sedens lævam versus, dextra palmæ ramum, sinistra pateram tenet.

Typum eundem supra Tab. II. N. 28. contemplati sumus, ubi plura jam adlata sunt, in eo saltem discrepare videtur, quod ibi Victoria sedere videatur cum corona in læva, heic vero cum patera, nisi forte etiam corona esse debeat. Hanc figuram *Tristanus* existimat esse Justitiam victoriosam, quam armis Vitellius suis credidit propitiam alatamque hic exhibitam, quod cito vindictam paret crudelitati Othonianæ. Pateram tenet, quod sit inviolabilis, divina & Sacrosancta, quod Vitellius Pontifex sanctam constituerit pacem; Palmam vero præfert, quod sit ista symbolum justitiæ secundum illud *Psalmistæ: Justus ut palma florebit*, aut illud *Johannis Sarisberiensis* Lib. V. Cap. 6. Polycrat.: *Per palmam ergo significatur justitia invincibilis, quæ descensum non novit, sed solum ad superiora processum, unde justus ut palma florebit.* Quo sensu *Tristanum* facile abundare patimur, monentes, forte nec falli illum, qui pro Victoria figuram illam habeat. Nunc addimus eundem vulgatum esse à *Johan. Tristano* pag. 273.

NUM. 20.

Aulus VITELLIUS GERMANicus IMPerator AUGustus Pontifex Maximus Pater Patriæ. Caput Vitellii laureatum, lævam versus, uti Tab. I. Num. 11.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria alata gradiens dextram versus, dextra gestat clypeum, in quo: Senatus PopulusQue Romanus.

Typum eundem vide supra Tab. II. N. 21. ubi jam plura de victoria *Bebriacensi*, de qua Inscriptio hæc interpretanda est. Vulgarunt & hunc *Com. Mediobarbus* p. 107. ex Indice *Patini*, itemque *Car. Patinus* in nummis æreis mediæ formæ p. 138. Num. 3.

NUM. 21. 22. & 23.

Vacant.

Num. 24.

Senatus Consulti Nota intra coronam querneam.

An Senatus gratæ mentis symbolum significare, utpote rebus quietis, & *Othone* debellato? an ejusdem certissimum adulationis signum pro civibus servatis, dare hoc monumento voluerit, incertum; nobis posterius videtur. Debemus eundem *Schedis Morellianis*.

Num. 25.

ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*VITELLIUS GERMANICUS AUGUSTUS.*) *Caput Vitellii laureatum, lævam versus.*

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. (*COMMUNE MACEDONIAE.*) *Clypeus.*

Voce Κοινὸν Commune urbium Macedoniæ indicari & communia Provinciæ certamina, alibi jam diximus, quod & clypeus impressus haud obscure heic indicat. Veroque simile est in Macedonia ludos in Vitellii honorem institutos fuisse, de quibus tamen hactenus nihil apud Autores deprehendere nobis licuit.

Num. 26.

. . . . ΒΙΤΕΛΛ. . . . (*VITELLIUS.*) *Caput Vitellii laureatum, sinistram versus, uti Tab. I. N.* 31.

ΜΕΤΗC. . ΑΡ. . . . . *Æsculapius stans seminudus dextram versus, dextra tenens baculum, quem serpens ambit, adstante ad lævam noctua, ad dextram latus* Τ. *ad sinistrum vero* ΔΕΤ. . .

Quo plures sunt, qui hunc (*d*) Græcum vulgarunt nummum, eo majori obscuritati involutus adhuc cernitur, donec dies luculentiorem detecturus est. Primus sine dubio eundem vulgavit *Octavius de Strada* p. 69. edit. 1618. Francofurt. his circa cum literis ΛΕΤΗΤC. . . . ΑΡ. Ι. ad dextrum latus Τ. ad sinistrum ΑCΤ deorsum, quem examussim sequutus est Autor Historiæ Cæsarum Belgice conscriptæ Parte I. p. 15. sine anno in forma folii editæ. *Du Choul dans son Livre de la Religion des Anciens Romains* pag. 115. eodem modo, nisi quod pro ΛΕΤΗΤC habeat ΑΕΤΗΤC. . . . qua ratione & illum *Ant. Zantanus* sistit in æreis T. II. N. 13. ad latus vero dextrum Τ ad sinistrum ΑCΤ & circa adhuc ΑΡ. Ι.

Num. 27.

ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. (*VITELLIUS GERMANICUS.*) *Caput Vitellii laureatum, dextram versus.*

ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. (*AUGUSTUS MACEDONUM.*) *Clypeus.*

Nullum dubium est, quin hic ipse Nummus ex Macedonia ad nos profectus sit, cum Macedonicum clypeum referat, & occasione ludorum in honorem Vitellii ibidem celebratorum cusus sit. Exhibet enim ille pariter σακὸν δαιδάλεον scutum ingeniosa arte fabrefactum, sive σακὸν πανάιολον, scutum vario ornatu conspicuum, sicuti illud *Hesiodus* nominat in Theogonia sua, agens de Hercule. Sed nescio, quæ mysteria ex hoc nummo velit exsculpere *Joh. Tristanus*, dum reliqua tituli in aversa consignata explicat, quasi indicare voluerint Macedones, se Vitellium præ Othone agnoscere suum Imperatorem, & hoc monumentum obtulisse quasi suo Principi & Patrono. Dehinc quasi innuerint, Vitellium esse suum Augustum, Protectorem & Conservatorem secundum illud *Psalmistæ* Ψ. XLVI. *Principes Populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dei scuta terræ vehementer elevata sunt.* Et Ψ. LXXXIX. *Quia Domini est assumptio nostra*, quæ verba *Dominus Muys*, Professor Ebraicæ Linguæ vertit: *Quia Dominus est clypeus noster, & Sanctus Israël Rex noster*; itemque *Psalmo* XVII.: *Clypeus meus & cornu, salutis meæ propugnaculum.* Scutum præterea symbolum esse protectionis ex Homero & aliis probat. Tacemus, quæ de ingeniosa fabrica clypeorum Macedonicorum ex auro scilicet & argento, & quod *Ælianus* de militaribus Ordinibus instituendis Cap. XII. æreos laudet ut optimos, eosque parum cavos longitudinis octo palmarum, ἀσπὶς μὲν οὖν, scribens, τῶν ἀρίστη χαλκῆ Μακεδονικὴ, οὐ λίαν κοίλη ὀκταπάλαιστος, & an Macedones horum sint inventores fuse admodum disputat, in quo tamen, quod miramur, *Car. Patinum* in de æreis med. formæ pag. 120. habuit sequacem, Nugæ! Eadem inscriptio eodemque modo in Neronis quoque Nummo legitur apud *Patinum* in æreis mediæ formæ pag. 120. Quid vero velit clypeus, supra jam diximus. Magis vero adhuc laborat illius Scriptoris opinio, qui putavit, clypeum Minervæ insculptum fuisse huic Nummo, de quo *Suetonius* Cap. XVII. *Hanc quoque exsuperavit ipse dedicatione patinæ, quam ob immensam magnitudinem clypeum Minervæ αἰγίδα πολιούχου dictitabat.* Et hanc redarguit *Patinus* in *Suetonio* suo Nummis illustrato p. 375. Cave credas vel ipsos Tyrannos aliquid præter heroica consignasse in Nummis, si obscœnos *Tiberii* Nummos exceperis. *Joh. Tristanus* in Commentar. Tom. I. p. 275. & ex eo *Joh. Harduinus* in Nummis Antiq. p. 309.

Num. 28.

Caput Isidis cum loto herba in capite, ante Λυκάβαντος Α. (*ANNO PRIMO.*)

De capite Isidis hocque ipso Numine multa jam in *Othone* attulimus in æreis Num. 8. ubi idem prorsus, uti heic contemplati sumus; quæ ibidem poterunt relegi, nihilque aliud heic indicat, quam Ægyptum patriam, atque Vitellium *Isidis* quoque, perinde ac Otho Imperator fuisse studiosum. Vulgarunt jam hunc nummum *Joh. Vaillant* in Nummis Græcis p. 20. ex *Magni Ducis Museo*. Huc usque *Comm. Schlegeliani*.

Sicu-

(*d*) Vidi plus semel hujusmodi Vitellii nummos, inter falsissimos referendos omnes, quibus caveat quisquam ut credat; *Morellius* picturam *Stradæ* secutus est, ne forte quis credat visum ab illo fuisse bonum & sincerum. S. HAVERCAMP.

Sicuti à nobis factum in Othone fuit, ut doctissimi *Tristani* Commentarium de Vita ejus *Schlegelianis* subjungeremus Commentariis, sic quoque in Vitellio agendum existimavimus. Verba itaque *Tristani* Latine versa, ex Tom. I. Com. Hist. p. 267. hæc sunt: " *AULUS VITELLIUS*, filius *Lucii* „ *Vitellii* & Sextiliæ 24. Sept. A.U.C. MDCCLXVII. „ Romæ natus fuit, sive æræ nostræ anno XVI. „ Druso Cæsare & C. Norbano Flacco Coss. Ætatis anno quinquagesimo quarto vel quinto periit, postquam imperaverat menses sex atque dies duos supra viginti, juxta S. Theophilum, vel juxta alios, octo menses & dies quinque.

„ Adseri de Vitellio facile, haud minus quam de Othone à nobis factum est, potest vitia ejus pravitatemque ex facie ejusdem atque ejus lineamentis totoque corporis habitu elucere. Erat enim statura corporis enormi, carnosus, tardus atque obesus, prominente ventre, atque rubicunda ex adsidua vinolentia facie. Cetera quoque valde indecens, si observaretur, timidus, suspiciosus, sanguini lentus & crudelis, eaque supra modum; insuper contrariis (quod mirum) actus vitiis pari avaritia atque prodigalitate. Avaritiam ejus testantur extorsiones, rapinæ atque bona subditorum injusto modo ad fiscum Imperatoris redacta; prodigalitatem, consumtæ variis conviorum cœnam, prandiorumque generibus incredibilis expensæ, atque enormes singularum cœnarum prandiorumque, quæ vel ipse dabat, vel illi ab aliis præberentur, summæ. Prodigiosam ejus figlinam patinam commemorat *Plinius* Lib. XXXV. Cap. 12. *Vitellius in principatu suo* X. *H S. condidit patinam, cui faciendæ fornax in campis exdæificata erat: quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent, quam murrhina. Propter hanc Mucianus* (is Vespasianum in adipiscendo Imperio egregie adjuvit) *altero Consulatu suo, in conquisitione exprobravit patinarum paludes Vitellii memoriæ.* Sed & argenteæ ejusdem Vitellii lancis mentionem facit *Dio* Lib. LXV. *Patinam quidem unam adparavit, in quam inpendit decies sestertium* (i. e. aureorum nonagies centena millia) *linguis cerebillesque & jecoribus piscium, & quarundam avium, in eam conjectis. Hanc patinam cum fictilis esse non posset propter magnitudinem, argenteam fecit: eaque permansit, veluti res diis consecrata, quousque Adrianus eandem conspicatus, conflari jussit.* Itaque egregius hic Pontifex Maximus non diis sed gulæ suæ atque ventri sacrificasse dici potest, ἀλλ' ἑαυτῷ καὶ τῇ μεγίστῃ γαστὶ δαιμόνων, uti Cyclops ille apud *Euripidem*. Verum neque hæc luxui ejus atque prodigalitati sufficiebant; quum (juxta *Philostratum* Lib. V. Cap. 10.) tot tamque pretiosa unguenta atque lavacra infami suo corpori inpenderit, ut Vespasianum dixisse referant plus unguenti quam aquæ in balneis lavando corpori insumsisse illum helluonem, atque, quum trucidaretur, pretiosi ejusmodi liquoris plus effudisse quam sanguinis. Atque hæc quidem enormia vitia Vitellio fuisse naturalia, vel inde patet, quod eo tempore quo primum ad Imperium venit, nihil dissimulans, majorem luxum atque perditos mores, vir annorum quinquaginta quatuor præ se tulerit, quam quum annos viginti quinque haberet Otho, Neronem vero longe ea in perditione supergressus fuerit. Neroni enim, (ut puto) Othonem gratum fuisse militibus videat, quod Neronianos fuerat imitatus mores. Neroni autem similis Vitellius exstitit tantum crudelitate. . . . .

„ Othoni adfuerant super pulchritudinis gratiam atque blandos mores, industria atque ingenium. Possedit enim quidem Vitellius cuncta Caligulæ, Neronis atque Othonis vitia, verum nihil ex eorum virtutibus traxerat. Vitellio autem (quod nulli ex Imperatoribus reliquis ita competit) humilis fuit animus & maxime abjectus, scurræ instar & vilissimi cujusque hominis, auctorem generis sui referens, quem apud *Suetonium* in Vitellio Cap. II. nonnulli dicunt, *Sutorem veterem maturini* fuisse, *cujus filius sectionibus & cogniturs uberius compendium nactus, ex muliere vulgari Antiochi cujusdam furnariam exercentis filia Equitem Romanum genuerit.* Sed & pater L. Vitellius illi servilem reliquerat abjecti animi atque impudentis, indolem. Inter adulatores Claudianæ aulæ turpissimum exstiterat mancipium. Unde bene de Imperatore A. Vitellio dixisse mihi videtur *Egesippus* Lib. IV. Cap. 26. *Quod nequior superioribus quasi fæx resedisset.* Sed bono Reipublicæ Romanæ breve ejus septem vel octo mensium exstitit Imperium; quod & prædixisse in Sicilia ajunt Apollodorum, nato ibidem post Neronis mortem monstro, tricipiti videlicet puero, quod quum unum modo haberet corpus, significare dixit Philosophus sive Magus, tres uno anno fore Imperatores ut legitur apud *Philostratum* Lib. V. Cap. 4. *Vespasiani autem electio pessum dedit vesaniam stultissimi Vitellii, qui satis tutum prodigis suis voluptatibus credebat Imperium, sublato Othone æmulo.* Unde de eo post cladem exercitus sui, ad Cremonam, scribit *Tacitus* Hist. Lib. III. Cap. 54. *At Vitellius functis apud Cremonam rebus, nuntios cladis occultans, stulta dissimulatione, remedia potius malorum quam mala differebat.* Hæc enim ejus de Vespasiani progressibus dissimulatio accendebat curiositatem Romanorum ut tanto magis inquirerent in rei veritatem, quam stulte supprimi indicto artis silentio credebat Vitellius. Quare ludicra ejus irridebant, valentioremque adversarium timido Vitellio agnoscebant. Oppido ineptum ad belli munia gurgitem illum describit *Tacitus* Hist. Lib. I. Cap. 56. *Sed præcipuum ipse Vitellius ostentum erat, ignarus militiæ, improvidus consilii, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus urgendo trahendive bello modus, alios rogitans, & ad omnes nuntios, vultu quoque & incessu trepidus, dein temulentus.* Infamis itaque monstri ejus pœna properavit alis vecta victoriæ Vespasiani, quam meruerat summo jure Vitellius. Nesciebat enim artes alliciendi homines, quin & intimos amicorum veteresque sodales vario modo de medio sustulerat, plerosque veneno, ut & ipsam aviam honestissimam illa ætare matronam. Quare à cunctis fere derelictus amicis homo crudelis atque ineptus, à militibus quoque & plebe Romana, ex latibulo infami, quo tamquam noxius confugerat serpens, extractus, nudus, quo magis turpitudo hominis cognosceretur, manibus post terga ligatis, per mediam urbem tractus fuit, inter magna rerum verborumque ludibria, reducta coma capitis, ceu noxii solent, atque etiam mento mucrone gladii subjecto, ut visendam præberet faciem, neve submitteret, quibusdam stercore & cœno incessentibus, quum statuas suas passim videret dejici atque confringi, trahereturque vi ad locum ubi Galba occisus fuerat, tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est, & inde unco tractus in Tiberim. Et hic finis vitæ prodigioso Imperatori Vitellio ex-

„ ſtitit, de quo recte dixit *Egeſippus* Lib. IV. „ Cap. 32. *Vina ſimul & ſanguinem fundens, & ructans crapulam, qui ſi diutius vixiſſet, luxuriæ ſumtibus, & pretio menſuram Romani Imperii opes abligurriiſſet.* Opportune

Scilicet hunc populus, juſtæ non immemor iræ,
Inferias miſeri confeſſum miſit Othoni.

„ ut canit *Apollonius* Lib. III. de Excidio Hieroſolymitano."

SEXTILIA VITELLII MATER.

„ Inter Auguſtas haud poſuiſſem Sextiliam, Vitellii matrem, niſi legeretur apud *Tacitum* Lib. Hiſtor. de Vitellio ejuſque matre: *Sic Capitolium ingreſſus, atque ibi matrem amplexus, Auguſtæ nomine honoravit.* Fecit is quod debebat, ſed à matre repudiatum fuiſſe illum honorem ſcribit *Suetonius.* Elogium ejus fœminæ exſtat apud *Tacitum* Lib. II. Cap. 12. *Pari probitate & antiqui moris mater Vitelliorum Sextilia.* Teſtatur quoque *Suetonius*, ægerrime eandem tuliſſe, quod Imperator electus fuiſſet filius, auditoque *Germanici* adoptaſſe nomen dixiſſe: *Vitellium* ex ſe non *Germanicum* eſſe natum. Sic enim adpellari ſeſe paſſus fuerat Vitellius, ut Germanicos, exercitus alliceret. Quamvis igitur præter luctum nihil de fortuna filii habuit, favore tamen Numinis ſingulari ante filii inhoneſtam mortem ex vivis ſublata fuit. Creditur (ut in Vitellii Vita retuli) veneno exſtincta fuiſſe per „ filium, quod ejus actiones haud probaret. Spectare ad eandem honoreſque illi à filio habitos credo hunc, qui apud *Occonem* citatur, nummum pag. 143. MAT. AUG. MAT. SEN. MAT. PATR. S. C. cujus typus eſt, matrona ſedens cum ramuſculo & haſta. Digna ſane Sextilia fuit, honeſtiſſima mulier, quæ ejuſmodi ornaretur titulis."

UXORES VITELLII.

„ PETRONIA, quam exiſtimo filiam fuiſſe *Petronii Turpiliani*, quondam Conſulis, atque per Galbam una cum *Cingonio Varrone* ad mortem acti. Habuit ex illa filium Vitellius nomine *Petronium*; & tamen repudiavit. Eandem dein uxorem ſibi adſcivit Dolabellad, quem propterea interfecit Vitellius; ſed ante Imperium hanc repudiatam crediderim."

„ GALERIA FUNDANA, ſecunda Vitellii uxor exſtitit; titubanti lingua atque impedito ſermone fuiſſe legitur. Filius quoque quem ex eadem Vitellius genuit, *Publius* dictus, parum à muto abfuiſſe traditur; cum patre & patruo fuit interfectus, Vitellius, filiam honorifice elocavit, ſucceſſor Veſpaſianus, ut nos docet *Tacitus* Hiſt. Lib. II. Cap. 12. ubi probitatem Veſpaſiani atque clementiam erga Vitellii amicos laudat, Galeriam vero, Vitellii conjugem, vanam admodum atque ambitioſam fuiſſe mulierem docuit *Plinius* Lib. IX. Cap. 6. & *Dio* Lib. LXV. ſic ut quum auream Neronis domum una cum Vitellio intraſſet, vituperaverit tamquam minus ſumtuoſe inſtructam atque exornatam."

NUMMORUM VITELLII
QUORUNDAM EXPLICATIO
PER
JO. TRISTANUM.

„ *Aulus VITELLIUS IMPerator GERManicus. Vitellii effigies.*

„ (e) *VESTA Populi Romani QUIRITUM.* „ *Veſta ſedens, dextra pateram tenet* „ *læva facem.*

„ Veſta ſellæ tranquilla & ſtabilis inſidens ſymbolum eſt (mea quidem ſententia,) ignis, quem in terræ meditullio collocatum agnoſcunt Pythagorici atque Platonici. *Ovidius* inde etymologiam vocis quærens ex loco ſtabili manſionis Lib. Faſtorum VI. dixit:

„ *Veſta eadem eſt, & terra: ſubeſt vigil ignis utrique,*
„ *Significant ſedem terra focuſque ſuam.*

„ Idem ſubjicit ſtatim magis expreſſe:

„ *Stat vi terra ſua, vi ſtando Veſta vocatur.*

„ Verum detorta nimium hæc eſt etymologia, magiſque ſimpliciter deducitur à Græca ἑστία. Senſus tamen bonus eſt & opinioni Philoſophorum conveniens cum verbis *Timæi Locri*, qui in Libro de Mundo, Terrarum vocat ἑστίαν θεῶν, *focum Deorum*, veluti intendens in medio terræ non modo latere ignem ſed & in medio ſui ipſius foco. Quo itidem pacto commoratio ignis conſtituitur in Orphei Hymnis, ubi invocans ignem, dicit:

Ἡ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστη.

„ id eſt:

„ *Quæ nimis irrequietis habes meditullia flammæ!*

„ Prouti vertit *Scaliger.* Præceſſerat apud *Orpheum*, quod Dii hominesque ſuſtentarentur igni:

„ Ηκα θεῶν μακάρων θνητῶν στήριγμα κρατιστον.

„ id

(e) Vide Tab. I. Num. 6.

„ id eſt:

„ *Huc ades ô Divum hominum conſtans fulmentum.*

„ Sed allegorice, tamquam Poeta loquitur, Deam„ que illam deſcribit ut genium ignis & incitamen„ tum. Adtendamus quæ in Vita Numæ profert „ *Plutarchus*, ubi adſerit Numam, ex *Pythagoræ* tra„ ditione, credidiſſe in meditullo telluris poſitum „ ignem, atque ideo rotundum Veſtæ ædificaſſe „ templum, quod globus orbis rotundus ſit. Vel, „ ut clarius idem adſtruamus, proferamus *Chalci*„ *dii* verba ad Timæum *Platonis* p. 214. *Placet* „ (ut dicit) *Pythagoricis ignem utpote materiarum* „ *omnium principem medietatem mundi obtinere quem* „ *Jovis cuſtodem appellant: per hunc porro moveri*, „ *circumactis in gyrum tanquam ſtellas Terram*, *&* „ ἀντίχθονα; *quare vel intelligendum*, *vel aliquando* „ *veriſimilius medietati mundi adhærentem quieſcere Ter*„ *ram*, *propereaque*, *&* *à Platone*, *&* *à multis* „ *aliis* VESTAM *cognominari* Qua ipſa ratione „ *Platonis* in *Phædro* eſt effatum: *Manet Veſta in* „ *divino domicilio ſola*, ut & ſecundum *Platonem* „ quoque *Chalcidius* p. 269. *Platonem* ait intelligere „ *Veſtam ſolam manere in ſua ſede*, *tanquam animam* „ *corporis univerſi mentemque animæ moderantem cœli* „ *ſtellantis habenas*, *juxta legem à Providentia ſan*„ *citam.* Focum itidem Veſtæ *Orpheus* dixit IV.

„ Ἄστρων ἠελίου τε σεληναίης τε μέρισμα.

„ i. e.

„ *Solis & Lunæ ſtellantis omnipotens pars.*

„ atque adjungit quod inde vires ut naturæ inſer„ viant conſequantur. Quo & adludit Imperator „ *Julianus* Orat. IV. in illa ſua comparatione: „ Ἄσβεστον ἐξ ἡλίου φυλάττουσι φλόγα παρθένοι παρ' ἡμῖν „ ἱεραὶ κατὰ τὰς διαφόρους ὥρας. Αἱ δὴ τὸ γινόμενον ὑπὸ „ τῆς Σελήνης περὶ τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πῦρ φυλάττουσι. „ *Veſtales* (inquit) *per vices ſingulis tempeſtatibus* „ *æternum ſervant ignem à Sole accenſum. Quod* „ *dum faciunt peragunt quod Luna reſpectu terræ;* „ *conſervat enim illa ignem caloremque à Sole receptum*, „ *quod ex ejus humidiate atque frigore colligitur*, *ſine* „ *quibus in terri*: *non pernaneret calor ſolis.* Atque „ ex ea commiſſione (uti *Ptolemæus* in libro de In„ diciis ejuſque Scholiaſtes *Proclus* notant) Luna, „ quæ nobis noſtræque terræ proximior eſt, no„ ſtræ naturæ magis imperat, inque nos ut illi „ proxime ſubjectos magis agit. Quod ſi bene „ animadvertamus, integrum *Julian*: eſſe dicemus „ locum, non vero corruptum, ut quidem doctiſ„ ſimus atque celeberrimus vir exiſtimavit. Quin „ & haud errare videntur, qui Græcam vocem „ ἑστία deducunt ab Hebraica *Eſth*, quum utraque „ *ignem* ſignificet atque innuat, & vocabulum il„ lud Hebraicum unum ex præcipuis ſit quæ Deo „ adtribuantur. Quo ſine dubio adludit *Iſidorus* „ *Peluſiota*, quum Lib. IV. Epiſtola 66. ſcribit, „ quod in S. Scriptura *ignis* qnoque inter Dei ſit „ nomina; atque per *ignem* omnes res divinæ in„ digitentur. Sed & *Martianus Capella* Philoſophum „ agit, quum Lib. X. adpellat Veſtam *Deorum nu*„ *tricem & pediſſequam*, & quæ *Olacem aromatis* „ *perfundebat.*

„ Ratio itaque quod in Vitellii nummis hæc ad„ pareat Dea, prima quidem eſt, ut denotetur ſum„ mus ejus Pontificatus, quo ſuper omnia ſacra „ ut & Veſtales Virgines erat poſitus; deinde „ quod eadem Veſta credebatur ſummam tutelam „ gerere Palladii, unde adpellari in nummo vide„ mus *Veſtam Populi Romani Quiritium*, ſive, *Qui*„ *ritum*; prouti XIV. Hymno *Prudentius* Sanctam „ Agnetam vocat virginem ſervantem Sacra Qui„ ritium, his verbis:

„ *Conſpectu in ipſo condita turrium*,
„ *Servat ſalutem virgo Quiritium.*

„ Erat inſuper Veſta ſymbolum potentiæ perma„ nentis, adeoque æternæ reſpectu, Principum Ro„ manorum, ut obſervat *Artemidorus* Lib. X. Cap. „ 24. Hinc in quibuſdam nummis Roma retro „ adſtans cernitur cum hac Inſcriptione: ROMAE „ AETERNAE. Verum hi nummi rari ſunt, & tan„ tum unum Caracallæ conſpexi. Quod vero ad ad„ pellationem hanc, *Veſtam Populi Romani Quiritium*, „ pertinet, convenit eadem cum conſueta in reci„ piendis Veſtalibus formula ex *Fabii Pictoris* relatio„ ne apud *Aulum Gellium*. Solebat enim hiſce fieri „ verbis: SACERDOTEM VESTALEM, QUAE „ SACRA FACIAT, QUAE JOVIS SIET, SA„ CERDOTEM VESTALEM FACERE PRO „ POP. ROMANO QUIRITIBUSQ: UT EI „ QUAE OPTUMA LEGE FUAT, ITA, TE „ AMATA CAPIO. Leguntur hæc in *A. Gellii* „ Noct. Atticis Lib. I. Cap. 12. & conſuli inſu„ per poteſt Doctiſſ. *Lipſius* in Libro de Veſta „ & Veſtalibus."

„ (*f*) *XVir SACRis FACiundis. Tripus ſa*„ *cer & auguralis*, *cum delphino &* „ *corvo.*

„ Typus hic atque Inſcriptio, quæ in ambitu „ cernitur, ſpectat ad Quindecimvirorum „ ſacerdotium. Habebant illi cuſtodiam atque cu„ ram librorum Sibyllinorum, adque eoſdem per„ tinebat, ſi publice judicaretur utile, inſpicere „ Sibyllinos libros atque conſulere. Habebant iidem „ curam Ludorum Sæcularium, de quibus *Tacitus* „ Lib. II. mentionem facit. Inter illos Quindecimvi„ ros, teſte *Suetonio*, ante Imperium numerabatur Vi„ tellius. Ad corvum atque delphinum quod adtinet, „ de iis *Occo* atque *Hemelarius* ad *Ducis Arſchotani* „ *Numiſmata* ſatis multa dixerunt, ſic ut neceſſe „ non foret aliquid addere, niſi nimis generali„ ter de iiſdem loquerentur. Quare primo loco „ dubitari nequit, quin corvus ſit illa, quæ tripo„ di, à parte inferiore inſidet, avis. Clariſſime „ illud patet ex *Papino Statio* Lib. Theb. III. „ hiſce verſibus:

„ *Non comes obſcurus tripodum*, *non fulminis ardens*
„ *Vector ades*, *flavæque ſonas avis unca Minervæ.*

„ Ut & Onyx à *Gorlæo* vulgatus Num. 13. *Pli*„ *nius* Lib. XII. eandem avem dicit *in auſpiciis ſo*„ *lam habere intellectum ſignificationum ſuarum. Ma*„ *nilius* inſuper aſtrum ejus Apollini dedicatum per„ hibet, ut non inmerito *Ælianus* Lib. I. Cap. 48. „ Ἀπόλλωνος ἀκόλουθον adpellet, id eſt *Apollinis pediſſe*„ *quum.* Confer *Philen* Hiſt. Annal. V. & *Germani*„ *cum* ubi is loquitur de Hydra, ut & *Hyginum*. Sed „ quod ad Delphinum adtinet, male pro ornamen„ to tripodis capit illum *Hemelarius*. Magis vero „ ſimile eſt hic repræſentari, quia & ipſe boni eſt „ ominis, atque navigantibus proſperam naviga„ tionem ventoſque faventes ſignificare ſolet, uti „ ob-

(*f*) Vide Tab. II. Num. 25. inter Aureos & Argenteos.

„ obſervat *Phile* Hiſt. LXV. Delphinum quoque muſica plurimum delectari narrant, & teſtis eſt Arion ejuſque hiſtoria. Transformatum aliquando in eundem piſcem apud *Homerum* legimus in Hymnis ejus fuiſſe Apollinem. Adde *Porphyrium* de non necandis & comedendis animantibus, & *Pollucem* Lib. VIII."

„ (g) *Aulus VITELLIUS IMPerator GERMANICUS. Vitellii caput.*

„ *AEQUITAS AUGuſti S. C. Dea Æquitas, ſive Juſtitia, bilancem & haſtam manibus tenens.*

„ Inſcriptio hæc atque typus tam communes admodum ſunt in nummis Imperatorum, ut credam me debere dicere, quare tam ſæpe in iiſdem occurrant. *Manilius* Lib. IV. magis accurate atque curioſe, quam qui ante illum exſtiterant Romani, Aſtrologiam perſecutus fuit, vixitque ſub Auguſto atque Tiberio, quod ſatis clare ex Carmine ejus patet, quidquid contra dicat *Gevartius*. Is igitur *Manilius* dicit Romam ſub libra fuiſſe conditam, quæ ſcilicet juſtitiæ amorem peculiariter Romanis inſpiraverit; verſus ejus hi ſunt:

„ *Quod potius regat Italiam, ſi ſeligis aſtrum,*
„ *Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,*
„ *Deſignat ſummas, & iniquum ſeparat æquo,*
„ *Tempora quo pendent, cedunt quo noxque dieſque,*
„ *Heſperiam ſua Libra tenet, qua condita Roma,*
„ *Et propriis frenat pendentem nutibus orbem,*
„ *Orbis & imperium retinet: diſcrimina rerum*
„ *Lancibus, & poſitas gentes tollitque premitque,*
„ *Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Urbem.*

„ Quin & æquiſſimos ſeſe juſtiſſimoſque mortalium haberi voluerunt Romani, namque, ut ait *Caſſiodorus* Lib. II. Ep. 32. *Regni decus eſt æquitatis affectio. Ariſtides* quoque in Romæ Encomio, Romanos laudat, ut qui æquitate & juſtitia omnes Orbis univerſi nationes ſuperent. Et hinc verba ſunt *Caſſiodori* ad Gothorum & Italiæ Regem Theodoricum, loco modo citato: *Patimur enim ſuperari ſalva æquitate per leges, & inter arma poſſumus ſemper eſſe victores.* Quibus ſignificat, Theodoricum id cum reliquis Imperatoribus ſibi laudi ducere, quod infra Leges ſit, magna enim eſt Regi victoria legibus ſe vinci ſinere. *Martianus Capella* quoque Lib. II. Æquitatem cum Themide unam facit; miniſtram ſcilicet & conciliatricem Jovi dat, altera manu bilancem, altera frumenti ſpicas tenentem. Et certe Imperii Statuſque omnis gloria à Juſtitiæ dependet adminiſtratione, ab illa vero Pax; *Pindarus* enim Olymp. Ode XIII. Eunomiam, Dicen, & Pacem, filias facit Æquitatis; id eſt, Bonæ conſtitutionis, Legum, Paciſque genetricem dicit eſſe Æquitatem. *Germanicus Cæſar* quoque in Arateis dicit, quod *Heſiodus* eandem filiam faciat Jovis atque Themidis, quod in initio *Juſta*, deinde *Juſtitia* dicta fuerit; à *Nigidio* autem adpellatam fuiſſe *Virginem juſtam* ſive *Æquitatem*, quæ, inquit, nulla eſt alia quam Erigone illa, quæ inter leonem atque libram locum in Zodiaco occupat. Quando igitur dicit *Manilius*,

„ *Quod rerum pondera novit,*
„ *Deſignat ſummas & iniquum ſeparat æquo.*

„ Monetæ ponderationem deſignat, vocem enim *ſummas* de auri atque argenti computatione ſumi debere exiſtimo. Itaque nummi illi, qui à poſtica parte Æquitatem Deam, ſive Monetam, adſcripta epigraphe, MONETA AUG. exhibent, explicationi eorum quæ ante dicta ſunt inſerviunt, atque eo adludit *Euripidis* verſus ex Phœniſſis verſu 544.

„ Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
„ Ἰσότης ἔταξε, κἀριθμὸν ὡρίσατο.

„ id eſt:

„ *Etenim menſuras hominibus & pondera*
„ *Æqualitas ordinavit, & numeros conſtituit.*

„ Neque minus *Caſſiodorus* Lib. II. Epiſt. 16. quum ſcribit: *Quia grave ſcelus eſſe judicamus, aut menſuras modum excedere, aut libram æquiſſimi ponderis Juſtitiam non habere.* Idem Lib. I. Epiſt. 10. *Merito ergo dicitur libra, quæ tacita rerum eſt conſideratione trutinata.* Denique & Lib. V. Epiſt. 39. *Quid enim tam nefarium quam præſumtoribus liceat in ipſa etiam trutinæ qualitate peccare, ut quod eſt juſtitiæ proprie datum, hoc per fraudes noſcatur eſſe corruptum.* Poeta *Manilius* autem (ut ad illum revertamur) quum addit:

„ *Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Urbem.*

„ Romulum Remumque genitos fuiſſe indicat ſub Libræ ſigno (quod & *Plutarchus* in Romuli Vita obſervavit, menſe videlicet Septembri) eoſque Urbi ſuæ primordia ſub eodem Signo cœleſti dare voluiſſe."

„ (h) *Aulus VITELLIUS GERManicus IMPerator. Vitellii caput.*

„ *Senatus Conſulto. Figura muliebris alata, ſedens, dextra pateram, læva palmam tenet.*

„ Exiſtimo figuram hanc alatam, quæ dextra ſacrificale inſtrumentum, pateram, tenet, læva palmam, Victricem Juſtitiam armorum Vitellii deſignare; quodque is ſignari illam fecerit in nummo tamquam ducem belli atque expeditionis contra Othonem, pro vindicanda Galbæ atque Piſonis nece. Sæpe enim Veteres alatam fecere Juſtitiam; quod ex *Æneæ* Sophiſtæ Epiſtola penultima cognoſcere licet. Sed & ante illum alis Deam ornavit *Pindarus*, Od. III. Pyth. & Nem. Sedet in nummo, prouti eandem Jovi adſidere facit *Libanius* in Panegyrico ad Imperatorem Julianum, atque in Oratione ſua de Adſeſſoribus.

„ Et alæ quidem Deæ adtributæ, celeritatem vindictæ Divinæ demonſtrant, celeritatemque ejuſmodi victoriæ Vitelliani in hoc typo collaudant: Ad pateram atque palmam quod adtinet, prior illi ſemper tribuitur, ut demonſtretur Juſtitia res eſſe divina atque ſacroſancta, quam inde violari fas non ſit, quodque Vitellius ut „ Pon-

(g) Vide ſupra Tab. IV. Num. 5. inter Æreos.
(h) Vide ſupra Tab. II. Num. 28. 29. inter Aureos & Argenteos.

„ Pontifex Maximus illam in tranquilla administret pace. Palma autem Justitiæ itidem est symbolum, haud minus quam Victoriæ, canente Psalmista: *Justus ut palma florebit.* quod per hæc verba explicat *Jo. Sarisberiensis* Lib. V. Cap. 6. Polycratici: *Per palmam ergo significatur justitia invincibilis, quæ descensum non novit, sed solum ad superiora processum, unde justus ut palma florebit.*"

„ (*i*) ΟΥΙΤΕΛΛΙΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. (*VITELLIUS GERMANICUS.*) *Vitellii caput laureatum.*

„ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. (*AUGUSTUS MACEDONUM.*) *Clypeus eleganter exornatus.*

„ Depingitur in nummo Σάκος δαιδάλεον, *Scutum ingeniosa arte fabrefactum*, & Σάκος πανάιολον. *Scutum varium*, aut *vario ornatu conspicuum*, prouti ab *Hesiodo* ejusmodi Scutum in Scuto Herculis atque in Theogonia nuncupatur. Quod autem à postica parte nummi titulus *Augusti* (ΣΕΒΑΣΤΟΣ enim ibi legitur) collocetur, qui nomina Vitellii a parte anteriore sequi debuerat, atque præ magnitudine nummi potuerat, id quidem ego non sine latente aliqua causa factum fuisse existimo; fitque mihi verosimile, quod titulum illum cum voce Macedonum conjungere, qui nummum signarunt, voluerint Macedones; ita Vitellium Augustum Macedonum adpellantes, eumque recognoscentes suum veluti Regem, qui reliquis præ Othone hoste imperare debebat; atque hunc titulum præ veteri Regum suorum, qui ΒΑΣΙΛΕΩΝ veniebant adpellatione, elegisse. Et forte Clypeum hunc *Macedonum* adpellarunt *Augustum*, id est defensorem, quem scilicet defensori suo, Augusto, atque conservatori, offerebant. Per metaphoram enim sæpissime Reges tamquam populi scutum sive clypeus considerari eoque titulo adpellari solent. Legitur *Psalmo* XLVI. *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dei Scuta terræ vehementer elevati sunt.* ut & *Psalmo* LXXXIX. *Quia Dominus est assumptio nostra.* quod Hebraicæ Linguæ Professor Regius *Muysius* vertit: *Quia Domini est clypeus noster, & Sancti Israël Rex noster.* atque *Psalmo* XVII. *Clypeus meus & cornu salutis meæ propugnaculum meum.* Clypeus enim protectionis semper fuit symbolum, uti apud *Homerum* & *Nonnium* cognoscitur in persona Achillis & Phlogii; quum & simul forte Macedones in nummo Imperatori Vitellio ejusmodi obtulerint Clypeum, sicuti Epirotæ in nummo hastam, ut in ejusmodi Numismatis explicatione docui. Regum etenim propria fuere insignia clypeus atque hasta; quo spectat illud *Hybriæ* Cretensis apud *Athenæum* Lib. XV.

„ Πάντες γόνυ πεπτηῶτες ἐμοὶ κυνέοντι
„ Δεσπόταν, καὶ βασιλέα μέγαν φωνέοντι.

„ *Omnes in genua procumbentes coram me, adorant.* Clypeus autem hic Vitellio à Macedonibus oblatus aureus atque argenteus & exquisite exornatus fuisse videtur. *Pollux* enim Lib. I. Cap. 2. adnotat quod quum Macedonicum dicerent Clypeum, innuerent ex auro vel argento, aut arte & pretio insignem. Sed & æreos omnium optimos apud Macedones fabricatos fuisse nos docet *Ælianus*, non ille Sophista, sed qui de Militaribus Ordinibus instruendis librum scripsit. Verba ejus Cap. XII. hæc sunt: Ἀσπὶς μὲν ἣν ἐςὶν ἀρίςη χαλκῆ, Μακεδονικὴ ȣ̓ λίαν κοίλη, ὀκταπάλαιςος. i. e. *Clypeus Macedonicus optimus est, ex ære, non multum cavus atque octo in diametro palmarum.* Sic quoque passim in antiquis Macedonum nummis Clypeus ejusmodi conspicitur, uti in *Huberti Goltzii* Græcia, Tabula XXII. ubi silet Commentator ejus *Nonnius*, inexcusabili inertia. Neque tamen primi Macedones clypeorum invenere fabricam, Ægyptiis enim longe ante tributam invenio, atque ab iis recepisse Athenienses, uti nos docet *Aristides* in Minervæ Laude. Sed & idem in Panathenaico passim quinque circulis instructum fuisse ejusmodi Macedonicum Clypeum scripsit, ex quibus exterior circulus reliquis magis auro atque & argento fuerit exornatus. Consuli is locus, sane notabilis, potest p. 171. Præterea, (ut hoc obiter moneam) *Æliani* ille locus in memoriam mihi reduxit, non fuisse (uti credidit *Gesnerus*) Sophistam *Ælianum*, eum qui libros de Animalibus scripsit, sed alium antiquiorem, quod nunc adstruere conabor. Et primo quidem, si is *Ælianus*, qui tam eleganter de Animalibus scripsit, sit idem ille, qui libellum edidit περὶ ςρατηγικῶν τάξεων Ἑλληνικῶν, oportuerit ut is centum & viginti annos vivendo superasset. Vixit enim is sub Nerva & Trajano, cui librum suum dedicavit, non vero sub Hadriano (quod sibi ejus Interpres fuit imaginatus, quod & ex Poematis lectione satis evincitur. *Philostratus* insuper junior nos docet, illum qui de Animalibus scripsit *Ælianum* omnino vixisse sub Heliogabalo, quum scribat: Sophistam *Ælianum* ut plurimum imitari stilum *Dionis Prusæi* (quem omnes sciunt sub Trajano vixisse) & quod audiverit *Pausaniæ* Sophistæ Scholas. Atqui si stilum *Dionis Prusæi* fuerit imitatus, post Trajani tempora scripsit; si vero & *Pausaniam* Sophistam docentem audiverit, Severi atque Caracallæ junior est temporibus. *Pausanias* vero, juxta eundem *Philostratum*, discipulus fuit celeberrimi Sophistæ *Herodis Attici*, qui sub Marco Aurelio atque Commodo floruit, quod si igitur id de *Pausania* verum est, necessario sequitur, quod *Ælianus* ille demum Heliogabali atque Alexandri Severi vixerit temporibus. Idem enim scriptor adnotat, illum composuisse librum Apologeticum contra Imperatorem effæminatissimum, qui paullo ante regnaverat, quod de nullo alio quam de Heliogabalo intelligi posse existimo, utpote qui non Imperatorum modo sed & virorum omnium exstiterit maxime turpis atque effœminatus. Quibus addi potest, nullo modo esse verosimile virum (prouti *Ælianus* ille fuit, scriptor librorum de Animalibus) qui pedem Italia numquam & vix dum schola extulit, tam exactam potuisse habere cognitionem rei militaris, quam in altero illo *Æliano*, qui Tactica scripsit, licet animadvertere.

(*i*) Confer supra Tab. IV. Num. 25. inter Æreos.

EPISTOLA REV. PATR. GRAINVILLII JESU SOCII.

Ad amicum de Nummo quodam Vitellii Imperatoris.

E Memor. Trivult. MDCCIV. Febr. p. 145. *seq.*

VIR PRAESTANTISSIME.

Præsens (*k*) Vitellii nummus haud adeo vulgaris, digniſſimus mihi videtur nonnullis animadverſionibus. Facies ejus adverſa caput Vitellii ſiſtit lauro cinctum cum lemmate: A. VITELLIUS GERM. IMP. AUG. P. M. in averſa vero parte Senator manum porrigit homini armato galea & clypeo, cum Inſcriptione: ADVENTUS AUGUSTI.

Primo. Vitellius hoc in nummo titulum Imperatoris adſumſit, quod tunc proprie ſummam auctoritatem in omnem Imperii exercitum ſignificabat. Neque in aliis quam plurimis nummis Auguſtus cognominatur, quoniam per aliquod tempus hac dignitate non eſt uſus, perinde uti nec poteſtate Pontificis Maximi, quæ Imperatoribus tribuebatur, ut omnibus ac ſingulis tanto magis venerabiles haberentur. Sed utroque titulo Vitellius in nummo meo utitur, ſiquidem ille paulo poſt adventum ipſius in urbem Romæ fuit ſignatus, quo tempore Auguſti & Pontificis Maximi dignitatem atque elogium ſuſcepit.

Secundo. Vitellius, neque in meo, neque in quocunque alio nummo, Cæſaris nomen gerit, quippe nomen familiæ nihil ad ſe pertinere exiſtimans; honeſtior etiam fuit & veritatis amantior, quam ut mentiri vellet, à Jul. Cæſare ſe deſcendiſſe. Splendore familiæ ſuæ contentus, noluit ſibi aliunde majus decus nobilitatemque citra jus & fas mutuari: quod adeo verum eſt, ut ne quidem permiſerit, filios ſuos in nummis, qui ex omni metalli genere quamplurimi hodie ſuperſunt, Cæſares vocari, ſed tantum LIBEROS IMP. GERM. AUG. Quod tamen Veſpaſianus, aliique eum inſecuti Imperatores haud adeo religioni ſibi duxerunt.

Dein quidem Vitellius, teſte *Corn. Tacito*, (*l*) cognomen Cæſaris ſuſcepit: & forſan aliquando in lucem prodibit monumentum aliquod antiquum, *Taciti* teſtimonium confirmans: quamquam hoc ægre mihi perſuadeo. *Imperator enim iſte nimis ſero & omnibus jam exoſus Cæſarem ſe dici voluit, aſpernatus antea, ſed tunc ſuperſtitione nominis, & quia in metu conſilia prudentium & vulgi rumor juxta audiuntur.*

Tertio Germanici cognomen, quo Vitellius hoc in nummo utitur, minime nomen eſt familiæ, ut vir quidem eruditus, neſcio qua ratione, contendit. Nam ut omittam, quod neutiquam appareat, eum eſſe familiæ celeberrimi Druſi adſcribendum, qui Germanici nomen in poſteros propagavit, nummi nobis ſuperſunt, nec pauci illi, cum hac Inſcriptione: A. VITELLIUS IMP. GERM. AUG. &c.

Num vero uſquam nummi primorum Imperatorum reperiuntur, qui nomen familiæ in medio poſt titulum Imperatoris habent inſcriptum? Num dignitatis elogium, quale eſt hoc Imperatoris, duobus familiæ nominibus interpoſitum cernimus? Sexcenties occurrit: *Nero Claudius Imperator. Imperator Nerva Trajanus Auguſtus &c.* nunquam autem: *Nero Imperator Claudius*, aut *Nerva Auguſtus Trajanus*. Neutiquam ſane, ordo enim naturæ & ratio repugnat; quæ jubet dignitates homini, non hominem dignitatibus adjungere. Atque hæc ipſa fidem mihi faciunt, Galbam, cum Cæſaris nomen ſuſcepit, non cognomen familiæ, ſed dignitatis titulum adſciviſſe, ſiquidem nummi ipſius nonnulli hanc præferunt inſcriptionem: SER. GALBA. IMP. CAESAR AUG. Et *Corn. Tacitus* de Vitellio: *Præmiſit in urbem edictum, quo vocabulum Auguſti differret, Cæſaris non reciperet, cum de poteſtate nihil detraheret.* Cæſaris itaque nomini per ſe adjuncta erat potentia ſimilis forſan ei, quam Julius Cæſar exercuit. Interim tamen pro certo affirmare non audeo, quod inſecuti Imperatores hanc diſtinctionem ſemper obſervaverint.

Sed ut redeam ad Germanici, quod Vitellius geſſit, cognomen, haud adeo adſpernanda ſunt verba *Suetonii*. Potius hoc addendum eſſe exiſtimo, non ex ſola adulatione cognomen illud proveniſſe; ſed admodum eſſe veriſimile, quod Imperator, cum ad fines Rheni cum exercitu in Germaniam appuliſſet, de Germanis victoriam quandam reportaverit. Nummi ſaltem hoc nobis ſuadent, quorum alii, in averſa facie GER*maniam* exhibent CAPTAm; alii VICTos GER*manos* à Victoria clypeo inſcriptos.

Hanc

(*k*) Vulgatus fuit hic nummus Vitellii ex ære medio inter *Numiſm. Arſchotana* Tabula XXIII. Num. 22. & deinde apud *Jacob. Oiſelium* Tab. XC. Num. 5. & *Joach. Oudanum* Tab. XCIII. Num. 5. Sed de fide ejuſdem nummi valde dubito, nam neque recenſetur apud *Vaillantium*, & ſcio falſis & fictitiis nummis multis abundaſſe *Numiſmata Arſchotana*. S. HAVERCAMP.

(*l*) Lib. III. Hiſtor.

Hanc victoriam fortaffis haud adeo infignem judicarunt Hiftorici, ut mentionem illius facerent; fed nummorum movente adulatione accuratior fuit diligentia.

Si quis in animum fibi induceret, ut factum à nonnullis videtur, Vitellium Imperatorem nunquam Romæ fuiffe, quicquid etiam dicunt Hiftorici; fed in finibus Germaniæ atque Italiæ fubftitiffe, ut hos Imperii fines tueretur, folus hic nummus erroris eos convincere valet. Hic enim in averfa facie ADVENTUM AUGUSTI prodit. Nulla fiquidem jufta dubitandi ratio eft, verba hæc de adventu Vitellii in Urbem Romam effe intelligenda. Nummis fane teftibus conftat, quod quam folemnibus lætitiis hæc Metropolis Orbis adventantes è longinquo Imperatores exceperit, publica fefta inftituerit, vota nuncupaverit, atque percufferit nummos cum lemmate: FORT*unæ* RE*Duci*, ac fi Imperator fortunâm Urbis atque terrarum fecum attuliffet, vel cum hoc: NEPT*uno* RED*uci*, velut gratias habitura Deo, qui appellentem Auguftum per mare falvum fervaffet; communiter autem ADVENTUS AUGUSTI in iis fignabatur. In nummis quippe Latinis folus adventus Imperatoris in Urbem Romam celebratur, in qua tanquam in meditullio Imperii fedem figere illum oportebat, & omnia erant in provinciis pacata, cum ipfe tranquille Romæ commoraretur. In aliis autem urbibus, veluti per tranfitum & incognitus verfabatur, quam ejus commorationem haud operæ pretium erat notare, veluti perbrevem atque exigui momenti, cum è contrario Roma tanquam ex centro Auguftus per omnes Provincias auctoritatem fuam extendere, & cum illis communicare poterat: perinde fere ac in nummo alio FROFECTIO*nem* AUG*ufti* notarunt, quæ non ex alio loco, quam Roma eft intelligenda. Hæc adeo vera funt, ut, cum adventum Imperatoris in aliam regionem commemorarunt, hanc femper (*m*) in nummis exprefferint, quod clariffime confirmant numifmata *Hadriani*, in quibus legitur: ADVENTUI AUG. ACHAIAE. ADVENTUI AUG. AFRICAE. &c. Neque ipfamet Italia hic excipienda eft, quam ab Urbe Roma hac ratione diftinguebant. Nam cum de illa fermo eft, legitur in nummis ADVENTUI AUG. ITALIAE, cum vero de hac: ADVENTUI AUG. Hoc fatis quippe erat ad fignificandum Imperatoris in Urbem adventum.

Sufficit igitur & hoc ad perfuadendum, (quod in tranfcurfu notare juvat) quod Nero poft Græcum iter Romam redierit, licet vir quidam eruditus longe aliter fentit. Nifi vero ad Hiftoricos ejus temporis liceret provocare, qui difertiffimis verbis reditum ipfius commemorant, folus hic nummus de eo nos convincere poffet. Adverfa ejus facies Neronem fiftit cum Infcriptione: NERO CAESAR AUG. GERM. in averfa vero parte navis cernitur additis hifce litteris: R. ADVENTUS AUGUSTI G. P. (*n*, hoc eft, *Romam in Urbem Adventus Augufti Græcia peragrata.* Navis autem apponitur, quoniam mari Nero appulit.

Quinto. Res quidem eft haud contemnenda; quod nummi fidem faciunt Hiftoricis; at nummus meus infervire etiam poteft ad differentiam inter *Suetonium* & *Tacitum*, duos Scriptores graviffimos, dijudicandum. Prior de Vitellio Cap. XI. inquit: *Urbem ad clafficum introiit paludatus, ferroque fuccinctus inter figna & vexilla.* Pofterior autem: *Ipfe Vitellius à Ponte Milvio infigni equo, paludatus, accinctufque Senatum & populum ante fe agens, quo minus ut captam Urbem ingrederetur, amicorum confilio deterritus, fumpta prætexta & compofito agmine inceffit.* En duos egregios fcriptores invicem diffidentes, utri horum affentiemus?

Doctiffimus *Oifelius Taciti* auctoritatem *Suetonio* præferre videtur, quoniam togatum in nummo Senatorem ipfum effe Vitellium, alteramque figuram in armis Romam putat Amazonis habitu indutam, quæ in finum fuum fufcipit Imperatorem. Hanc viri præftantiffimi interpretationem probare non poffum. Figura enim armata primo ftatim afpectu nequaquam Amazonem vel aliam quamcunque mulierem præ fe fert. Pugio ei heic tribuitur pro Amazonum bipenni: ejufque veftitus brevior eft & fuccinctior, quam ut Deæ cuidam convenire poffit. Sæpiffime quidem Romam Victricem in nummis cernimus, fed haftam femper vel haftulam, nunquam vero pugionem manu tenentem, togaque indutam, non paludatam. Nummus aureus, in quo adventus ille Vitellii repræfentatur, Auguftum hunc equitantem totoque corpore armatum fiftit. Nulla igitur ratione dubitare licet, Vitellium in hanc Imperii Metropolin introiiffe armatum, nummi enim diferte hoc in capite pro *Suetonio* faciunt. In *Taciti* autem gratiam & ad conciliandum aureum nummum cum æreo, hæc faltim afferri poffunt, quod Vitellius Ponte Milvio confcenderit equum, at prope portam Romanam precibus amicorum, quo minus ut captam urbem ingrederetur, defcenderit, atque (ufque quaque tamen armatus) pedes iverit in Capitolium. Sic illum quidem & equitantem & peditem repræfentare potuerunt Romani, fed armis femper indutum.

Integrum tibi per me erit, alias quaslibet in hunc nummum obfervationes adjungere. Saltim hæ fufficiunt, ut appareat, eum effe digniffimum confideratione.

(*m*) At nummus *Diocletiani* apud *Begerum Thefauri Brand.* Tomo II. p. 77. 9. occurrit cum hac Infcriptione: FELIX ADVENT. AUGG. NN. cum mulier tamen in eo probofcide exornata in Africa & Carthagine quidem Imperatorem adveniffe teftatur. Quod pluribus contra *Illuftriff. Mediobarbum* probat loco citato *Begerus* præftantiffimus. CHR. SCHLEGEL.

(*n*) Infantiam fuam in Nummis explicandis prodit auctor, dum nefcit ejufmodi Neronis Nummos ad Coloniam Patrenfem pertinere. SIG. HAVERCAMP.

RE-

RESPONSIO MOISSONIERII AD HASCE GRANVILLII LITTERAS.

E Memoriis Trivult. MDCCIV. Decemb. p. 402. seqq.

REVERENDE PATER.

Nummus utique tuus Vitellii perrarus eſt, & dignus eruditis pleniſque ingenii animadverſionibus, quas in *Memoriis Trivultianis menſe Februario anni MDCCIV.* luci expoſuiſti. Sed raritatem maximi ex ære nummi ejuſdem Imperatoris, quem paucis abhinc menſibus feliciter erui, neutiquam attingit. Contendis, Vitellium ex incuria aut modeſtia in nullo nummo Cæſaris elogium adſumſiſſe, aut adſumtum nimis ſero ſibi omnibus jam exoſo adſciviſſe. Pace tua, Pater Reverende, affirmavero, omnes Imperatores, Galbæ & Othonis exemplo, ſaltim ad Poſtumum uſque, quamquam minime fuerint è Juliana familia, hoc ſibi cognomen attribuiſſe, veluti ſignum ſummæ in Imperio dignitatis & potentiæ. Ab his excipere Vitellium videris: (o) At nummus maximi moduli, modo à me memoratus, contrarium teſtatur, mihique perſuadet, *Tacitum* ſumma fide notaſſe, quod Imperator iſte recuſaverit nomen, quod poſtea recipere non dubitavit. In illo, quem dixi, nummo circa caput Vitellii lauro cinctum hæc leguntur: VIT. CAESAR IMPERATOR PONT. PPP. E. SEMPER AUGUSTUS. In averſa vero facie Senator exſtat ſiniſtra caduceum tenens, dextramque porrigens feminæ, abundantiæ cornu gerenti, cum lemmate: CONCORDIA AUGG. & in area litteras S C.

Omiſſio Germanici confirmat tuam ſententiam, quod elogium hoc non ſit nomen familiæ. Magnitudo hujus nummi, cujus diameter eſt binorum pollicum & ſeptem linearum, craſſities linearum trium; cognomen Cæſaris; averſa facies, quæ Vitellium Senatoris habitu clariſſime repræſentat; & pulchritudo Operis rarum eum & ſingularem reddunt. Etiamnum in nonnullis hujus Imperatoris nummis CONCORDIA EXERCITUUM, CONCORDIA PRAETORIANORUM, CONCORDIA AUGG. legitur; perinde ut in nummis Galerii, Fauſtinæ, Aquiliæ, Septimii & Alex. Severi, Caracallæ, Getæ, Juliæ Paulæ, Tranquillinæ &c. In quibus nonnullis facies averſæ cum altera facie maximi hujus mei nummi admodum conveniunt.

Hoc antiquitatis monumentum integrum adhuc eſt, nulla parte nec deformatum nec corruptum, licet plus quam in triginta locis ferra ſit notatum ab eo, qui primus illud detexit, ad probitatem metalli cognoſcendam. Imperitus etiam iſte diu hoc pro calculo eſt abuſus, adeo ut ſingulari fortunæ beneficio integer remanſerit. Neque dubitandum eſt, averſa ejus facie repræſentari Vitellium cum Galeria Fundana, altera ipſius uxore. Quæ circumſtantia eo majorem addit numiſmati raritatem, quo minus nummi hujus Auguſtæ cogniti ſunt. Et argumenti inſtar eſſe poteſt, huncce Imperatorem minime cognomen Cæſaris eo tempore aſſumſiſſe, quo omnibus erat exoſus, quoniam Senatus per hunc nummum maximi moduli voluit Vitellio adulari, ac ſpondere numeroſam poſteritatem ſucceſſuram ei in Imperio, aut hac ſpe implere hominum animos, atque de concordia Imperatoriæ familiæ certiores reddere. Ceterum, quod ingenue fateor, verſari me video in oppido, in quo pauci ſunt antiquitatis ruſpatores, atque ubi nemo de hoc genere eruditionis niſi proprio Marte inſtruitur. Si mihi liceret, Te, Reverende Pater, ſubinde adire, tibique μαθητεύειν, forſan mea in ſuppellectile alia inſuper monumenta exquiſiti generis reperirem non pauca, quæ Tibi haud injucunda conſideratu fore crederem, & de quibus tuum lubenter audirem judicium. Interim ſincere me profiteor

REVERENDE PATER

Clariſſimi nominis Tui
Cultorem deditiſſimum.

(o) Fruſtra de hoc nummo lætatur poſſeſſor, æque falſo & adulterino ut is qui præceſſit. S. HAVERC.

Huic

Huic Epiſtolæ Clariſſimi collectores

Memoriarum Trivultianarum hæc ſubjecerunt:

Reverendus *Pater Grainvillius*, ad quem *Moiſſonierius* præſentem ſuam reſponſionem miſerat, illum ipſum maximi moduli nummum falſum eſſe contendit, has ob cauſas: I. In genuinis nummis Imperator ſemper inſcribitur A. VITELLIUS, ut eo diſtinguatur à fratre L. VITELLIO. II. Compendium litterarum inſolens eſt, ſiquidem in genuinis numis aut VITELLIUS integre, aut VITELL. invenitur. III. Nunquam IMPERATOR*is* vocabulum occurrit integrum, nomine præſertim proprio decurtato. IV. Auguſti vocabulo nuſquam eo ſaltem tempore ſubjicitur PONTIFEX omiſſo MAXIMI elogio. V. Quid ſibi volunt tres litteræ PPP.? VI. E litteram in Imperatorum nummis numquam ita ſingulam reperimus. VII. SEMPER AUGUSTUS genium ſæculi illius minime ſapit.

Hæ ſunt objectiones Rev. *Patris Grainvillii* adverſus maximum nummum *Moiſſonierii*, ad quas Vir iſte eruditus haud dubie eſt reſponſurus. Quod publico etiam nomine ab eo efflagitamus, nec minus ut alia rariora cimelia vel per nos benigne cum eo communicare ne dedignetur.

Quod dum exſpectamus, nolumus ſane de veritate, falſitateque antiqui monumenti, nobis haud viſi, ferre ſententiam. Interim argumenta à *Rev. Patre Grainvillio* objecta, non ita comparata ſunt, ut omni exceptione majora eſſe videantur. Primo enim per litteras PPP. & quæ illas ſequitur E, poteſt innui PATER PATRIAE, PATER EXERCITUUM. II. Nonne Vitellius à fratre titulis ſuis ſatis diſtinguitur? III. Contendit SEMPER AUGUSTUM non ſapere genium ſæculi Vitellii, ſed nullum hujus ſcientiæ ſuæ attulit documentum Vir Reverendus. IV. Reliquæ, quas proponit, difficultates ad ſolemne illud argumentum quorundam Antiquariorum reducuntur: Hoc in aliis nummis haud reperitur, ideo nummus, qui illud habet inſculptum, falſus eſt. At ſane num argumento huic vel minimum ineſt ponderis? Nobilne omnes nummi veteres adhuc reſtant? Nonne inſcriptio ab aliis diverſa primum occurrere in numo quodam debuit, ante quam ſimilis aliqua uſquam alibi fuit obſervata? Nonne veri videtur ſimile, quod tunc perinde ut etiamnum noſtra ætate nummorum ingenium, magnam partem dependerit ab imaginatione eorum, qui erant auctores, ab ingenio, ſtudio ac reſpectu, negligentia vel imperitia monetariorum?





TABULA I.
CONTINENS
CAPITA
IMP. FLAVII VESPASIANI.

Num. I.

IMPerator VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

Quod soliti sumus Vitam brevemque Imperatorum Historiam, ex Gallico idiomate Latine versam, eorundem nummis præfigere ex eruditissimi *Joh. Tristani* Domini *Sanctamantii*, descriptione, etiam nunc in Vespasiani faciemus. Verba ejus ex Tom, I. Comm. Histori fere hæc sunt: " VESPASIANUS filius „ exstitit *T. Flavii Sabini* & *Vespasiæ Pollæ*; Phalacrinis (prædio quodam Reatino in agro Sabino, „ qoud Falacrium adpellat Antoninus) natus fuit, 30. „ die Decembris A. U. C. 761. Salutis nostræ „ X. sub Imperio Augusti, Coss. Quinto Sulpicio „ Camerino atque Poppæo Sabino. Obiit A. U. C. „ 830. Salutis nostræ LXXIX. anno ætatis LXIX. „ postquam imperasset annos novem, menses undecim atque dies XXII.

„ Statura Vespasianus fuit mediocri atque quadrata, robustus membrisque bene compactis, „ bona valetudine, vultu militari magis quam aulico atque adulatorio, quippe martialem vultu atque corpore simul præferebat animum. Naturale tamen in vultu quiddam habebat tamquam „ nitentis, unde venuste dicebat *Martialis* eundem vultum habere cacantis. Exstitit autem „ vir animosus, constans, vigilans, sobrius, prudens, & cordatus; militibus gratus, consilio „ manuque bonus; cujus rei specimem in Britannia edidit, ubi plurima per se æterna laude „ digna gessit. Verum Judæa subacta captaque „ Hierosolyma, tantum nomini ejus adtulerunt decus, ut Imperio Romano præ cæteris multis dignus fuerit habitus. Et quamvis his suis „ virtutibus eligi Imperator meruerat, Vitellii „ tamen vitia atque turpitudinem causam electionis atque Imperii habuit. Quamvis autem ipse „ ignobili satis esset domo, Fortuna tamen & Virtus, junctis manibus, dum Vespasiano favent, „ Imperium Romanum servarunt, quod jam per „ bella civilia & infamiam Tyrannorum trium „ quatuorve, prædæ videbatur futurum Barbaris, „ atque contemtui Regibus fœderatis. Unus tamen „ Imperatorum, Nero scilicet. testimonium jam ante „ virtutis, existimationisque suæ, Vespasiano præbuerat, ut idoneo maxime ad bellum Judaicum, „ hisce verbis: *Vespasianum solum esse cui summa „ militiæ Orientis in partibus jure committeretur, virum ab adolescentia militiæ triumphalis inveteratum „ stipendiis, qui inpacatas Gallias Germanorum tu-*

„ *multu*

multu, & ferocia geminæ temeritatis in bellum relapsas, pace diuturna composuerat, Britanniam quoque inter undas latentem Romano Imperio armis acquisiverat, cujus triumphatæ gloria Roma ditior, Claudius consultior, Nero fortior æstimabatur. Quæ leguntur apud *Egesippum*, vel potius *S. Ambrosium* Lib. III. Cap. 1. Magno itaque Reipublicæ bono Imperium Vespasiano commendatum fuit, ejusque de Vitellio victoria salus publica exstitit. Quod eleganter subindicare videtur *Q. Curtius* Lib. X. De Vespasiano enim illum loqui existimo in pulchro illo longoque elogio, quod ibi per digressionem inserit, quodque ita incipit: *Proinde jure meritoque Populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, &c.* Neque enim unquam ipse ejusmodi fortunam sperare potuerat, licet pluribus illi præsagiis præsignificatam. Unde quum legiones simul Syriacæ, atque quæ illi suberant in Judæa, ipsum (ut notat *Apollonius* Lib. III.) proclamassent Cæsarem, erubuit insueto honore; atque dubitavit num auribus suis crederet, uti scite indicat is Poëta hisce versibus:

,, *Tollitur ad cælum clamor, dextraque patenti*
,, *Certatim jurata fides, persolvère grates*
,, *Ipse verecundo conatur Flavius ore,*
,, *Jamque salutatus, vix nomen credulus audit*
,, *Cæsareum,* —— ——

,, Ceterum primus inter Imperatores exstitit, ad Severum usque, qui meruerit Imperator eligi propter fortitudinem insignem, virtutem, moderationem, bonamque famam, quique ex se natis reliquerit Imperium. Quin & ipse Severus Imperator factus est contra Senatus voluntatem, qui tandem vix vi coactus consensit. Avaritiæ tamen fama laboravit. *Tacitus* de illo dicit, quod, uno avaritiæ vitio excepto, optimis par exstiterit Principibus. *Quintilianus* illum, in Dialogo de Oratoribus, adpellat *venerabilem & veri patientissimum Principem.* Verum inter illos, qui hoc crimine Vespasianum vituperant, nimis severam censuram (non semper bonus Censor) exercet *Julianus* Imperator, dum illum, ut senem depravatum, avarum, atque tenacem describit. Mea sententia talis quidem non fuit Vespasianus qui liberalitatem promiscuam erga omnes qui meruisse Cæsaris benevolentiam crederent, exercuit; verum eo is tempore ad Imperium pervenit, quo per præcedentes Cæsares exhaustum, expilatum atque perditum erat; quidquid fisco & ærario ex reditibus annuis accesserat; unde judicavit pro melius constituendo Imperio præstare publicam pecuniam insumere in sublevandis provinciis, urbibus restituendis, tum porticibus aliisque publicis operibus ædificandis, instaurandis viis, atque exstruendis, ubi opus foret, pontibus. Nihilominus salaria legitur annua constituisse Oratoribus Græcis & Latinis, quod primum ab illo Principe institutum haud leviter ad gloriam ejus pertinet. Poëtas quoque, Pictores, omnesque qui decori atque pretio artium liberalium quid adderent, in honore habuit. Neque sane exigua ejus fuit liberalitas erga Poëtam sui temporis nobilem, Salvium Bassum, de quo in Dialogo de Oratoribus hæc *Quintilianus* scripsit: *Laudavimus nuper ut miram & eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset.* Quæ sane ostendunt à natura illi insitam fuisse liberalitatem; sicuti & honori eidem fuit, quod quamvis literis non valde eruditus, tamen prudentia naturali superaverit qui ante illum exstiterant Imperatores. Unde videtur ab *Eutropio* atque *Suida* celebrari tamquam præ cunctis Imperatoribus liberalis, quod scilicet intelligunt de bene collocata liberalitate, dum recte subduceret domus suæ administrationem, eaque quæ ad Imperatoris pertinerent aulam; neque inutiliter profunderet largitiones, liberalis sane in concedenda universæ Hispaniæ jure (quod tum inprimis magnum habebatur beneficium) civitatis Romanæ, sive, ut *Plinius* Lib. III. Cap. 3. docet, jure Latio. Quod ad me adtinet quum ædificia ab illo excitata, templa superbissima, restitutas urbes, viasque stratas recordor, adtonita mente in admirationem rapior, quomodo decem annorum spatio, quibus imperavit, tot relinquere monumenta suæ liberalitatis potuerit; præcipue si adtendamus ad inmanes profusiones ante sub Caligula, Claudio, Nerone & Vitellio factas. Neque enim modo legitur exstruxisse, Templum Pacis, quod inter omnia Romæ Templa sumtuosissimum atque magnificentissimum fuit; verum, uti testatur *Chronicon Alexandrinum*, totam fere Antiochiam ex ruinis excitavit, in quas pulcherrima illa urbs collapsa fuerat. Posuit ibi æneos colossos Cherubinorum atque Seraphinorum, quos Titus in Templo Hierosolymitano, à Salomone ibidem constitutos invenerat; inposuit eosdem columnis æneis cum quatuor tauris ad locum ubi steterunt Hierosolymæ conversis, quos Lunæ dedicavit, quia (uti addit ejusdem libri Auctor) ad Lunæ splendorem lumenque urbem illam ceperat. Diruta quoque ibidem (sicuti porro sequitur) Synagoga Judæorum, excitavit eodem in loco superbum theatrum Daphnense, erecta ibidem statua sua marmorea. Quin & magnificentiæ ejusdem testis exstat hæc Inscriptio apud *Gruterum* p. 154.

,, IMP. CÆS. VESPASIAN.
,, AUG. P. MAX. TR. P. II.
,, IMP. VII. COS. III. DESIG. IIII.
,, P. P. VIAM A CAPPARA URBE
,, AD EMERITAM USQUE AUG.
,, IMPENSA SUA RESTITUIT
,, LXXIII.

,, Quæ quidem Inscriptio lucem adfundit loco *Aurelii Victoris* quo hæc leguntur: *Viæque operibus maximis munitæ, & cavati montes per Flaminiam prono transgressu* &c. Quibus omnibus non obstantibus Græculi Vespasianum odere veluti avarum atque tyrannum, quod Nero, dum apud illos commoratus fuisset, ludis jocisque atque ostentatione artis suæ, citharam pulsando atque canendo, placuisset Græcis; quod & simul Græciam libertate donasset, Vespasianus autem, datam à Nerone libertatem illis abstulisset; utpote damnosam reditibus Imperii Romani. Unde *Apollonius Tyaneus*, qui censorem sui temporis Principum agit, atque arbitrum sese facit eorum quæ commoda vel incommoda Græciæ populis (sicuti jam ante de Nerone agens, dixi) tres epistolas ad Vespasianum scripsit, in quarum prima quidem recusans venire ad Imperatorem, pro ratione adferens, Græcum sese delectari haud posse

„ cum illo agere qui Græciam adflixerat, interrogat, num quod Græciam sub jugum servitutis miserit, credat se Xerxe majorem esse. Falli eundem & nescire ipsum longe infra Neronem esse, qui quum æque quod Vespasianus fecerat agere posset, fecisset liberam ludens canensque, Vespasianus vero Imperatorem serio agens illam libertate spoliasset. Adde *Eusebium* Libro primo contra Hieroclem. Defenditur autem Vespasianus fecisse quod æquum erat, ubi ad Imperium pervenit, variis ejusdem æquitatis moderationis atque justitiæ documentis & exemplis. Nam ne ipsos quidem Judæos, postquam illos subegit, privilegiis atque juribus suis privavit, uti observat nosque docet *Josephus* adductis in medium exemplis Lib. XIII. Cap. 3. Quin & nullam contra Christianos movit persecutionem, quamvis instigatus à nonnullis, ut Deorum ulcisceretur contumeliam; respondisse enim fertur: *Non est justum ut Deos vindicemus, sed ipsi se ipsos de inimicis suis ulcisci possunt, si volunt irasci*, prouti observavit Imperator *Divus Antoninus* Parte prima, Titulo IV. Cap. 26. qui grande ibidem justitiæ, integritatis, clementiæ atque virtutis elogium dat Vespasiano. Quod si jure quid in illo velimus carpere duo esse possunt; severitas videlicet nimia in morte plectendis Julio Sabino atque egregia ejusdem uxore, heroica plane fœmina, Peponilla, sive Eponina; quæ maritum, fugientem olim eos qui ipsum rebellionis caussa persequebantur, atque quærebant ut interficerent, comitata fuerat. Ille enim Julius Sabinus, qui ferebatur vulgo à Julio Cæsare genus trahere, à suis (uti observat *Dio*) Cæsar fuerat salutatus, adeoque capitis reus, quod ad Imperium adspirasset. Secuta maritum infelicem uxor cum illo per novem decemve annos in spelunca latuerat, ibique duos filios ex eo conceptos educaverat. In lucem protracti nullum veniæ locum apud Vespasianum invenerunt; atque inexorabilem precibus atque memorandi casus periculo invenerunt Principem. Hanc illorum infelicium mortem pronunciat in Eroticis suis *Plutarchus* (tamquam si præsens in Deorum adfuisset concilio) fuisse caussam, quod exstirpata fuerit omnis Vespasiani familia. Sed rectus rerum æstimator, si rationes ineat sobrie, atque cogitet quale periculum fuerit Vespasiano, post stabilitum Imperium in sua Domo, exstinctis adversariis, quum ipse humili ortus esset domo, conservare majestatis reum Sabinum, qui ex Divo Julio genus ducere ferebatur, & præterea filios ejus, veluti miraculo in spelunca educatos, facile dabit manus, atque confitebitur mecum, coactum fuisse ratione politica Vespasianum, contra mansuetudinis innatæ indolem, de medio tollere illos, neque ullis aurem præbere precibus, ut ipse & sui liberi tuti agerent. Fuit enim natura tam mansuetus, ut lacrymas tenere non potuerit (juxta *Philostratum* Lib. V. Cap. 2.) crudeles Neronis actiones intuens. Sed & de illo scribit *Suetonius* Cap. XV. *Cæterum neque cæde cujusquam unquam lætatus est, justis suppliciis illacrymavit etiam & ingemuit.* Quæ naturalis in illo clementia quoque manifeste adparuit, quum Alexandrinis, qui statuas ejus everterant, culpam condonavit; quam ejus clementiam laudibus extollit *Libanius* in Oratione ad Theodosium pro Antiochenis. Alterum quod illi objici posset vitium est, quod Concubinas habuerit, quodque *Suetonius* & alii in illo culpant. Sed haud difficile hoc in Vespasiano excusari meretur, ut homine pagano, quique noluerit adultis liberis, novercam superducere, ne inde, si & ex alia uxore sibi nascerentur filii, quandoque civilia orirentur bella. Mortuus tandem est ex profluvio alvi, postquam etiam in morte constantiæ Imperatoriæ documentum dedisset, *alvo enim repente* (ut *Suetonius* scribit Cap. XXV.) *usque ad defectionem soluta, Imperatorem ait, stantem mori oportere. Dumque consurgit, ac nititur, inter manus sublevantium exstinctus est.* In Deorum numerum relatus fuit non alia ratione, quam adsignavit illi vivo etiamnum honorem illum *Plinius* Lib. II. Cap. 7. verbis hisce pulcherrimis: *Deus est mortali juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac Proceres iêre Romani, hac nunc cœlesti passu cum liberis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens.*

FLAVIA DOMITILLA,
VESPASIANI UXOR.

„ FLAVIA DOMITILLA, Vespasiani uxor, filia fuit Flavii Liberalis, genuit ex illa Vespasianus Titum, Domitianum, atque Domitillam. Ante maritum Imperatorem factum vita cessit. Nummi ejus cum consecratione, facta à filiis Tito & Domitiano, sunt superstites. Testatur illud & Inscriptio hæc apud *Gruterum* p. 366.

„ ASCONIAE C. F. AUGURINAE
„ SACERDOTIS DIVAE
„ DOMITILLAE.

„ Cui adjungi potest *Æneæ Vici* observatio. Et sane existimo capita illa nummorum Vespasiani, in quibus caput adparet Deæ Pacis, cum Inscriptione PACI ORBis TERRarum AUGustæ depingere faciem Domitillæ, cui Deæ Pacis adplicuerunt symbola, per stultam illam adulationem, qua credebant Domitillam, ut Deam, pacem Imperio Romano procurasse, postquam in cœlum recepta esset; unde ante descenderat, futura aliquamdiu in contubernio Vespasiani. Possideo nummum in Græcia signatum in ejus honorem, cum Inscriptione, ΕΙΡΗΝΗ Σ [illegible] id est, ΕΙΡΗΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ. *Pax Augusta*, ubi Dearum ritu adparet capite velato atque oleæ coronata ramo, sive corona laurea, propter pacem per Victorias adquisitam."

FLAVIA DOMITILLA,
VESPASIANI FILIA.

„ FLAVIA DOMITILLA, Vespasiani ex Domitilla filia, eodem quo mater nomine exstitit. Hæc quoque mortua fuit antequam ad Imperium perveniret Vespasianus Voluit tamen frater Titus ut in Circensi pompa inter Deorum Dearumque simulacra ejus quoque ut Divæ cerneretur carpentum à duabus mulabus tractum. Confirmat id *Papinus Statius*; adsti-

„ pulan-

„ pulantibus nummis in ejus honorem cusis. *Statii* versus, ubi de Domitiano loquitur, hi sunt:

„ *Cum superis terrena placent, tua turba relicto*
„ *Labetur cœlo, miscebitque oscula justa,*
„ *Ibit in amplexus natus, fraterque paterque,*
„ *Et soror, una locum cervix dabit omnibus astris.*

„ Mentio ejusdem Domitillæ in hac veteri apud *Gruterum* p. 355. occurrit Inscriptione:

„ FLAVIA DOMITILLA FILIA
„ FLAVIAE DOMITILLAE
„ IMP. CAESARIS
„ NEPTIS FECIT, &c.

„ Vel potius filiæ Domitillæ, neptis Titi atque Domitiani. Videnda Martyrologia, & *Ado Viennensis*, p. 89. & *Petrus de Natalibus* Lib. X. in Catalogo Sanctorum Cap. 89. aliique apud *Baronium*, qui super varias hasce Domitillas consuli possunt."

NUM. 2. 3.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

Inscriptionem hanc similesque aliorum Vespasiani egregie illustrant *Taciti* verba Histor. Lib. II, Cap. 80. *Dum quæritur tempus locusque, quodque in re tali difficillimum est, prima vox, dum animo spes, timor, ratio, casus obversantur: egressum cubiculo Vespasianum, pauci milites, solito adsistentes ordine, ut Legatum salutaturi, IMPERATOREM salutavere. Tum cæteri accurrere, CAESAREM & AUGUSTUM, & omnia Principatus vocabula cumulare.* Alexandriæ eodem fere tempore idem actum fuit; de utroque *Tacitus* eodem Lib. Cap. præcedente, his verbis: *Initium ferendi ad Vespasianum Imperii Alexandriæ cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kal. Jul. sacramento ejus legiones adegit. Isque primus Principatus dies in posterum celebratus, quamvis Judaicus exercitus V. Non Jul. apud ipsum jurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius exspectaretur, Syria remeans, & consiliorum inter Mucianum ac patrem nuntius.*

NUM. 4. 5. 6.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus, in primo; in duobus sequentibus additur TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, in primo & tertio, in secundo dextram versus locatum.

Electum à milite in Oriente atque Alexandria Imperatorem Vespasianum haud minori gaudio recepit Senatus Romanus, quam si ipse creasset. *Tacitus* Histor. IV. Cap. 3. *At Romæ Senatus cuncta Principibus solita, Vespasiano decernit, lætus & spei certus. Quippe sumta per Gallias Hispaniasque civilia arma, motis ad bellum Germanis, mox Illyrico; postquam Ægyptum, Judæam, Syriamque, & omnes provincias exercitusque lustraverant, velut expiato terrarum Orbe, cepisse finem videbantur.* Hinc in nummis hisce Pontificatus Maximi dignitas, Tribunicia potestas, & in aliis alia Principibus Romanis tributa decora leguntur.

NUM. 7. 8. 9.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus CENsor. Capita Vespasiani laureata, lævam versus, varie collocatis hisce Inscriptionibus.

Censoria Vespasiani dignitas in hisce celebratur nummis. Celebrat eandem *Suetonius* in Vita ejus Cap. VIII. *Suscepit & Censuram.* Quo anno & quoto Consulatu suo Censuram gesserit visuri sumus ad Num. 60. Tabulæ II.

NUM. 10. 11. 12. 13. 14.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus.

Vel,

CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia Potestate CENSor.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate.

Vel denique,

IMPerator CAESAR VESPASianus PONTifex TRibunicia POTestate. In omnibus hisce capita Vespasiani laureata lævam versus convertuntur.

Ex hisce nummis, qui numero secundus est, Censoriam quoque Vespasiani dignitatem celebrat, atque in eodem Cæsaris nomen reliquis ejusdem nominibus & dignitatibus præponitur.

NUM. 15.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

Non est quod in hoc moremur, quum capitis tantum & Inscriptionis collocatione vel ejusdem diversitate à reliquis discrepet.

NUM. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

IMPerator CAESAR AUGustus VESPASIANus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGUSTUS.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGUSTUS.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus CENSor.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGUSTUS.

Vel denique,

VESPASIANUS AUGustus CAESAR. In omnibus caput laureatum lævam versus adparet.

Imperator Flavius Vespasianus ex gente Flavia, non admodum celebri, prognatus fuit, patre Sabino, Titi Flavii Petronii filio, matre autem Vespasia Polla, à qua ipse Vespasiani nomen nactus fuit. Obierat pater ejus, *superstitibus uxore Vespasia Polla, & duobus ex ea liberis: quorum major, Sabinus, ad Præfecturam Urbis, minor Vespasianus, ad Principatum usque processit.* Suetonii sunt verba in Vesp. Cap. I.

NUM. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.

CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput ejusdem laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput ejusdem laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput ejusdem laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS. Caput ejusdem laureatum, dextram versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel denique,

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Nihil hæ Numismatum Vespasiani partes anteriores continent, quod non in præcedentibus sit animadversum, sola itaque positione literarum atque inscriptionis collocatione, pluribusque ejus paucioribusve literis discrepant.

NUM. 33. 34.

Vacant.

NUM.

NUM. 35.

Perator CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ ConSul.

In hoc primum nummo Patris Patriæ titulus Vespasiano datur, & ipse Consularis dignitatis titulo exornatur. Omnes autem hi nummi qui cum simplici Tribuniciæ Potestatis, atque Consulatus nota sub Vespasiano cusi sunt, ad initia Imperii ejus pertinent & ad A. U. C. 822. annumque Christi 69. eo enim, qui sequitur, anno, Consul iterum factus fuit Vespasianus. Quum vero primum gereret Consulatum, inter suffectos numerabatur Consules, Claudio Imperatore Augusto V. & Ser. Cornelio Orfito Consulibus, anno U. C. 804. N. C. 51. adeoque annis novem atque decem ante Imperium, viginti ante Consulatum secundum.

TABULA II.

QUÆ PERSEQUITUR NUMISMATA IMP. FLAVII VESPASIANI, CUM CAPITIS EJUSDEM INSCRIPTIONIBUS.

NUM. 36. 37. 38. 39.

IMPerator CAESar (vel CAESAR) VESPASianus AUGustus COnSul II. TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Omnes cum capite Vespasiani laureato lævam versus.

Inscriptiones horum nummorum nihil fere inter se discrepant, nisi quod *Patris Patriæ* titulus in quarto omittatur. Consulatum II. Vespasiani præferunt; unde sequitur fuisse signatos anno altero Imperii ejusdem, quo consul secundum exstitit, adscito Collega filio Tito Vespasiano. De hoc ejus Consulatu *Tacitus* Hist. Lib. IV. Cap. 38. *Interea Vespasianus iterum ac Titus Consulatus absentes inierunt; in æstu & multiplici metu suspensa civitate, quæ super instantia mala falsos pavores induerat, descivisse Africam, res novas moliente L. Pisone.*

NUM. 40.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus COS. II. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Omissa Tribunicia potestate, atque Patris Patriæ titulo, Consulatum modo alterum Imperatoris hæc inscriptio celebrat.

NUM.

NUM. 41. 42.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate COS. II. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COS. II. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Omnes tituli Imperatoris Veſpaſiani in ſecundo ex hiſce nummis celebrantur excepto Cenſoris, nam Conſulatu demum tertio Cenſor factus fuit.

NUM. 43.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate Pater Patriæ COS. II. DES. III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus, cum chlamyde ad humeros.

In omnibus illis, quæ præceſſerunt Numiſmatibus, ut & fere in illis, quæ ſequuntur, caput Veſpaſiani cum nudo occurrit collo, & raro effigies ejuſdem cum chlamyde ad pectus vel humeros invenitur. Conſulatu ornatur ſecundo, ſed tertium jam Conſul deſignatus. Conſulatum ſecundum geſſit cum Tito, tertium cum M. Coccejo Nerva

NUM. 44.

Vacat.

NUM. 45.

IMPerator CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus COS. III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Tertium hunc Conſulatum iniit Veſpaſianus propter Triumphum Judaicum; quare decora ejus Triumphi vulgo tertium hujus Imperatoris Conſulatum celebrare ſolent. Collega tunc Veſpaſiano fuit M. Coccejus Nerva, A. U. C. 824. N. C. 71.

NUM. 46. 47. 48. 49. 50.

IMPerator CAESar (in alio CAESAR) VESPASianus AUGuſtus COS. III. TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate (in aliis additur Pater Patriæ) COS. III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus COS. III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus, cum lacinia paludamenti ad lævum humerum.

Occurrunt in hiſce nummis, prouti in aliis plurimis Veſpaſiani, præter aliquos titulos & dignitates ejuſdem, Tribunicia Poteſtas atque Patris Patriæ titulus. Teſtatur de iis Suetonius in illo Imperatore Cap. XII. *Ac ne Tribuniciam quidem Poteſtatem, & Patris Patriæ adpellationem niſi ſero recepit.* In quibus illud *ſero* non eſt accipiendum tanquam primis Imperii ſui annis Veſpaſianus illas dignitates recuſaverit atque diſtulerit, ſed quod non ſtatim una cum nomine Imperatoris ſimul ſibi omnia ingeri paſſus fuerit. Patere id poteſt ex Num. ultimo Tabulæ præcedentis. In eo enim, qui ante ſecundum Veſpaſiani Conſulatum atque adeo Imperii ejuſdem anno primo ſignatus eſt, omnes hi dignitatum tituli occurrunt.

NUM. 51. 52. 53. 54.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus COS. III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus in plerìſque.

Omnes hi nummi laureatum Veſpaſiani caput exhibent, excepto ſecundo, in quo radiatam gerit coronam, non quidem tamquam conſecratus & inter Divos relatus, ſed prouti & in Veſpaſiani & in aliorum Imperatorum nummis, illi qui ex parvo ære, ſive ſecundi ſunt moduli, capita paſſim tam radiata quam laurea corona ornata ſine diſcrimine exhibere ſolent.

NUM. 55.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus COS. III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

In Cæſare Veſpaſiano, qui nihil ad Cæſarum pertinebat proſapiam, inpletum fuit, quod ut præſagium, ab avia illius irriſum, adnotavit Suetonius in Veſp. Cap. V. *In ſuburbano Flaviorum quercus antiqua quæ erat Marti ſacra, per tres Veſpaſiæ partus, ſingulos repente ramos a frutice dedit, haud dubia ſigna futuri cujuſque fati. Primum exilem & cito areſactum: ideoque puella nata non perannavit: ſecundum prævalidum, ac prolixum, & qui magnam felicitatem portenderet: tertium vero inſtar arboris. Quare patrem Sabinum ferunt haruſpicio inſuper confirmatum, renuntiaſſe matri, nepotem ei Cæſarem genitum: nec illam quidquam aliud, quam cachinnaſſe,* mi-

mirantem, quod adhuc se mentis compote deliraret jam filius suus.

NUM. 56. 57. 58. 59.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus COS. III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COS. III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPErator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. COS. III. Caput Vespasiani, lævam versus in altero, in altero dextram versus.

Nihil singulare hæ inscriptiones habent, quibus ab aliis distinguantur.

NUM. 60. 61.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus COS. III. CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. COS. III. CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Censuram Vespasiani in hisce aliisque nummis cum Consulatu ejusdem tertio junctam videmus. Peregit autem lustrum A. U. C. 826. N. C. 74. quamvis jam ab anno septuagesimo primo post N. C. inchoatus fuisset Census, uti docet eruditissimus *Antonius Pagi* ad Annales *Baronii*, Tom. I. p. 69. De eodem Censu loquitur *Plinius*, quum scribit Lib. VII. Histor. Nat. Cap. 49. *Quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasianus pater filiusque Censores egerunt.* Meminit ejusdem quoque *Censorinus* in libello de Die Natali Cap. XV. *Cum inter primum a Servio Rege conditum Lustrum, ab Imperatore Vespasiano V. & Tito Cæsare III. Coss. factum est, anni interfuerint paulo minus DCL. Lustra tamen per ea tempora non plura quam LXXV. sunt facta, & postea plane fieri desierunt.*

NUM. 62. 63. 64.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate II. COS. III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. COS. III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel denique,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COS. III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Præter varietatem scripturæ, nihil in hisce inscriptionibus occurrit, quod non supra observatum sit.

NUM. 65.

Vacat.

NUM. 66. 67. 68. 69. 70.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COS IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate COS. IIII. Caput Vespasiani radiatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate COS. III. CENSor. Caput Vespasiani radiatum, in altero lævam, in altero dextram versus.

Signati sunt hi nummi A. U. C. 885. N. C. 72. quo Consules fuerunt Vespasianus Augustus IV. & filius Titus Cæsar II. qui una tum cum patre Censuram gessit. Loquitur de hoc Patris Filiique Vespasianorum Consulatu *Plinius* Lib. II. Cap. 12. *Nam ut duodecim diebus utrumque sidus quæreretur, & nostro ævo accidit, Imperatoribus Vespasianis patre ac filio Consulibus:* uti Plinii locum ex MSS. constituit doctiss. *Anton. Pagi* ad Annales *Baronii*, Tom. I. p. 68.

TABULA III.

QUÆ PERSEQUITUR INSCRIPTIONES CAPITUM IN NUMMIS IMP. FLAVII VESPASIANI.

Num. 71.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IIII. Pater Patriæ. COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

In hoc Vespasiani nummo Tribunicia ejus Potestas quarta cum quarto ejusdem Consulatu conjungitur, unde adparet posteriore anno U.C. 885. signatos similes nummos fuisse.

Num. 72. 73. 74. 75.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COS IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate COS. IIII. CENSor. Caput simile.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate COS. IIII. CENSor. Caput Vespasiani radiata corona insigne, lævam versus in altero nummo, in altero dextram versus.

Præter varietatem in scribendis nominibus & titulis nihil observandum venit.

Num. 76. 77. 78. 79. 80. 81.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRribunicia Potestate COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate III. Pater Patriæ COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus Augustus COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus Augustus COS. IIII. Caput Vespasiani radiatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

In secundo ex hisce nummis cum quarto Consulatu Vespasiani tertia ejusdem conjungitur Potestas Tribunicia, unde adparet initio anni U. C. 885. cusos ejusmodi nummos fuisse, sicuti illos qui quartam Potestatem Tribuniciam præferunt, circa finem ejusdem anni.

NUM. 82.

Vacat.

NUM. 83. 84. 85. 86. 87.

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate COnSul V. CENSor. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate COnSul V. CENSor. Caput Vefpafiani radiatum, lævam verfus in tertio nummo, fed in quarto, dextram verfus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPafianus AUGuftus COnSul V. CENSor. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Vel denique,

IMPerator CAESAR VESPASianus AUGuftus COnSul V. TRibunicia Poteftate Pater Patriæ. Caput ejusdem laureatum, lævam verfus.

Quintus Vefpafiani Confulatus, quem hi nummi celebrant, incidit in A. U. C. 827. N. C. LXXIV. quo cum Tito Vefpafiano Conful fuit, ipfe V. filius III. & quo anno ex Kal. Jul. alter filius Domitianus fuffectus fuit Conful III.

NUM. 88.

Vacat.

NUM. 89. 90.

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate COnSul VI. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate Pater Patriæ COnSul VI. Caput ejufdem laureatum, lævam verfus.

Sextus Vefpafiani Confulatus anno fequenti fuit cum filio Tito Vefpafiano IV. Fuere eodem dein anno fuffecti Confules Domitianus Cæfar IV. M. Licinius Mucianus Craffus III.

NUM. 91. 92. 93. 94. 95.

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus COnSul VII. P. P. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate COnSul VII. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate COnSul VII. Caput radiatum Vefpafiani lævam verfus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuftus COnSul VII. Pater Patriæ. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Vel denique,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Poteftate Pater Patriæ COnSul VII. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Septimum Confulatum geffit Vefpafianus A. U. C. 829. N. C. LXXVI. cum filio Tito Vefpafiano V. Suffecti deinde eodem anno fuere Confules filius Domitianus Cæfar V. T. Plautius Silvanus II.

NUM. 96. 97. 98.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuftus COnSul VII. Pater Patriæ. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus in altero, radiatum in altero, itidem lævam verfus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuftus COnSul VIII. Pater Patriæ. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

Confulatus octavus Vefpafiani cum filio Tito VI. fuit, alter filius Domitianus deinde fuffectus VI. fuit, quo anno quoque inter fuffectos Confules exftitit Taciti focer Cn. Julius Agricola.

NUM. 99. 100.

IMPerator CAESAR VESPASIANus COnSul VIII. In altero ex his Vespasiani caput corona laurea, in altero radiata ornatur, uterque nummus faciem Imperatoris versus dextram partem locatam exhibet.

Plurimi, uti dixi, Vespasiani ex medio ære nummi coronam radiatam illi tribuunt.

NUM. 101.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Nihil novi exhibet.

NUM. 101. 102. 103. 104. 105.

Vacant.

TABULA IV.

QUÆ CONTINET RELIQUAS LATINAS UT ET GRÆCAS INSCRIPTIONES CAPITUM IN NUMMIS IMP. FLAVII VESPASIANI.

NUM. 106. 107.

DIVUS VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS. Caput Vespasiani, itidem laureatum, lævam versus.

Post Julium Cæsarem Augustum, & Claudium, Divis inferri atque consecrari apud Romanos meruit Vespasianus. Ipse, ejus meriti certus, *prima quoque morbi* (verba *Suetonii* sunt in Vesp. Cap. XXIII.) *accessione; Ut*, inquit, *puto*, *Deus fio.*

NUM. 108. usque ad 115.

Vacant.

NUM. 116. 117. 118. 119. 120.

ΟΥΕΣΠΑCΙΑΝΟC CΕΒΑCΤΟC. (*VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. (*IMPERATOR VESPASIANUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC CΕΒΑCΤΟC. (*VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Literis alio loco, quam in primo ex his nummo locatis. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel denique, ut in duobus postremis:

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. (*IMPERATOR VESPASIANUS.*) *Caput Vespasiani dextram versus.*

Nihil peculiare horum nummorum Inscriptiones habent. Interea Sigma in quibusdam per C. in aliis per Σ. scribitur.

NUM.

NUM. 121. 122. 123. 124. 125.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. (*IMPERATOR CAESAR VESPASIANUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*IMPERATOR VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΚΑΙΣΑΡ ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. (*IMPERATOR CAESAR VESPASIANUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC ΚΑΙΣΑΡ CΕΒΑCΤΟC. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel denique,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR.*) *Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.*

Duo posteriores ex hisce literam Σ. figura C. formant.

NUM. 126. 127. 128. 129. 130.

ΑΥΤΟΚΡΑτορι ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ ΣΕΒΑΣΤΩ. (*IMPERATORI VESPASIANO AUGUSTO.*) *Caput Vespasiani radiatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚρατορος ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. (*IMPERATORIS CAESARIS VESPASIANI.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚράτορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒΑστου ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ Lυκάβαντος B. (*IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI ANNO II.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel,

ΑΥΤΟΚράτορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒΑστου ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. (*IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Vel denique,

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.*

Ita integris magis & expressis literis omnibus scribitur in hujusmodi nummis.

NUM. 131. 132.

ΑΥΤοκράτορι ΚΑΙσαρι ΟΥΕΣΠασιάνω ΥΠΑΤΩ H. (*IMPERATORI CAESARI VESPASIANO CONSULI VIII.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Nono Consulatu suo obiit Vespasianus, Consulatus ejusdem octavi in hisce nummis fit mentio.

NUM. 133. 134. 135.

Vacant.

NUM. 136.

ΘΕΟC ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC CΕΒαστός. (*DIVUS VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

Monumentum Consecrationis Vespasiani apud Græcos celebratæ. Litera C. pro Σ. ut in multis aliis nummis Græcis, pingitur.

NUM. 137. 138. 139. 140.

Vacant.

TABULA V.
QUA DEPINGUNTUR
IMP. FLAVII VESPASIANI
NUMISMATA AUREA.

Num. 1.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS. in aliis additur TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

JUDAEA. Figura muliebris lugens sedet ante tropæum.

Nummus hic una cum sequentibus aliquot monumentum est splendidissimæ Vespasiani victoriæ de Judæis, qua non modo contudit numerosissimæ gentis ferociam, sed & capta atque excisa primaria urbe Hierosolyma, desolata Judæorum terra, religioque fuit. Hinc lugubri habitu Judæa, Provinciæ subactæ ritu, sedet ad victoris populi tropæum. Servatur hic nummus aureus in *Museo Theupoliano*, & in *Thesauro Schwarzburgico*.

Num. 2.

Epigraphe capitis videtur similis esse præcedenti.

JUDAEA. Figura muliebris sedens manibus post terga ligatis ante palmam arborem.

In præcedente nummo, lugentis ritu caput læva sustinet similis figura muliebris, patriæ suæ lugens sortem. In hoc contumeliosius habetur; religatis enim post terga manibus sedet atque terram mœsta intuetur. A tergo illi sunt pristinæ divitiæ adumbratæ palma arbore, quæ quidem palma arbor Judææ passim solet esse symbolum, atque hic subactam terram Judæam denotat, quemadmodum inhonesta captivæ mulieris species redactam in servitutem gentem Judaicam.

Num. 3.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

JUDAEA DEVICTA. Figura muliebris stans ad palmam arborem manibus ante ventrem ligatis.

Et in hoc nummo palma Judææ subactæ est symbolum, figura muliebris devictæ gentis & in servitutem redactæ.

Num. 4.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum.

DE JUDAEIS. Tropæum elegans, cum clypeis & spiculis in imo adpositis.

Notum est quod soliti fuerint Romani, cæsis hostibus atque devicta gente, tropæa ejusmodi juxta locum pugnæ victoriæque erigere. Fecisse id Vespasiani exercitum in Judæa testatur hic nummus, certe symbolum hoc egregiam illam Vespasiani victoriam Judaicam celebrat. At quum præcedentes nummi cusi fuerint Consulibus Vespasiano III. & M. Cocceio Nerva, anno A. U. C. 824. quo amplissimum de Judæis triumphum egit; hic quidem nummus memoriam rei gestæ refricat, utpote anno post signatus, cum quartum Consulatum gereret Vespasianus cum filio Tito secundum Consule, A. U. C. 825. Servatur in *Thesauro Schwarzburgico*.

Num. 5.

Vacat.

Num. 6.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate III. COnSul. Caput Vespasiani laureatum.

Sine epigraphe. Palma arbor inter muliebrem figuram sedentem, quæ læva caput sustentat, atque inter Imperatorem stantem cum hasta & parazonio, lævo pede galeam calcantem.

Mœret

Mœret devicta, ut par erat, Provincia, Imperator autem Romanus, ftans tamquam victor, Romanorum more jactat fe pacaviffe eandem, propterea enim pede lævo galeam premit. Id enim pacare Provinciam apud Romanos erat, bello adoriri atque vi in fervitutem redigere. Quæ illa fit Provincia, Judææ fymbolum, palma arbor denotat. Servatur in *Thefauro Regio*.

NUM. 7.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGuftus Pontifex Maximus TRibunicia Pooteftate COnSul III. Caput Vefpafiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESar VESPafianus AUGuftus Pontifex Maximus COnSul III. Caput Vefpafiani laureatum.

Sine epigraphe. Imperator ftans in lentis quadrigis, dextra equorum habenas, læva fceptrum eburneum cum aquila tenet.

Libentius hunc typum ad proceffum Vefpafiani Confularem retulerim, quam ad ejufdem triumphum; nam longe magnificentior eft triumphantis Vefpafiani, triumpho quoque ejufdem infcriptus, qui mox fequitur Num. 9. nummus. Præterea, quum Confulatus tertii atque quarti à parte capitis habeat Infcriptionem, reor ad tertium atque quartum Confulatum Vefpafiani atque ad pompam ejufdem proceffus pertinere. Confpici poffunt in *Thefauro Schwarzburgico* atque *Mufeo Theupoliano*.

NUM. 8.

IMPerator. Imperator, ut fupra, in quadrigis Confularibus.

Infcriptio partis anticæ mihi incognita eft, reor Lectionem Infcriptionis ab autica parte fuiffe inchoatam atque perrexiffe in parte poftica.

NUM. 9.

IMPerator VESPASIANUS AUGuftus. Caput Vefpafiani laureatum, lævam verfus.

TRIUMPhus AUGufti. Currus triumphalis, in quo ftat Imperator, dxtra lauream adtollens victricem, læva tenens equorum habenas, pone adftans Victoria eundem coronat, canente ad latera currus buccinatore, cum duabus figuris præcedentibus currum vinctis poft tergum manibus.

Hic eft celeberrimus ille Triumphus Judaicus, operofe defcriptus apud *Flavium Jofephum* de Bello Judaico Lib. VII. Cap. V. p. 413. 414. 415. & de qua loquitur *Suetonius*, ubi fcribit de Vefpafiani animo omnis pompæ negligentiore, Cap. XII. *Adeoque nihil ornamentorum extrinfecus cupide adpetitivit, ut triumphi diu fatigatus tarditate & tædio pompæ, non reticuerit: Merito fe plecti, qui triumphum, quafi aut debitum majoribus fuis, aut fperatum umquam fibi, tam inepte fenex concupiffet.* Stat autem in curru Vefpafianus victricem laurum dextra tenens, quem ramum (uti puto) una cum corona laurea, peracto triumpho, in gremio Jovis Capitolini collocavit. De ritu hoc & corona laurea *Seneca* in Confolatione ad Helv. Cap. X. *Lauream que in Capitolini Jovis gremio repofuerat.* ut & *Plinius* Lib. XV. Cap. 30. *Ex his in gremio Jovis Optimi Maximi deponitur, quoties lætitia novam victoriam tulit.* Et hinc apud *Statium* IV. Sylvar. I. 41.

Nondum gremio Jovis Indica laurus.

A tergo ftat Victoriola, corollam fupra caput Imperatoris tenens. Quæ quidem Victoriæ aurea effigies fucceffit mori priftino, quo fervus publicus illo fungebatur officio, qui monebat fimul triumphantem, ne fortis humanæ oblivifceretur, uti tradit *Zonaras*, ubi de Camilli triumpho loquitur. Sed neque in pulcherrimo hoc nummo defideratur tubicen, bellicam triumphantis gloriam celebrans. Nam & tubicines in pompa illa fuiffe adhibitos *Plutarchus* docet apud *Bulengerum* de Triumphis Cap. XXVIII. Τῆς δὲ τρίτης ἡμέρας ἕωθεν μὲν εὐθὺς ἐπορεύοντο σαλπιγταὶ, μέλος οὐ προσόδιον καὶ πομπικὸν, ἀλλ' οἷῳ μαχομένους ἐποτρύνουσιν αὐτοὺς Ῥωμαῖοι προσεκελευόμενοι. i. e. *Tertia die primo diluculo tubicines, non modos Lydios, aut quibus in pompa Circi utuntur, dantes, fed bellicum canentes.* Præcedunt triumphantis currum captivi hoftium duces manibus poft terga ligatis. Unde apud *Senecam* in Troade

—— . —— Manus poft terga dabit,

& fecundo poft verfu:

Aurea dextra vincla geftans.

Quo & refpiciens *Ovidius* dixit Lib. I. Amor. El. 11.

Mens bona ducetur manibus poft terga revinctis.

Qui vero ligati currum præcedunt, Duces funt Judæorum, ex feptuaginta reliquis electi, Simon & Johannes. De Simonis vitæ exitu hæc habet *Jofephus* Lib. VII. Cap. V. p. 415. Ἦν δὲ τῆς πομπῆς τὸ τέλος. &c. i. e. *Finis autem pompæ triumphalis erat ad templum Jovis Capitolini, quo cum perveniffent conftiterunt. Eft enim ritus mos patrius illic manere paulifper, donec duces hoftium mors ab aliquo nunciaretur. Is autem erat Simon Gioræ filius. Hic inter captivos in pompa traductus, laqueo vero circumdatus in locum foro imminentem trahebatur. fimul virgis multatus ab iis qui eum ducebant. Lex autem Romanis eft, ut ibi necarentur ob maleficia morte damnati. Poftquam autem eum vitæ finem habere nunciatum eft, & adclamarunt univerfi, & ex eo cœperunt facra facere.* Pulcherrimum hunc ex auro nummum vulgavit *Joh. Vaillantius* in Numifm. Præftantioribus Tom. II. p. 89. Servatur autem in *Thefauro Regio*. Vulgavit fimilem ex auro & argento *Carolus Patinus* in Notis ad *Suetonii* Vefpaf. Cap. VIII. p. 391.

NUM.

Num. 10.

Vacat.

Num. 11.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

CAESAR AUGusti Filius (sic enim ex Brandenburgico & Theupoliano nummo legi debet) COnSul CAESAR Augusti Filius PRætor. Capita Titi & & Domitiani adversa.

Tempus signati nummi colligi potest ex adscripto Consulatu Titi, sed & simul docet Inscriptio eodem anno Prætura ornatum fuisse fratrem Domitianum. Annus is fuit U. C. 824. Præturæ hujus meminit *Tacitus* Hist. Lib. IV. Cap. 39. *Et mox, ejurante Frontino, Cæsar Domitianus præturam cepit. Ejus nomen epistolis edictisque præponebatur. Vis penes Mucianum erat; nisi quod pleraque Domitianus, instigantibus amicis, aut propria libidine audebat.* Publicavit hunc nummum ex *Thesauro Brandenburgico Laurentius Begerus*, Tom. II. p. 631 Servatur in *Museo Theupoliano*, sed *Morellius* suum ex *Thesauro Regio* delineavit.

Num. 12.

Vacat.

Num. 13.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

TITUS ET DOMITIANUS PRINcipes JUVENtutis. Titus & Domitianus in equis, dextris hastas tenentes.

Post Cajum & Lucium, Neronem deinde, veluti Principes juventutis occurrunt in nummis Titus & Domitianus. Is titulus ad Imperium sternere viam solebat. Signatus itaque nummus est, antequam Consulatum adipisceretur Titus, videlicet A. U. C. 822. Custoditur aureus hic nummus in *Thesauro Regio*, & in *Museo Farnesiano.*

Num. 14.

IMPerator CAESAR VESASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

TITUS ET DOMITIANus CAESares, PRINcipes (JUVENT. vel JUVEN. in aliis) JUventutis. Titus & Domitianus in equis adollentes dextras.

Altera veluti decursionis hæc est species, nam modo vidimus cum hastis, veluti bellatores, nunc adtollentes dextras, tamquam pacem adventu suo significantes. Eodem anno, quo prior signatus est, Tito adhuc in Judæa versante. Exstat in *Thesauro Regio*, & *Brandenburgico* apud *L. Begerum* Tom. II. p. 631.

Num. 15.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum.

TITUS ET DOMITIANus CAESARES PRINcipes JUVENtutis. Duæ figuræ equestres cum hastis, decurrentes.

Picturæ quoddam atque Inscriptionis discrimen est inter hunc nummum atque illum, qui supra Num. 30. cernitur. Titus & Domitianus, qui decurrentes in equis exhibentur, vocantur hic Cæsares, qui illorum titulus in modo memorato non additur. In pictura conjunctis fere equis in illo decurrunt fratres; in hoc alter alterum satis longe præcedit, unde figuræ quoque equestres longe minores sunt, quod amplius spatium deducti a se invicem, alter alterum sequentes, postulent equites, quam conjuncti. Servatur hic nummus in *Museo Theupoliano* p. 146.

Num. 16.

Capitis epigraphe à præcedentibus non distare videtur.

VESPasiani AUGusti FILIi CAESARES.

Veluti decora & columina togæ Romanæ, filii Vespasiani, toties in decursione equestri depinguntur in præcedentibus nummis, in hoc stantes in togis, Romanorum oratorum more chartulam convolutam læva tenentes, expansis dextris. Rarissimus hic & ineditus nummus in *Thesauro Regio* reconditur.

Num. 17.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

TITUS ET DOMITIANus CAESARES PRINcipes JUVENtutis. Duæ figuræ togatæ insidentes sellis curulibus, dextris laureum ramum vel oleaginum tenent.

Ad spem Imperii promoti Cæsares, Titus & Domitianus, exstinctis Vitellianis partibus, atque firmata Vespasiani potentia, quietem à bellis civilibus populo Romano pollicentur, atque pacem & pacis bona togatæ genti togati ipsi sacramque præferentis frondem adnunciant. Depictus est ex nummo *Thesauri Regii.*

NUM.

Num. 18.

Vacat.

Num. 19. 20.

IMPerator VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRIbunicia Potestate Pater Patriæ COS. IV. Caput Vespasiani laureatum dextram versus.

IMPerator Titus CAESar VESPASiani AUGusti Filius TRribunicia Potestate II. COnSul II. Caput Titi nudum, lævam versus.

Egregium hunc nummum unde depinxerit *Morellius* mihi non subvenit, verum manca ab utraque parte ejusdem est epigraphe. Supplevimus igitur ex pulcherrimo & integerrimo nummo *Musei Farnesiani*, ubi occurrit inter Vespasiani Aureos Tab. VIII. Num. 5. Verum ibi lævam versus caput Vespasiani, dextram versus Titi caput collocatur. Monumentum gesti iterum Consulatus Cæsaris Titi cum patre Vespasiano quartum Consule conservat.

Num. 21.

CERES AUGUSTa. Dea stans dextra spicas cum papavere tenet, læva longam tædam.

Denotat typus curam annonæ, quam sollicite omnibus Imperii sui annis providit Vespasianus. Servatur hic nummus in *Thes. Schwarzburgico.*

Num. 22.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

JOVIS CUSTOS. Jupiter stans nudus ante aram, dextra pateram tenet, læva hastam.

Inter præsagia futuri Imperii Vespasiani enumerat & hoc *Suetonius* Cap. V. *Nuntiabantur & ex Urbe præsagia: Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut Thensam Jovis Opt. Max. e sacrario in domum Vespasiani & inde in Circum deduceret.* Neque tamen hanc historiam innui existimo in hujus nummi typo, sed Imperii Romani custodem Jovem veluti Statorem depingi. Servatur in *Museo Theupoliano.*

Num. 23.

IMPerator CAESar AUGustus VESPASIANus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum.

MARS ULTOR. Mars gradiens dextra lanceam transversim tenet, læva tropæum super humeros.

Sublatis Othone atque Vitellio, qui Rempublicam Romanam perfidia sua atque cupiditate distraxerant, Martem Ultorem signavit Vespasianus ubi primum ad Imperium venit. Honorem quem habuit memoriæ Galbæ testatur *Tacitus* Hist. Lib. IV. Cap. 40. *Referente Cæsare* (Domitiano, ipse enim aberat) *de restituendis Galbæ honoribus, censuit Curtius Montanus, ut Pisonis quoque memoria celebraretur. Patres utrumque jussere; de Pisone irritum fuit.* Tropæum gerit Deus, quod collata acie Vitelliani a Vespasiani copiis fusi atque deleti fuerant. Servatur in *Museo Regio.*

Num. 24.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vespasiani laureatum lævam versus, ut Tab. I. Num. 3.

NEPtuno REDuci. Neptunus stans nudus, dextrum pedem globo inponit, dextra manu acrostolium tenet, læva tridentem.

Verba *Jo. Tristani*, quibus hunc typum explicat Tom. I. Com. Histor. pag. 287. hæc fere sunt: „NEPT. REDUCI. *Neptuno Reduci.* Neptu-
„ nus dextro pede globum premit, altera manu
„ acrostolium tenet, altera tridentem, effigiatur
„ autem quadrata statura & amplo corpore, tam-
„ quam si ipse esset Vespasianus Talem enim Im-
„ peratorem illum describit in quadam sua ad ami-
„ cum epistola, comparans illum Agamemnoni
„ Homerico, *Philostratus*:

„ Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
„ Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

„ *Oculis capiteque Jovi Terpicerauno, cingulo Mar-*
„ *ti, pectore Neptuno similis.* Quod & in Odyssea
„ *Homeri* inculcatum. Viros fortes & robustos
„ Neptuni filios fuisse dictos docet *Tzetzes* Chi-
„ liade II. Hist. 51.

„ Υἱοὺς, καὶ φίλους ἐραστὰς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.

„ *Filios, amicos & amasios dicunt Neptuni.* Atque
„ hanc ob rationem Theseus, quamvis ille ex Æ-
„ geo atque Æthra fuerit natus, Neptuni voca-
„ tus fuit filius. Pedem dextrum globo inponit
„ Neptunus, quoniam terra sinu suo mare con-
„ tinet, unde & Γεήοχος, *terram continens*, *vocatur*
„ *Hesiodo*, teste *Scholiaste Aristophanis* ad Plutum.
„ Idem ipse *Aristophanes*, in Nubibus, hisce
„ Deum illum ornat epithetis:

„ Τόντε μεγασθενῆ τελαί-
„ της ταμίαν, γῆς τε καὶ ἁλ-
„ μυρᾶς θαλάσσης ἄγριον μοχλευτήν.

„ *Magnumque ac præstantem robore, tridentis custo-*
„ *dem, Terræque & salsi maris ferocem quassatorem.*
„ Vel videtur ipse Vespasianus ejusmodi statuam
„ Neptuno Reduci exstruxisse, quod salvus Ro-

„ mam ex Syria atque Judæa reverterat, maritimo enim itinere profectum fuisse docet *Josephus* Lib. VII. Vel ipsi Vespasiano ejusmodi statua posita fuit tamquam Neptuno Reduci maris & terræ domino, qualis scilicet Roma absens factus fuerat. Neque enim dubito, quin ille globus pedi suppositus designet Imperium Orbis legibus ejus esse subjectum. Neque hæc adducta modo me ratio movet, ut ita de ipso pronunciem tamquam Neptuno; verum & ante Imperium victoriæ ejus Britannicæ pepererunt illi famam viri fortis atque bellatoris non modo terra sed & mari. Exscensionis Britannicæ gratia, invitis factæ hostibus, *Valerius Flaccus* eumdem laudat Lib. I.

„ *—— tuque, o pelagi, tui major aperti*
„ *Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit*
„ *Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos, &c.* „

Hæc *Jo. Tristanus.* Ego vero spectare reor hunc nummum ad vota Romæ Neptuno facta, ut Vespasianus, qui tum adhuc in Oriente erat, salvus in patriam rediret; erat enim illi iter mari faciundum, quod & fecit. Facit huc locus *Flavii Josephi* de itinere Vespasiani Lib. IV. de Bello Judaico Cap. ult. p. 313. Αὐτὸς μέντοι εἰς τὴν Ῥώμην ὥρμητο λήξαντος τοῦ χειμῶνος ἀνάγεσθαι, καὶ τάχος τὰ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν διῴκει. i. e. *Ipse tamen extrema hieme Romam proficisci parabat; & quam primum res Alexandriæ componebat.*

NUM. 25.

CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia POTestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR (vel CAESar) VESPASITNUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

VESTA. Ædes Vestæ figura rotunda cum columnis, statua Deæ cernitur in medio, cum aliis duabus ad latera in basibus suis.

Splendidus publice, privatim modicus admodum, Imperator Vespasianus, pecuniam publicam in ornanda Urbe atque Provinciis sublevandis maluit inpendere, quam in adulatores & inanem pompam; plurima itaque nova ædificia fecit, plurima vetera, quæ Romæ fatali incendio Neronis perierant, reparavit. In iis Ædes Vestæ; quod monumentum, atque Vespasiani beneficium, hisce nummis celebratur. Certe non ante tertium Vespasiani Consulatum perfectum fuisse, adscripta in uno ex tribus Censoria dignitas testatur. Primus & secundus ex hisce servatur in *Museo Farnesiano*, tertius in *Museo Theupoliano.* Vide ibid. p. 146. Servatur & secundus in Museo *Zonhoviano*, *Morellius* picturam ex *Schwartzburgico* desumsit.

NUM. 26.

ROMA. Roma more solito clypeo & thoraci insidens, galeam pede dextro premit, læva parazonium tenet, dextra victoriolam.

Sæpissime hujusmodi typus in æreis Vespasiani nimmus invenitur, aureum vero hunc desumsit *Morellius* ex *Nummis Arschotanis* Tab. XXV. Num. 14.

NUM. 27.

DIVUS VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

IMPerator CAESar TRAIANus AUGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit. Tropæum elegans.

Nummos Vespasiani cum simili Tropæo, qui vulgo inscribi solent DE JUD*æis*, hoc pacto restituit optimus Imperatorum Trajanus. Custoditur hic in *Thesauro Regio Versaliensi.* Vulgavit quondam ad *Suetonii* Cap. ult. in Vesp. *Carolus Patinus* p. 48.

NUM. 28.

DIVUS VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Sella cum fulmine Jovis inposito, atque hac in circuitu epigraphe: IMPerator CAESar TRAIANus AUGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit.

Cultum Jovis respicit typus, & gloriam Capitolii refecti. Occurrunt ejusmodi nummi cum hoc typo cusi sub Vespasiano, atque hac in circuitu epigraphe: TR*ibunicia Potestate* IX. IMP*erator* XIX. CO*nSul* VIII. P*ater Patriæ.* Et hic nummus in *Thesauro Versaliensi* adservatur, atque eodem loco, quo præcedens, vulgatus a *Carolo Patino* fuit.

NUM. 29.

Tropæum cum captivo ad imum in genua procumbente, manibus post terga religatis. Scribitur in circuitu: IMPerator CAESar TRAIANus AUGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit.

Bene

Bene sit Trajano, quod elegantem hunc Typum de Judæa a Vespasiano devicta restituerit, quem inter Vespasiani nummos nondum offendere licuit. Et hic *Gazam Regiam Versaliensem* exornat.

NUM. 30.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

AUGusto. in medio coronæ querneæ.

Magna varietas est in nummis ejusmodi inscriptione gaudentibus, dum alii lauream exhibent coronam, alii insuper clypeum, cui hic titulus inscribatur; uti cerni potest apud *Christian. Sigism. Liebe* in Gotha Nummaria p. 250. Celebrant hujusmodi typi Vespasianum, ut victorem hostium, depulsorem malorum, servatoremque civium. Vulgatus fuit in *Num. Arschot.* Tab. XXVI. Num. 4.

NUM. 31.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. In aliis additur TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

AETERNITAS. Figura muliebris velata & stolata, stans ante aram, dextra solis, læva lunæ capita sustinet.

Æternitas Imperii Romani hoc typo depingitur, cujus gloria celebratur, Imperatore Vespasiano, ubicunque Solis atque Lunæ adparent sidera. Vulgatus cernitur inter *Num. Arschot.* Tab. XXVII & a *Laurentio Begero* in *Thes. Brand.* Tom. II. p. 634. Observavi eundem in *Museo* amicissimi mihi Dom. *Zonhoven.*

NUM. 32.

CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

ANNONA AUGusti. Figura muliebris sedens linteum manibus super gremium tenet, in quo omnis generis fruges observantur.

Laudatur in hoc nummo providentia Vespasiani circa ubertatem annonæ. Designatur illa per poma & spicas, quas in sinu suo ostentat figura muliebris, utramque manu lintei, quo fruges continentur, extremitates sublevans. Sedet ipsa, ut tranquillum Reipublicæ statum sub optimo designet Imperatore, sub quo suis bonis & proventibus licebat libere frui & Romanis & Pronvincialibus. Depinxit ex *Thesauro Versaliensi Morellius.* Vulgavit quoque quondam *Leonard. Augustinus* Tab. II. Num. 32.

NUM. 33.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus. additur in aliis COS. III. Caput Vespasiani laureatum.

PACI ORBis TERRarum AUGustæ. Caput muliebre diadematum & turritum.

Pacis Templum a Vespasiano conditum omnes ejus vitæ rerumque gestarum scriptores commemorant atque laudant. Ipsius Deæ effigiem in eodem fuisse locatam & quidem hac capitis pictura vix dubitare nos sinit hic nummus. Scilicet quia non simpliciter *Pacis*, sed *Pacis Orbis Terrarum* venit nomine, caput ejus turrita corona cingitur. Memoratur uterque hic nummus in *Museo Theupoliano* pag. 144.

NUM. 34.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

PAX AUGUSTa. Figura muliebris stolata, sedens, dextra ramum oleæ, læva hastam tenet.

Referendus quoque hic nummus venit ad felicia illa Imperii sub Vespasiano tempora, quibus summa tranquillitas fuit sub Imperatore Vespasiano, qui Paci Templum condidit, unde & ipsa quoque *Pax, Augusta*, sive, ut in sequenti nummo, vocatur *Pax Augusti.* Spectatur hic nummus in *Thes. Schwarzburgico* atque *Theupoliano*, ubi recensetur p. 144. Exstat quoque in *Num. Arschot.* Tab. XXVII. Num. 7.

NUM. 35.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IIII. Pater Patriæ COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

PACI AUGUSTI. Dea gradiens lævam versus, humeris alatis, dextra laciniam vestis ad pectus adtollit, læva caduceum tenet, ante pedes graditur anguis.

Pacis hunc insolitum ornatum in simili nummo contemplatus fuit *Jo. Tristanus* Sanctamantii Dominus, & pluribus eumdem illustravit, quorum sensus ex Tom. I. Comm. Histor. pag. 284. hic est. „ PACI AUGUSTÆ. Figura alata dependens quid ornamenti a collo habens atque manu caduceum tenens; ante illam, veluti dux viæ, serpens graditur. Figura hæc valde exer-

 „ cuit

„ cuit doctos, qui (meo quidem judicio) adsequi non potuerunt quid sibi velit illa effigies & inscriptio, neque invenerunt arcanum ejus sensum. Non tamen difficilis idem est, si consideremus Deam hanc ipsam esse Pacem, seu Victoriam, cujus effigies, statua, sive colossus, dedicatus fuerit in Templo Pacis, quam in hoc nummo (sicuti ante in Claudiano) Vespasiani adpellatam cernimus *Pacem Augusti* vel *Augustam*. Vel potuit simpliciter erigi ejusmodi statua in honorem Pacis per Imperatorem feliciter adquisitæ ope *Victoriæ Paciferæ* in expeditionibus contra hostes Imperii. Quod vero probat hanc conjecturam est, quod similiter in aliis Vespasiani nummis, qui simplicem Victoriæ exhibent effigiem, altera manu coronam lauream, altera palmam tenentem, pariter adscriptum: PACI AUGUSTAE cernimus. Videtur itaque in hoc nummo Victoriæ Paciferæ esse simulacrum, dedicatum aliquando huic Deæ in Vespasiani honorem, Pacis gratia per illum adquisitæ, quæ propterea scilicet *Pacis Augustæ* veniat titulo. Eo sensu accipi debet, quod dicit *Onosander* in Strategici sui principio: Ὡς στρατηγῶν τε ἀγαθῶν ἄσκησις ἔσται, παλαιῶν τε ἡγεμόνων ϗ τῇ Σεβαστῇ Εἰρήνῃ ἀνάθημα. i. e. *Libellus hic continet præcepta artis militaris, atque conferre poterit exercitationi atque meditationi bonorum militum, atque veluti veteranorum Ducum Paci Augustæ oblatum considerari donarium.* Videtur autem hæc descriptio Pacis Augustæ confirmare opinionem *Rigaltii*, Viri doctrinæ raræ & singularis judicii, nunc Senatoris in Parlamento Metensi. Existimat enim is, Veranium illum (cui libellum suum dedicavit *Onosander*) eundem esse, qui (juxta *Tacitum* in Vita Agricolæ,) hisce temporibus Britanniæ præfuit. Vox enim ἀνάθημα significatione sua oblique videtur adludere ad dona, sive anathemata, a pluribus consecrata in magnificentissimo Pacis Templo, quod exstruxerat Vespasianus. Itaque ornamentum illud collare, sive bulla potius, ut & caduceum atque serpens adtributa sunt, quæ exactam præbent cognitionem, quibus modis Claudius & Vespasianus Pacem adquisiverint. Bulla enim ista symbolum est honoris adquisiti per bellicum aliquod atque militare facinus egregium. Quin & moris erat, ut ille qui triumpharet, collo dependentem (uti nos docet *Macrobius* Lib. I. Saturnalium) haberet bullam. *Macrobii* locum integrum *Occo* aliique adduxerunt. Addam quod *Appianus* refert de Carthaginensi quodam viro forti, qui ad Romanos transierat, quem scribit virtutis caussa honoratum fuisse veste purpurea, & torque aureo, id est, bulla aurea. Verba ejus hæc sunt: Φαμαίαν δ' ἐτίμησαν ἁλουργίδι, καὶ ἐπιπορπήματι χρυσῷ *Honoravit* (Senatus Romanus) *Phamæam veste purpurea atque collari*, sive *bulla aurea*; sic enim *Appiani* interpres vertit illud ἐπιπορπήματι χρυσῷ, nisi potius per *fibulam auream* interpretari præstet. Sed & moris erat apud Romanos, ut principum atque illustrium virorum liberi, qui juvenili essent ætate bullam a collo pendentem gererent. Docet id exemplum Antylli, qui filius fuit M. Antonii Triumviri, de quo, quum jussu Cæsaris Octaviani occideretur, narrat *Plutarchus*, quod magni pretii gemmam, surreptam a Theodoro pædagogo pendentem a collo gestaverit; Theodorum vero meritas luisse pœnas Augusti jussu suspensum. Ὥσπερ γὰρ τὰ τῶν εὐπόρων παιδία κόσμον ἔχει χρυσοῦν περὶ τὸν τράχηλον, καὶ οὐδέποτε αὐτὸν ἀποτίθεται, ὡς τῆς εὐγενείας δεῖγμα φέροντα, inquit *Sanctus Chrysostomus* in Homiliis ad Epistolam Pauli ad Philippenses. Quæ verba significant: *Sicuti pueri nobiles nudo ex collo ornamentum honoris habent aureum, quod nunquam deponunt, quoniam illud in nobilitatis testimonium gerunt.* Hæc itaque Victoria ejusmodi instructa ornamento, atque insuper caduceo, veluti symbolo acquisitæ pacis per bellicam gloriam & dexteritatem togatam Vespasiani, recte præcedentem habet Serpentem veluti viæ ducem, atque Genium, tum fortunati Imperii Romani, tum ipsius Imperatoris Vespasiani; cui scilicet in bellis suis atque consiliis Populi Romani bonus semper adfuisset Genius. Antiquitus enim serpentes pro Geniis salutaribus habiti fuerunt, atque symbolo felicitatis:

„ Ὄφις θεαθεὶς ἐν κλίναις εὐπραγία.

„ *Nicephori* sunt in Oneirocriticis: *serpens visus in thoro felicitatem protendit.* Sed præcipue quoque in expeditionibus militaribus visus serpens bonum solet esse ostentum; unde in Augusti quinario cum epigraphe: ASIA RECEPTA, in qua mediam aram includentes cingunt erecti in spiras duo serpentes, insignem illam de Asia Augusti adumbrantes victoriam. Notavi quoque *Sisennæ* quemdam locum ad illustrationem nummi cujusdam a Triumviris percussi, quo confirmatur quod serpens olim pro symbolo felicitatis & victoriæ fuerit habitus. Sed quod omne de conjectura mea tollit difficultatem eamque comprobat, respectu serpentis veluti prægressu suo viam monstrantis atque felicem fortunam pollicentis, est *Arriani* de Expeditione Alexandri Magni locus Lib. III. ubi narrat bonum a Rege fuisse habitum præsagium, quod quum cum exercitu proficisceretur ad Templum Jovis Ammonis, duo serpentes, tamquam si viæ duces forent, ante castra ejus præcesserint." Hæc pro more suo erudite disputat *Tristanus*. Vidimus autem similem typum Pacis Augusti inter Claudii Nummos Aureos Tab. IV. Num. 13. Argenteos Tab. V. Num. 11. 12. neque quid aliud quam in illis Claudii nummis in hoc Vespasiani significari existimo. Pantheon videlicet esse credimus sive conflatam ex pluribus Numinibus figuram; quod Pantheon secum ferat omnia Pacis bona eorumque non modo effectum sed & caussam. Pacis symbolum est Caduceum, quod & Concordiam significare solet; Justitia vero Regna & in Regnis Pax florent; quare figura hæc, uti Nemeses in Smyrnæorum aliorumque Nummis, non bullam dextra tenet, sed vestis laciniam ad vultum adtollit, quasi obvelatura oculos ne secundum adspectum judicet. Prudentia autem & celeritate adquiri victoria solet, quarum emblemata sunt Serpens & Alæ; vel, si ad studia Pacis postrema quoque adplicare lubet, Pace florent Artes, quarum Deæ Minervæ Serpens potest esse symbolum; artium gloria claritudinem accendit & Alas Famæ addit. Servatur aureus hic nummus in *Thes. Schwarzburgico.*

Num. 36.

Partis anterioris epigraphe mihi incognita est.

PAX

PAX AUGusti. Dea stolata stans, læva oleæ ramum tenet, dextra caduceum extendit super tripodem, in quo quiddam obscurius expressum eruitur repositum.

Hic quoque Pacis typus est, & conveniens salutifero huic bono emblema. Studia concordiæ monstrans & quietis publicæ bonum, paciferam oleam dextra tenens, Minervæ, quæ artium præses est, amatum frondem. Tripus adstat, religionis instrumentum. Bello scilicet sacra turbantur & profana; quod tripodi superjacet hostiæ femur esse reor, ex clarioribus figuris in aliis ejusmodi typis a me inventis. Exstat in *Thes. Reg. Versaliensi.*

NUM. 37. 38. 39. 40.

Vacant.

TABULA VI.

CONTINET ETIAMNUM

NUMISMATA AUREA

IMP. FLAVII VESPASIANI.

NUM. I.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

CONSENSUS EXERCITuum. Duæ figuræ militares armatæ & paludatæ, sibi invicem dextras porrigunt, lævis aquilas tenent legionarias.

Dubitari nequit, quin statim ubi ad Imperium a militibus vocatus fuit Vespasianus, insigne hoc numisma signatum fuerit. Intererat enim nosci Romæ & ubique validissimarum legionum concordiam in eligendo sibi Imperatore fortissimo, qui collapsam inertia priorum Principum restauraret Rempublicam. Exercitus itaque Judaicus atque Syriacus, vel potius Alexander atque Mucianus, eorumque legiones in Ægypto atque Syria (non exclusis tamen exercitu Judaico aliisvè,) hic depinguntur, ut qui Vespasianum cum Judaico ipsius exercitu valide ad adipiscendum Imperium adjuverint. Nota sunt, & alibi adlata ex *Suetonio* & *Tacito* studia Alexandri & Muciani in Vespasianum. Quare *Flavii Josephi* hic verba subjungam. Is ubi descripsit, quomodo invitus fere ab exercitu Judaico Imperator salutatus fuerit Vespasianus, subjungit Ægypti commoditatem atque necessitatem potiundi ejus terræ illi qui ad Imperim adspirare vellet. Pergit deinde ita Lib IV. De Bello Jud. Cap. X §. 6. p. 309. Ἐφίετο μὲν ἂν εἰκότως &c. i. e. *Adeoque minime quidem mirandum est, Vespasianum rerum istarum potiri quæsiisse, ad totius Imperii firmamentum. Proinde statim ad Tiberium Alexandrum, qui Ægyptum & Alexandriam administrabat, literas mittit; quibus indicabat & militum promtam in se voluntatem, & quod ipse, ex necessitate onus Imperii subiens, ipsum administrum & adjutorem sibi adsumeret. Alexander autem, cum prælegisset literas, prompto statim animo & legiones & populum ad fidem ei præstandam jurejurando adegit; id quod ab utrisque lubenti animo factum est; ut qui viri virtutem nossent ex rebus illius ductu in vicinia gestis. Atque ille quidem, cum jam sibi credita essent, quæ ad Imperium spectabant, quæ ejus etiam adventui necessaria erant omnia præparabat. Citius autem quam existimari potuit fama nunciabatur in Oriente Vespasianum esse Imperatorem: & omnis quidem civitas dies festos agebat, nec non & nunciis præmia dabant, & sacra pro ejus salute faciebant. Legiones autem apud Mysiam & Pannoniam, paullo ante ob Vitellii audaciam in tumultus concitatæ, majore cum gaudio Imperium Vespasiano jurejurando confirmabant. Ille vero profectus Cæsarea Berytum veniebat, ubi multæ quidem ex Syria, insuper multæ ab aliis provinciis legiones ei obviam factæ sunt, coronas & gratulatoria decreta a singulis civitatibus adferentes Quin & Mucianus aderat, provinciæ præses, pronam in eum populorum voluntatem & juramenta ei jurata adnuncians.* Hanc igitur Concordiam Exercituum, Judaici, Syriaci, Ægyptiaci, Pannonici & Mysici, celebrat aureus hic (cui similis exstat ex argento) celebrat nummus. Perperam vero *Jo. Vaillantius* figuras togatas esse adserit & sceptrum eburneum manu tenere, in Numm. Rarior. Tom. II. p. 89.

NUM. 2.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

SALUS AUGusti. Dea sedens dextra pateram tenens, læva sellæ innixa.

Consulatu quarto Vespasiani ejusmodi nummi argentei cusi inveniuntur, quare & aureum hunc ad eundem Consulatum referunt. Vota autem pro salute Cæsaris suscepta cum illum iniret Consulatum typus hic exprimere potest. Servatur nummus in *Thes. Regio Versaliensi.*

NUM. 3.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COS. IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

CAESar IMPerator VESPasianus PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

VICToria AUGusti. Victoria globo insistens, dextra lauream protendit, læva palmam fert super humeros.

Depulsis æmulis, subactis hostibus, parta ubique victoria, Dominus Orbis Romani factus Vespasianus typum hunc nummis suis aureis atque argenteis impressit. Delineavit eumdem ex *Thes. Schwarzburg. Andr. Morellius* Cum prima capitis inscriptione servatur in *Museo Theupoliano*, cum secunda in *Museo Farnesiano.*

NUM. 4.

VICTORIA AUGUSTI. Dea sedens, dextra corollam protendeus, læva palmæ ramum tenet.

Victoriam de hostibus & hic celebrat nummus, cujus capitis epigraphe mihi ignota est.

NUM. 5. & 6.

Vacant.

NUM. 7.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Coronæ laureæ inclusa, & clypeo (ut videtur) inscripta vox AUGusto.

Supra ad Tab. V. Num. 30. de ejusmodi nummis egimus, ubi quæ scripsimus consuli possunt. In hunc vero Commentarium scripsit *Jo. Tristanus* Tom. I. p. 283. quem quidem Lectori invidere nolumus. Verba ejus ex Gallico idiomate Latine versa hæc sunt: „ IMP. CAESAR „ VESPASIANUS AUG. Vespasiani caput lau- „ reatum, l. v. ab altera parte hæc sola vox „ AUG. i. e. AUGusto, coronæ inclusa cerni- „ tur. Quam quidem picturam unam ex illis co- „ ronam repræsentare existimo, quam magno illi „ Imperio Romano subjecti populi Vespasiano, „ Imperatori facto miserint; quod innuit *Poëta* „ *Apollonius* Lib. III. de Excidio Hierosolymi- „ tano hisce verbis,

„ *Tum more vetusto*
„ *Insuper Eoi Reges misere coronas,*

„ Quam vetustam admodum fuisse consuetudi- „ nem confirmat *Synesius* in Oratione de Regno, „ ubi mentionem facit legationis suæ ad Arcadium „ Imperatorem, atque narrat Cyrenis sese missum „ fuisse (ibi enim Episcopus erat) ad Imperato- „ rem Arcadium, ibique magnum illum Princi- „ pem adloquens eleganter atque magnifice ita „ orditur: Κυρήνη στεφανώσοντά σε χρυσῷ μὲν τὴν κεφαλὴν, „ φιλοσοφίᾳ δὲ τὴν ψυχὴν. Quasi diceret: *Patria mea* „ *Cyrene legatum me, Arcadi gloriosissime, ad te* „ *misit, ut caput tuum auro coronarem, animum ve-* „ *ro tuum Philosophiæ donis.* Coronarum ex cin- „ namomo meminit *Plinius* Lib. XII. Cap. 19. „ quas testatur invenisse Vespasianum, hisce ver- „ bis: *Coronas ex cinnamomo interrasili inclusas pri-* „ *mus omnium in Capitolii Templis atque Pacis dedi-* „ *cavit Imperator Vespasianus Augustus.* Verum „ num hæc, quam nummus repræsentat co- „ rona, ejus fuerit generis divinando adsequi non „ possumus.„

NUM. 8.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

Senatus PopulusQue Romanus Patri Patriæ OB Cives Servatos. In Corona Quernea.

Merito hoc monumentum gloriæ Vespasiani datum dicatumque fuit; oppressam enim à fœdissimis tyrannis, & novissime a Vitellio, Rempublicam servavit, *solus omnium ante se Principum in melius mutatus.* ut de Vespasiano scribit *Tacitus* Hist. Lib. I. Cap. 50. in cujus sinu quieturam aliquando a turbis & sordibus ex lepido, qui ipsi obvenit casu, præsagiebant quidam apud *Sueton.* in Vesp. Cap. V.

V. *Mox eum Ædilem cum C. Cæsar succensens, propter curam verrendis viis non adhibitam, luto jussisset oppleri, congesto per milites in prætextæ sinum, non defuerunt qui interpretarentur: Quandoque proculcatam, desertamque Rempublicam civili aliqua perturbatione in tutelam ejus, ac velut in gremium, deventuram.* Cum priore capitis inscriptione servatur in *Museo Theupoliano*, cum secunda citatur apud *Com. Mediobarbum* p. 110.

NUM. 9.

Capitis epigraphe præcedente nummo similis esse videtur.

Senatus PopulusQue Romanus OB Civis Servatos. in Corona Quernea.

Fortassis titulus *Patris Patriæ* in priori nummi parte fuit adscriptus, atque ideo prætermissa ab hac parte. Occurrit nummus inter *Nummos Arschotan.* vulgatus ibidem Tab. XXVI. Num. 7.

NUM. 10.

Et hujus epigraphe ad caput Vespasiani similis præcedentibus esse videtur.

Senatus PopulusQue Romanus. in Corona Quernea.

Titulus ille OB *Civis Servatos* in hoc quidem nummo non exprimitur, sed satis indicat eumdem ipsa Corona Quernea, quæ ob cives servatos donari apud Romanos solebat.

NUM. 11.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

PONTIFex MAXIMus. Figura togata sedens, dextra hastam; læva ramum tenet.

Censoriæ potestatis notio nos docet cusa fuisse ejusmodi numismata sub tertio Consulatu Vespasiani, quo eidem statua ejusmodi posita Romæ fuisse videtur. Neque enim ejusmodi honorem optimo Imperatori Romæ defuisse, sive recusatum ab eodem fuisse, plus est quam verosimile, licet alias pecuniam, quam in usus publicos effundebat, magis amaret quam honores & inanes titulos. Quo spectat jocus ille in funere Vespasiani cum risu exceptus apud *Suetonium* in Vesp. Cap. XIX. *Sed & in funere Favor archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut mos est, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, Quanti funus & pompa constaret? ut audit HS. centies, exclamavit: Centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent.* Qui jocus quum alias aviditatem pecuniæ in Vespasiano carpit, tum aperte satis ad ipsius lepidum adludit dictum apud eundem *Suetonium* Cap. XXII. *Nuntiantes legatos, decretam ei publice non mediocris summæ statuam colosseam: jussit, ut continuo ponerent, cavam manum ostendens, & paratam basim dicens.*

NUM. 12.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul ITERum TRibunicia POTestate. Neptunus stans, dextrum pedem proræ navis inponit, manu dextra delphinum tenet, læva tridentem.

Dubitari nequit, quin spectet hic nummus ad reditum Vespasiani ex Oriente atque Ægypto Romam, brumali enim tempore maritimum iter ingressus, feliciter Romam advenit Consulatu suo secundo. Invenit nummum hunc *Andr. Morellius* in *Thes. Regio Versaliensi.* Servatur & in *Museo Theupoliano*, ut patet ex Catalogo ejusdem p. 141.

NUM. 13. 14.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul ITERum TRibunicia POTestate. Figura muliebris stans, dextra bilancem læva hastam tenens transversam.

Justitiæ imaginem videmus, quæ summa & propria summi Magistratus & Imperii virtus est. Exercitium ejus curæ fuisse Vespasiano patet ex *Suetonio* in Vita ejus Cap. X. *Sorte elegit, per quos rapta bello restituerentur: quique judicia centumviralia, quibus peragendis vix suffectura litigatorum ætas videbatur, extra ordinem dijudicarent, redigerentque ad brevissimum numerum.* Sed & circa mores, ut verus Censor, quæ æqua, justa & moderata erant, constituit. *Suetonius* ibidem: *Auctor Senatui fuit decernendi, ut quæ se alieno servo junxisset, ancilla haberetur. Neve filiorum familias feneratoribus exigendi crediti jus unquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem.* Uterque nummus, inscriptionis tantum positura discrepans, in *Thesauro Regio Versaliensi* invenitur.

NUM. 15. 16.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate II. COnSul III. Pater Patriæ. Figura muliebris stolata sedens, dextra oleæ ramum, læva caduceum tenens.

Exstincta Vitellii factione, debellatis Judæis, nullus Vespasiano aut Reipublicæ hostis supererat, quare Deæ Pacis sedentis, veluti quieto in loco mansuræ, exprimitur symbolum. Vulgatus fuit ab *Ænea Vico* inter Numism. Aurea Vespasiani Num. 4.

NUM.

NUM. 17.

Partis anterioris Inscriptio mihi incognita est, puto hanc esse: CAESar VESPASIANUS AUGustus.

IMPerator Pater Patriæ COnSul II. DESIGnatus III. Roma galeata stans, dextra hastam transversim tenens, victoriolam globo insistentem læva porrigit Imperatori togato stanti ex adverso, atque hastam tenenti.

Festinanti nimis oculo hunc nummum vidisse videtur *Joh. Vaillantius*, dum in Numism. Rarioribus Tom. II. p. 92. scribit, sedere Romam, quæ stans depingitur. Victoriam Roma Vespasiano patri porrigit, respectu captæ à filio Tito Hierosolymæ, & recte togato, ut observavit quoque *Jo. Vaillantius*, nam in Urbe jam agebat Vespasianus, quum filius Titus bello Judaico, capta Hierosolyma, finem inposuisset. Servatur in *Thesauro Regio Versaliensi*.

NUM. 18.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate II. COnSul III. Pater Patriæ. Figura muliebris stolata, sedens, dextra oleæ ramum tenet, læva caduceum.

Pacis est typus, quæ creberrime in Vespasiani occurrit nummis, propter superbum huic Deæ erectum ab illo Templum.

NUM. 19.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

PONtifex MAXimus TRibunicia Potestate COnSul VI. Cista Bacchica, cui Victoria insistit, dextra corollam protendens, læva tenens palmam, ad cistæ latera duo erigunt sese angues.

Typus hujusmodi in notissimis atque numero infinitis Augusti quinariis invenitur. Sed rarior multo in Vespasiani occurrit nummis. Adscribitur in Augusti nummulis: ASIA RECECTA. Tab. XVII. Num. 5. In hoc Vespasiani dignitates ejusdem persequitur epigraphe. Cæterum non alius typi hujus in Vespasiani nummo est ratio, quam in Augusti quinario. Judæis debellatis pacata simul omnis Oriens erat. Eyplicatio typi videri potest inter Numismata Augusti pag. 293. Servatur in *Thesauro Schwarzburgico*; vulgavit jam olim *Æneas Vicus* inter Aur. Vespasiani Numismata Num. 3.

NUM. 20.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VI. Bos cornupeta.

Similes typi passim in Augusti Num. Aur. Tab. X. Num. 3. 4. 5. occurrunt, ubi eorum interpretatio quærenda. Servatur hic nummus in *Thesauro Schwartzburgico* & in *Museo Theupoliano*, ubi describitur p. 142.

NUM. 21.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS. in aliis additur AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VII. Bos cornupeta.

Explicatio hujus nummi similis, ut typo, est præcedenti.

NUM. 22.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VII. Vacca stans.

Occurrit similis quoque typus inter Augusti Tab. XVI. 31. 32. unde explicatio peti potest.

NUM. 23.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

PONTifex MAXimus TRibunicia Potestate COS. VII. Pater Patriæ. Columna rostrata, cum insistente statua togata, capite radiato, quæ dextra hastam gerit, læva parazonium.

Præstantissimus hic Vespasiani nummus (cui similis typo, sed cum alia inscriptione occurrit infra Num. 28.) docet nos restitutam fuisse ab illo Imperatore columnam ejusmodi rostratam. Fuit certe una ex illis, quæ incendio perierant, & quantum conjectura adsequi possum illa, quæ Divi Julii quondam fuit in Capitolio. Hanc enim, postquam in bello civili arserat sub Vitellio Capitolium, una cum ipso Capitolio & innumeris aliis magnificis operibus restituisse videtur Vespasianus. Meminit ejus Columnæ *Servius* ad Virg. III. Georg. versu 29. *Nam rostratas C. Duilius Consul posuit, victis Pœnis navali certamine: è quibus unam in rostris; alteram ante Circum vidimus à parte januarum.* Priorem innuit *Livius*, scribens Lib. XLII. Cap. 20. *Nocturna tempestate Columna rostrata in Capitolio*

tolio tota ad imum fulmine discussa est. Ipsa statua, Columnæ inposita, restitutoris Vespasiani esse videtur, qui radiata ornatur corona, sicuti in plurimis nummis ex medio ære ejusdem caput occurrit. Nisi quis de Augusto statuam explicare malit, atque Columnam illam interpretari de quatuor illis, quas Augustus olim erigi jussit, quas scilicet Vespasianus quoque restituerit. *Servius* ad eundem *Virgilii* versum:

Nilum, ac navali surgentes ære columnas.

Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra; quibus conflatis, quatuor effecit columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ: quas hodieque conspicimus. Verum illæ columnæ non dicuntur rostratæ, sed ex æreis navium rostris conflatæ. Quare priori adhæremus sententiæ. Antiquarii existimant Columnas illas Augusti, ex Capitolio translatas, hodieque conspici in Basilica Lateranensi Sancti Johannis. Servatur hoc numisma in *Thesauro Regio Versaliensi.*

NUM. 24.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VIII. Mars stans nudus, nisi quod ad ventrem zona cingatur, dependentibus à postica corporis parte laciniis, dextra tenet spiculum transversim, læva tropæum.

Martis Ultoris est effigies, fere ut Tab. præcedente Num. 23. ubi vide quæ diximus. Exstat in *Museo Farnesiano* Tab. XX. Num. 5.

NUM. 25.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Imperator Vespasianus lorica armatus, capite nudo, dextra tenens hastam, læva parazonium; adstans à tergo Victoria eundem coronat, læva palmam tenens.

Victorias fortissimi Imperatoris typus designat. Vulgatus & depictus cernitur inter *Numism. Arschotan.* Tab. II. Num. 8. inter *Æneæ Vici* Numism. Aurea Num. 5. & in *Museo Farnesiano* Tab. VIII. Num. 7. Mihi similem apud amicum contemplari licuit. Typum ex *Thesauro Schwarzburgico* expressit *Andreas Morellius.*

NUM. 26.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VIII. Jugum boum.

Ad designandas Colonias à Vespasiano deductas inservit hic Typus. Vulgatus & depictus exstat in *Museo Farnesiano* Tab. XX. Num. 6.

NUM. 27.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VIII. Ratis, desuper stella est.

Stellam, sive astrum illud, ad Dioscuros refero, ut qui felici navigationi præesse credebantur; per ratem vero designari existimo classes frumentarias Alexandrinas, quas, quotannis, & quoties opus erat, ut frumentum Romam adveherent, sollicite curavit providus Imperator. Unde quoque similes typi inter argenteos Vespasiani nummos occurrunt.

NUM. 28.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate COnSul VIII. Columna rostrata cum Statua insistente.

Vide explicationem supra hujus Tabulæ Num. 23.

NUM. 29.

Inscriptio hujus nummi partis anterioris mihi incognita est, sed a præcedente vel sequente non discrepare multum videtur.

TRibunicia POTestate X. COS. VIII. Figura muliebris stolata, stans, capite turrito, dextra hastam tenens, læva sinum omni genere frugum onustum sustinens.

Sæculum Vespasiani frugiferum hoc typo innui non est quod dubitemus; sub ejus enim Imperio Vesta, quæ ex capite turrito noscitur, neque alia est quam terra, mater omnium & frugum altrix, floruit viguitque in alta pace atque summa Reipublicæ Romanæ quiete. Servatur hoc numisma in *Thesauro Regio Versaliensi.*

NUM. 30.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate X. COnSul VIIII. Victoria ambabus manibus clypeum tropæo inponit, in cujus imo sedet Provincia lugens.

Victoriarum, & inprimis Judaicæ, in Vespasiano, hic nummus testis est, unde & repetitum videmus typum eundem infra Num. 38. addita Sena-

SenatusConsulti nota. Servatur in *Thesauro Theupoliano* p. 146.

Num. 31.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate X. COnSul VIII. Capricornus cum globo.

Ratio hujus typi similis esse potest nummulis Augusti pluribus Capricorni signo insculptis; ut scilicet id natale quoque sidus habuerit Vespasianus. Neque enim à Mathematicorum vana arte immunem fuisse Vespasianum liquet ex *Sueton.* Cap. ult. in Vita ejusdem: *Convenit inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse, ut post adsiduas in eum conjurationes ausus sit adfirmare Senatui, aut filios sibi successuros aut neminem.* Ubi nota illud de *sua genitura.* Quare si Capricorni sidus natale habuerit, mirari haud debemus, Augusti exemplo, fiduciam fati quoque in nummis suis publicasse. Delineavit hunc nummum ex *Thesauro Regio Versaliensi*, ubi in aureis invenitur, nam in argenteis in *Museo nostro* & passim servatur, *Andreas Morellius.*

Num. 32. 33. 34. 35. 36. 37.

Vacant.

Num. 38.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

EX Senatus Consulto. Victoria ambabus manibus clypeum tropæo inponit, subtus sedet Provincia lugens.

Signatum hoc numisma videtur fuisse eodem tempore, quo illud, quod supra Num. 30. habuimus, idem enim prorsus est typus. Sed quoniam huic adscribitur EX *Senatus Consulto*, adparet honorem insigniorem Vespasiano à Senatu habitum, Clypeum itaque arbitror esse Votivum, quem posuerit Vespasiano Senatus propter victoriam non modo Judaicam, sed & auctas Romani Imperii Provincias. Signatum enim fuit post Thraciam, Ciliciam & Commagenem in Provinciarum formam redactas, atque ademtam libertatem Lyciæ, Achajæ, Rhodo, Byzantio. Servatur in *Thesauro Regio Versaliensi.*

Num. 39.

DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS. Caput Vespasiani, laureatum.

EX Senatus Consulto. Thensa insculptis Victoriis magnifice exornata, quæ à quatuor trahitur equis, in summo stantes duæ Victoriæ corollas super urnam utrimque ansatam tenent.

Insignis hic typus est & insigne numisma, cusum post mortem Vespasiani; atque nota Senatusconsulti ornatum, quæ docet mortuo honorem ex Senatusconsulto habitum. Vasculum, sive urna, in summo thensæ fastigio ab adstantibus Victoriis coronatum, plane simile est urnæ, quæ super columnam in sequenti nummo cernitur. Quare judico & collumnam illam, quæ in sequenti nummo adparet, mortuo Vespasiano ex Senatusconsulto fuisse erectam, & illi superpositos defuncti in urna aurea vel alia pretiosioris materiæ cineres, atque insuper ex decreto Senatus vectam eandem urnam ingenti cum pompa in elaboratissimæ artis & splendoris thensa, à quatuor equis tracta, ut magna cum solemnitate super illam columnam reponeretur. Pulcherrimæ fabricæ hoc quidem est numisma, quod ex auro servatur in *Thesauro Schwarzburgico*, atque ex argento in *Museo Comitis de Thoms.*

Num. 40.

DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS. Caput Augusti laureatum.

EX Senatus Consulto. Columna, cum adfixo ab ima parte clypeo, atque urna superposita, inter duas arbores laurus.

Hæc est illa columna, quæ erecta ex Senatusconsulto cineres Vespasiani in superposita aurea urna servasse videtur. Clypeus sive Clypeum, inter monumenta fuit Principum, bene qui de Republica erant meriti, quod exemplis adstruere non opus est. Duæ laurus bina laureta significare possunt, quibus cincta illa columna fuit, ut simul sacrum nemus ex sempervirenti lauru semper-victori Vespasiano dedicatum fuerit; vel simpliciter victorias ejus innuunt. Servatur in *Thesauro Schwarzburgico*, & in *Museo Theupoliano.* Vulgatus olim fuit ab *Ænea Vico* inter aureos Nummos Num. 2. *Joh. Tristanus* quoque typum hunc illustrare conatus fuit, cujus in Comm. Historiar. Tom. I. p. 288. hæc sunt verba: "DIVUS VESPASIANUS. Effigies „ Vespasiani consecrati, lauro tamen coronati. „ Ab altera parte legitur: EX S. C. visiturque „ vasculum oblongum, inter duos ramos laureos „ stans erectum. Per omnia hic nummus notabilis est. Primo enim loco Vespasianus inter „ Divos relatus per Senatusconsultum, debuerat „ (uti passim in nummis fieri solet) corona radiata „ ornari, non laurea. Sed contrarii hujus in hoc „ nummo ornatus ratio est, quod inter Deos relatus fuerit tamquam Heros, qui & viveret & „ victor exsisteret. Moris enim fuit apud antiquos „ Heroas mortuos lauro aut floribus coronare. „ Sic coronatum post mortem Polynicen suum introducit *Statius* Lib. XII. Thebaidos hisce versibus:

„ *Hostiles super ipse & victor acervos*
„ *Pacifera lauro, crinem vittasque decorus,*
„ *Accubat.*

„ Sic, referente *Plutarcho* in Marcelli Vita, „ mortuum eundem coronavit Hannibal, atque „ Romani Scipionem Africanum. Vasculum autem illud, sive urceus, nobis curiosum & parum „ cognitum antiquitatis quendam ritum aperit; solebant videlicet funeri adponere veteres vasculum, „ quod λήκυθος dicebatur, oleo & pretiosis liquoribus

„ bus plenum, ficuti nos docet *Pollux* Lib. X. Cap. „ 26. Meminit ejus *Ariſtophanes* in lepida illa „ Comœdia, quæ inſcribitur Concionatrices, his „ verbis:

„ Ἀλλ' ἐμ' ἀποδύσασ' ἐπιλαβοῦσα τοὔγκυκλον,
„ Ὤχου καταλιποῦσ' ὥσπερεὶ προκείμενον
„ Μόνον οὐ στεφανώσασ' οὐδ' ἐπιθεῖσα λήκυθον.

„ id eſt, *Nudum me relinquens, atque veſte diſpo-* „ *liatum, deſertum veluti mortuum, ſed ne quidem co-* „ *ronatum neque vel lecythum mihi adponentes.* Ubi „ hæc addit Scholiaſtes: Εἰώθασι γὰρ ἐπὶ τῶν νεκρῶν τοῦτο „ ποιεῖν, *id enim moris erat mortuis præſtari.* Ute- „ bantur in funebri pompa quoque vaſe ingenti, „ quod ἀρδάνιον adpellabant, teſte *Polluce*, qua con- „ vivæ poſt peractam funebrem cœnam ſeſe ex- „ piare ſolebant atque abluere triſtitiam ex fune- „ re conceptam. Tale genus luſtrationis Romani „ quoque adhibebant, ut ex *Feſto* adparet. Lau- „ rus vero hæ binæ duabus de cauſis urceo ad- „ ſtant. Primo ut denotent victorias illas duas „ nobiliſſimas, quæ maximam Veſpaſiano pepere- „ re gloriam, videlicet Britanicam atque Judaicam. „ Prior enim illa oſtendit dignum Imperio fuiſſe Ve- „ ſpaſianum; ibi enim tricies cum hoſtibus inſtru- „ cta acie conflixit, atque toties (uti teſtatur *Sue-* „ *tonius*) eos vicit. Bello autem Judaico, à filio „ Tito adjutus potentiam Judæorum penitus fre- „ git. Altera ratio eſt, quod ſoliti fuerint Roma- „ ni in purgationibus atque luſtrationibus lauro uti, „ prout *S. Clemens Alexandrinus* obſervat in Protre- „ ptico. Adde *Plutarchum* in Vita Philopœmenis. „ Poſſunt quoque Laurus ſpectare ad antiquam il- „ lam conſuetudinem, qua prope aras atque mo- „ numenta Deorum plantari ſolebant illæ arbores „ pro adumbratione; unde apud Poëtam Æſchylum „ commemorari videas ἕδρας κατασκίους, *ſedes umbra-* „ *tas.* Ad eandem quoque adludit conſuetudinem „ *Virgilius* Libro Æneid. II.

„ *Ingens ara fuit juxtaque veterrima laurus,*
„ *Incumbens aræ, atque umbra complexa Pe-*
nates.

„ In multis quoque Veſpaſiani nummis clypeus cer- „ nitur columnæ inpoſitus, inter duas laurus, cum „ nota S. C. atque nulla alia Inſcriptione. In „ aliis exiguum quoque adparet vaſculum, utrim- „ que anſatum, quale cineres ejuſdem Imperatoris „ continuit. Solebant autem pagani iis tempori- „ bus vaſa ejuſmodi ſive urnas, quæ Heroum at- „ que conſecratorum Imperatorum continebant „ cineres, inſigni honore proſequi; nam proſtra- „ ti ante eaſdem, oſculis urnas fatigabant. Quam „ ſtultitiam merito ridet *Prudentius*, ſive apud il- „ lum Martyr Sanctus Romanus, hiſce illorum „ idololatriam increpans:

„ *Homines fuiſſe cum ſcias quos conſecras,*
„ *Urnas, regum morticinas, lambere?*"

T A B U L A VII.

QUÆ EXHIBET

NUMISMATA ARGENTEA

IMP. FLAVII

VESPASIANI,

EX MAJORI ET MINORI MODULO.

NUMISMATA ARGENTEA MAJORA.

Num. I.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR.*) *Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. (*ANNO NOVO SACRO I.*) *Aquila clavæ expanſis alis inſiſtens, roſtro coronam tenet; ante aquilam eſt palmæ ramus.*

Pro commentario in hoc Numiſma argenteum maximi moduli inſervire poſſunt verba *Joh. Vaillantii* in Rar. Num. p. 69. quæ hæc ſunt: "Plu- „ rimi obſervantur nummi Imperiales argentei cum „ hac epigraphe: ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. & anno „ addito; diverſi ſunt typi, prout in variis urbi- „ bus percuſſi, omnes ſunt tetradrachmi, primuſ- „ que occurrit ſub Veſpaſiano cum nota Α. id eſt, „ *Anno primo*, quem de anno novi Templi inter- „ pretatus eſt doctiſſimus *Seguinus*, æra nempe com- „ putata à reparato ſub Veſpaſiano Jovis Capitoli- „ ni Templo; ſed cum hæc æra ſtare nequeat, de „ *anno novo ſacro primo* intelligendum videtur."

Fulmen sub aquilæ pedibus in quibusdam depingitur, prouti expressum videre licet apud *Æneam Vicum* & in *Numism. Arschotan.* & Vespasiani Num. 18. in nummis videlicet Seleuciæ cusis, in qua urbe Fulmen in magna erat veneratione, uti ex æreis nummis atque argenteis sub Regibus Syriæ cusis norunt Antiquarii, sed Numismata quæ clavam sub pedibus aquilæ exhibent Tyri signata sunt. Explicatio illa de Templo Capitolino exstat apud *Seguinum* in Select. Numism. p. 144. ad Num. hujus Tabulæ 9. Pulcherrimum vero hoc Numisma vidi nuperrime in nobilissimo *Museo Comitis de Thoms.*

NUM. 2.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR.*) *Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Β. (*ANNO NOVO SACRO II.*) *Aquila expasis alis clavæ insistens, rostro coronam tenet; ante illam est palmæ ramus, ut in præcedenti, Phœniciæ symbolum, intra pedes aquilæ luna crescens cernitur.*

Lubet & ad hunc *Johan. Vaillantii* adducere interpretationem, qui pag. 96. laudati libri scribit in hunc modum: " Aquila Jovis, hujus " Dei frequens symbolum, forsan *Ill. Spanhemius* " pag. 881. in *Seguini* sententiam *anni novi Templi* " traxit; sed Jupiter in nummo ab eo vulgato, " Capitolinus non est, sed Salaminius, ut infra " videbimus: nec aquila in hoc, cum anni secun- " di nota, ad Jovem spectat; Imperii Romani in- " signe est in variis Syriæ & Phœniciæ urbibus, ut " norunt tyrones, obvium: quæ pro nomine " sæpe illius symbolum posuere, qualis clava, cui " insistit aquila, Tyrum denotat, ob Herculem " ibi cultum." De Templo Jovis Salaminii vide infra ad Num. 8.

NUM. 3. & 4.

Vacant.

NUM. 5.

ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. . . . ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. (*IMPERATOR CAESAR VESPASIANUS.*) *Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Γ. (*ANNO NOVI SACRI III.*) *Aquila expansis alis clavæ insistens, rostro coronam lauream tenet, ante illam palmæ ramus est.*

Et hoc pulcherrimum Numisma, cujus explicatio à præcedentibus dependet, observavi in splendidissimo *Museo Comitis de Thoms.*

NUM. 6.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR.*) *Caput Vespasiani laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Δ. (*ANNO NOVO SACRO IIII.*) *Aquila expansis alis insistens aræ lemniscis exornatæ rostro caduceum tenet, ante dextrum pedem palmæ ramus surgit, apud* Zantanum *&* Æneam Vicum *ad utrumque pedem lauri ramus depingitur; in alio, quem* Joh. Vaillantius *vidit, pro pedibus alitis ex modio duæ spicæ prodeunt.*

Verba *Joh. Vaillantii* ad hujus typi nummique explicationem hæc sunt, ibidem pag. 97. " Per " aquilam aræ encarpis exornatæ insistentem, " & per caduceum pacis symbolum, urbs quæ " nummum cudit *anno novo sacro* (id est Imperii " Vespasiani) *quarto*, ad Templum Pacis, quod " ille Princeps sub Claudio inchoatum perficere " curabat, respexisse videtur. Nisi mavis typum " ad Pacem in Orbe Romano designandum referri. Palmæ ramus nummum Apamææ cusum " denotat, ut in Historia nostra Regum Syriæ " diximus"

Et hoc insigne numisma servat splendidissimum *Comitis de Thoms Museum.* Vulgarunt olim *Antonius Zantanus* & *Æneas Vicus* inter Arg. Num. Vespasiani Num. 43.

NUM. 7.

Vacat.

NUM. 8.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR.*)

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. (*ANNO NOVO SACRO VIII.*)

Et hoc numisma lucem *Joh. Vaillantio* debet, qui ad typum ejusdem hæc profert: " Templum " Veneris Paphiæ, ab omnibus Antiquariis notum, " in Vespasiani nummo, cum epigraphe: *ANNO* " *NOVO SACRO OCTAVO*, nos edocet Pa- " phios Cypri nummos suos Vespasiano dedicasse, " ut & Syros & Phœnices, cum simili elogio Prin- " cipis, præsertim cum ab eo pecuniam ad repa- " randam urbem terræ motu afflictam accepis- " sent; de quo *Eusebius*: *Tres Civitates Cypri ter-* " *ræ motu occiderunt.* Unde Sibyllina Carmina:

" Καί ποτε δὴ Σαλαμῖνα Πάφον θ' ἅμα σεισμὸς ὀλέσσῃ
" Κύπρον ὅταν περίκλυστον ὑπερκλύσῃ μέλαν ὕδωρ.

" Ex inundatione terræ motum sequuturum in- " nuunt.". De Templo hoc Veneris Paphiæ Deæ-

que

que simulacro in metæ surgentis, sive pyramidis, formam, alibi in hoc Opere fusius egimus.

Num. 9. & 10.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR VESPASIANUS CAESAR.*) *Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.*

ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *in altero* Θ. (*ANNO NOVO SACRO OCTAVO* vel *NONO.*) *Jupiter barbatus & palliatus stans, dextra pateram tenet, sinistra innititur scipioni, cui aquila insistit.*

Procedat & hic *Joh. Vaillantius*, cujus verba sunt pag. 89. " Salamin, Cypri urbs, eodem terræ motu, quo Paphos, vexata, à Vespasiano " etiam aliquid ad urbem restaurandam accepisse " videtur, cujus memor Jovem suum Salaminium " in nummo expressit: de quo *Tacitus* Annal. III. " cum tria Cypriorum Templa laudat: *& Jovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus posuisset.* Non ille est igitur Jupiter Capitolinus, " ut existimavit *P. Seguinus.* Vide Drusi nummum " in nostro de Colon. Libro pag. 135." Priorem ex hisce vulgavit Abbas *Petrus Seguinus* in Selectis Numism. Antiquis pag. 144. ubi male, cum aliis, de refectione Templi Jovis Capitolini Romæ explicat. Exstitit similis in *Thesauro Reginæ Christinæ*, vide ibidem Tab. LII. Num. 23. 24. Posteriorem vulgavit *Carolus Patinus* in *Thesauro* suo p. 59.

Num. 11.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΚΑΙΣαρ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. (*IMPERATOR CAESAR VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani radiatum, dextram versus.*

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ΣΕΒαστȣ ΥΙΟϹ ΕΤȣς Θ. (*DOMITIANUS CAESAR AUGUSTI FILIUS ANNO IX.*) *Domitianus togatus stans, dextra ramum gerit.*

" Urbs Græca (inquit *Joh. Vaillantius* p. 96.) " si nomen non adposuit, porro annum signavit, in quo nummum cudit, ΕΤ Θ. *NONO* " scilicet Imperii Vespasiani; hæc Principi gratulatur per filium Domitianum, quem dextra lauri " ramum gerentem exhibet, pace cum Sarmatis " inita, postquam anno 729. eos legione cum " Legato simul cæsa tumentes profligasset, ut ex " *Suetonio* discimus. Locus *Suetonii* exstat in Domitiano Cap. VI. *De Cattis Dacisque post varia prælia, duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.*" Est hoc Numisma inter omnes argenteos Vespasiani Medalliones longe rarissimum & pulcherrimum. Ex Ancyra Smyrnam, atque inde huc transvectum, inter præcipua *Musei nostri* ornamenta sculpturæ artificio atque integritate summa est conspicuum.

Num. 12.

Vacat.

NUMISMATA ARGENTEA MINORA.

Num. 13.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

JUDAEA. Provincia lugens juxta tropæum.

Explicavimus hunc typum ad similem aureum supra Tab. V. Num. 1. Delineavit *Andr. Morellius* ex *Thesauro Schwarzburgico*, exstatque in *Museo Farnesiano*, Tab. XVIII. Num 8. ut & *Theupoliano* pag. 143. in *nostro* & passim. Vulgarunt *Æneas Vicus* in Arg. Num. Vespasiani Num. 30. *Num. Arschot.* Tab. XXV. 22. *Laur. Begerus Thes. Brand.* Tom. II. p. 630.

Num. 14.

Epigraphe similis videtur esse præcedenti.

JUDAEA. Provincia lugens sedet manibus post terga revinctis ante palmam arborem.

Et huic similem habuimus inter Num. Aurea Vespasiani Tab. V. Num. 2. Servatur in *Thesauro Schwarzburgico.*

Num. 15.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

JUDAEA DEVICTA. Provincia stans, ante palmam arborem, ligatis ante sinum manibus.

Vulgatus hic cernitur ex *Museo Farnesiano* Tab. VIII. Num. 9. similem observavi in *Museo* quondam *Marckiano*. Inter aureos similis occurrit supra Tab. V. Num. 3. Ex argento eundem typum publicavit *Choulus* pag. 11, sed cum Inscriptione JUDAEA CAPTA. Servatur in *Thesauro Schwarszburgico*.

NUM. 16.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

Sine epigraphe. Provincia lugens, post quam stat Imperator Vespasianus, dextra hastam tenens, læva parazonium, lævo pede galeam premens, palma arbore intermedia.

Contusa Judæorum ferocia (unde galeam pede premit) monumentum hoc est Vespasiani de Judæa subacta. Et argenteus hic & similis aureus (supra Tab. V. Num. 60.) servatur in *Thesauro Regio Versaliensi*, Argenteum insuper vidi in *Museo* quondam *Marckiano* Consulatu IV. Vespasiani à capitis parte inscriptum.

NUM. 17.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

Sine epigraphe. Vespasianus in quadrigis triumphalibus.

Monumentum hoc vulgo creditur Triumphi Judaici, sed potest esse tertii ejusdem Consulatus processus. Servatur in *Thesauro Schwarzburgico* & in *Museo Farnesiano*. Primus vulgavit *Æneas Vicus* inter Arg. Num. Vespasiani Num. 44. Similis aureus exstat supra Tab. V. Num. 7.

NUM. 18.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus. additur in aliis COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

DE JUDAEIS. Tropæum elegans.

Publicavit argenteum hunc nummum in *Thesauro* suo pag. 58. & ad *Sueton.* p. 391. *Carolus Patinus*, cum priore capitis epigraphe, cum posteriore exstat in *Museo Theupoliano* pag. 144.

NUM. 19.

Vacat.

NUM. 20. 21. 22.

IMPerator CAESAR VESPASianus AUGustus COnSul IIII. Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum.

LIBERI IMPeratoris AUGusti VESPASiani. Capita Titi & Domitiani adversa. In tertio adduntur infra literæ EPE.

Ubi primum ad Imperium venit Vespasianus, futuros sibi successores destinavit filios, de quorum fato ex vana Mathematicorum scientia certus erat regnaturos. *Suetonius* Cap. ult. Vespas. *Convenit inter omnes, tam certum eum de sua suorumque genitura semper fuisse, ut post adsiduas in se conjurationes ausus sit adfirmare Senatui, aut filios sibi successuros aut neminem. Dicitur etiam vidisse quondam per quietem stateram in media parte vestibuli Palatinæ domus positam examine æquo: cum in altera lance Claudius & Nero starent, in altera ipse ac filii. Nec res fefellit: quando totidem annis parique temporis spatio utrique imperaverunt.* Neque sane leve adjumentum ad capessendum Imperium filii fuere, quod præcipue in caussa fuit cur Syriæ Præses Licinius Mucianus Vespasiano cesserit, eumque adjuverit. Elegantissimus hanc in rem *Taciti* est locus Hist. Lib. II. Cap. 77. in oratione Muciani ad Vespasianum: *Ne tamen Mucianum socium spreveris, quia æmulum non experiris; me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo juvenes, capax jam Imperii alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit non cedere Imperio ei, cujus filium adoptarurus essem, si ipse imperarem.* De literis illis singularibus EPE. dicturi sumus infra ad Num. 26. Duo posteriores ex hisce in *Thes. Regio Versaliensi* adservantur. Postremus etiam comparet in *Museo Farnesiano* Tab. VIII. Num. 9.

NUM. 23.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul II. Designatus III. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

CAESAR AUGusti Filius COnSul CAESAR AUGusti Filius PRætor. Capita adversa Titi & Domitiani.

Ex-

Explicant nummum *Taciti* verba Hist. Lib. IV. Cap. 3. *Ceterum ut Princeps loquebatur, civilia de se, de Republica egregia. Nec Senatus obsequium deërat. Ipsi Consulatus cum Tito filio, Prætura Domitiano & Consulare Imperium decernuntur.*

De Prætura Domitiani *Sueton.* in Vita Cap. I. *Post victoriam demum progressus & Cæsar consulatus, honorem Præturæ urbanæ Consulari potestate suscepit titulo tenus.* Vide similem inter Aurea Numismata supra Tab. V. Num. 140. *Morellius* suum ex *Thes. Schwarzburgico* depinxit. Cum epigraphe secundi capitis inveni quondam in *Museo Marckiano*, cum tertia Inscriptione in *Museo Comitis de Thoms* & in *meo.* Vulgarunt eundem *Æneas Vicus* inter Arg. Num. Vesp. Num. 23. & *Laur. Begerus* in *Thes. Brand.* Tom. II. pag. 631.

NUM. 24.

Capitis Epigraphe rari hujus nummi mihi incognita est, sed non multum à præcedenbus abire judico.

TITUS ET DOMITianus VESPASIANI AUGUSTI Filii. Titus & Domitianus habitu sacerdotali dextras super clypeos cum duabus hastis intermediis tenent.

Ex *Thesauro Schwarzburgico* hunc nummum delineavit *Andr. Morellius.* In eo renovatur typus nepotum seu filiorum Augusti, Cai & Lucii, quorum innumeri cum ejusmodi typo exstant nummi. Utriusque liberi pariter ad successionem fuere destinati, & simili modo (ut docet nummus hic) sacerdotia iisdem collata.

NUM. 25.

IMPerator CAESar (in aliis CAESAR) VESPASIANUS AUGustus.) Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

LIBERI IMPeratoris AUGusti VESPASiani. Duæ figuræ togatæ stantes, dextra chartulas tenent convolutas.

Senatorum habitu depinguntur hic Titus & Domitianus, tamquam Principes juventutis in gente togata. Servatur elegans hic nummus in *Thesauro Regis Christianissimi*, ut & in *Museo Comitis de Thoms.* Publicarunt similem, sed læsa ad capitis partem Inscriptione *Laur. Begerus* ex *Thes. Brandenb.* Tom. II. p. 631. & *Paulus Pedrusius* ex *Museo Farnesiano* Tab. XVIII. inter Aug. Num. 2.

NUM. 26.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

LIBERI IMPeratoris AUGusti VESPASiani. Titus & Domitianus stantes ut in præcedente nummo. Subtus sunt tres literæ, ut supra Num. 22.

Servatur & hic in *Thesauro Regis Christianiss.* neque à præcedente discrepat, nisi quod tres infra stantes figuras conspiciantur literæ, videlicet EPE. quæ & in aliis quibusdam Vespasiani nummis occurrunt. Male à Chalcographo exceptæ, vel non satis clare in detritis paullulum nummis lectæ fuisse videntur. Possideo enim qui rem decidit, integerrimum asperimumque nummum Vespasiani cum duobus hisce filiis stantibus, nabitu Gabino atque pateram dextra tenentibus, qualem olim quoque possedit *Carolus Patinus*, cum eadem hac Inscriptione. In illo clarissime, legitur: EPHE. ita videlicet ut in ipso nummo duæ postremæ literæ per lineolam in medio transversam copulentur sic: EP-E. unde patet omnes ejusmodi nummos argenteos Ephesi fuisse signatos. *Caroli Patini* nummus *meo* simillimus exstat in ejusdem Thes. pag. 58.

NUM. 27. 28.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus, additur in aliis TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

TITUS ET DOMITIANus CAESARES PRINcipes JUVENtutis. Titus & Domitianus togati sedent in sellis curulibus, dextra tenentes lauri ramum.

Nuncupantur hic duo filii Vespasiani Cæsares, atque insuper Principes Juventutis, erat utraque denominatio gradus ad Imperium. *Dio Cassius* in initio Libri X. pag. 744. ubi de Vespasiano ad Imperium provecto verba fecit; addit: Καὶ Καίσαρες ὅ, τε Τίτος καὶ ὁ Δομιτιανὸς ἐπεδείχθησαν. i. e. *Titusque & Domitianus Cæsares designantur.* Quod factum ibi fuisse a Senatu cognoscitur. Vulgarunt hujusmodi nummos *Sebastian. Ericius* p. 245. *Laur. Begerus* in *Thesauro Brandenburgico* Tom. II. p. 631. *Numism. Arschot.* Tab. XXXVII. Num. 1. Servantur in *Thesauro Regis Christianissimi*, & in *Museo nostro.*

NUM. 29.

IMPerator CAESAR VESASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

TITUS ET DOMITIANus CAESARES PRINcipes JUVENtutis. Titus & Domitianus decurrentes in equis, dextra scipiones sive hastas tenent.

Habuimus similem typum inter Num. Aurea Vespasiani Tab. V. Num. 13.

NUM. 30. 31. 32.

Vacant.

TABU-

TABULA VIII.

QUÆ PERSEQUITUR

IMP. FLAVII VESPASIANI

NUMISMATA ARGENTEA.

NUM. I.

CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum.

CERES AUGUSTa. Dea stans, dextra duas spicas tenet cum papavere intermedio, læva hastam.

Curam annonæ in provido Principe notat. Hic vero typus, per errorem (ut videtur) post mortem Vespasiani, in quibusdam nummis male repetitus fuit cum antica, quæ consecrati Vespasiani caput exhibet. Spectatur in *Thesauro Schwarzb.* & inter *Æneæ Vici* Num. Arg. Vesp. Num. 42.

NUM. 2.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

JOVIS CUSTOS. Jupiter nudus, dextra pateram tenens super aram ignitam, læva hastam.

Capitolii à Vespasiano refecti memoriam hic typus exhibet. Neque inmerito Jovis Custodis, Imperii Romani scilicet, titulum in hoc nummo legi agnoscet, qui verba *Taciti* legerit Histor. Lib. IV. Cap. LIV. *Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum nostrorum fortunam rati: vulgato rumore, à Sarmatis Dacisque Mœsica ac Pannonica hiberna circumsideri: paria de Britannia fingebantur. Sed nihil æque quam incendium Capitolii, ut finem Imperii adesse crederent. Captam olim à Gallis Urbem; sed, integra Jovis sede, mansisse Imperium. Fatali nunc igne signum cœlestis iræ datum & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druidæ canebant.* Depinxit *Morellius* ex *Thesauro Schwarzburgico* Sed celare L. B. nolo, in *meo* nummo atque pluribus quos vidi, barbatam Jovis atque adversam esse faciem, non vero, ut in hoc typo inberbem & versus dextram converso capite; & tamen sic in *Farnesiano Musei* nummo argenteo quoque pingitur Tab. XVIII. Num. 7. Secus tamen fit apud *Æneam Vicum* Num. 24. inter Num. Aug. Vespasiani, ubi, uti in *meo*, barbatus egregie, adversa facie pingitur Jupiter Capitolinus, neque aliter in aureo supra Tab. V. Num. 22.

NUM. 3.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

NEPtuno REDuci. Neptunus stans nudus dextro pede globum premit, dextra manu acrostolium tenet, læva tridentem.

Lætus ob adventum Vespasiani ex Syria & Ægypto in Urbem Neptuno Reduci vota solvisse videtur populus Romanus, quod sospitem in Italiam Urbemque adduxisset Imperatorem. Vulgarunt hunc nummum *Æneas Vicus* inter Arg. Num. Vesp. Num. 28. aliique. Exstat in *Museo Theupoliano*, depinxit *Morellius* ex *Thes. Schwartzburgico*.

NUM. 4.

Capitis epigraphen in argenteo hoc nummo non offendi.

ROMA VICTRIX. Roma stans habitu Amazonis, læva tenet parazonium, dextra hastæ innititur, ad lævum pedem adstat clypeus, dextrum pedem proræ imponit.

Terra marique per victorias suas Imperium Orbis tenere designatur Roma. Servatur nummus in *Thesauro Regis Christianissimi.*

NUM.

NUM. 3. & 4.

Neque epigraphen capitis in hisce cognovi.

ROMA. Dea Roma Amazonis habitu spoliis insidens, dextra victoriolam, læva parazonium tenet.

Vel,

ROMA. Dea Roma stans Amazonis habitu, dextra victoriolam tenet, læva hastam legionariam, lævo brachio innixa tropæo, scuta aliquot lævo pede calcans.

Bellica Romæ gloria & virtus hisce typis innuitur.

NUM. 7.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul III. CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus (in aliis additur AUGustus) Pontifex Maximus COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

VESTA. Dea stans, dextra capedunculam tenet, læva hastam.

Ad sacra Vestæ restituta, Templumque ejus Deæ à Vespasiano exstructum, refertur typus sequens. Ex *Thes. Schwarzburg.* depinxit *Morellius.* In *nostro Museo* invenitur cum secunda capitis Inscriptione.

NUM. 8. & 9.

Vacant.

NUM. 10.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

ANNONA AUGusti. Figura muliebris sellæ insidens in linteo omnis generis fruges sinu tenet, cujus lacinias utrimque manibus tenet & alteram dextra sublevat.

Merito cura annonæ in Vespasiano laudatur, quam sicuti providus ille Princeps omni tempore Imperii sui gessit, ita (quoniam primo ejusdem anno signatus hic nummus videtur) respicitur præcipue in hoc nummo ad ingens illud Urbis Romæ ab instante fame periculum post civile bellum inter Vitellianos Flavianosque gestum atque asperam tum hiemem. Quare Vespasianus, antequam ipse ad Urbem properaret, *celerrimas navium frumento onustas, sævo adhuc mari committit. Quippe tanto discrimine Urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum à Vespasiano commeatus subvenere*; uti legitur apud *Tacitum* Histor. Lib. IV. Cap. 52. Servatur hic nummus in *Museo nostro.* Vidimus similem inter Aurea Num. supra Tab. V. Num. 32.

NUM. 11.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

CONCORDIA AUGUSTI. Dea sedens dextra pateram tenet, læva cornucopiæ.

Celebratur Pacis & utilitatis publicæ altrix Dea Concordia. Hanc Vespasiano curæ fuisse typus hic ostendit, ita ut ejus nomine adpelletur Concordia; civilem enim ejus & moderatum animum laudavere omnes Scriptores. Depinxit nummum ex *Thes. Schwarzburg.* noster *Morellius*, exstat quoque in *Museo nostro* atque in *Theupoliano.* Vulgatur insuper in *Museo Parmensi* Tab. XIX. Num. 8.

NUM. 12.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

CONCORDIA AUGusti. Dea cathedræ insidens, dextra tenet papaver cum duabus spicis, læva cornucopiæ.

Fertilitas & abundantia Pacis & Concordiæ bona sunt felicia. Servatur in *Thes. Schwarzb.* Editus est ab *Ænea Vico* inter Num. Argent. Vespas. Num. 22.

NUM. 13. 14.

Epigraphe partis anterioris mihi incognita est.

CONSENSUS EXERCITuum. Figuræ duæ togatæ stantes dextras jungunt, utraque hastam cum aquila legionaria læva tenet.

Vel,

CONSENSUS EXERCITuum. Duæ figuræ stantes dextras jungunt; altera militaris, quæ læva hastam tenet cum aquila legionaria, altera Imperatoria, quæ læva sceptrum tenet.

In primo ex his nummo Vespasianus & Mucianus depingi videntur, uti duces exercituum Judaici & Syriaci; in secundo Vespasianum Imperatorem agnosco, cum adstante figura militari, quæ exercitus, simul Judaicum, Syriacum, Ægyptium, aliosque qui pro Vespasiano steterunt, significat. Uterque nummus servatur in *Thes. Regis Christianissimi.* Priori similem habuimus inter Num. Aur. Tab. VI. Num. 1. nisi quod altera ibidem figura paludata atque armata sit.

NUM. 15.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum.

PACIS EVENTum. Figura virilis nuda, stans, dextra pateram tenet, læva demissa spicas.

Figura hæc nuda virilis Genius Populi Romani est, qui libare Diis Imperii Romani custodibus videtur, propter *eventum Pacis*; sic enim legi debere, tres similis nummi citationes apud *Comitem Mediobarbum* ostendunt p. 108. 109. & 116. Eventum scilicet Pacis celebrat propter ubertatem inde annonæ atque publicam quietem. Sub Consulatu Vespasiani VII. signatos fuisse ejusmodi nummos adeoque post dedicationem Templi Pacis ostendit, ultimo loco, apud *Mediobarbum* Consulatus numerus. Legitur enim in eo, quem ibi citat, nummo argenteo, EVENTUM PACIS COS. VII. Suum *Morellius* ex *Thesauro Regio* depromsit.

NUM. 16.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

FIDES PUBLICA. Dextræ junctæ caduceum tenent cum quatuor spicis.

Typus denotat concordiam fidemque publicam pacis & ubertatis omnis esse matrem. Cum prima Inscriptione invenitur in *Museo nostro*, ut & in *Farnesiano*, cum secunda in *Museo Theupoliano* pag. 142. suum *Morellius* ex *Thesauro Schwarzburgico* desumsit.

NUM. 17.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

FORTUNA AUGUSTi. Dea proræ navis insistens, dextra temonem tangit, læva cornucopiæ tenet.

Spectare hunc typum existimo ad felicem adventum Vespasiani Romam ex Syria atque Ægypto, quum aspera hieme mari sese commisisset.

NUM. 18.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul ITERum FORTunæ REDuci. Dea stans dextra proram ratis tenet, læva cornucopiæ.

Signatus simul cum præcedenti hic nummus est, atque eadem de causa. Fortunæ tunc Augusti & Fortunæ Reduci sacrificasse Romanos ob adventum felicem Vespasiani verosimillimum est. Exstat in *Museo Theupoliano*, verum ex *Thesauro Schwarzburgico* eundem desumsit *Morellius*; vulgatur quoque in *Num. Arschotan.* Tab. XI. Num. 7.

NUM. 19.

Epigraphe capitis in hoc nummo videtur esse similis præcedentibus.

COnSul ITERum FORTunæ REDuci. Figura muliebris stolata stans, dextra globum tenet, læva caduceum cum palma.

Fortuna Redux, quæ Vespasianum Romam deduxerat, illi cum Romæ Urbis possessione simul universum Imperium Orbis Romani tradidit. Sed & Orbi terrarum, per victorias Vespasiani, Pax reddita fuerat.

NUM. 20.

Capitis epigraphe (ut videtur) similis.

COnSul III. FORtunæ REDuci. Figura muliebris togata stans, dextra globum tenens, læva caduceum.

Repetitus præcedenti fere similis typus tertio Vespasiani Consulatu. Servatur in *Thesauro Regio.*

NUM. 21.

Inscriptionem capitis à nummo præcedente non discrepare existimo.

COnSul III. FORTunæ REDUci. Figura muliebris stolata, stans, dextra ramum tenet, læva caduceum.

Si oleæ ramus est, quem dextra tenet figura muliebris, pacis cum caduceo est symbolum, si lauri, pariter, ut Num. 19. supra palmæ ramus, designat, pacem bello & victoriis fuisse adquisitam.

NUM.

NUM. 22. 23.

Vacant.

NUM. 24.

Epigraphe Capitis incognita mihi est.

PAX AUGUSTi. Figura muliebris stolata, stans, læva ramum oleæ tenet atque columnæ innititur, dextram, qua caduceum tenet, extendit super tripodem, cui hostiæ femora imposita videntur.

Vide quæ ad similem fere typum dicta sunt supra inter Numism. Aurea Tab. V. Num. 36. Servatur hic nummus in *Thesauro Regis Christianissimi.*

NUM. 25.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

PAX AUGUSTi. Dea insidens cathedræ, dextra oleæ ramum tenet, læva hastam.

Omnes hi nummi, uti & sequentes, originem suam Templo Pacis, à Vespasiano exstructo, debent.

NUM. 26.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

PACI ORBis TERRarum AUGusti. Caput muliebre turritum.

Caput id muliebre Deæ Pacis est, quod turrita ornatur corona, quia Pacem Orbis Terrarum significat; Augusti vocatur, quia per illum hæc Orbi terrarum Pax confecta fuit. Servatur in *Thesauro Regio,* & in *Museo Theupoliano,* pag. 144.

NUM. 27. 28. 29.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum.

PACI ORBis TERRarum AUGusti. Caput Deæ Pacis turritum, subtus vel ad latus in primo & secundo scribitur EPHESi vel EPHESiorum.

Credidit *Joh. Petrus Bellorius* ad *Æneæ Vici* Numismata p. 64. Isidis esse caput, quoniam Vespasianus, Alexandriæ commorans, in templo Isidis & Serapidis, seu Jovis Ditis & Proserpinæ, oraculi responsum de Imperio ex nomine Basilidis cujusdam interpretatus fuerit. Innuit *Suetonii* hunc locum in Vespas. Cap. VII. *Suscepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, ut claustra Ægypti obtineret. Hic cum de firmitate Imperii capturus auspicium, ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset: ac propitiato multum Deo, tandem se convertisset, verbenas coronasque & panificia, ut illic adsolet, Basilides libertus obtulisse ei visus est: quem neque admissum à quoquam, & jam pridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abesse constabat.* Verum Isidis caput loco passim vel perseæ fructu exornari solet. Neque Pax in Imperio Romano erat, ardente civili bello, quum Alexandriæ versaretur Vespasianus, neque Ephesi, ubi navale Romanorum, rei aliquid cum Iside Alexandrina. Denique non cusi fuere nummi hi nisi post Templum Pacis à Vespasiano conditum, pace terra marique parta & clauso Jani Templo, unde merito dici potuit Pax Orbis Terrarum; quæ rite turrita fingitur, quia Orbis sive Tellus ipsa Vesta est de qua *Lucretius* Lib. II. versu 606.

Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet urbes.

Primus ex his in *Thesauro Regio*, secundus in *Schwarzburgico* invenitur.

NUM. 30.

Vacat.

NUM. 31.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

PACI AUGUSTAE. Figura alata dextra vestis laciniam supra pectus adtollit, læva demissa caduceum tenet, ante pedes procedit serpens.

Abunde ad hunc typum dictum fuit supra in simili aureo, Tab. V. Num. 35. quo B. L. remittimus. Servatur hic in *Thesauro Schwarzburg.*

NUM. 32. 33. 34. 35. 36.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus COnSul II. TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESar (vel *CAESAR*) *VESPasianus AUGustus COnSul III. TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum lævam versus.*

PACI AUGUSTAE. Victoria gradiens cum ferto, quod dextra protendit, atque palma, quam læva tenet super humeros.

Felicitatem Imperii sub Imperatore, qui victoriis suis illam adquisiverat, hi typi denotant; plerique nummi post exstructum Pacis Templum signati fuerunt, præcipue Num. 33. & 35. Num. 33. publicavit *Laur. Beger.* in *Thesaur. Brandenburg.* Tom. II pag. 632. Num. 36. *Æneas Vicus* inter Arg. Vesp. Num. 45. Omnes exstant in *Thes. Regio*, excepto ultimo, cui *Thesaur. Schwartzburg.* nota adsignatur.

Num. 37.

Vacat.

Num. 38.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

SALUS AUGusti. Dea cathedræ insidens, dextra pateram tenet.

Vide ad similem aureum supra Tab. VI. Num. 2. Exstat hic in *Thesauro Schwarzb.*

Num. 39. & 40.

Vacant.

TABULA IX.

CONTINET ADHUC

IMP. FLAVII VESPASIANI

NUMISMATA ARGENTEA.

Num. 1.

IMPerator CAESAR VESPASianus AUGustus PONtifex MAXimus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus TRribunicia Potestate COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

VICtoria AUGusti. Victoria lævam versus globo insistens, dextra lauream protendit, læva palmam gerit supra humeros.

Vidimus similem inter Num. Aurea Tab. VI. Num. 3. Servatur hic argenteus cum secunda capitis Inscriptione in *Museo nostro*, suum *Morellius* depinxit ex *Thes. Schwarzburgico.*

Num. 2.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus COnSul III. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus Pontifex Maximus COnSul IIII. Victoria stans læva palmam tenet super humeros, dextra coronat signum militare.

Victorias Vespasiani hujusmodi typi respiciunt, non ab uno hoste relatas. Apte vero signum militare additur, ut sic à capite seu Duce, corpori, i.e. exercitui, communicetur gloria & decus belli, quo quidem respectu *Clitus* apud *Curtium* Lib. VIII. Cap. 1. dicebat: *Male instituisse Græcos, quod tropæis Regum duntaxat nomina inscriberentur; alieno enim sanguine partam gloriam intercipi.* Ab *Euripide* illud hauserat ex *Pelei* verbis in Andromache versu 693.

Οἴμοι καθ' Ἑλλάδ' ὡς κακῶς νομίζεται,
Ὅταν τρόπαια πολεμίων σήσῃ στρατὸς
Οὐ τῶν πονούντων τ' ἔργον ἡγοῦνται τόδε
Ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται.
Ὃς εἷς μετ' ἄλλων μυρίων πάλλων δόρυ,
Οὐδὲν πλέον δρῶν ἑνὸς, ἔχει πλείω λόγον.

id

id eſt:

Hei mihi quam male lege ſtatutum eſt in Græcia,
Ut ſi quando tropæa de hoſtibus ſtatuit exercitus,
Non eorum, qui laborem ſubierunt, arbitretur hoc opus;
Sed belli dux exiſtimationem & gloriam eam percipit,
Quamvis unus tantum ſit cum aliis multis haſtam vibrans,
Non plura quam unus faciens, habens tamen multorum laudem.

Delineavit nummum ex *Theſ. Schwarzb.* Morellius, invenitur & in *Muſeo noſtro.*

Num. 3.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, dextram verſus.

VICTORIA AUGUSTi. Victoria lævam verſus gradiens, dextra ſertum tenet, læva palmam ſuper humeros.

Depinxit hunc quinarium *Morellius* ex *Theſauro Regis Chriſtianiſſimi*; ſervatur & in *Muſeo noſtro.*

Num. 4.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria ſedens, dextra ſertum tenens, læva palmam.

Et hic quinarius in *Theſauro Regio*, ut & in *Muſeo noſtro* adſervatur.

Num. 5.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, dextram verſus.

VICTORIA IMPeratoris VESPASIANI. Victoria globo terrarum inſiſtens, dextra ſertum elevat, læva palmam tenet.

Vulgavit hunc *Carolus Patinus* in Theſauro Numiſm. p. 58. Servatur & in *Theſauro Regio.*

Num. 6. & 7.

Epigraphe capitis in hiſce non videtur diſtare à Num. 3. & 4.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria ſedens in altero, gradiens in altero, cum ſerto & palma.

Hi duo quinarii ſimiles ſunt ſupra Num. 3. & 4. in literis aliquid diſcrepantes.

Num. 8.

Capitis epigraphen non novi.

VICTORIA AUGUSTi. Victoria volitans expanſis alis ſertum ſupra caput ſuſtinet.

Omnes hi Veſpaſiani nummi lauream ejus Judaicam atque partum aliis victoriis decus reſpiciunt.

Num. 9. 10. & 11.

Vacant.

Num. 12. 13. 14. 15.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRIbunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul II. Caput Veſpaſiani laureatum.

Senatus PopulusQue Romanus Patri Patriæ (in ſecundo hoc omittitur) OB Cives Servatos. in corona quernea.

Vel,

Senatus PopulusQue Romanus in Corona Quernea, ſed in poſteriore, in Corona laurea.

Similes vidri poſſunt inter Aurea Numiſm. Tab. VI. Num. 8. 9. 10. Secundus ex argenteis hiſce ſervatur in *Theſ. Regio*, tertius in *Schwarzburgico.*

Num. 16.

IMPerator CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

AUGUR TRIbunicia Poteſtate. Vaſa Pontificalia, capeduncula, adſpergillum, ſimpulum, lituus.

Ad Pontificatum & Sacerdotium Veſpaſiani ſpectat typus. Nota *Theſauri Schwarzburgici* adeſt, cum utraque Inſcriptione in *noſtro Muſeo* invenitur & paſſim.

Num. 17.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus COnSul III. in aliis CENSor. Caput Veſpaſiani laureatum.

AUGUR PONTifex MAXimus. Eadem quatuor instrumenta Pontificalia.

Pariter, ut præcedens, ad Pontificatum & Sacerdotia Imperatoris spectat.

N U M. 18. 19.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

VESTA. Dea sedens, dextra tenens simpuvium.

Vel,

PONTifex MAXimus. Typus idem.

In quibus posterior Inscriptio legitur, in iis ab antica parte omittitur Pontificis Maximi dignitas. In *Thes. Schwarzburgico*, *Regio*, *Farnesiano*, aliisque passim inveniuntur.

N U M. 20. 21. 22.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

PONTifex MAXimus, vel *PONTIFex MAXIMus, vel denique PONTIFex MAXIMus. In primo & tertio sedet Imperator, dextra hastæ innitens læva ramum oleæ tenens. In secundo sedet figura muliebris, dextra hastam tenens, læva pateram.*

Figuram illam muliebrem de Concordia interpretor; quo spectat typus caducei, cum simili Inscriptione Num. 23. Aureum similem Num. 22. habuimus supra in Numism. Aur. Tab. VI. Num. 17.

N U M. 23.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

PONTIFex MAXIMus. Caduceum alatum.

Pacis & concordiæ symbolum. Invenitur in *Museo nostro* & in *Thesauro Schwarzburgico*, ubi & præcedens est nummus.

N U M. 24.

Epigraphe capitis præcedentibus videtur esse similis.

PONTIFex MAXIMus. Pacis figura habitu alato &c. cum caduceo & serpente ante illam gradiente.

Plus semul supra de ejusmodi typo egimus, quo victoria, prudentia, pax, & concordia Imperatoris conjunctis variarum Dearum adtributis celebratur. In Claudio primum ejusmodi typus agnoscitur.

N U M. 25.

Vacat.

N U M. 26.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

COnSul ITERum TRibunicia POTestate. Martis gradivi typus.

Postquam Vespasianus adflictum Imperii statum suscepit restituendum in melius, promisit simul statorem se fore Reipublicæ atque armis vindicaturum ejus à tyrannide Vitellii libertatem. Hinc Martis Gradivi typus, cum hasta quidem legionaria in pictura *Morellii* ex *Thes. Schwarzburg.* sed cum tropæo, in nummo ex *Museo meo* aliisque.

N U M. 27.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus TRibunicia Potestate. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul ITERum TRibunicia POTestate. Neptunus stans nudus, dextra delphinum tenet, læva tridentem, dextrum pedem proræ inponens.

Vidimus similem aureum supra Tab. VI. Num. 12. Exstat in *Thes. Schwarzburg.* & in *Museo Theupoliano.*

N U M. 28.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

TRibunicia POTestate COnSul III. Justitiæ stantis typus, dextra bilancem, læva scipionem tenet.

Ju-

Justitiæ laudem Veſpaſiano conveniſſe teſtantur Veteres, eamque egregie adminiſtraſſe. Sed & alieni fuit abſtinens, ſic ut *Salvium Liberalem in defenſione divitis rei, auſum dicere, Quid ad Cæſarem, ſi Hipparchus. HS. millies habet? & ipſe laudavit, Suetonio* teſte in Vita ejus Cap. XIII. Exſtat in *Muſeo noſtro.*

NUM. 34. & 35.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Veſpaſiani laureatum.

TRibunicia POTeſtate COnSul III. Figura muliebris ſtans, dextra oleæ ramum tenet, læva caduceum. In ſecundo nummo ſedet eadem figura.

Pacis & Concordiæ eſt typus.

NUM. 36. & 37.

IMPerator CAESar VESPaſianus (in aliis VESPASIANUS) AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

TRibunicia Poteſtate COnSul III. Pater Patriæ. Figura muliebris ſedens, dextra tenens oleæ ramum, læva caduceum.

Exſtant in *Muſeo Farneſiano & Theupoliano*, ſuntque ejuſdem cum præcedentibus ſignificationis. Habuimus ſimilem inter Aur. Numiſm. Tab. VI. Num. 18.

TABULA X.

QUÆ PERSEQUITUR RELIQUA

IMP. FLAVII VESPASIANI

NUMISMATA ARGENTEA.

NUM. I.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum.

PONtifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul V. Figura togata ſellæ curuli inſidens, dextra haſtam tenet, læva ramum.

Vix dubito quin hæc ſtatua ſit Imperatori Veſpaſiano poſita, quamvis ille nequaquam ejuſmodi pompæ fuerit adpetens. Lepidum eſt (quod & ſupra ex *Suetonio* produximus) reſponſum parci ſenis apud *Dionem Caſſium* Lib. LXVI. pag. 751. Ἀνδελάντων γὰρ πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδων στῆσαι οἱ ψηφισαμένων τινῶν, προτείνε τὴν χεῖρα καὶ ἔφη, Δότε μοι τὸ ἀργύριον· ἡ γὰρ βάσις αὐτοῦ αὕτη ἐστί. i. e. *Quum enim quidam decreviſſent ponere ei ſtatuam pretio decies ſeſtertium, porrecta manu, Mihi*, inquit, *argentum date, hæc enim ipſa baſis eſt.* Exſtat nummus in *Theſ. Schwarzburg.* & in *Muſeo noſtro.*

NUM. 2.

Sine epigraphe in Muſeo Farneſiano, *deleta forte: ut fuerit. IMPerator CAESar VESPaſianus AUGuſtus, ut in ſequente nummo. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.*

COnSul V. Bos gradiens.

Poſſet quis credere, in typo hoc reſpici ad præſagia Veſpaſiano ante Imperium facta, inter quæ recenſetur à *Suetonio* in Vita ejus Cap. V. *Cœnante rurſus bos arator, demiſſo jugo triclinium irrupit ac fugatis miniſtris, quaſi repente defeſſus, procidit ad ipſos accumbentis pedes, cervicemque ſubmiſit.* Sed potiori ratione videtur pertinere ad Colonias Romanas ab Imperatore Veſpaſiano deductas, quo retulimus ſimiles typos in nummis Auguſti, qui plurimas deduxit Colonias; vide Tom. I. pag. 298. Servatur in *Muſeo Farneſiano* Tab. XX. Num. 1. publicatus.

NUM. 3.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum.

COnSul V. inter duas arbores laurus.

Pertinet ad explicationem hujus typi locus *Tertulliani* in Apologetico Cap. XXXV. p. 300. *Unde qui inter duas laurus obſident Cæſarem?* Quod non cum *Deſiderio Heraldo* accipiendum eſt de Commodi in Laureto diſcrimine, ſed de vi Pertinaci in ipſo palatio illata. Fores enim palatii corona civica & ramis laureis obumbrari ſolebant, ubi geminæ

minæ laurus ad poſtes poni ſolebant, quæ propterea in multis Auguſti nummis æreis majoris moduli adparent. Si tamen quis hujus nummi typum de Laureto in honorem Veſpaſiani vel potius juxta Templum Pacis plantato accipere velit, non repugnabo, nam magis arborum quam ramorum figuram typus præ ſe fert, & hinc concludere forte licebit columnam illam (in cujus ſumma parte cineres fuere Veſpaſiani, quæque ultimo loco inter Numiſm. Aurea adparet, media inter duas arbores laurus) prope Templum Pacis ab illo ædificatum in ſacro illo luco fuiſſe erectam. Exſtat in *Theſauro Schwarzburgico* & in *Muſeo noſtro.*

Num. 4.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul V. Caduceum alatum.

Pacis typus Templo Pacis condito, atque pacificis Veſpaſiani temporibus convenit. Eſt in *Muſeo Schwarzburgico* & *noſtro*, ut & *Farneſiano*, atque paſſim invenitur. Edidit hunc & præcedentem *Æneas Vicus* inter Arg. Numiſm. Veſpaſian. Num. 16. & 20.

Num. 5.

Vacat.

Num. 6.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput idem.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul VI. Victoria proræ navis inſiſtens, dextra lauream extollit, læva palmam tenet.

Videtur typus ſpectare ad Provincias anno præcedente, quum Conſul quintum eſſet Veſpaſianus, in Aſia factas; ſimiles enim nummos illo anno cuſi, ſequenti vero repetiti fuerunt. Publicarunt hunc *Choulius* p. 93. *Num. Arſchotana* Tab. XXXIII. Num. 3. & *Æneas Vicus* Num. 22. Invenitur in *Theſ. Schwarzburgico* & in *Muſeo Theupoliano* atque *noſtro.*

Num. 7.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul VI. Victoria Ciſtæ Bacchicæ inſiſtens, dextra lauream tenet, læva palmam, inter duos ſerpentes, qui ſeſe erigunt.

Vidimus & explicavimus ſimilem typum ſupra inter Num. Aurea Tab. VI. Num. 19. Argenteus hic in *Theſauro Schwarzburgico* ſervatur.

Num. 8.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul VI.

Statua Imperatoris ſedentis in ſella curuli, dextra haſtam tenet, læva ramum.

Quod toties hic typus in nummis Veſpaſiani repetatur, hinc firmatur opinio mea, poſitam ejuſmodi ſtatuam Veſpaſiano fuiſſe, & quidem juxta Templum Pacis.

Num. 9.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul VI. Figura muliebris cathedræ inſidens, dextra oleæ tenet ramum, læva ſellæ innixa.

Pacis hæc figura eſt, cui itidem illo habitu ſtatua erecta videtur. Vulgatus eſt nummus in *Nummis Arſchot.* Tab. XXXIII. Num. 3. *Muſeo Farneſiano* Tab. XX. Num. 3. Exſtat quoque in in *Theſ. Schwarzburgico* & in *Muſeo noſtro.*

Num. 10.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate COnSul VI. Figura muliebris, ſuperiore parte corporis nuda, ſedet, dextram capiti admovens, læva ſellæ innixa.

Pacis comes eſſe Securitas ſolet. Illa in hoc eleganti nummo depingitur intecta ſuperiore parte corporis, non tam ut Dea, ſed quia nihil ſibi timet, quare in utramvis aurem ipſi quieſcere licet, unde dextram capiti ſupponit. Exſtat in *Muſeo Theupoliano*, ut & in *noſtro.* Vulgatus olim fuit ab *Ænea Vico* Num. 25.

Num.

NUM. 11. 12.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

COnSul VII. Aquila expansis alis cippo insistens.

Aquila, Jovis alis, refectum à Vespasiano Capitolium, summi Jovis Templum; arcemque Romani Imperii arguit. Exstat in *Museo nostro*, ex *Thes. Schwarzburgico*, delineavit *Morellius*. Depingitur & in *Museo Farnesiano* Tab. XX. Num. 4.

NUM. 13.

Epigraphe capitis præcedenti; ut puto, similis est.

COnSul VI. Capricornus cum globo, temone, & cornucopiæ.

Thema natalitium Vespasiani, quod videtur cum Augusto commune habuisse, innui existimo.

NUM. 14.

Epigraphe præcedentibus similis; atque idem caput.

COnSul VI. Taurus cornupeta.

Et hic typus Colonias à Vespasiano deductas innuit.

NUM. 15.

Vacat.

NUM. 16. 17.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

PONtifex MAXimus TRibunicia Potestate COnSul VII. Statua Vespasiani sellæ curuli insidentis, dextra hastam tenet; læva oleæ ramum.

Jam supra plus semel hic typus occurrit, sæpius in Vespasiani nummis repetitur.

NUM. 18. 19.

Epigraphe capitis eadem, & caput idem.

PONtifex MAXimus TRibunicia Potestate COnSul VII. Dea Pax, cathedræ insidens, dextra oleæ ramum tenens, læva sellæ innititur.

Et hic typus sæpissime in hujus Imperatoris nummis iteratus fuit.

NUM. 20.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

PONtifex MAXimus TRibunicià Potestàte COnSul VII. Pater Patriæ. Columnà rostràtà cum statuà Imperatoris in summo.

Et hic typus supra occurrit & repetitur infrà Num. 36. Confer quæ diximus ad Numism. Aur. Tab. VI. Num. 28.

NUM. 21. 22.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

COnSul VII. Aquilà expansis àlis cippo insistens.

Vide quæ diximus supra ad Num. 11. & 12. Exstat in *Thesauro Schwarzburgico* in *Museo nostro*, & in *Theupoliano* p. 142. Vulgavit *Æneas Vicus* Num. 11.

NUM. 23.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

COnSul VII. Vacca elegans.

Coloniarum à Vespasiano deductarum symbolum. Vide ad similem aureum, supra Tab. VI. Num. 22. Invenitur in *Thesauro Schwarzburgico* & in *Museo nostro*.

NUM. 24.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia Potestate COnSul VII. PONtifex MAXimus. Caduceus alatus.

Pacis publicæque sub optimo Imperatore typus. Exstat in *Museo Theupoliano* p. 145.

NUM. 25.

Epigraphe capitis præcedenti, ut videtur, similis.

COnSul VII. Duæ arbores lauri.

Vide supra ad Num. 3. hujus Tabulæ. Addimus nota *Thesauri Schwarzburgici*.

Num. 26.

IMPerator CAESAR VESPasianus (in aliis VESPASIANUS) AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

COnSul VIII. Mars, galea tectus, cætera nudus stans, dextra hastam transversim tenens, læva tropæum, post illum spica est, quæ in aliis abest.

Mars tropæophorus victorias Vespasiani innuit, spica forte congiarium ab Imperatore datum. Invenitur in *Museo Theupoliano* p. 142. ut & in nostro, atque in *Museo Farnesiano* Tab. XX. Num. 5. Vulgavit olim *Æneas Vicus* Num. 13. Depinxit *Morellius* ex *Thesauro Schwarzburgico*. Habuimus similem, sed sine spica, supra inter Aur. Numismata Tab. VI. Num. 24.

Num. 27.

Epigraphe capitis præcedenti similis esse videtur.

COnSul VIII. Figura muliebris sedens, dextra oleæ ramum, læva caduceum tenet.

Pacis typus est, quæ Dea sæpissime in hisce nummis, nec sine causa adparet, exstructo illi à Vespasiano superbissimo Templo.

Num. 28.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia Potestate X. COnSul VIIII. Pax cathedræ insidens, dextra oleæ ramum tenet, læva sellæ innititur.

Nonum Consul in hoc nummo audit Vespasianus, qui confirmat *Suetonii* dictum in Vespasiano Cap. VIII. *Consulatus octo veteri addidit.* Fuerat enim inter suffectos Consules ante Imperium. Edidit hunc *Æneas Vicus* Num. 35.

Num. 29.

IMPerator CAESar VESPASIANUS. Caput Vespasiani laureatum.

COnSul VIII. Ratis cum stella desuper.

Felicem navigationem innui puto classis Alexandrinæ, quæ frumentum advexerit. Stella enim ad Dioscuros, felix navigantibus omen pertinet. Similis occurrit inter Numism. Aurea Tab. VI. Num. 27. Vulgatus est hic nummus argenteus ab *Ænea Vico* Num. 39. Est in *Thesauro Schwarzburgico*, ut & in *Museo nostro*, atque *Theupoliano* p. 142.

Num. 30.

IMPerator CAESAR VESPasianus (in aliis VESPASIANUS) AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus.

COnSul VIII. Jugum boum.

Et hic Vespasiani nummus Colonias ab illo deductas innuit. Invenitur in *Thesauro Schwarzburgico* in *Museo nostro*, ut & *Theupoliano* p. 142. atque *Farnesiano* Tab. XX. Num. 6. atque inter *Numism. Arschot.* Tab. XXVI. Num. 11. Adde aureum supra Tab. VI. Num. 26.

Num. 31.

CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

IMPerator XIX. Scrofa cum tribus porcellis.

Fœcundum animal scrofa est; unde ad anni ubertatem (hinc & panarium cum spicis in sequenti nummo) referri potest, vel respici ad *Æneæ* ostentum, quum ille plura sub scrofa matre viderit. Vulgatus est hic inter *Num. Arschot.* Tab. XXXVI. Num. 3. atque in *Museo Farnesiano*, Tab. XX. Num. 7. Invenitur in *Thesauro Schwarzburgico* & in *Museo nostro.*

Num. 32.

CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, dextram versus, in aliis lævam versus.

IMPerator XIX. Panarium cum septem spicis.

Summam annonæ vilitatem, atque uberem frumenti annum typus denotat. Vulgatus est in *Museo Farnesiano*, cum capite dextram partem versus, in *Museo nostro* ut & *Theupoliano* p. 143. utroque modo depingitur. *Morellius* ex *Thesauro Schwarzburgico* edidit. Invenitur & inter *Numism. Arschot.* Tab. XXXV.

Num. 33.

Vacat.

Num. 34.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRi-

TRibunicia POTestate X. COnSul VIIII. Victoria ambabus manibus clypeum tropæo inponit, ad cujus imum sedet captivus.

Honores Vespasiano habiti propter bellicam virtutem exprimi videntur; posito videlicet illi clypeo, cujus inscriptio continet victorias laudesque fortissimi Imperatoris. Victoria eundem tropæo inponit, quia per victorias decus illud bellicum quæsitum erat. Ultimo Imperatoris Vespasiani anno signatus nummus fuit, quare & post mortem ejus ex Senatus-Consulto repetitus is typus fuit, addita Inscriptione EX *Senatus Consulto* (qualem ipse possideo, atque vulgavit *Æneas Vicus* Num. 15.) ab altera parte ibi ad caput Vespasiani laureatum legitur DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS. Invenitur hic argenteus in *Thes. Schwarzburgico* & in *Museo Theupoliano*, p. 146. Aureus autem cum simplici Senatusconsulti nota cerni potest supra Tab. VI. Num. 30.

Num. 35.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate X. COnSul VIIII. Dea Pax, sedens, dextra oleæ ramum, læva caduceum tenet.

Depinxit *Morellius* ex *Thesauro Schwarzburgico.*

Num. 36.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia POTestate X. COnSul VIIII. Columna rostrata cum superinsistente statua.

Repetitur nummi typus, quem habuimus supra sub septimo Vespasiani Consulatu. Vide de eodem ad Aur. Numism. Tab. VI. Num. 23. Vulgatus hic argenteus est in Libro *Leonardi Augustini* Itala versione Tab. II. Num. 23.

Num. 37.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus

TRibunicia POTestate X. COnSul VIIII. Capricornus cum globo.

Diximus de hujusmodi nummis Vespasiani supra Num. 13. hujus Tabulæ, & ad Numism. Aurea Tab. VI. Num. 32. Servantur in *Thesauro Schwarzburgico* & in *Museo nostro.*

Num. 38. & 39.

Vacant.

Num. 40.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Vespasiani laureatum.

TRibunicia Potestate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Pulvinar Jovis in quo repositum fulmen.

Respicit typus refectionem Capitolii, in quo in interiore cella erat Pulvinar Jovis cum fulmine aureo, de quo *Livius* Lib. XXII. Cap. 1. *Decemvirorum monitu decretum fuit Fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret.* Vulgavit *Æneas Vicus* Num. 46. similem Vespasiani nummum cum Pulvinari Junonis sine fulmine. Sed hunc ipsum Jovis habentem Fulmen restituit ex auro Trajanus, cum inscripto Divi Vespasiani elogio ad caput ejusdem. Vide supra Numismata Aurea Tab. V. Num. 28.

TABULA XI.

COMPREHENDIT

NUMISMATA

IMP. FLAVII VESPASIANI,

EX ÆRE MAXIMO ET CONTORNIATA.

NUM. 1. 2.

IMPerator CAESAR VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. CENSor.

Senatus Consulto. Imperator in quadrigis triumphalibus, dextra tenens lauri ramum, læva scipionem eburneum cum aquila.

Pulcherrimum hoc est Triumphi, quem de Judæis egit Vespasianus, monumentum. Operose a veteribus, præcipue à *Flavio Josepho* describitur, qui consuli potest. Omnibus vero titulis suis in hoc Medallione ornatur Vespasianus. Servatur hic maximi moduli nummus in *Thesauro Regis Christianissimi.*

NUM. 3.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Senatus Consulto. Palma arbor inter Provinciam lugentem atque Imperatorem stantem cum hasta & parazonio atque galeam lævo pede calcantem.

Ita quidem nummus primæ magnitudinis inscribi, à parte capitis solet, qui ab altera parte eundem typum exhibet cum epigraphe JUDAEA CAPTA. Sed tamen potest hoc Numisma maximi moduli juxta caput Vespasiani similem præcedenti nummo habere Inscriptionem.

NUM. 4. &c.

Vacant.

NUMMI CONTORNIATI.

NUM. 9. 10.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus COnSul III. Caput Vespasiani radiata corona insigne ante faciem est monogramma ex literis P. & E.

ROMA. Roma habitu Amazonis spoliis insidet, dextra tenens lauream atque palmam, læva parazonium.

Crebro in nummis Conturniatis, qui post Constantini tempora plerique cusi sunt, occurrunt radiata Imperatorum capita, & quidem cum ejusmodi excavata atque argento impleta nota, de qua egi in libello meo de Nummis Contorniatis. Roma, quæ sæpissime lauream dextra manu tenet, in hoc insuper palmam tenet; quod existimo fieri in gratiam ludorum Circensium: nam in hos usus Nummi hi Conturniati signari solebant. Et hinc toties aurigæ nobiles, equi quoque, ejusmodi palmarum ramis in iisdem exornati cernuntur.

NUM.

NUM. 11. 12.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, cum lacinia paludamenti ad lævum humerum, ante faciem palmæ ramus insculptus cernitur.

Sine epigraphe. Mars nudus, nisi quod galea caput tegatur, dextra hastam quassat, læva præter clypeum scalas tenet, atque lævum pedem rati inprimit.

Flores, ramusculi, aliaque argento inpleta cavitate insculpi Nummis Contorniatis solebant. Typos ab altera parte pro lubitu sæpe formabant. In hoc nummo Martis Poliorcetæ, sive urbium oppugnatoris visitur imago; ideo scalas altera manu tenet; & quoniam navalibus quoque pugnis præest idem Deus, ideo pedem alterum rati inprimit. Exstat in *Museo Farnesiano*, Num. 5. sed ibi quod sub pede lævo Martis cernitur nimis est detritum; perperam quoque pro clypeo & scutis vexillum fingitur, quia ibi quoque nummus ille tempore læsus & detritus videtur.

NUM. 13. & 14.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus COnSul III. Caput Vespasiani, ut in præcedenti nummo, sed ante faciem est nota PE.

Sine epigraphe. Venator inpetum faciens in aprum, adcurrente cane, atque arbore intermedia.

Sæpissime venationes, quæ ad populi oblectamentum dabantur, exprimi in hisce Nummis Contorniatis solent.

NUM. 15.

Epigraphe Capitis similis.

Sine epigraphe. Laocoon cum duobus filiis duobus serpentibus inplicitus.

Secundum nobilissimam Laocoontis & filiorum statuam, quæ hodieque Romæ visitur, typus hujus nummi elaboratus fuit.

NUM. 16.

Epigraphe capitis eadem.

Sine epigraphe. Atys, sive potius Gallus, se ipsum castrans, pone pileus jacet Phrygius.

Atys puer inberbis & formosus fuit, unde, quia bene barbatus vir in hoc typo pingitur, malo interpretari de Gallo, Cybeles sacerdote, talis hic in flebili actu depingitur,

Mollia qui rupta secuit genitalia testa.

juxta Juvenalem Satyra VI. versu 513. Samiam hic vides testam juxta Martial. Lib. III. Epigr. 81.

Abscissa est Samia quare tibi mentula testa?

Faciebant hoc inpuri illi, exemplo Atynis, de quo Catullus Carmine versu 4.

Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devolvit illa acuta sibi pondera silice.

NUM. 17.

Epigraphe capitis eadem cum insculpto palmæ ramusculo.

Sine epigraphe. Historia Herus & Leandri; ipsa è turri nudo prospectans corpore, quod ad umbilicum usque exstat, dextram porrigit Amori advolanti, natat infra in undis Leander.

Possideo similem nummum Græcum elegantem Caracallæ apud Cadoenos cusum, verum hic Conturniatus est, neque una picturæ specie expressus videtur. Alium enim crediderim ab hoc nummo, illum quem ex *Museo Farnesiano* publicatum vidimus Num. VI. inter Vespasiani Conturniatos. Ibi enim Hero vestita lampadem dextra versus natantem Leandrum extollit, è regione, sive Europæ parte piscator hamum tractat, & in summo navis cernitur vela faciens.

NUM. 18. 19. 20.

Vacant.

TABULA XII.
NUMISMATA
IMP. FLAVII VESPASIANI
EX ÆRE MAGNO.

NUM. 1. 2.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. CENSor. Caput Vespasiani laureatum, ut Tab. II. Num. 61.

MARS VICTOR. Mars lorica indutus, & parazonio armatus, festinat, dextra tenens victoriolam globo insistentem, læva tropæum in primo nummo, in secundo signum militare.

Bellicosissimo Imperatore Flavio Vespasiano ad Imperium Romanum evecto, crevit gloria gentis Romuleæ, Martiæ sobolis; quare Mars ipse festinans eidem victoriam adportans depingitur, armata manu (quo signum militare spectat) partam, tropæo de devictis hostibus erecto. Priorem vulgavit *Æneas Vicus* inter Ærea Vespasiani Numismata Num. 8. Sine Censoris titulo describitur in *Museo Theupoliano* p. 418.

NUM. 3. 4.

IMPerator CAESAR VESPASianus AUGustus COnSul II. TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus. TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, ut Tab. II. N. 49.

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, ut Tab. III. Num. 73.

Sine epigraphe, cum nota Senatusconsulti. Mars Gradivus, galeatus & chlamydatus cætera nudus, nisi quod zona ventrem cingat, dextra hastam tenet transversim, læva tropæum super humeros adtollit.

Similes hisce Martis Gradivi Victorisque typos signari fecerat in honorem Vitellii Senatus, magis coactus quam voluntate sua; lætiore animo fecit id in Vespasiani honorem, qui, victis adversariis, finem bellis civilibus inposuerat. Nummus hic cum epigraphe prima occurrit apud *Æneam Vicum* Num. 18. cum secunda in *Museo Farnesiano* Tab. XI. Num. 2. cum tertia in *nostro*.

NUM. 5.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

MARS VICTOR. Mars stans, nudus, nisi quod caput tegatur galea, venter zona cingatur, respiciens, dextra spiculum tenet, læva tropæum.

Victoris Martis, cujus alia in primo atque secundo hujus Tabulæ pictura invenitur, memoratio in hoc nummo iteratur. Bella civilia & externa feliciter & fortiter composita typus notat. Servatur nummus in *Museo Farnesiano*, ubi vide Tab. XI. Num. 1.

NUM. 6.

Epigraphe capitis in hoc nummo mihi incognita est.

Sine epigraphe cum Senatusconsulti nuda nota. Figura muliebris tunicata gradiens, dextra palmam tenet, læva victoriolam globo insistentem; ante pedes in spiras sese erigens progreditur anguis.

Ad-

Adpositus anguis, ostendit typum hunc ad Minervam spectare; quam Victricem designant palmæ ramus & victoriolæ signum; neque aliam Deam quam Minervam adumbrari, præter serpentis symbolum, galea qua tegitur caput, atque ornatum ægide pectus ostendunt. Simplicior itaque pars Panthei illius est, de quo ad Aurea Numismata Vespasiani egimus Tab. V. Num. 35. In bello enim prudentia ducis magni usus esse solet, atque corporis robur multum præstare. Vigilantiam itaque (cujus symbolum serpens est) in Vespasiano duce laudat merito Mucianus apud *Tacitum* Histor. Lib. II. Cap. 77. *Nec mihi major in tua vigilantia, parsimonia, sapientia, fiducia est, quam in Vitellii torpore, inscitia, sævitia.*

NUM. 7.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum.

ROMA VICTRIX. Roma stans, habitu Amazonis, dextra hastam tenet, læva parazonium, lævumque pedem proræ ratis imprimit.

Imperii Romani potentiam terra marique typus hic denotat. *Comes Mediobarbus*, qui pag. 114. ex *suo Museo* hunc nummum laudat, deceptus fuit fugiente proræ figura, dum credidit sese videre molem quadratam; scribens: *sinistro pede calcans molem quadratam.*

NUM. 8.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, ut Tab. II. Num. 48.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, ut Tab. II. Num. 58.

ROMA. Roma stans; Amazonis habitu; dextra victoriolam tenet, læva hastam.

Plurimi inter Vespasiani nummos cum hoc inveniuntur typo, felix enim Urbis & Orbis status sub optimo Imperatore fuit. Cum utraque capitis epigraphe exstat in *Museo nostro*, cum epigraphe priore singularis elegantiæ vidimus in *Museo Comitis de Thoms*, addito ad humeros Vespasiani paludamento, ut Tab. II. Num. 43.

NUM. 9.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus.

ROMA. Roma, Amazonis habitu, septem suis collibus insidet, ad pedes ab altero latere Fluvii typus cum arundine, ab altera lupa cum gemellis.

Securitatis publicæ ritu depingitur Roma, caput scilicet dextra fulciens, propter summam Romæ sub Vespasiano tranquillitatem, læva scipioni; qui potentiæ & Principatus est symbolum; innititur. Ante pedes Tybris, nobilis propter Romam, quam perfluit fluvius, ad alterum latus lupa cum Romulo & Remo visitur. Vulgarunt *Guilelmus Choulius*, qui inter primos Numismatum usum in illustrandis Romanorum factis, docuit, pag. 140. *Octavianus Sada* ad *Augustini* Dialogos III. 8. Invenitur quoque in *Museo Farnesiano* Tab. XII. Num. 6. & in *Museo Christinæ Reginæ*, nuperrime à nobis edito, Tab. V. Num. 18.

NUM. 10.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 58.

ROMA. Roma sedens, spoliis in Amazonis habitu, dextra victoriolam tenet, læva parazonium.

Romæ Victricis est Typus; similis nummus in *Museo nostro* exstat.

NUM. 11.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Additur in aliis CENSor.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum.

RO-

ROMA RESURGES. Imperator stans togatus figuram muliebrem in genua prolapsam erigit, adstante atque adjuvante tertia figura militari.

Romam, Romanumque Imperium, per præcedentium Principum inertiam turbasque collapsum, restituit militari virtute Vespasianus. Quin & Urbem, Neroniano incendio adhuc fœdam & laceram, ornavit eximie, ut videre licet apud *Sueton.* in Vespas. Cap. VIII. & IX. ut magno Principis sui merito, typum hunc cum hoc titulo, consecraverit, atque eundem repetierit cum titulo restitutæ libertatis, infra Num. 20. Publicarunt nummum hunc cum Inscriptione prima capitis *Sebast. Ericius* p. 125. *Paulus Pedrusius* in *Museo Farnesiano* Tab. XII. Num. 5. Censoris additum titulum invenio in *Octaviani Sadæ* Nummis ad *Augustini* Dialogos. Cum Consulatus quarti nota, sive secunda capitis Inscriptione occurrit in *Museo Theupoliano* p. 419. cum prima Inscriptione in *Museo nostro.*

NUM. 12.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus COnSul III. in aliis, COnSul VII. Caput Vespasiani laureatum.

ANNONA AUGusti. Figura muliebris sedens gremio repositum habet linteum frugibus & pomis plenum, cujus lacinias utraque manu sustinet.

Repetitio hujus typi non uno in metallo, atque variis annis, singularem Vespasiani curam circa Annonam commendat. Cum III. Consulatu producitur apud *Com. Mediobarbum*, cum VII. apud *Francisc. Angelonum* inter Vespasiani nummos Num. 12.

NUM. 13.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, ut Tab. I. Num. 35.

CONCORDIA EXERCITUUM. Dextræ conjunctæ tenentes Signum militare proræ navis inpositum.

Ex Inscriptione capitis adparet signatum jussu Senatus hunc fuisse nummum sub initio Imperii Vespasiani, in cujus, ad Imperium adspirantis, nomen multæ Provinciæ exercitus, atque classes conjuraverant, ut ex *Tacito* Histor. Lib. II. Cap. 81. & 82. patet, sed cui, sublato Vitellio, omnes Imperii Romani exercitus classesque, sancita inter se concordia, fidem addixerant.

NUM. 14.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus COnSul II. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 40.

FIDES EXERCITUUM. Dextræ conjunctæ signum militare tenent proræ navis inpositum.

Explicatio hujus typi dependet à præcedenti. Cusus hic est, quum secundum suscepisset Consulatum Vespasianus, ut præcedens, quum occupato Imperio, ei Senatus gratulabundus alterum Consulatum (primum enim diu ante privatus gesserat) Vespasiano decrevisset, eumque consulem in annum proximum designasset. Vulgavit *Æneas Vicus* inter Ærea Numismata Vespasiani Num. 23.

NUM. 15.

Capitis epigraphen non novi, puto à sequenti (quoniam ibidem idem typus est) non discrepare.

FIDES EXERCITUUM. Dextræ junctæ caduceum tenent cum quatuor spicis.

Typus designare videtur, quod concordia & fide militari promota fuerit pax, unde abundantia rerum omnium, quæ pacis sequela est, Imperio Romano contigerit.

NUM. 16.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus COnSul VIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

FIDES PUBLICA. Dextræ conjunctæ tenentes caduceum cum sex spicis.

Consulatum octavum gessit Vespasianus A. U. C. 830. quo, juxta *Eusebium*, ingens Romæ lues exstitit. Illo potissimum tempore (uti quidem semper) annonæ curam gessisse Vespasianus videtur, ne plura simul concurrerent mala, vel pestem fames comitaretur, sed ut pacis servarentur commoda, & publica maneret fides. Vulgavit *Æneas Vicus* inter Ærea Numismata Vespasiani Num. 14.



IN RELIQUA

NUMISMATA VIII.

EX ÆRE MAGNO

IMP. FLAVII VESPASIANI

QUÆ EXHIBET TABULA XII.

COMMENTARIUS

ANT. FRANCISCI GORII

AD NOBILISSIMUM AC CELEBERRIMUM VIRUM

D. JACOBUM PHILIPPUM D'ORVILLE.



Ditis ſpatio annorum decem ſupra quatuor in publicam lucem, eâ qua potui diligentiâ, ſex Voluminibus MUSEI FLORENTINI, ac tribus item MUSEI ETRUSCI; præterea etiam DONIANIS Inſcriptionibus antiquis, & his omnibus antiquis tum ſcriptis tum anaglypho opere ſculptis monumentis, quæ in Etruriæ Urbibus exſtant, tribus pariter Tomis comprehenſis, & inſuper CATALOGO Mſſ. Codicum Orientalium, qui exſtant ac ſervantur Florentiæ in Bibliothecis Laurentiana & Palatina Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ, cujus juſſui parere mihi glorioſum maxime duxi; quum per aliquod temporis intervallum quietam & tranquillam vitam agere, litterariis laboribus vacuam, & vires pæne fractas reficere mihi propoſuiſſem, quin etiam ad valetudinem meam tuendam id neceſſarium eſſe duxiſſem; ecce, mi D'ORVILLE NOBILISSIME ac DOCTISSIME, me in ludum iterum revocas, & ad opus aleæ periculoſæ plenum læto alacrique animo ſubeundum vehementer excitas, enixis precibus multisque verbus cogente ac propernodum impellente te, & me quoque Jacobo WETSTENIO, Bibliopola apud litteratos totius orbis homines famigeratiſſimo, ac de liberalibus diſciplinis optime merito, ut Commentaria in inſignem MORELLIANUM THESAURUM, morte Virorum Celeberrimorum Chriſtiani SCHLEGELII, & Sigeberti HAVERCAMPI interrupta continuem, atque ita tibi, eidemque Wetſtenio, bono litterariæ Reipublicæ, quæ tot ac tanta a te accepit beneficia, morem

rem geram. Renui primum, adtulique caufas; penfitatifque exigui ingenii mei viribus, tanto oneri fubeundo me imparem, datis ad te AMICORUM OPTUMUM ac PRAESTANTISSIMUM compluribus litteris, teftatus fum. Tandem manus dedi, quum acrius me excitares, ne parvi facere auctoritatem tuam apud me maximam viderer, neve tuae in me fingularis humanitatis ac benevolentiæ eximia officia negligere fubfpicareris. Lubenter etiam hanc fpartam fufcepi, quam videbam & mihi & patriæ meæ, meoque Clementiffimo Principi, qui regio patrocinio mea fovet ftudia, effe valde gloriofam, quamvis longo diftem intervallo a prioribus horum Numifmatum Commentatoribus. Has igitur meas lucubrationes, qualefcunque fint, a me permultis optimis libris ad Rem Nummariam pertinentibus deftituto, & in hoc bellorum adparatu ululante Europa atque Italia noftra exaratas, ad te mitto, tuæque voluntati ac cenfuræ, fi publica luce dignas judicas, fubjicio, qui omnigena polles eruditione, & Numifmatum, omniumque doctæ Vetuftatis monumentorum recte explicandorum fcientia mirifice fulges, ac facile principem in litterario orbe locum hac noftra ætate tenes. Eas quoque fi probas, VIR PRAECLARISSIME, animo lubens tibi dico ac dedico; & quod nuper feci, quum tuo nobiliffimo Nomini Volumen III. Infcriptionum antiquarum Etruriæ infcripfi, ac præfatus fum, me totum tibi, fummæque in me tuæ benevolentiæ iterum trado atque commendo.

Dabam Florentiæ V. Eidus Novembr. (meo Natali die) an. M. D. CC. XLIV.



Sequi-

Sequitur Tab. XII. *exhibens Numismata IMP. FLAVII VESPASIANI.*

N u m. 17.

IMPerator CAESar VESPASianus (in aliis VESPASIANus) AUGustus Pontifex Maximus) TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævam versus, ut Tab. II. Num. 49.

Vel,

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriae COnsul III. Caput Vespasiani ut supra.

FORTUNAE REDUCI. Mulier stolata dextrorsum versa, stans, dextra oleæ ramusculum tenens innititur navis gubernaculo, quod globo impositum est; læva copiæ cornu frugibus refertum tenet. In area sculptæ notæ. S. C. Senatus consulto; quae in alio numismate desunt.

Percussus est hic numus elegantissimus in honorem Imperatoris Vespasiani tertio ejus Consulatu, quem iniit anno ab. V. C. 824. a C. N. 71: cum collega suo M. Cocceio Nerua, & quidem in memoriam optatissimi itemque faustissimi ejus reditus Romam ex Ægypto; nam quum Alexandriæ esset, nuntiata Vitellii morte, Imperator salutatus est a Legionibus, quas Tiberius Alexander Præfectus Aegypti in ejus verba adegerat, & fidem ut præstarent effecerat, teste Suetonio, & Tacito Histor. Lib. II. c. 79. qui haec scribit: *Initium ferendi ad Vespasianum imperii Alexandriae cœptum, festinante Tiberio Alexandro, qui Kalend. Jul. Sacramento Legiones ejus adegit. Isque primus Principatus dies in posterum celebratus; quamvis Judaicus exercitus V. Nonas Jul. apud ipsum jurasset, eo ardore, ut ne Titus quidem filius expectaretur.* Hoc ipsum temporis discrimen adepti a Vespasiano Imperii egregie conciliat, sublatis Lipsii & Torrentii disceptationibus, doctissimus Pagius ad hunc annum. §. VII. & seqq. Summa cum nominis suis gloria in Urbem reversum Vespasianum, Imperatoris majestate decoratum, his verbio memorat Suetonius in ejus vita c. 7. *Suscepto igitur civili bello, ac ducibus copiisque in Italiam præmissis, interim Alexandriam transiit, ut claustra Aegypti obtineret. Heic quum de firmitate Imperii capturus auspicium ædem Serapidis, submotis omnibus, solus intrasset, ac propitiato multum deo, tandem se convertisset, verbenas coronasque, & panificia (ut illic adsolet) Basilides Libertus obtulisse ei visus est.* Et paullo post: *Ac statim advenere litterae fusas apud Cremonam Vitellii copias, ipsum in Urbe interemtum nunciantes. Auctoritas & quasi majestas quaedam, ut scilicet inopinato & adhuc novo Principi, deerat: haec quoque adcessit.* Et mox: *Talis, tantaque cum fama in URBEM REVERSUS, acto de Judæis triumpho, Consulatus octo veteri addidit. Suscepit & Censuram; ac per totum Imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope adflictam nutantemque Rempublicam stabilire primo, deinde ornare.* Probabile videtur hunc ipsum numi typum repetitum, quum Principatus felicissime ab eo virtute sua adepti dies quot annis celebraretur. Fortuna, uti & Pax, in sequentibus numis, dextra præfert oleæ ramusculum; quo symbolo, ni fallor, indicatur, Vespasianum exstinctis Vitellianarum partium dissidiis & calamitatibus, Romano orbi optatam pacem restituisse, & cum pace Romanos tranquillitatem, & bonorum omnium copiam, quam indicat copiæ cornu frugibus abundans, quod sinistra tenet, adeptos fuisse, optimo tanti Principis regimine; quapropter navis gubernaculum, cui subest globus, ei quoque tribuitur. Adfertur hic numus a P. Pedrusio e Farnesio Museo, & ab Angelonio num. 8. qui adnotat conjicitque Senatus Consulto decreta ac celebrata fuisse Sacrificia Fortunae Reduci ob faustissimum Vespasiani reditum in Urbem. Idem typus repetitus etiam cernitur in tertio & quarto Vespasiani Consulatu, teste numo Musei Farnesii Tab. XIV. num. II. & in Consulatu VIII. apud Occonem, & ex aliis numis NEPTUNO REDUCI sacra facta ac vota intelligimus.

N u m. 18.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Pater Patriae COnSul III. Caput Vespasiani ad lævam conversum & Laurea revinctum HONOR ET VIRTUS. (In alio scriptum HONOR VIRTUS) A dextris juvenis, nuda superiore corporis parte, inferiore velata stans, sinistra hastæ innixus, dextra copiæ cornu tenet: a sinistris femina militari indumento & galea ornata, sinistra parazonium gestat, dextra hastæ innixa, dextro pede subjectam galeam calcat. In exergo S. C. nota, quæ in alio numo deest.

Occurrit hic ipse typus HONORIS & VIRTUTIS in mendacibus Galbae numis; sed melius, & jure quidem optimo præcipue convenit Vespasiano, qui statim ac imperium, quo dignus erat, adeptus est, sublatum Romano nomini honorem restituit, & debita Virtuti præmia reddidit. Huc faciunt laudes, quae in eum congerit Aurelius Victor, seu quis alius, de Cæsaribus; quibus memoratis, has subjungit: *Quæ tot tantaque brevi confecta, intactis cultoribus: simul censu more majorum exercito, Senatu motis probrosis quibusque, ac lectis undique optimis viris, mille gentes compositæ, quum ducentas ægerrime reperisset: exstinctis sævitia Tyrannorum plerisque: ac bello Rex Parthorum Vologesus in pacem coactus, utque in provincia Syria, cui Palæstinæ nomen, Judaeique adnitente Tito, quem transgrediens in Italiam reliquerat externae militiae; moxque Victorem Præfectura Prætorio extulerat. Unde etiam HONOS is, ingens a principio, tumidior, atque alter ab Augusto imperio fuit.* Omnes laudes complectitur Tacitus, qui Histor. Lib. II. c. 73. Scribit *Erat in ore omnium famaque Vespasianus.* Debita igitur Honori & Virtuti Vespasiani præmia atque honestamenta ut præberet Senatus, hunc numum, ut Romæ fuit

fuit, tertio ejus Consulatu cælandum curavit; atque etiam ut restituti ab eo Romanae Reipublicæ pristini Honoris & Virtutis æternum hoc extaret monumentum. Persimilis numus adservatur in Numophylacio Reginæ Christinæ, quem explicat Cl. Havercampus Tab. V. Num. XIV. & XV. Exstat etiam idem numus & in Farnesiano Museo; sed in postica parte deest S. C. nota, & epigraphe ita se habet HONOR VIRTUS.

NUM. 19.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Vespasiani ad lævam conversum & laurea revinctum. LIBERTAS PUBLICA. Figura muliebris stolata stans, dextrorsum conversa; dextra manu pileum libertatis imagine, læva hastam tenet. In area numi singularia S. C. Senatus Consulto leguntur.

Jam diu nutantem Romanam Rempublicam, propulsata sævissima tyrannide, confectoque civili bello in pristinum decus, dignitatem libertatemque adseruit Vespasianus, qui ut ad numos 15. & 16. sequentis Tab. XIII. videbimus, honoris causa meruit votivos clypeos, adjectis querneis coronis aureis & argenteis tamquam Servatori Civium Romanorum, &, ut opinor, in Templo Jovis Optimi Maximi adpensos ac dedicatos, atque his præclarissimis titulis inscriptos: ADSERTORI LIBERTATIS PUBLICAE PATRI PATRIAE OB CIVES SERVATOS. Quod vero ex hac publica libertate Romani complura bona, favente & auspice Vespasiano, consecuti fuerint, nempe felicitatem, salutem, tranquillitatem ac securitatem; idcirco Libertati Deæ, ut hæc indicarent, copiæ cornu frugibus omnimodis refertum tribuerunt; nam in numo Galbæ apud Angelonium cum eodem typo Libertatis Deæ, quæ dextra pileum tenet, cum epigraphe LIBERTAS PUBLICA, sinistræ ejus non cornu copiæ, sed virga seu baculus adpingitur; de quibus Symbolis plura habes apud Antonium Augustinum Dialog. II.

NUM. 20.

IMPerator CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul II. (in alio COS. III.) Caput Vespasiani Laureo serto redimitum, ad lævam conversum. LIBERTAS RESTITUTA. Imperator togatus stans dextram porrigit mulieri ante se genuflexæ, eamque ut adsurgat adlevat; adstante alia figura mulieris, exserta mamma dextra, quae galea & clypeo insignis est. In exergo numi singularia adscripta S. C. Senatus consulto.

Hunc ipsum pariter Numismatis typum effusa Romanorum adulatio Galbae, eandemque epigraphen, sed alio typo, Vitellio dedicavit; sed potiori jure, & auspicatius renovavit in Vespasiano, qui stanti, & quidem togato sese offert mulier (forsitan Romanam refert Rempublicam,) quae flexo ante eum dextro genu, dextra extensa opem a mitissimo atque indulgentissimo Imperatore implorat. Pone eam altera mulier adstat, sed galeata, & armata clypeo, quæ, ut puto, Romam refert, & admirabunda pariter & læta adspicit Vespasianum, qui ad genua sua prolabsam mulierem erigit, & in pristinum decorem ac libertatem adserit. Hic ipse typus occurrit in alio Vespasiani Numismate, quod in his Tabulis cernitur cum epigraphe: ROMA RESURGES: sive RESURGENS. Adludit etiam hic numus ad eam Vespasiani laudem, quam Suetonius de eo ita commemorat c. 9. *Amplissimos ordines, & exhaustos cade varia, & contaminatos veteri negligentia purgavit, supplevitque, recenso Senatu & Equite, submotis indignissimis, & honestissimo quoque Italicorum ac Provincialium adlecto. Atque uti notum esset utrumque ordinem non tam LIBERTATE inter se, quam DIGNITATE differre, de jurgio quodam Senatoris, Equitisque Romani, ita pronunciavit: Non oportere maledici Senatoribus, remaledici civile, fasque esse.*

NUM. 21.

IMPerator CAESar VESPASianus (in alio VESPASIANus) AUGustus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Pater Patriæ CONSul III. Caput Vespasiani laurea corona ornatum, ad lævam conversum.

PAX AUGusti. Pax Dea stolata stat ad aram ignitam, prope quam jacent bellica arma, quæ admota face incendit dextra manu, læva vero oleæ ramusculum adtollit: post ejus terga erecta columna cernitur cum signo superposito; in imo vero coacervata jacent arma, clypei & hastæ. In exergo S. C. nota.

Orbi Romano optatam diu Pacem quum reddidisset Vespasianus militaris scientiæ peritissimus, fretus consilio ac prudentia sua, Senatus Pacis Auctori præclarissimo hoc Numisma dedicavit, quod ex Museo Farnesio adfert Pedrusius, & Angelonius Num. 7. sed quod referat numen impositum illud columellæ signum, disceptant eruditi Antiquarii. Angelonius Victoriam censet, Pedrusius Bellonam cui terga vertit Pax, quod non est omnino improbabile; alii vero Martialem Minervam Bellorum Præsidem, alii Martem, quem valde exprimit hic numus. Pacem illam, quæ imperante Augusto toto terrarum orbe viguerat, iterum post civile bellum revocavit Vespasianus, qui Jani templum sextum clausit; ut mox observabimus.

NUM. 22.

IMPerator CAESar VESPASianus (in alio VESPASIANus) AUGustus Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate Pater Patriæ CONSul III. Caput Vespasiani laureatum, lævorsum respiciens.

PAX

PAX AUGUSTI. Dea Pax stolata stans, dextrorsum spectans, dextra oleæ ramusculum, sinistra copiæ cornu tenet. In area S. C. Senatus consulto.

Pax, qua nihil gratius, nil amabilius hominibus adcidere solet, qua vigente vigent omnia bona, quae beatos cives reddunt, tum in hoc numo, tum in reliquis in hac Tabula expressis exhibetur; & quidem PAX AUGUSTI adpellatur, quasi donum Romano orbi partum virtute rebusque præclare gestis Vespasiani, qui optimas artes ac studia adtributis præmiis liberalitate egregia ad vitam quodammodo, & ad pristinum decus revocavit, teste Suetonio c. 18. *Ingenia & artes vel maxime fovit. Primus e fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit. Præstantes Poëtas, nec non & Artifices coëmit. Item Colossi refectorem insigni congiario, magnaque mercede donavit. Mechanico quoque grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium, pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remisit, præfatus sineret se plebeculam pascere.* Laboravit nimia pecuniarum cupiditate; sed ut aliis prodesset teste Eutropio Lib. VII. qui hæc scribit: *Pecuniæ avidior fuit, ut eam nullis injuste auferret: quam quum omni diligentiæ provisione colligeret, tamen studiosissime largiebatur, præcipue indigentibus: nec facile ante eum, cujusquam Principis, vel major est liberalitas comperta, vel justior.* Hinc Paci Deæ præter oleæ ramum, copiæ quoque cornu tribuitur, ut ex ea omnia bona promanare declarentur. Idem numus, obvius quidem, in Museis compluribus exstat Farnesiano, Theupolo, apud Angelionium, aliosque Numographos.

NUM. 23.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ CONSul III. Caput Vespasiani laureatum ad lævam conversum.

PAX Populi ROMANI. Pax Dea stolata stans, dextrorsum respiciens; dextra oleæ ramusculum, sinistra copiæ cornu tenet. In area numi scriptum S. C. Senatus consulto.

Perrarum atque insigne hoc numisma non describunt Vaillantius, & Mediobarbus. Pacem Populo Romano donatam a Vespasiano testatus est Senatus hoc perenni monumento, item numis aureis & argenteis cum epigraphe PAX AUG. S. C. Alterum quoque numum Vespasiani adfert Ill. Spanhemius, cum titulo: PACI ORBIS TERRARUM. Florente Pace non tam Cives Romanos, quam Urbem egregiis ornamentis decoravit Vespasianus; quæ tum ex numis, tum etiam ex antiquis inscriptionibus colliguntur; nam aquas Curtiam & Cæruleam perductas a Claudio, & postea intermissas dilapsasque per annos novem, sua impensa Urbi restituit, & vias corruptas restituendas curavit, uti ex hoc marmore S. C. dedicato adstruimus.

IMP. CAES. VESPASIANO AUG.
PON. MAX. TRIB. POT. IMP. IX.
P. P. COS. III. DES. IIII. S. C.
QUOD VIAS URBIS NEGLIGENTIA
SUPERIOR. TEMPOR. CORRUPTAS
IMPENSA SUA RESTITUIT.

Publica opera ad ornatum & gloriam Urbis a Vespasiano facta, quæ inferius ex Suetonio in ejus vita cap. 8. & 9. describam, fructus sunt Pacis, quam diu optatam Vespasianus Romano orbi donavit, quare & in aliis numis scriptum occurrit PACIS EVENTUM.

NUM. 24.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ CONSul III. Caput Vespasiani lævorsum respiciens, laurea corona cinctum.

PAX AUGUSTI. Dea Pax dextrorsum conversa sedens, subjecto pedibus throno, dextera oleæ ramum, sinistra copiæ cornu præfert. Hinc inde in area numi scriptum S. C. Senatus consulto.

Complura a Numographis describuntur numismata Senatus Consulto dedicata Vespasiano cum Pacis Deæ typo, & titulis: PAX AUGUSTI, sive etiam PACI AUGUSTI. In his Pax exhibetur stans, dextra præferens oleæ ramusculum, quem & Oratores pacem petentes gerebant; sinistra vero cornu copiæ; interdum etiam eadem Dea cum utroque symbolo columnæ innixa spectatur; sed rariores occurrunt numi in quibus, ut in hoc, sedens repræsentatur, quasi quietem & stabilitatem suam designet. Idem Vespasianus Imperator, nullo majorum exemplo, primus Paci templum magnificentissimum erexit, ut inclytus Baronius observat; in quo præter alia hinc inde toto terrarum orbe quæsita ornamenta, ea præsertim, quæ e Templo Hierosolymitano sublata, ducta fuerant in triumphum, reposuit, teste Josepho de Bello Jud. Lib. VII. c. 24. in fine. Quum ex omni metallo occurrant numi in honorem Vespasiani percussi cum typis Pacis Deæ, sed in singulis aliqua in re variantibus; subspicari minime absurdum est, eos in singulis Consulatibus repetitos, multiplicata tanti beneficii memoria, tributis omnibus laudibus Vespasiano, qui, ut diximus, Romanam Rempublicam in pristinum decus, libertatem, tranquillitatem, felicitatemque adseruit, parta Romano orbi optatissima Pace.

ANT. FRANCISCI GORII
Commentarius
In Numiſmata ex aere magno
IMP. FLAVII VESPASIANI
Quae
IN TAB. XIII. EXHIBENTUR.

NUM. 1.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. Caput Veſpaſiani laureatum, lævam verſus.

JUDAEA CAPTA. In exergo S. C. Senatus Conſulto. Palma arbor in medio: hinc mulier moeſta ſedens; inde Imperator ſtans, dextra haſtam, ſiniſtra parazonium gerens, ſiniſtro pede galeam calcans.

Tertium Conſulatum iniit Veſpaſianus anno V. C. 824. N. C. 71. quo cuſus eſt hic numus & ſequentes ob memoriam rebellis provinciæ Judaeæ ab eodem Imperatore per Titum devictæ. Imago mulieris ſub palma ſedentis & lugentis, quæ ſiniſtro brachio mentum ſubfulcit ſuum, Judæam refert; ejus vero regionem deſignat palma, quod hujusmodi arboribus potiſſimum abundet. De his plura Patinus in ſuo Theſauro. Imperator Veſpaſianus apud Comitem Mediobarbum ſiniſtro pede globum calcat; ſed melius qui archetypa conſulent, galeam calcare cenſebunt: Id ipſum facit Victoria in tribus numis hujuſce Morelliani Theſauri in hac ipſa Tabula XIII. adlatis. Nec aliter in numis tum Muſei Farneſiani tum ab Angelonio editis pag. 71. Num. 3. & 4. Mediobarbus numum ex Theſauro Patiniano deſcribit cum eodem titulo JUDAEA CAPTA, cujus antica Veſpaſiani Conſulatum ſecundum declarat. Hic numus cuſus cenſetur quum idem Veſpaſianus de Hieroſolyma a Tito capta nuntium accepit; nam urbem octavo die Septembris, ſecundo Veſpaſiani principatus anno cepit, quum pater eodem menſe ſe Conſulem tertium deſignaſſet, quod adnotat Vaillantius in Numiſm. Imperator. præſtantiora Tom. II. Hi vero numi, ut hic a nobis adlatus, ſignatus Veſpaſiani Conſulatu III. in quo collegam habuit M. Coccejum Nervam, memorato anno ab V. C. 824. a C. N. 71. percuſſus eſt, poſtquam Titus Hieroſolyma expugnata, jam in caſtris a militibus Imperator ſalutatus Romam rediit, & a patre dictus Imperator, imperiique collega renuntiatus, cum eo triumphum de Judæis a ſe devictis duxit, exeunte menſe Aprili ejuſdem anni. Fuit hic triumphus omnium nobiliſſimus, teſte Joſepho Lib. VII. de Bello Jud. c. 24. qui accurate illum deſcribit; nam Titus Romam intulit pretioſa Sancti Templi vaſa, & ante eorum currum, captivorum more, manibus poſt terga revinctis ivere Joannes & Simon Judæorum Duces. Idem titulus JUDAEA CAPTA occurrit in aliis Veſpaſiani numis, in quibus ſub arbore palmæ mulier tantum mœrens, captivorum more, ſculpta cernitur, ut apud Oiſelium Tab. XVI. Num. 8. atque etiam in deſcriptione numorum apud Mediobarbum. Sola etiam occurit mulier captiva, Judaeæ imago, vel ſub palma ſedens, vel ad tropæum in numis quorum epigraphe: JUDAEA. Sive JUDAEA DEVICTA, & interdum mulier prope palmam ſedet inter arma bellica. Interdum etiam Veſpaſiani Numiſmata in poſtica præferunt tropæum armorum, cum duabus figuris hinc inde captivorum more ſedentibus, ut apud laudatum Oiſelium Tab. XVI. Num. 9. cum epigraphe JUDAEA CAPTA. Sed ea Numiſmata, quæ Conſulatum ejus tertium notant, memorato anno percuſſa ſunt, quo ut dixi ampliſſimum triumphum de Judæa devicta duxere Veſpaſianus Auguſtus & Titus ejus filius, quos Domitianus Cæſar equo inſigni vectus comitatus eſt.

NUM. 2.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. Caput ejuſdem laureatum, lævam verſus.

JUDAEA CAPTA. In exergo: S. C. Palmæ arbor fructibus ferax, prope quam inter arma bellica a dextris ſtat vir captivus, manibus poſt tergum revinctis; a ſiniſtris ſedet mulier mœrore tabeſcens, ſiniſtro brachio caput ſubfulciens.

NUM.

NUM. 3.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. Caput ejuſdem laureanis, lævam verſus.

JUDAEA CAPTA. In exergo: S. C. Palmae arbor fructibus abundans, prope quam inter bellica arma a dextris ſedet mulier mœrens, dextro brachio caput ſubfulciens ſuum; a ſiniſtris vero vir ſtat captivorum more manibus poſt tergum revinctis.

NUM. 4.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. CENſor. Caput Imperatoris laureatum.

JUDAEA DEVICTA. In exergo: S.C. Senatus conſulto. Mulier manus revinctas oſtentans, capite in terram inclinato, ſtans, ad arborem palmæ, dextro pede ſaxo impoſito.

In numis Veſpaſiani hoc typo ornatis poſt notam Conſulatus III. aliquando ſubſequitur CEN. nimirum CENSOR. De ejus cenſura vide quæ ſuperius ad Tab. II. Num. 60. & 61. pag. 265. adnotat V. C. Havercampus. Maximam gloriam adeptus eſt Veſpaſianus duabus Victoriis nobiliſſimis Britannica & Judaica. Quod vero Judaica omnes longe anteiverit, oſtendunt hæc numiſmata triumphi occaſione percuſſa, quæ lugentem ad arborem palmæ referunt Judæam provinciam, modo catenatas manus ſuas reſpicientem, modo in luctu & ſqualore gementem ac ſedentem, cujus exſcidium jam prophetico ſpiritu deploraverat Jeremias Propheta in ſuis Threnis: *Quomodo SEDET ſola civitas plena populo; facta eſt quaſi vidua Domina gentium; princeps provinciarum facta eſt ſub tributo. Plorans ploravit in nocte, lacrymæ ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus.* Frequentiſſime in numis devictae Provinciæ ſedentes ac plorantes inducuntur; nam non ſolum apud Hebræos ceteroſque Orientis populos ſedentes mœrorem ſuum ſignificabant, verum & apud Græcos & Etruſcos noſtros, quod in Tomo III. mei Muſei Etruſci oſtendi.

NUM. 5.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. Veſpaſiani caput laureatum, ad lævam verſum.

JUDAEA DEVICTA. In exergo: S.C. Victoria ſtans, lævo pede galeam calcans, aptans clypeum, in quo ſcriptum S. P. Q. R. Senatus Populuſque Romanus, arbori palmæ, pone quam mœſta ſedet mulieris ſpecie Judæa inſidens armis.

Declarat hic numus, ob inſignem de Judæis victoriam, a Senatu Populoque Romano votivum clypeum Veſpaſiano dedicatum fuiſſe, perenne ejus virtutis & gloriæ monimentum, & uti probabile eſt, in Templo Jovis Capitolini ſuſpenſum, quem honorem & Tito delatum docent numiſmata mox illuſtranda. Victoria galeam calcat; ut oſtendat eorum fortitudine contuſam Judæorum ferociam. Lætis quoque adclamationibus celebratam Judaicam Victoriam a Senatu declarat numus penes Patinum in Indice pag. 8. in quo ſculpta Judæa lugens ſub palma, prope quam militarium armorum ac ſpoliorum congeries, cum hac epigraphe VICISTI CAES. S. C. Coronas quoque aureas eidem Imperatori ſtrenuiſſimo donatas mox adnotabimus.

NUM. 6.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. Veſpaſiani caput laureatum, ad lævam verſum.

Pars poſtica abſque epigraphe: In exergo: S. C. Imperator thorace, paludamento armiſque inſignis, ſtans, nudo capite, ſiniſtra haſtam, dextra Victoriolam gerit globo inſiſtentem cum palma & corona. Captivus Imperatorem flexo genu adorat & ſupplices manus tendit: poſt eum mulier Judæam referens elatis manibus preces ſuas offert.

Hic numus raritate præſtantiſſimus Veſpaſiano dedicatus eſt in memoriam relatæ de Judæis inſignis victoriæ, ad quem captivi confugiunt & opem implorant. Eodem typo ornati quoque numi cuſi in honorem Titi ejus filii, ut mox obſervabimus ad Tab. V. Num. 5. Numiſmatum Titi Cæſaris.

NUM. 7.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III.

Sine epigraphe. In exergo nota S. C. Senatus conſulto. Imperator vectus quadrijugo curru in quo ſculpta Victoria palmam in humeris ferens, coronam dextra protendens; ipſe gerit ſcipionem in cujus vertice aquila.

Alium typum præferunt numiſmata, quae Veſpaſiani triumphum Judaicum exhibent, uti videre eſt apud Patinum in Suetonium pag. 391. Siquidem Imperator quadrigis vectus dextra ramum gerit, & a Victoria coronatur, ante eum Tubicen, currumque circumſtant duo captivi manibus poſt terga revinctis. Epigraphe TRIUMP. AUG. *Triumphus Auguſti.* Hunc quoque Vaillantius & Mediobarbus deſcribunt. Hunc vero numum, proceſſum potius tertii ejus Conſulatus referre, quam, ut vulgo creditur, Ju-

Judaicum triumphum, credibilius videtur, quod etiam Cl. Havercampus ſupra adnotavit ad Numiſmata argentea minora Num. 17. pag. 286. Quod vero diſcrimen intercedat inter numos, qui proceſſus Conſularis celebritatem ac pompam, & triumphum declarant, egregie explicat Amplis. Senator Bonatrotius in Tab. IX. Num. 5. Numiſm. Max. Mod. Muſei Carpinei pag. 186. 187. Etſi multa ac varia fuerint triumphalium quadrigarum emblemata, ut alibi adnotavimus; præcipuum tamen decus addebat imago Victoriæ, ut in hoc Veſpaſiani cernimus.

NUM. 8.

Epigraphe anticæ partis mihi incognita eſt. Caput Imperatoris laureatum.

Imperator ex equo proſtratum militem proculcans, & in eum jaculum contorquens. Abſque epigraphe, & nota Senatus Conſulti.

Percuſſus eſt hic numus in honorem Veſpaſiani, quod bellica virtute ac fortitudine hoſtes Romani imperii contriverit, Provincias partis victoriis auxerit, & Thraciam, Ciliciam, & Comagenem in Provinciarum formam redegerit, ademtâ Lyciæ, Achaiæ, Rhodo, Byzantio libertate. Hegeſippus Lib. III. de Excid. Urbis Hieroſ. Cap. I. ubi Neronem ſibi & nominis Romani gloriæ conſulentem inducit ita Veſpaſianum laudantem: *Veſpaſianum ſolum eſſe, cui ſumma militiæ Orientis in partibus jure committeretur; virum ab adoleſcentia triumphalibus inveteratum ſtipendiis, qui impacatas Gallias Germanorum tumultu, & ferocia geminæ temeritatis in bellum relapſas, pace diuturna compoſuerat: Britanniam quoque inter undas latentem, Romano imperio armis acquiſiverat, cujus triumphatæ opibus Roma ditior, Claudius conſultior, Nero fortior æſtimabatur.* Idem typus occurrit in numo in honorem Titi percuſſo, cum nota tantum Senatus Conſulti, ut apud Angelonium Tab. LXXXVIII. Num. 6. & in aliis mox infra obſervandis in hoc Morelliano Theſauro.

NUM. 9. 10. 11.

IMPerator CAESar (in aliis CAESAR) VESPASIANUS AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ CONSul III. Caput Imperatoris laureatum ad lævam verſus.

VICTORIA AUGUSTI. In exergo: S. C. Victoria clypeum palmæ adpenſum inſcribens, ſiniſtro pede galeam calcans: juxta palmam mulier ſtolata humi ſedens, mœſta ſiniſtro cubito caput ſuſtinet, ut in 10. & 11.

Jeroſolimis, urbe in Judæa principe, exſciſis, domitaque gente rebelli & pervicaci, omnem orbem domuiſſe Imperator viſus eſt; qua propter frequentiores ſunt numi in ejus honorem cuſi cum hoc typo, & epigraphe: VICTORIA AUGUSTI. Hanc quoque Victoriam, licet a Tito filio reportatam, de ſuo nomine adpellavit, ut in aliis numis legitur: VICTORIA IMP. VESPASIANI. apud Vaillantium Tom. II. Numiſm. Præſtant. Palma arbor, cui Victoria clypeum ſuſpendit, & inſcribit, procul dubio Judæam palmis feraciſſimam deſignat, adeoque hi numi Judæa devicta actoque triumpho in ejus Conſulatu tertio cuſi ſunt. Numismata vero in quibus haud ſculpta palma, ſed Victoria globo inſiſtens, palmam ferens, coronam offerens, alias a Veſpaſiano Victorias relatas facile refert, præſertim in numis Conſulatu ejus quarto percuſſis.

NUM. 12.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. (interdum additum CENSor) Caput Imp. laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. In exergo: S. C. Victoria alata ſtans, dextram porrigit Imperatori paludato, ſiniſtra haſtam gerenti: medium inter eorum dextras poſitum Palladium.

Præſtantiſſimo Morellio debetur reſtitutio hujus Numiſmatis, quod alii Numographi oſcitanter deſcripſerunt: nullam enim Palladii, quod dextris Victoriæ & Imperatoris Veſpaſiani impoſitum eſt, mentionem fecerunt. Indicat hic typus ſingularis ob victorias a Veſpaſiano conſecutas ſtare Romanum Imperium, cujus æternæ felicitatis ſacrum pignus habebatur Palladium, quod primum in templo Veſtæ ſervabatur, & inde in Domum Cæſarum, ut ab his cuſtodiretur, tranſlatum eſt. In æreo numo, in honorem Veſpaſiani cuſo Conſulatu ejus IV. cum eadem epigraphe: VICTORIA AUGUSTI. haec adnotat Vaillantius Tom. II. „ Victoria haec, „ quam Veſpaſianus retulit quarto ſuo Conſulatu, ut nummus præfert, ea eſt, qua Cæſonius „ Petus Syriæ præſes Antiochum vicit, Comagene ſubacta, & in P. R. poteſtatem redacta. „ Dexteram (Victoria) imponit trophæo, ſignificans illud virtute militum partum, & in monimentum Romanæ fortitudinis erectum. Vide Com. Mediobarbum in Veſpaſiano p. 114.

NUM. 13.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. Caput Imperatoris laureatum ad lævam converſum.

VICTORIA AUGuſti. In exergo S. C. Imperator ſtans velato capite, dextra pateram ſupra aram ignitam, ſiniſtra volumen, coram templo coronatur a Victoria, quæ palmam læva gerit.

Partæ de Judæis victoriæ decus Jovi tribuit Veſpaſianus, cui immortalis beneficii memor ſacra facit coram templo, quod Capitolinum facile eſſe crediderim, etſi Cl. Havercampus ad numum Reginæ Chriſtinæ adlatum in Tab. VI. Num. XXIII. Jani templum eſſe ſubſpice-

picetur. Gratum Deo Vespasiani animum atque ejus pietatem laudat Philostratus in vita Apollonii Lib. VI. Cap. XIV. *Finitimæ gentes, ob victoriam, coronare ipsum volebant; ille vero tali honore indignum se esse respondit; non enim se esse talium operum auctorem, sed Deo iracundiam contra Judæos demonstranti, suas manus præbuisse.* Servatur hic numus & in Museo Farnesiano, editus in Tab. XI. Num. VII. quem Vaillantius ceterique Numographi describunt.

N u m. 14.

Vacat.

N u m. 15.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. Caput Imperatoris laureatum, ad lævam versum.

S. P. Q. R. ADSERTORI LIBERTATIS PUBLICÆ scriptum intra coronam querceam Lemniscis & gemma in vertice ornatam.

Civicas coronas auro gemmisque insignes, præter statuas, aliosque plurimos honores, meruit Vespasianus a Senatu Populoque Romano, quod hoc eximiæ raritatis numisma perspicue testatur; quo etiam discimus egregiam tulisse adpellationem, vocatumque ADSERTOREM LIBERTATIS. Quum enim Senatus Populusque Romanus tyrannide potius quam imperio Galbæ Othonis ac Vitellii libertatem suam poene amisisset, Vespasianus benignitate & comitate sua, indulgentia, virtute ac beneficiis eam restituit, Reipublicæ dignitatem auxit, majestatem amplificavit, *quum Senatui Populoque, postremo cunctis amabilis ac jucundus esset*, ut scribit Eutropius Lib. VII. Hist. Rom. Nec tantum Romæ profuit beneficiis suis, verum & universo orbi teste Aurelio Victore in Epit. *Exsanguem diu fessumque terrarum orbem brevi refecit.* Id ipsum testantur numismata in ejus honorem percussa Senatus consulto cum epigraphe: ROMA RESURGEnS. item TUTELA AUG. Libertatis tamdiu exoptatæ munus tanti fecit Senatus ut alia numismata in ejus honorem percusserit cum hisce titulis. LIBERTAS AUGUSTI --- LIBERTAS PUBLICA. --- LIBERTAS RESTITUTA. --- LIBERT. P. R. RESTITUT. EX. S. C. quae describit Comes Mediobarbus.

N u m. 16.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate Pater Patriæ COS. III. Caput Vespasiani laureatum ad lævam conversum.

S. P. Q. R. OB CIVES SERVATOS: scriptum intra coronam querceam, lemniscis & gemma in vertice insignem.

Sacra Jovi quercus est, e qua decerptæ coronæ, præmia illustrium virorum, qui patriam & cives opibus, vita, sanguine, ac bellica virtute servarunt. Civicas coronas quernas, cujus folia e bracteis aureis composita erant, gemmis & lemniscis ornatas, minime dubium est donatas Vespasiano Imperatori, easdemque tamquam perenne ejus Humanitatis & benevolentiæ monumentum in Capitolio suspensas fuisse, quum earum memoriam æternam esse voluerit Senatus & Populus Romanus, quod hæc numismata testantur; *erat* enim *in ore, famaque Vespasianus*, uti memorat Tacitus Lib. II. Histor. c. 73. *Adeo mitis, & clemens fuit, ut nec delicta adversus se, & Imperii majestatem commissa, ultra exsilium multaret. Nam inimicitias, & offensas statim animo ejiciebat, & dicteria Rhetorum, & populorum, quibus incessabatur, leviter & modice ferebat. Adcessu facilis & comis sæpe extra Palatium diversabatur: dignus, qui vel cum optimis Imperatoribus comparetur.* Silentio minime prætereundum est illud præclarum mitis animi Vespasiani exemplum a Suetonio memoratum c. 15. his verbis, cum quo congruit epigraphe hujus numismatis *Non temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo; & ignaro, aut certe invito, atque decepto. Helvidio Prisco, qui reversum ex Syria solus privato nomine Vespasianum salutaverat, & in Prætura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis pæne in ordinem redactus. Hunc quoque, quamvis relegatum primo, deinde & interfici jussum, magni æstimavit SERVARE quoquo modo, missis qui percussores revocarent, & SERVASSET, nisi jam periisse falso nunciatum esset. Ceterum neque cæde cujusque unquam lætatus, justis suppliciis illacrymavit etiam & ingemuit.*

N u m. 17. 18. 19.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum

CAESar AUGusti Filius DESignatus IMPerator. AUGusti Filius COnSul DESignatus ITerum. Titus a dextris, Domitianus a sinistris stantes, militaribus armis ornati hastis innituntur.

Perturbato inscriptionis ordine perperam apud Com. Mediobarbum, & apud alios Antiquarios postica pars horum numismatum describitur. Senatus consulti nota, quæ deest in priore numo, in sequentibus vel in exergo, vel in area adposita est. Quo tempore hi numi signati sint, docet ipsa epigraphe, in qua Domitianus Consul designatus iterum dicitur, nempe anno V. C. 825. C. N. 72. Ambo fratres a Vespasiano Cæsares adpellati sunt postquam ipse Imperator creatus est. Inter numismata aurea superius editæ Tab. V. pag. 272. multa illustrantur ab Havercampo, in quibus CAESARES PRINCIPES JUVENTUTIS adpellantur. Exinde Titus Consul factus est, Domitianus vero Prætor, uti memorat Tacitus Hist. Lib. IV. c. 39. *Ipsi Consulatus cum Tito filio, Prætura Domitiano & Consulare Imperium decernuntur.* Titus vero a patre imperii particeps factus est statim ac Romam rediit, cum eo de Judæis triumphaturus. Doctissimus

simus Pagius ad Annal. Baron. hoc anno ab V. C. 824. a C. N. 71. §. V. censet Titum a Vespasiano creatum esse Collegam imperii non alio die quam quincto Kalendas Aprilis hujus anni, paucis diebus antequam simul de Judæis triumpharent.

NUM. 20.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ. Caput Vespasiani laureatum.

TITUS CAESAR COnSul DESignatus IT. CAESAR DOMITianus COnSul DESignatus IT. Titus a dextris, Domitianus a sinistris armis insignes, hastis innixi.

Docet hic numus eximiæ raritatis Titum a patre Flavio Vespasiano, ut Romam rediit devictis Judæis, Consulem iterum designatum fuisse una cum Domitiano, nimirum anno V. C. 824. C. N. 71. quo Judaicum egit triumphum cum patre, quo etiam Imperator & cum eodem CENSOR dictus est. Complura quæ ad illustrandum hunc numum adferre possem, jam adtulit Cl. Havercampus in Numismata argentea minora Tab. VII. a Num. 23. ad 29. pag. 286. 287.

NUM. 21.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Imperatoris Vespasiani laureatum, dextrorsum conversum.

TITi ET DOMITiani. Titus in substructione togatus sedens, ex adverso pariter Domitianus togatus; ante unumquemque figura togata stans, quæ aliquid videtur accipere. In exergo nota S. C. Senatus Consulto.

Perrarum hunc numum primæ magnitudinis adfert, & describit Vaillantius Tom. I. Num. Præst. pag. 30. 34. Largitiones tum a Tito tum a Domitiano fratribus una factas ostendit hic numus. Titus quum Vespasiano Consule VIII. gessit suum consulatum sextum anno V. C. 830. C. N. 77. Domitianus vero Consul quoque sextum designatus eodem anno.

NUM. 22.

Vacat.

NUM. 23.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate COnSul III. (In alio TR.P.P.P.COS. IIII.) Caput Vespasiani laureatum, ad laevam conversum.

S. C. Templum in Capitolio sex columnis, Deorum simulacris Jove in medio, a dextris Minerva, a sinistris Junone aliisque statuis magnifice ornatum.

Testatur hic numus insignis, Senatus consulto in honorem Flavii Vespasiani percussus, restitutionem ab eo factam templi Jovis Optimi Maximi quod sub Vitellio succensum fuerat, teste Dione Xiphilini & Suetonio in Vitellii vita c. 15. Sed quanta cum nominis sui gloria, quantaque Romani orbis utilitate restituerit incendio absumtum Capitolium ex ipsis Suetonii verbis lubet intelligere, qui hæc c. 8. de eo scribit. *Deformis urbs veteribus incendiis, ac ruinis erat. Vacuas areas occupare, & ædificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit. Ipse RESTITUTIONEM CAPITOLII adgressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit, ærearumque tabularum tria millia, quæ simul conflagraverant, restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus. Instrumentum Imperii pulcherrimum ac vetustissimum confecit, quo continebantur pæne ab exordio Urbis Senatus consulta, plebiscita de societate, & fœdere, ac privilegio cuicunque concessis.* Præterea uti Numismata superius explicata in Tab. VI. n. 23. testantur, columnam rostratam restituit, quam Cl. Havercampus eam esse subspicatur, quæ D. Julii quondam fuit in Capitolio. Accuratissime pinxit hunc numum Præstantissimus Morellius, quem alii cum eo, qui exhibet Templum Pacis, confundunt, ut apud P. Pedrusium in Num. Mus. Farnes. Tab. XIII. Num. 1.

NUM. 24.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

VESTA. In area hinc inde S. C. Aedes Vestæ figura rotunda cum columnis, in cujus medio Deæ simulacrum, læva hastam, dextra capeduncluam tenens.

Vetera complura ædificia restituit Vespasianus, & nova quoque magnifice fecit, quorum apud Scriptores & in numis æterna memoria exstat. Suetonius in ejus vita c. 9. *Fecit & nova opera, templum Pacis foro proximum, divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed a Nerone prope funditus destructum: item Amphitheatrum urbe media, ut destinasse compererat Augustum.* Inter cetera præclara ædificia, quæ incendio absumta periere, fuit delubrum Vestæ cum Penatibus Populi Romani exustum, quod Vespasiani beneficio restitutum testantur numismata, ut hic, & Tacitus Hist. Lib. XV. Idem typus occurrit in aureis numis supra adlatis in Tab. V. Num. 25. & in argenteis Tab. VIII. Num. 7. & Tab. IX. Num. 18. & 19. Hanc ædem perfectam fuisse ejus Consulatu tertio, quum Censor esset, declarat hoc numisma.

TABULA XIIII.

CONTINET ADHUC

IMP. FLAVII VESPASIANI

NUMISMATA EX ÆRE MAGNO.

NUM. 1.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

SALUS AUGUSTA. In exergo. S. C. Dea Salus sedens, dextra pateram sinistra hastam tenet.

Occurrit idem typus in aureo numismate jam adlato in Tab. VI. Num. 2. pag. 278. Comes Mediobarbus pag. 110. alterum numum adfert eodem emblemate percussum Consulatu secundo Vespasiani, in quo præterea *Pater Patriæ* adpellatur. Hinc V. C. Havercampus conjicit hæc numismata a Senatu dedicata fuisse, votis susceptis pro ejus salute cum Consulatus iniret; quæ conjectura minime absurda est, quum Vespasianus optima usus sit valetudine, teste Suetonio c. 20. *Valetudine prosperrima usus est; quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces, ceteraque membra sibimet ad numerum in Sphæristerio defricaret, inediamque unius diei per singulos menses interponeret.*

NUM. 2.

IMPerator CAESAR VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. Caput Vespasiani laureatum.

S. C. in area numi scriptum. Spes Dea, stans, dextra florem, sinistra vestem adtollens.

Numismata hoc typo percussa Senatus consulto & in secundo, tertio, & quarto ac reliquis Vespasiani Consulatibus inveniuntur.

NUM. 3.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. (in alio CENSor.) Caput Vespasiani laureatum.

SPES AUGUSTA. Spes Dea vestem læva adtollens florem donat Tribuno ac duobus aliis militaribus viris. In exergo S. C.

Numismatis hujusce typus deformatus est apud Angelonium in Vespasiano pag. 71. Num. 2. nam pro Spe figura muliebri, Vespasianus muliebri veste amictus adparet; quod non observavit Mediobarbus, qui pag. 112. ita descripsit ex eodem Angelonio, quem citat: *Imperator stans, dextram porrigit tribus figuris militaribus, quarum una labarum, alia aquilam legionariam tenet.* Sed nihil horum in hoc numo accurate delineato a Cl. Morellio. Spes Dea florem offert tribuno militum, quem duo alii milites comitantur; quo typo spem exercitus Vespasiani præmiis cohonestatam fuisse intelligamus. Non pauca vetusta marmora apud Gruterum aliosque antiquarios edita testantur, strenuos milites illustribus donis ac præmiis a Vespasiano adfectos fuisse. Huc faciunt numismata, in quibus legitur CONSENSUS EXERCIT*uum* ad quæ vide quae adnotat Celeb. Havercampus pag. 277. 289. & 304.

NUM. 4.

Epigraphe anticæ partis mihi incognita.

S. C. Senatus consulti notæ in area scriptæ. Heros nudus stans dextra innixus clavæ, lævo cubito columellæ.

Quum desint in hoc singulari numo consueta Herculis insignia, præcipue vero devicti Leonis Nemææi Spolium, non Hercules, sed ex Herculis comitibus Heros aliquis in eo sculptus mihi videtur, qui non tantum egregium animi robur Vespasiani declarat, sed ejus genus; quamquam extrinseca hæc, & opinione vulgi splendida ornamenta cupide haud appetiverit, quin imo irriserit, animi quadam moderatione Vespasianus, teste Suetonio c. 12. *Mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Quin & conantes quosdam originem Flavii generis ad conditores Reatinos, COMITEMQUE HERCULIS, cujus monumentum exstat via Salaria, referre, irrisit ultro; adeoque nihil ornamentorum extrinsecus cupide adpetivit.* Probabile est, Senatum hoc numismatis typo perpetuum reddidisse illustre illud Flaviæ gentis monumentum, quod comitem Herculis referebat, & exstabat via Salaria. Aliter hic typus expressus est in numo Reginæ Sueciæ Tab. VI. n. 6. ideoque censet Cl. Havercampus Vespasianum Herculi comparatum fuisse a Senatu.

NUM. 5. 6.

DIVUS AUGUSTUS VESPasianus. Vespasianus togatus sedens cum throno ad pedes, capite radiato, dextra ramusculum, sinistra hastæ innititur.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. In medio areæ numi S. C.

Numisma hoc eximium cum sequentibus referunt insignia divinitatis, titulos, decora, ornamenta, divinosque honores Senatus consulto decretos Vespasiano postquam e vivis decessit, nempe ad VIII. Kalendas Jul. anno V. C. 832. C. N. 79. DIVUS itaque adpellatur, radiata corona ejus caput ornatur, sedes ei paratur cum throno ac suppedaneo Deorum more; adsignatur præterea sceptrum, & ramusculus, thensarum decus tribuitur cum ejus imagine, elephantis currum trahentibus, & una cum Senatu Romanus Populus Flavii Vespasiani perpetuæ celebritatis monumentis ejus apotheosin celebrant, inter quos primum tenet locum Titus ejus filius Augustus, cujus notatur Consulatus VIII. qui imperii Patris particeps, & tutor imperii cum eo triumphavit, Censuramque gessit una: eidem collega & in Tribunitia potestate, & in septem Consulatibus fuit. Hisce emblematis ornatus numus exstat in Museo Farnesiano Tab. XVII. Num. 111.

NUM. 7. 8.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. In medio in aliis nota S. C. Senatus consulto. In aliis Caput Titi laureatum.

DIVO AUGusto VESPasiano (in altero VESPASiano) S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus. Quatuor Elephanti cum suis vectoribus trahentes currum, in quo imposita statua Vespasiani radiato capite, dextra hastam sive sceptrum, læva globo insistentem Victoriolam gerentis.

Occurrit cum nota S. C. in medio inter Numismata Musei Farnesiani Tab. XVII. Num. 4. Cum laureato Titi capite alius primæ formæ a Vaillantio describitur cum eadem epigraphe in utraque parte; sed in altera ex his ita variant figuræ ex ejusdem Vaillantii descriptione: Tom. I. *Quadriga elephantorum cum suis vectoribus, currum triumphalem sinistrorsum trahentes, ornatum Victoriola stante ante palmam, cui adligatur captivus humi sedens, alia icuncula stante. In curru statua Vespasiani togati sedentis, dextra hastam, sinistra victoriolam tenentis.* Complura alia numismata in ejus honorem tamquam in Deorum numerum relati percussa sunt, quæ Comes Mediobarbus enumerat. Solemni Romanorum more rituque consecratum Vespasianum docet numus inscriptus DIVO VESPASIANO, cum ara ignita in postica, & epigraphe: CONSECRATIO. Quod vero lauri ramusculus, quem dextra tenet in Num. 5. hujus Morelliani Thesauri inter insignia divinitatis haberetur, ostendit alius numus, qui Vespasiani apotheosin declarat, ita inscriptus DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS; in cujus postica parte duo lauri sculpti sunt, & in medio columna cum clypeo in quo scriptum EX SC. quem Mediobarbus describit: in altero vero apud Occonem pag. 101. in postica clypeus sculptus, in quo S. C. & utrimque duo rami lauri; at in antica sculpti quatuor elephanti trahentes currum cum statua Vespasiani, cum hac epigraphe: DIVO AUG. VESP. S. P. Q. R.

Sequuntur

NUMISMATA GRAECA & AEGYPTIA.

NUM. 9.

ΑΥΤΟΚατορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒΑϛου ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ L. ΕΝΑΤ. (*IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI.*)

Caput Imperatoris Vespasiani laurea corona redimitum ad lævam versum.

NUM. 10.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ ΤΙΤΟΥ ΚΑΙϹΑΡΟϹ. (*IMPERATORIS TITI CAESARIS.*) *Caput Titi laureatum ad lævam versum.*

NUM. 11.

ΑΥΤΟΚρατορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒΑϛου ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΥΠΑΤ. Η. (*IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI COS. VIII.*) *Caput Imperatoris Vespasiani laureatum ad lævam versum.*

NUM. 12.

ΑΥΤΟΚρατορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒΑϛου ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΥΠΑΤ. Η. *in area* L. Η. (*IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI COS. VIII.*) *in area* Lυκαβαντος *H. ANNO VIII. Caput Vespasiani laureatum ad lævam versum.*

NUM. 13.

ΑΥΤΟΚΡατωρ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣτος ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟς. (*ImperATOR CAESAR AUGUSTUS VESPASIANUS.*) *Caput Vespasiani laureatum ad lævam versum.*

NUM.

N U M. 14.

ΒΙΘΥΝΙΑ ΕΠΙ Μαρκȣ ΜΑΙΚΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥΑΝΟΥ ΥΠΑΤΟΥ. (*BITHYNIA SUB M. MAECIO RUFIANO CONSULE.*) *Mulier stolata stans dextera innixa baculo seu sceptro, ad pedes acrostolia.*

Cusus est hic numus in honorem Vespasiani facile post captam Judæam a Tito, vel, ut subspicor, editus quum in Bithynia natali ejus die, vel imperii celebrato, spectacula edita sunt. Vide Josephum Lib. VII. de Bello Jud. Cap. 20.

N U M. 15.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. (*IMPERATOR VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput ejusdem Vespasiani laureatum, ad lævam versum.*

N U M. 16.

ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ ΕΤΟΥϹ Η. (*COMMUNE CYPRIORUM ANNO VIII.*) *Jupiter stans nudo capite, dextera pateram tenet, sinistra sceptro innititur, cui aquila insistit.*

Cypriorum Commune anno octavo imperii Vespasiani Cæsaris perrarum hunc numum ei dedicavit in memoriam susceptorum ab eo beneficiorum, ut jam ad numos argenteos maximi moduli e Mediceo Thesauro depromtos conjeci ad Tab. VIII. & IX. Quassata urbe principe eodem terræ motu, quo Paphus vexata fuerat, probabile est Salaminam Cypri urbem adjutam liberalitate Vespasiani ut instauraretur, aliquid ab eo accepisse. Tantæ igitur beneficentiæ memor, Jovem suum Salaminium, quem summa religione colebat, in numo expressit, non vero Capitolinum, ut opinatus est Seguinus in selecta Imperat. Numism. num. XVIII. pag. 144. quam opinionem rejecit Vaillantius Tom. II. Numism. præstant. pag. 47. & 48. Ea beneficia commemorat Suetonius c. 17. *In omne hominum genus liberalissimus, explevit censum Senatorium, Consulares inopes quingentis Sextertiis annuis substentavit; plurimas per totum orbem civitates terræ motu aut incendio adflictas restituit in melius.* Potior horum Numismatum explicatio edita est ab Henrico Valesio, quam Norisius quoque & Pagius adprobarunt. Vide ad Annales Baronii anno Titi tertio §. III. qui de his luculenter.

N U M. 17.

ΑΥΤΟΚρατωρ ΚΑΙΣαρ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστος. (*IMPERATOR CAESAR VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Vespasiani laureatum.*

Scriptum intra coronam querceam ΜΑΡΚΟΣ ΠΛΑΝΚΙΟΣ ΟΥΑΡΟΣ ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. (*MARCUS PLANCIUS VARUS PROCONSUL.*)

Ex alio numo, quem inter Græcos adfert Vaillantius, constat hunc ab Apamensibus in Phrygia percussum esse. Apamenses, ut aliæ urbes fecere, idque numismata ostendunt, Vespasiano videntur aliquam coronam auream compactis ad quercus similitudinem foliis dono misisse, Id & ab aliis Romano orbi subjectis Orientis populis factum significat Poeta Apollonius Lib. III. de Exscid. Hierosol. his verbis.

——— TUM MORE VETUSTO

Insuper Eoi Reges misere coronas.

N U M. 18.

Vacat.

N U M. 19. 20.

Epigraphe anticæ partes mihi ignota, facile superiori similis.

Dea post humeros alata. In area numi L. B. anno secundo: in altero L. Γ. anno tertio.

Numismata hæc in Aegypto cusa videntur. Deæ caput referre Victoriam auguror ob captam Judaeam.

N U M. 21.

Hic numus epigraphe integre destitutus mihi ignotus.

N U M. 22.

Epigraphe ut supra Num. 13.

Castor & Pollux cum equis in alio numo apud Vaillantium occurrunt cum epigraphe ΟΡΘΩΣΙΗΝΩΝ *Orthosiensium* Syriæ ad quos, ut reor, pertinet.

TABULA XV.

QUA

IMP. FLAVII VESPASIANI

NUMISMATA

EX ÆRE MEDIO EXHIBENTUR.

NUM. 1. 2. 3.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. (in aliis additur CENSOR: in aliis deeſt P.P.)

ÆQUITAS AUGUSTI. In area S. C. Senatus conſulti nota. Mulier ſtans dextra æquatas lances, ſiniſtra haſtam tenens. Caput Veſpaſiani laureatum.

Numiſmata cum Aequitatis typo, in honorem Veſpaſiani percuſſa ſunt in ejus Conſulatu tertio, quincto, ſeptimo & octavo, quæ apud Comitem Mediobarbum deſeribuntur. Varius veſtis cultus, & litteræ ipſæ variis temporibus cuſa hæc numiſmata oſtendunt. Aequitatis typus primus in numis Vitelli occurrit, de quo Ant. Auguſtinius in Dial. II. Huc etiam pertinet elogium virtutis Veſpaſiani; *Quod ad curam Reipublicæ pertinet, Imperator habebatur: in ceteris rebus æquabili jure cum reliquis vivebat.* Ex Dione Xiphilini Lib. LXVI.

NUM. 4.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul VIII. Ejuſdem Imperatoris caput laureatum.

CERES AUGUST. In area numi S. C. Ceres velato capite ſuccincta veſte ſtans, dextra ſpicas, læva tædam tenet.

Cereris imago cum epigraphe CERES AUGUSTA primum expreſſa in numis Claudii, Galbæ & Vitellii, deinde in numis Veſpaſiani, & quidem primo imperii ejus anno, mox in tertio, demum in octavo, ad quod tempus facile hic numus referri poteſt; Erraſſe eos arbitror, qui ex duobus numis unum conflant, Cererem nempe cum titulo DIVI dato Veſpaſiano. Apud Occonem pag. 101. adfertur numus, in quo ſculpti quatuor elephanti trahentes currum cum ſtatua Veſpaſiani; & epigraphe DIVO AUG. VESP. S. P. Q. R. inde CERES AUGUST. S. C. De quo numo non parum dubito.

NUM. 5.

IMPerator CAESar VESPASianus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul III. (in aliis CAES.) Veſpaſiani caput laureatum.

CLEMENTIAE AUGUSTI. In exergo S. C. Figura muliebris ſedens, dextera lauri ramuſculum, ſiniſtra haſtam gerens.

Hunc numum deſcribit comes Mediobarbus. p. 113. Idem Clementiæ typus occurrit primum in numis Vitellii. Quantum animi manſuetudine & Clementia excelluerit Veſpaſianus, docet hic numus, quem ab Senatu obtinuit. Suetonius c. 15. *Ceterum neque cæde cujuſque umquam lætatus, juſtis ſuppliciis illacrimavit etiam & ingemuit.* Qua Senatum complexus ſit benignitate & clementia, docet Dio Xiphilini. *Portæ Regiarum interdum ſemper apertæ, ac omni cuſtodia deſtitutæ erant. Veniebat in Senatum ſemper, & cum Patribus communicabat omnia. Quod ſi forte de quibuſdam rebus non poſſet cognoſcere propter ſenectutem & ea Filiis, ut in Senatu legerent, plurimum jubebat.*

NUM. 6.

IMPerator CAESar VESPaſianus Pontifex Maximus COnSul IIII. Caput Veſpaſiani laureatum.

CONCORDIA AUGuſti. In exergo S.C. Figura muliebris ſedens, dextra pateram, ſiniſtra cornu copiæ gerens: ante eam ara ſacro igne accenſa & coronata.

NUM. 7.

Numus cum eadem epigraphe & typo: hoc tantum diſcrimine, quod ante Concordiam deam non ardet ara, quæ deeſt, & in averſa ita ſe habet epigraphe:

CON-

CONCORDIA AUGUSTI. In exergo, nota S. C. Forte adludit ad summam inter ipsum Vespasianum & Titum, quem consortem Imperii fecit, concordiam.

NUM. 8.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate Pater Patriæ COnSul III. (in alio CENSor.) Caput Vespasiani laureatum lævorsum conversum.

FELICITAS PUBLICA. In area numi S. C. Figura muliebris stolata, dextra caduceum alatum, sinistra cornu copiæ gerens.

Idem typus occurrit in numis Flavii Vespasiani cusis quum Consul IV. esset & Censor, item in sexto & septimo ejus imperii anno. Fessam ac labentem Rempublicam trium Principum tyrannide potius quam imperio, primus omnium restituit Flavius Vespasianus, & felicitate jamdudum optata donavit: nam, ut scribit Tacitus Lib. I. Hist. c. 50. *Solus omnium ante se Principum in melius mutatus est:* quod, ut publico monumento declararet Senatus, haec numismata eidem Vespasiano dedicavit.

NUM. 9.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. (in alio CENSor: in aliis deest P. P.) Caput Vespasiani laureatum.

FIDES PUBLICA. In area numi S. C. Figura muliebris stolata stans, dextra pateram, sinistra gerens copiæ cornu.

Idem typus eademque posticæ partis epigraphe habetur in alio Vespasiani numismate percusso octavo ejus imperii anno, quod describit Mediobarbus pag. 116.

NUM. 10.

Epigraphe anticæ partis hujus numismatis eadem ac superior Num. 9. Caput Vespasiani laureatum.

FIDES PUBLICA. S. C. Dextræ conjunctæ tenentes caduceum cum duabus spicis.

Superius in Tab. XII. Num. 16. editum est numismata ex ære magno cum eodem typo eademque epigraphe. Quæ ad illud adnotat Cl. Havercampus pag. 304. Vide.

NUM. 11.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus (in aliis CAESAR. item COS. III. in aliis COS. IIII. sive etiam COS. VIII. P. P.

REDUCI FORTUNÆ. Quod est insolitum: forsitan Monetarii erratum. In aliis creberrime FORTUNÆ REDUCI. In area numi nota S. C. Senatus consulto. Fortuna stans dextra pateram sinistra cornu copiæ gerit.

In aliis numis Fortuna describitur dextra tenens ramum. Sacra pro felici reditu Vespasiani ex Syria & Aegypto in Urbem, & vota a Senatu Populoque Romano soluta indicat tum hic tum sequentes numi. Nec tantum Fortunæ Reduci sacra ac vota persoluta, verum & Neptuno Reduci, alia superius edita numismata testantur.

NUM. 12. 13. 14.

His numismatis convenit eadem epigraphe adversæ partis, ut in superiori numismate Num. 11. Caput Vespasiani laurea corona revinctum.

FORTUNÆ REDUCA. In area numi S. C. In duobus sequentibus numis scriptum FORTUNÆ REDUCI. In area S. C. Mulier stolata stans dextra temonem globo impositum tenens, sinistra cum cornu copiæ.

Quod in numo sub Num. 12. scriptum sit FORTUNAE REDUCA: pro REDUCI, referendum videtur ad numos Monetariorum veterum culpa vitiosos, de quibus egregiam ac singularem dissertationem edidit vir doctissimus Erasmus Froelich S. J. Hunc numum describit Patinus, & Mediobarbus, sed quod Fortuna temonem globo impositum regat, non adnotarunt.

NUM. 15.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. in aliis CENSor, in aliis deest P. P. Caput Vespasiani laureatum.

LIBERTAS PUBLICA. In area numi S. C. Femina stolata stans sinistra hastam, dextra pileum tenet.

Meruit Flavius Vespasianus & in Consulatu suo secundo numos cum eodem typo Libertatis Deæ, quæ dextra pileum tenet, hastam sinistra; verum cum epigraphe LIBERTAS RE-

RESTITUTA. Meruit & civicas coronas, quod Senatum Populumque Romanum & cives a tyrannide Vitellii aliorumque Imperatorum oppressos liberaverit, & in optatam libertatem adseruerit. Vespasianus hoc anno, quum esset Consul III. Designatus IV. vias urbis superiorum temporum negligentia corruptas restituit: pro qua cura a Senatu statuam cum basi meruit, quæ hanc præfert inscriptionem adlatam in Gruteriano Thesauro pag. CCXLIII. 2.

IMP. CAESARI
VESPASIANO. AUG
PONT. MAX. TR. POT. II
IMP. IIX. P. P. COS. III. DES. IIII
S. C.
QUOD. VIAS. URBIS
NEGLIGENTIA
SUPERIOR. TEMPOR.
CORRUPTAS. IN
PENSA. SUA. RESTITUIT.

Dicitur etiam Vespasianus CENSOR in numis, quibus ejus Consulatus III. signatur. De eorum Censu hæc Plinius Hist. Nat. Lib. VII. Cap. XLIX. *Quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasianus pater filiusque CENSORES egerunt.* Censorinus Lib. de Die Nat. Cap. XV. *Quum inter primum a Servio Rege conditum lustrum, & id, quod ab Imp. Vespasiano V. & Tito III. COSS. factum est, anni interfuerant paullo minus DCL. Lustra tamen per ea tempora non plura quam LXXV. sunt facta, & postea plane fieri desierunt.* Censor quoque in antiquis marmoribus scribitur Vespasianus in tertio ac reliquis Consulatibus.

NUM. 16. 17. 18. 19.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus. Caput Imperatoris laureatum.

PAX AUGUST. In area numi S. C. Mulier stolata stans dextra ramusculum oleæ, læva copiæ cornu gerens.

In altero numo Num. 17. pro copiæ cornu Pax læva hastam gerit. In altero Num. 18. eadem Dea dextra caduceum, læva oleæ ramusculum gestat, lævo cubito columellæ innixa. In postremo numo Num. 19. ita se habet epigraphe PAX AUG. Pax Dea stans pateram effundit in aram sacro igne flagrantem, & encarpis coronatam; læva vero manu caduceum & oleæ ramusculum tenet. Cusa sunt hæc numismata non uno eodemque tempore, ad declarandam felicitatem imperii Vespasiani, qui exstincto civili bello, submota superiorum Imperatorum tyrannide, rebus compositis, pacem bonorum omnium altricem Romano imperio restituit, quam summam suarum laudum duxit Vespasianus, quare in his numis PAX AUGUSTI denominatur. Neque negaverim ea etiam referri posse ad Templum Jani clausum, vel ad Pacis templum ab eodem Vespasiano conditum, quod & Cl. Havercampus in editis numis Tab. V. Num. 33. 35. 36. observavit. Pro hac temporum felicitate vota & sacrificia facta indicat, ni fallor, ara ignita ante ipsam Pacem deam, quæ ad ipsam sacrificat. Huc referenda alia numismata cum epigraphe PACI ORBIS TERRARUM, de quibus Nobiliss. Spanhemius pag. 849. quod quidem numisma initio ejus imperii percussum est. Exstant & numi inscripti PACI AUGUSTÆ, quorum typus est non ipsa Pax, sed Victoria gradiens cum palma & corona, cusi Consulatu ejus secundo. Sed & illud præclarum numisma prætereundum non est, in quo sculpta Pax Dea stans, quæ admota ad arma bellica prope aram face, sinistra oleæ ramum adtollit, prope quam posita columella altior cum icuncula, ad eam erecto clypeo cum hasta, cum hac epigraphe PAX AUGUSTI. S. C. In aliquot numis Pax sedet cum suis adtributis, quos numos describit Comes Mediobarbus, exstantque in Museo Mediceo & Farnesiano.

NUM. 20.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

SALUS AUGUSTI. In area numi S. C. Senatus consulti nota. Femina stolata stans, columellæ innixa, serpentem, quem dextra tenet, admota ori patella pascit.

Salvo Imperatore, omnia bona, quietem, tranquillitatem, felicitatemque perpetuam se consequi Romani credebant; quare numos cum hoc typo quoties Imperatores Consulatum inibant, & natalem diem imperii sui, vel Quinquennalia celebrabant, Senatus dedicabat, ut supra observavimus. In aliis numis hoc emblemate ornatis, quæ apud Numographos spectantur, Salus Dea etiam sedens sculpta est; in hoc vero columellæ innixa, ut stabilis sit, adquiescit, & serpentem pascit. Vespasianus IV. Consulatum suum cum Tito Cæsare iterum Consule gessit anno V. C. 825. C. N. 72. qui memoratur a Plinio Lib. II. Cap. XIII. ob defectum Solis & Lunæ: *Nam ut quindecim diebus utrumque sidus quæreretur, & nostro ævo adcidit*, Imperatoribus Vespasianis patre tertium filio iterum Consulibus. Ad hunc locum legenda sunt, quæ adnotat eximius Pagius in Annal. Baron. ad hunc annum §. I. Hoc anno, & Consulatu vota nuncupata arbitror pro salute Vespasiani & filiorum ejus a Fratribus Arvalibus ut docent Tabulæ apud Sponium pag. 5. & apud Fabrum pag. 442. n. 49.

NUM. 21.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus COnSul III. Caput ejusdem laureatum.

SECURITAS AUGUSTI. In area numi S. C. mulier stolata ad lævam versa, sellæ insidens, capiti suo admovet dextram manum, cubito sellæ innixo; sinistra hastam tenet: ante eam ara ignita encarpis coronata.

Vigentibus ac florentibus, dum Vespasianus Romano imperio præesset, bonis artibus, teste Suetonio c. 18. *Ingenia & artes vel maxime*

me fovit; æquitate, clementia, libertate, fortuna, pace, nil mirum si hæc omnia bona firmaret securitas, quam testatam voluit hoc numo Senatus, pro qua etiam, ut æterna esset, vota & sacrificia persolvisse conjicimus. Siquidem Vespasianus, teste eodem Suetonio c. 8. *per totum Imperii tempus nil habuit antiquius, quam prope adflictam nutantemque Rempublicam stabilire primo, deinde & ornare.*

NUM. 22.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. (in alio CENSor.)

S. C. in area numi scriptum: in medio Spes Dea gradiens, dextra florem ostentat, sinistra vestem adtollit.

De numis cum hoc typo supra dictum. Cusi in consulatu tertio, quarto, quinto, & octavo Vespasiani inveniuntur.

NUM. 23. 24.

IMPerator CÆSar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus COnSul III. (in aliis CENSor). Caput Imp. laureatum.

VICTORIA AUGUST. in altero: VITORIA AUGUSTI. In utroque in area S. C. Victoria rostro navis insistens, læva palmam præfert, dextra coronam lauream offert.

NUM. 25.

Caput Imperatoris Flavii Vespasiani laureatum, cum epigraphe uti supra.

VICTORIA AUGUSTI. In exergo S. C. Victoria stans, sinistra palmam gerens, coronam imponit Legionis signo militari humi defixo.

Superiora duo numismata jam expensa sunt a Cl. Havercampo; qui, qua occasione fuerint percussa, adnotavit. Hoc vero, cujus typus Victoria coronam imponens militari Legionis signo, forte indicat *Legionem tertiam*, cui Flavius Vespasianus imperii sui debet auspicia; quod conjicio ex auctoritate Suetonii, qui quomodo ad Imperium evectus sit, ita memorat. *Propositis itaque nominibus Legatorum Consularium quot ubique tunc erant, quum ceteros alii alium alia de causa improbarent, & quidam E LEGIONE TERTIA, quæ sub exitu Neronis translata ex Syria in Moesiam fuerat, Vespasianum laudibus ferrent, adsensere cuncti, nomenque ejus VEXILLIS omnibus sine mora inscripserunt. Et tunc quidem compressa res est, revocatis ad officium numeris parumper; ceterum divulgato facto Tiberius Alexander, Præfectus Aegypti, primus in verba Vespasiani legiones adegit Kalendis Julii, qui Principatus dies in posterum observatus est.* Subspicor ea occasione cusum hoc numisma elegantissimum Hinc quoque discimus, hastas, & militaria signa summa religione ab antiquis culta fuisse, unguentis delibuta, festis frondibus coronata quod alibi fusius ad numismata maximæ magnitudinis Musei Medicei observavi. Idem typus occurrit & in numo argenteo, quem supra illustratum vide in Tab. IX. Num. 2. In Thesauro Gruteriano pag. CCXLIII. 1. adfertur inscriptio aræ marmoreæ, quæ Romæ posita est in honorem Victoriæ Imperatoris Cæsaris Vespasiani Augusti.

NUM. 26. 27.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus COnSul III. (in quibusdam CENSor.)

Vel,

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. CENSor.

Vel,

IMPerator CAESar VESPASIANus COnSul VIII. Caput Vespasiani in singulis laureatum ad lævam versum.

VICTORIA NAVALIS. Cum nota S. C. Victoria lævorsum conversa, proræ navis insistens, sinistra palmam super humerum protensam, dextra coronam facile rostratam offert. In altero vero, Victoria duplici proræ navis in medio insistit dextrorsum versa palmam gerens, coronam offerens.

Quamvis apud veteres scriptores de Navali Victoria, quam Flavius Vespasianus adeptus est altum silentium sit; horum tamen numismatum auctoritate certum est terra marique victoriis clarum fuisse fortissimum hunc Imperatorem, ut recte animadvertit A. Rubenius & eo auspice Oiselius ad Num. Sel. Tab. LXX. Num. III. qui hæc subdit: „ Josephus quidem Lib. III. „ de Bello Judaico circa finem, mentionem facit prælii cujusdam in Lacu Genasar, (sive „ Genesareth) contra eos commissi; verum vix „ tanti momenti illud videtur, ut ejus memoria „ in numis conservare meruerit. Idem Josephus „ Lib. VII. ubi agit de triumpho Vespasiani & „ Titi, inter alia multas etiam naves ibi portatas fuisse ait: Πολλαὶ δὲ καὶ νῆες εἵποντο, sunt verba Josephi; sic ut omnino Titus Victoriæ Navalis contra Judæos obtentæ gloriam captasse „ videatur; & fortasse non alia designatur, quam „ pugna illa in Lacu Genasar." Hunc ipsum numum tam eximio typo insignem explicat præstantissimus Tristanus Tom. I. pag. 301. & 302. & in ea est sententia, referre Victoriam Navalem Vespasiano una cum Tito filio relatam de Judæis ad Lacum Genesareth, quam his versibus celebrat Apollonius Poeta: *Jam de tot Lembis nullum superesse videres: Partem ignis, partem gurges absumserat altus; ROMANAE plausit volitans VICTORIA CLASSI.* Laur. Begerus adfert

fert hunc ipſum numum Theſ. Brand. Tom. III. pag. 635. & hanc Victoriam ad Lacum Geneſareth obtentam referre cenſet, & Triſtani opinionem amplectitur. Sed hic titulus jamdudum relatæ Victoriæ in Conſulatu VIII. repetitus videtur.

N u m. 28.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus Pater Patriæ COnSul III. Caput Veſpaſiani laureatum.

S. C. in area numi ſcriptum, in quo Victoria dextrorſum verſa gradiens dextra præferens clypeum in quo ſcriptum S. P. Q. R.

Victoriis terreſtribus clarum Veſpaſianum hic numus declarat, pro quibus meruit ut tanquam virtutis ſuæ æterna monumenta dedicarentur votivi clypei, & forſitan Victoriarum ſtatuæ in hunc modum ſculptae ponerentur.

TABULA XVI.

NUMOS

DOMITILLAE AUGUSTAE

EX OMNI METALLO ET MAGNITUDINE

COMPLECTENS.

Numiſmata ex omni metallo ac magnitudine, quæ in hac Tabula adferuntur, cuſa ſunt in honorem DOMITILLAE AUGUSTAE uxoris Flavii Veſpaſiani Imperatoris poſt ejus mortem, & poſtquam ejus maritus fato functus eſt; nam DIVUS in his adpellatur, &, ut credibile eſt, a Tito eorum filio. Audiendus Suetonius c. 3. in Veſpaſiano. *Inter hæc FLAVIAM DOMITILLAM duxit uxorem, Statilii Capellæ, Equitis Romani, Sabratenſis, ex Africa, delicatam olim, Latinæque conditionis; ſed mox ingenuam, & civem Romanam recuperatorio judicio pronunciatam, patre adſerente Flavio Liberali, Ferentini genito, nec quidquam amplius quam Quæſtorio Scriba. Ex hac liberos tulit TITUM, & DOMITIANUM, & DOMITILLAM. Uxori ac filiæ ſuperſtes fuit, atque adhuc utramque privatus amiſit.* Igitur honoribus divinis poſt mortem culta eſt, thenſis Dearum more, Sacerdotibus ac Flaminicis feminis, & in Dearum Concilium relata, & conſecrata. Id, de quo Veſpaſianus gloriabatur, ejus quoque gloriæ tribui poteſt, quod memorat Suetonius c. 25. *Convenit inter omnes tam certum eum* (Veſpaſianum) *de ſua ſuorumque genitura ſemper fuiſſe, ut poſt adſiduas in ſe conjurationes, auſus ſit adfirmare Senatui, aut filios ſibi ſucceſſuros aut neminem.* Ad ejus conſecrationem pertinet marmor adlatum in Gruteriano Theſauro pag. CCCLXVI.

ASCONIAE C. F. AUGURINAE
SACERDOTIS DIVAE
DOMITILLAE

NUMISMATA AUREA
FLAVIAE DOMITILLAE AUGUSTAE

recenſentur & illuſtrantur.

N u m. 1.

DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS. Caput Imperatoris Flavii Veſpaſiani radiata corona ornatum, ad lævam verſum.

DIVA DOMITILLA AUGUSTA. Caput nudum ejuſdem.

Titus, defuncto Veſpaſiano, Romani orbis imperium quum ſolus moderaretur, Conſulatum ſeptimum gerens, patrem & matrem inter Divos una retulit, & ſolemni apotheoſi conſecravit, anno nimirum V. C. 834. C. N. 79. cujus memoriam aureus hic numus rariſſimus nobis exhibet, & teſtatur DIVORUM titulus utrique datus, ac præterea eidem Veſpaſiano tributum inſigne divinitatis, corona nempe radiata, quam primum Conſentibus Diis tributam ab Etruſcis adnotavi in meis Obſervationibus ad Tuſcanica monumenta. Illuſtrant hunc numum Numographi præſtantiſſimi Spanhemius pag. 620. Vaillantius Num. Præſt. T. II. pag. 94. novæ edit. Begerus Muſ. Brandemb. T. II. pag. 635.

N u m. 2.

DIVUS AUGUST. VESPASIANUS. Caput ejuſdem radiata corona inſigne.

Num.

NUM. 3.

DIVO AUGUSTO VESPASIANO. Caput ejusdem radiatum.

NUM. 4.

Vacat.

NUM. 5. 6.

DIVA DOMITILLA AUGUSTA. Caput Domitillæ, specie Deæ Pietatis velatum.

CONSECRATIO. Pavo.

Sequuntur

DOMITILLAE AUGUSTAE
NUMISMATA ARGENTEA.

NUM. 7.

DIVA DOMITILLA AUGUSTA. Caput ejusdem Domitillæ.

FORTUNA AUGUST. Fortuna stans dextra timonem, læva cornu copiæ gerit.

Hujus argentei numi epigraphe variat apud Vaillantium Tom. II. Num. Præst. pag. 94. novæ Rom. edit. in hunc modum: FORTUN. AUGUSTAE. Sed idem Vaillantius de ejus sinceritate dubitat, hæc scribens: *Fortunæ Augustæ typus Domitillæ, inter Divos relatæ, minime convenit: ideo mihi suspectus omnino factus est hic numus, quem a novo artifice eximie elaboratum auguror.* Subdit vero Vaillantii nuperus Editor & Amplificator clarissimus Jo. Franciscus Baldinus Cl. Reg. Congregationis Somaschæ: *Exstat in Museo D. Apostoli Zeno integerrimus, & extra omne dubium falsitatis.*

NUM. 8.

DIVA DOMITILLA AUGUSTA. Caput ejusdem Augustæ.

PACI AUGUSTÆ. Victoria gradiens, dextram ori admovet, sinistra caduceum gestat, ad pedes serpens erecto capite repens.

Neque hunc typum fateor convenire Domitillæ in Dearum consortium receptæ, quemadmodum illustris Vaillantius, de alio numo scribit cum eadem epigraphe: PACI AUGUSTAE. in quo Spes sculpta est consuetis symbolis, quæ dextra florem, læva vestem sustinet. *Frequens est hic Vespasiani typus, quem a monetariis in aversa Domitillæ numi parte adhibitum opinor; quum Domitillæ inter Divas relatæ non conveniat. Vespasianus hunc Pacis Augustæ typum in Claudio obvium renovavit, ob templum hujus Deæ ab eo Principe inchoatum, a se tandem perfectum.* Fucatam heic video typorum confusionem.

NUM. 9.

DIVA DOMITILLA AUGUSTA. Caput ejusdem Augustæ.

PIETAS AUGUST. Femina velato capite sedens, læva hastam tenet, dextram vero manum extendit supra caput pretextati pueri; qui ante eam adstat; & dextra manu spicas & papavera tenet.

Pietatis Deæ specie Domitillam jam sideribus receptam exprimendam curavit Titus sive Domitianus ejus filii, qui hunc perrarum numum ei dedicarunt, ob pietatem quam in educando & tutando adhibuit. Spicæ & papavera, quæ puer prætextatus tenet, temporum felicitatem & ubertatem rerum, eo imperante, designant. Sequentes numi ostendunt matrem inter Divas relatam fuisse non tantum a Tito, sed & a Domitiano. De hoc numo nil dubitat Vaillantius, qui eum describit T. II. pag. 95.

NUM. 10. & 11. *Vacant.*

Sequuntur

NUMISMATA EX AERE MAGNO
DIVAE DOMITILLAE AUGUSTAE.

NUM. 12. 13.

MEMORIÆ DOMITILLÆ. In exergo: S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus. Carpentum statuis ornatum a mulabus tractum.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. In area numi S. C.

Flaviam Domitillam, uxorem suam, Vespasianus adhuc privatus amisit, & cum ea filiam Domitillam; nec constat scriptorum numorumque testimonio & auctoritate eas divinis honoribus post mortem consecrasse. Quod Flavius Vespasianus pater non fecit, eo defuncto, fecerunt ejus filii Titus & Domitianus, quod declarant numismata, quæ a nobis adferuntur. Decretum quippe Domitillæ cernimus, dedicatumque a Senatu Populoque Romano carpenti decus, quo ritu Deorum Dearumque imagines ad Circenses ludos solemni pompa deferri solebant, & Augustæ in funebri adparatu honorabantur. Sed quia a Tito & a Domitiano restitutum Domitillæ consecrationis decus cernimus in his numis, & in duobus primis adlatis Num. 12. & 14. DOMITILLA, AUGUSTA non adpellatur, dubitant aliqui, utrum matri, an potius filiæ iidem numi sint referendi. Divarum numero adscriptam Domitillam Vespasiani filiam, indicat Papinius Statius Silv. I. *Equo* Domitiani:

Cum superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur Cælo, miscebitque oscula justa:
Ibit in amplexus natus, fraterque paterque
Et SOROR, una locum cervix dabit omnibus astris.

Censent alique Titum & Domitianum inductos ut publico honoris monumento matrem colerent potius, quam memoriam Domitillæ sororis. Subspicor tamen Occone & Mediobarbo auctoribus, priora numismata, quæ purum putumque nomen DOMITILLAE continent, spectare ad Domitillam Cæsarum sororem; sequentes vero duos, in quibus DOMITILLA non solum AUGUSTA, sed & MATER adpellatur, ad ipsam matrem, Flavii Vespasiani uxorem pertinere, quam opinionem doctorum hominum judicio lubens subjicio.

NUM. 14. 15.

MEMORIÆ DOMITILLÆ S. P. Q. R. In exergo numi S. C. Senatus Consulto.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus OS (lege COS. Consul sculptoris hujus Tabulæ vitio vertendum hoc erratum) COnSul XV. CENSor TER. P. (perperam scriptum: lege PERP. Perpetuus) Pater Patriæ. In area numi S. C. Senatus Consulto.

Cur in hoc numo tam in adversa, quam in aversa ejus parte scriptum bis sit S. C. ab aliis discere cupio. Priorem igitur numum Titus in memoriam Domitillæ sororis suæ cudendum curavit in Consulatu suo VIII. Vespasiano patre suo defuncto, nimirum anno V. C. 832. C. N. 79. Domitianus vero in Consulatu suo XV. in quo Collegam habuit M. Coccejum Nervam iterum Consulem, anno V. C. 843. C. N. 90. mortuo Tito Augusto fratre, quum jam Censor Perpetuus declaratus esset, alterum numum eidem Domitillæ sorori suae dedicavit. Vide numum apud Lævinum Torrentium, & quæ adnotat ad Suetonium in Vita Vespasiani c. 3.

NUM. 16. 17.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate COnSul VIII. Pater Patriæ. In area numi litteris grandibus S. C. Senatus Consulto.

DOMITILLÆ AUGustæ MATRI Titi CAESaris VESPasiani AUGusti. In exergo: S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus. Carpentum a mulabus tractum statuis ornatissimum.

Minime dubitandum est hunc numum, uti & sequentem, pertinere ad Domitillam uxorem Flavii Vespasiani, matrem Titi Cæsaris Augusti, quum AUGUSTA adpelletur & MATER ejusdem Titi, qui tituli in numis superius adlatis num. 12. & 14. non occurrunt.

NUM. 18. 19.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate COnSul VIII. CENSor Pater Patriæ. In area grandibus litteris S. C. Senatus Consulto.

DOMITILLA F. AUG. (corrige fabrile incisoris erratum DOMITILLÆ AUG.) Domitillæ AUGustæ MATRI DOMITiani CAESaris AUGusti. In exergo: S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus.

Cum hic, tum superior numus cusus est & dedicatus a Tito Imperatore anno V. C. 832. C. N. 79. quo Flavius Vespasianus pater fato suo functus est, in memoriam Domitillæ Augustæ matris suæ. In hoc titulus CENSor additus est, qui in superioribus desideratur. Consors imperii Domitianus in hoc nominatur, & ad honestandam divinis honoribus matrem socius adscitur.

NUM. 20. 21.

ΦΛΑΟΥΙΑ ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. *Flavia Domitilla. Caput ejusdem Domitillæ.*

L. ς. *Anno VI. Equus ocissime currens, cujus dorso insidet draco, sive serpens cristatus.*

Cusus videtur hic numus ab Alexandrinis, seu potius in Syria, cujus populi ut Flavii Vespasiani gratiam inirent, & alia beneficia facile obtinerent, hunc numum percusserunt anno ejus imperii sexto, quo, jam e vivis ereptam Flaviam Domitillam ejus uxorem, hisce symbolis equo currente ac serpente, eam Divorum consortium consecutam testati sunt. Putarunt veteres defunctorum animas ad Elysiorum beata loca vehi equis; quare in antiquis tum Etruscorum monumentis, ut in Tomo III. mei Musei Etrusci ostendi, tum Romanorum atque etiam Græcorum sculpti cernuntur equi, quibus ad Elysios defunctorum umbræ proficiscuntur. Quod etiam Serpens divinitatis symbolum haberetur, testatur præ ceteris Plutarchus in vita Cleomenis; nam post ejus mortem visum narrat draconem ex ejus tumulo exilientem magnum: quare Alexandrinis constitit Cleomenem virum divinum factum. Ita quoque Virgilius e sepulcro Anchisis prolapsum serpentem memorat, quum Aeneas parentalia persolveret: Aeneid. Lib. V.

Dixerat hæc: aditis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit
Amplexus placide tumulum, lapsusque per auras.

Inter numos, qui consecrationem Julii Cæsaris exhibent, observandus ille est argenteus, in quo ex una parte effictus Elephas, cui serpens erectus subjectus est, cum epigraphe CAESAR. quem numum Commentario illustrat Constantius Landus Complani Comes.

T A-

TABULA XVII.

QUÆ EXHIBET

IMP. FLAVII VESPASIANI

NUMISMATA

LATINA ET GRÆCA

EX MSS. GOLTZII ET STRADÆ DEPROMPTA.

NUM. I.

Epigraphe adversæ partis hujus numismatis mihi incognita.

HIEROSOLYMA CAPTA. In area hinc inde S. C. Senatus Consulto. Templi Hierosolymitani sacrum Candelabrum Ex Strada.

Hierosolyma vastata a Tito, Vespasianus Romam cum filio rediit, & una cum ipso triumphum egit amplissimum, anno V. C. 824. C. N. 71. Hac occasione cusus videtur hic nummus, in quo expressum est aureum Candelabrum, quod in Sancto Templi Hierosolymitani fuit. Hoc siquidem inter spolia Titi inventa in eodem Templo, & Romam advecta, memorat Josephus Lib. VII. de Bello Judaico præter mensam auream & Volumen Legis. De his Spoliis Templi Hierosolymitani in Arcu Titiano conspicuis, quum Doctissimus Hadrianus Relandus librum singularem anno MDCCXVI. ediderit, lubet heic integrum Caput II. adferre, præsertim quum ipsum Candelabrum ex archetypo Titiani Arcus egregie & accurate delineatum produxerit pag. 6. &, ut opinor, inter cetera monumenta Candelabrum Hierosolymitanum referentia, hoc quoque præclarum numisma (quod suppono legitimum) edere non prætermisisset, si ei notum fuisset. Hæc igitur adfert laudatus Relandus: Non desunt viri docti, qui dubitent hunc lychnuchum, quem Arcus Titianus exhibet imaginem esse lychnuchi Sacri in Sancto collocati, aliumque esse quendam suspicentur, qui in conclavi aliquo atriorum Templi repertus sit: sic ut autument frustra in hac imagine quicquam quæri ad indagandam formam Lychnuchi Sacri. Hæc si ita se habeant, supervacuus omnis est labor a nobis in hanc rem insumtus: nec aliquid hinc sperari potest ad illustrationem divinarum tabularum, sacrorumve Judaicorum. Demonstremus itaque accuratius hunc ipsum illum esse Lychnuchum, qui in Sancto Templi Hierosolymitani fuit. Testis est Josephus Lib. VII. τῆς Ἰουδαϊκῆς πραγματείας (ita enim ipse hos libros nuncupat Antiq. XIII. 9. aut Ἰουδαϊκῶν, uti Lib. XIII. 18.) id est de bello Judaico cap. 24. secundum distinctionem Latin. at 17. Græc. in triumpho Titi spolia in Templo Hierosolymitano inventa fuisse circumlata, & inter illa eminuisse mensam auream, lychnuchum aureum, & volumen Legis: de lychnucho autem speciatim notat, longe alterius formæ eum fuisse quam vulgares esse lychnuchi solerent. Διέπρεπε δὲ πάντων τὰ ἐγκαταληφθέντα τῷ ἐν Ἱεροσολύμοις ἱερῷ· χρυσῆτε τράπεζα τὴν ὁλκὴν πολυτάλαντος, καὶ λυχνία χρυσοῦ μὲν ὁμοίως πεποιημένη· τὸ δὲ ἔργον ἐξήλλακτο τῆς κατὰ τὴν ἡμετέραν χρῆσιν συνηθείας· ὁ μὲν γὰρ μέσος ἦν κίων ἐκ τῆς βάσεως πεπηγὼς, λεπτοὶ δ᾽ ἀπ᾽ αὐτοῦ μεμήκυντο καυλίσκοι, τριαίνης σχήματι παραπλησίαν τὴν θέσιν ἔχοντες λύχνον ἕκαςος αὐτῶν ἐπ᾽ ἄκρων κεχαλκευμένον· ἑπτὰ δ᾽ ἦσαν οὗτοι τῆς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἑβδομάδος τὴν τιμὴν ἐμφανίζοντες· ὅτε νόμος ὁ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τούτοις ἐφέρετο τῶν λαφύρων τελευταῖος. *Eminebant inter alia, quæ in Templo Hierosolymitano deprehensa sunt, mensa videlicet aurea quæ pondere plura talenta æquabat, & lychnuchus ex auro similiter constructus, sed cujus opus diversum erat a nostri usus consuetudine. Medius stipes ex basi cui impactus erat surgebat & tenues ab eo rami producebantur, uti in fuscina, in quorum singulorum apice lychnus erat fabricatus. Septem autem erant, numeri septenarii honorem apud Judæos indicantes. Lex denique Judæorum ultimum spoliorum circumferebatur.* Non immorabor confutandis aliorum interpretum erroribus, qui hæc Josephi aliter reddiderunt. Nec multis demonstrabo, licet ex ἱερῷ petita dicit, tamen ex ναῷ proprie illa fuisse eruta, si quis ἱεροῦ & ναοῦ nomina velit distinguere, uti & Josephus facere solet: ipse enim Josephus Lib. XI. antiq. cap 7. ἐν τῷ ἱερῷ scribit occisum Jesum fratrem Pontificis, at mox ἐν τῷ ναῷ plus semel: unde clarum est Josephum aliquando ipsam ædem sacram sive Ναὸν complecti nomine τοῦ ἱεροῦ. Hoc observari velim, lychnuchum a Josepho describi & mensam quæ ἐν τῷ ἱερῷ inventa sunt; lychnuchum & mensam auream fuisse; lychnuchum forma diversum fuisse a reliquis lychnuchis quibus Judæi vulgo utebantur, quique cum ea forma convenit quam Deus Mosi præscripsit, in illis videlicet, quæ Josephus hic commemorat: porro inter reliqua spolia Judaica hæc eminuisse: at cur eminuissent? anne ob pretium? anne ob formam? atqui lychnuchos alios aureos, illi qui in Templo erat similes, Titus a Sacerdote transfuga Jesu filio Thebuti acceperat. Atqui & tubæ duæ sacræ in triumpho circumlatæ fuerunt, instrumenta sancta, quæ lychnuchis & mensis (nisi sacra illa vasa fuerint & sancti ornamenta) quantumvis aureis erant sanctiora. Verum & hoc forsitan nobis

non dabunt, tubarum par in arcu Romano ſculptum imaginem eſſe tubarum ſacrarum. Mittamus ergo. Excellentia certe ſanctitati tribuenda eſt. Ideo hæc excellebant quod ſanctiſſima eſſent & in loco Sancto cultui Divino ſacrata, nihilque evidentius oſtenderet magnitudinem triumphi de Judæis, quam quod ſanctiſſima ſpolia ex penetrali Templi Hieroſolymitani interiore erepta Romæ conſpicerentur ab unoquoque quæ ſolis antea Sacerdotibus patebant. Ideo Imperator gloriabatur & ſe præcipue efferebat ob illa ſacra Judæorum ſpolia, teſte Joſepho σεμνυνόμενος ἐπ' αὐτοῖς. Et quis credat, quum & lychnuchum & menſam in Templo inventa narret Joſephus, alium lychnuchum aliamve menſam fuiſſe quam duo illa celebria Sancti Hieroſolymitani ornamenta? nec ſi alius ille fuiſſet lychnuchus, alia menſa, id ſilentio involuturus fuiſſet Joſephus, qui contrario ita de iis loquitur ac de ſanctiſſimis illis lychnucho & menſa loqui eum oportuit. Titus ipſe in Sanctum ingreſſus fuit & quæ ibi erant ſpectavit; quum jam flamma depopularetur exteriora, uti Joſephus narrat Lib. VII. cap. 10. vel Græcis cap. 26. Καῖσαρ δὲ, ὡς οὔτε τὰς ὁρμὰς ἐνθουσιώντων τῶν ϛρατιωτῶν κατασχεῖν οἷός τε ἦν καὶ τὸ πῦρ ἐπεκράτει, παρελθὼν μετὰ τῶν ἡγεμόνων ἔνδον ἐθεάσατο τοῦ ναοῦ τὸ ἅγιον καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, πολὺ μὲν τῆς παρὰ τοῖς ἀλλοφύλοις φήμης ἀμείνω· τοῦ δὲ κόμπου καὶ τῆς παρὰ τοῖς οἰκείοις δόξης οὐκ ἐλάττω. *Cæſar autem, quum cohibere impetum inſanientium militum non poſſet, & flamma invaleſceret, cum præfectis ingreſſus intro Sanctum Templi conſpexit & quæ in eo erant, longe præſtantiora fama, qua apud extrarios erant, gloria autem & opinione qua erant apud Judæos non minora.* Quæ ſunt ea quæ in Sancto vidit adeo clara & celebrata? Certe illa quæ alibi Lib. v. c. 14. de bell. Judaico nuncupat θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνία, τράπεζα καὶ θυμιατήριον. Ita ipſum Templum erat περιβόητον, qua voce utitur in fine Lib. I. c. Apionem, quam Plinius reddit *nobile:* & Lib. xx. 2. Antiq. τὸ πᾶσιν ἀνθρώποις περιβόητον ἱερὸν τοῦ Θεοῦ. Hæc vidit Cæſar; quamvis de altari aureo dubitari poſſit quod in triumpho Titi non legatur fuiſſe, & forſitan ante Titi ingreſſum jam loco ſuo motum: qua de cauſa & a quibus incertum eſt. Sane inter Judæos non deſunt, qui putent lychnuchum & menſam loco ſuo removeri nunquam licuiſſe, quia Deus dixerat illa eſſe debere לפני תמיד *coram facie ſua ſemper* Exod. 25. 30. quod de altari aureo non legitur. Vide Codicem Chagiga c. III. 5. Forſitan itaque altare hoc a ſacrilegis illis loco motum eſt, qui, teſte Joſepho, Lib. VI. de bell. c. 16. πολλὰ πρὸς τὰς λειτουργίας ἀναγκαῖα σκεύη, κρατῆρας τε καὶ πίνακας καὶ τραπέζας, res ſacras plurimas, menſas, crateres aliaque ad cultum divinum neceſſaria in uſus privatos obſeſſo Templo converterunt, forſitan ab aliis. Sed non eſt hic niſi incertis conjecturis locus. Id mihi certum videtur, Titum, ſi potuit (milites enim tunc dicto audientes vix habuit, quum eo invito Templum exuſtum fuerit ἄκοντος Καίσαρος Lib. VII. c. 10. de bell.) curaſſe ex Sancto vaſa hæc præſtantiſſima efferri, aut poſtea inter Templi rudera hæc inventa ad Titum delata fuiſſe: quod ſi etiam altari aureo potitus fuiſſet Imperator, abſque ullo dubio id quoque in triumpho circumferri juſſiſſet. Quod quum non fecerit, exiſtimem hoc altare ad manus Romanorum non perveniſſe.

Liquet porro hunc eſſe lychnuchum qui in Sancto Templi fuit ex eo quod forma ejus, in præcipuis certe partibus, conveniat cum forma lychnuchi ſacri a Moſe deſcripta. Nec licebat Judæis lychnuchum iſtiuſmodi conficere, etiamſi uſibus ſacris deſtinatum, veluti lychnuchum Sabbathicum aut feſti Encæniorum cauſa. Sanciverunt Patres Talmudici in Gemara Rosh haſſchana fol. 25. & Gemara Avoda Zara fol. 43. I. לא יעשה אדם בית תבנית היכל אכסדרא הבנית אולם חצר תבנית עזרה שולחן תבנית שולחן מנורה תבנית מנורה אבל הוא עושה של ה׳ ושל ו׳ ושל ח׳ ושל ז׳ לא יעשה אפילו של שאר מיני מתכות ר׳ יוסי בר יהודה אומר אף של עץ לא יעשה כדרך שעשו בית חשמונאי *Ne exſtruat quiſquam domum ad ſimilitudinem ædis Sacræ, aut exedram inſtar pronai, aut aream inſtar atrii Sacri, aut menſam inſtar menſæ, aut lychnuchum inſtar lychnuchi ſacri: ſed licebit lychnuchum facere quinque, ſex, vel octo ramorum, nequaquam vero ramorum ſeptem, etiamſi non ex auro ſed ex aliis metallis conſtet. R. Joſe fil. Jehudæ ſententia eſt, etiamſi ex ligno lychnuchum faciat, non licere, quod talem Chaſmonæi fecerint.*

Quapropter ne Onias quidem, quum Templum in Ægypto ſtruxiſſet, at nec illud ſimile ædi Sacræ reſpectu conclavium & ſpatiorum quæ occupabant uti Joſephus indicat, & altare Hieroſolymitanum imitatus eſſet (quod ſibi licere arbitrabatur ob dictum Prophetæ Jeſ. 19. 18. in Ægypto fore urbes 5. &c. & quod etiam Elias & alii altaria conſtituerint extra locum Templi aut Tabernaculi) auſus fuit lychnuchum ſacro ſimilem facere: ſed ἀναθήμασιν quidem Templum exornaſſe legitur, χωρὶς τῆς περὶ τὴν λυχνίαν κατασκευῆς *excepta fabrica lychnuchi.* Οὐ γὰρ ἐποίησε λυχνίαν, *nec enim fecit lychnuchum*, ſed aliquid ſimile ei ſubſtituit, λύχνον χρυσοῦν *aureum lychnum*, tanquam ac ſi arderet ſplendore auri coruſcantem, ἐξεκρέμασε ſuſpendit. Fuere quidem alii lychnuchi aurei in Templo מנורות הזהב qui I Chron. 28. 15. memorantur, & lychnuchi argentei, ſed non crediderim eos ſimiles fuiſſe lychnucho Moſaïco. Memorantur & מנורות של זהב in feſto Tabernaculorum *Succa.* v. 2. ſed quatuor lychnos habebant, nec ſimiles erant Moſaicis. Salomon fecit lychnuchos decem ſacros, fateor, qui ſimiles eſſe potuerunt Moſaïco, ſed Prophetæ, numine divino inſtincti, multa fecerunt aliis hominibus interdicta, uti Elias, dum Templum ſtabat, altare in monte Carmelo exſtruxit & illic ſacra fecit.

Verum, dicet aliquis, narrat Joſephus ſacerdotem quendam ex ædis ſacræ pariete lychnuchos duos aureos, ſacro ſimiles, depromtos Tito obtuliſſe: fuere itaque plures lychnuchi forma haud diverſi, iique ſacro lychnucho ſimiles, & ex his forſitan ille fuerit quem Titus in triumpho oſtendit. Poſſet reſponderi, Joſephum non ſcribere illos lychnucho ſacro ſimiles fuiſſe, ſed ταῖς λυχνίαις. Sed ut verum fatear, nolim hoc urgere. Confiteor ſæpe Joſephum hunc lychnuchum vocare λυχνίαν numero ſingulari. Sic de lychnucho Tabernaculi Antiq. III. 9. τὴν λυχνίαν ἐξ ἑβδομήκοντα &c. & cap. 10. καὶ τῆς λυχνίας καὶ θυμιατηρίου. Et cap. 7. λυχνία ἐκ χρυσοῦ κεχωνευμένη. Lib. I. de bell. Judaico c. 5. de Pompejo ingreſſo in Sanctum τὰ ἔνδον ἐθεάσατο, λυχνίαν τε καὶ λύχνους καὶ τράπεζαν, ubi λυχνία ipſum lychnuchum & λύχνοι ſeptem lucernas ſive lychnos indicant. Rufinus minus recte illa vertit *candelabra cum lychnis & menſis:* ſi enim voce candelabri (licet minus apta) uti voluiſſet, utique non niſi *unum* memorare debuiſſet, non candelabra. Ita Lib. XII. Antiq. cap. 11. de Juda Chaſmonæo Templum luſtrante εἰσεκόμισε καὶ καινὰ σκεύη, λυχνίαν, τρά-

τράπεζαν καὶ βωμόν. *Intulit nova vaſa, lychnuchum, menſam & altare* eaque *aurea*, ἐκ χρυσοῦ, contra ac R. Joſen audivimus exiſtimantem ſupra. Mox legitur, fateor, in Latina verſione, *accenderunt lumina in candelabris*, ſed Græca ἐπὶ τῆς λυχνίας unum candelabrum indicant. At non deſunt alii loci in Joſepho quibus lychnuchum in plurali numero λυχνίας videtur appellare. Ant. XII. 67. de Antiocho legitur eum abſtuliſſe λυχνίας χρύσεας, καὶ βωμὸν χρύσεον καὶ τράπεζαν *lychnos aureos & altare aureum & menſam.* Videlicet aut error erit librarii λυχνίας pro λυχνίαν exarantis, vel Joſephus lychnuchum hunc quod ſeptem λύχνους haberet, dixit λυχνίας, uti *quadrigæ* plurativo numero appellatur currus unus: qua de re confer Gellium noctium Atticarum Lib. XIX. cap. 8. Nam & λύχνον ἀθάνατον λεγόμενον παρὰ Ἰουδαίοις hunc appellat lychnuchum Diodorus Siculus Lib. XXXIV. quum alias λύχνοι in numero plurium dici quoque poſſit & ſoleat; æque enim λύχνους ac λύχνον in Templo arſiſſe dici poteſt: atque ita & λυχνίας æque ac λυχνίαν: quia quilibet ramus ex ſeptem quaſi λυχνία eſt. Sed non deerunt forte qui negabunt Diodorum λύχνου nomine totum lychnuchum innuere & ſolum hac voce indicari unum lychnum מערבי dictum qui ad veſperam uſque ardebat. Quicquid ſit, hinc colligitur per λυχνίας in Templo locatas intelligi lychnuchum ſacrum oportere: reditque ea difficultas quomodo duo illi lychnuchi Tito oblati ſimiles eſſe lychnucho ſacro potuerint, quum Judæi nefas putent lychnuchos uſurpare ſacro ſimiles. Reſponderi ergo hoc poſſet, de jure Judæos loqui, non facto: licitum eſſe negant iſtiuſmodi lychnuchos facere: at quid ſi fecerint illi, qui tam multa contra leges patrias facinora admiſerunt? Quid ſi fecerint eos non ad uſum (uſus autem ſolus videtur fuiſſe interdictus, non confectio: uti pulverem aromaticum ſacro pulveri ſimilem facere non licuit ad uſum communem, licuit tamen diſcendi gratia, ipſis teſtibus Judæis) ſed ad alios fines? Quid ſi ſimiles dicantur, ita tamen ut non omnino ſimiles fuerint?

Lubet ante omnia dare ipſa verba Joſephi, ut deinceps ea illuſtremus oſtendamuſque non fuiſſe unum ex iis lychnuchum, qui in arcu Titi cernitur, & quomodo hi lychnuchi ſacro ſimiles eſſe potuerint, Lib. VII. de bell. Judaico cap. 15. Ἐν δὲ ταῖς αὐταῖς ἡμέραις καὶ τῶν ἱερέων τις Θεβουθεὶ παῖς Ἰησοῦς ὄνομα, λαβὼν περὶ σωτηρίας ὅρκους παρὰ Καίσαρος, ἐφ᾽ ᾧ παραδώσει τινὰ τῶν ἱερῶν κειμηλίων, ἔξεισι καὶ παραδίδωσιν ἀπὸ τοῦ τοίχου τοῦ Ναοῦ λυχνίας δύο ταῖς κατὰ τὸν Ναὸν κειμέναις παραπλησίας, τραπέζας τε καὶ κρατῆρας καὶ φιάλας πάντ᾽ ὁλόχρυσα καὶ σιβαρώτατα. *Illis diebus Sacerdos aliquis Jeſus filius Thebuti accepta fide ſalutis a Caeſare, ut cimelia quaedam ſacra traderet exit, & ex muro ædis ſacræ duos lychnuchos, iis qui in templo erant ſimiles, menſaſque & crateras & phialas, omnia ex auro ſolido & graviſſima tradidit.* Eadem fere Zonaras tom. 1. annalium. Sed Joſephus, qui duorum illic lychnuchorum meminit, monuiſſet, ubi triumphum Titi narrat, unum ex iis hunc fuiſſe: & cur non duos ergo lychnuchos in triumpho geſtarunt aut ſculpſerunt in arcu, & menſas plures? Nec hæc erant ἐγκαταληφθέντα ἐν τῷ ἱερῷ, ſed a transfuga potius donata: & quomodo lychnuchus ille, ſi in Sancto non fuit, cum menſa ſacra (quam duæ thuris acerræ, & limbi duo, & pedum verorum formæ ſatis oſtendunt menſam ſacram fuiſſe) in triumpho jungitur, quum alias lychnuchus & menſa ſacra conjungi ſemper uti vaſa præcipua Sancti ſibi mutuo oppoſita ſoleant?

Quid ergo de lychnuchis illis ex pariete ædis ſacræ deſumtis dicendum eſt? Cui uſui inſervierunt? & quomodo ſimiles illos fuiſſe ait Joſephus lychnucho ſacro? Dici poſſet illas λυχνίας ex uno ramo conſtitiſſe & illum ramum ſimilem fuiſſe ramo alicui lychnuchi ſacri, aut potius ea ἀναθήματα vel donaria fuiſſe gentium in Templi pronao repoſita: nec enim vetitum fuiſſe exiſtimo a gentibus dona recipere, quæ materia & forma convenirent cum rebus ſacris, modo ne ad uſum adhiberentur. Menſam auream in Templo dedicavit Ptolemæus, lychnuchum Helena Regina Adiabenorum in Pronao ſuſpenſum, & tabulam auream in qua פרשה סוטה erat inſcripta; alii alia. Dici etiam poſſet per λυχνίας κατὰ τὸν Ναὸν κειμένας intelligi nec debere nec poſſe lychnuchum ſacrum in Sancto conſtitutum, quum uti ſupra diximus unicus tantum fuerit: at Joſephum, qui λυχνίας hic commemorat, quum alias unam modo fuiſſe λυχνίαν in Sancto ſcribat, uti Lib. XII. alias λυχνίας innuere, quæ, quum in æde ſacra tot conclavia fuerint excepto Sancto & Sancto Sanctorum, variiſque uſibus deſtinata, aliis in locis collocatae eſſe potuerunt: inprimis quum etiam מנורות זהב *lychnuchorum aureorum* in Templo primo fiat mentio, præter illos Salomonicos, qui decem ab eo in Sancto collocati fuere.

Malim tamen credere, quum lychnuchus poſſet pollui, & tempore dierum feſtorum monerentur juniores ſacerdotes ne ad lychnuchum accederent, alios hos lychnuchos eſſe fabricatos ut ei ad tempus ſubſtituerentur, nam lychnuchus debebat ardere תמיד coram facie Dei. Adſcribam quæ leguntur in Codice Chagiga, miſna ultima מטבילים את הכלים שהיו במקדש ואומרין להן הזהרו שלא תגעו בשלהן ובמנורה ותטמתוהו כל הכלים שהיו במקדש יש להם שניים ושלישים שאם נטמאו הראשנים יביאו שניים תחתיהן *Immergere ſolebant aquis vaſa quæ erant in Templo: dicebant autem illis cavete ne tangatis menſam aut lychnuchum & polluatis illa. Omnibus vaſis quæ in templo erant, ſecunda & tertia erant (iis ſimilia) ut ſi contingeret illa pollui hæc eorum loco ponerentur.* Aliquando loco ſuo motus & merſus fuit lychnuchus. Id Sadducæi Phariſæis (nam ex ſententia Phariſæorum omnia facta fuiſſe quæ ad cultum publicum & ſacra ſpectabant, Joſephus adnotavit) vitio vertebant. Vide Gem. Hieroſ. Chagiga 79. 4. פעם אחת הטבילו את המנורה.

Sed quid ſudamus in inquiſitione hujus rei, ubi certi eſſe vix poſſumus an veram cauſam ſimus aſſecuturi & ſexcentis, acutis licet argutiſque conjecturis, rem perducturi ad liquidem. Sufficit in Joſepho illud, uti nunc eſt, legi ſacerdotem Tito dediſſe lychnuchos ſimiles lychnucho ſacro. Unde illi, & cui bono, quis affirmabit? Nec tamen hos aut unum horum in arcu Titi ſculptos eſſe exiſtimo ob rationes quas adduxi, quum de excellentia & nobilitate vaſorum in triumpho latorum egi. Quod ſi quis illius lychnuchi quem ſacerdos Tito dedit imaginem hanc eſſe putet, quam nos pro lychnucho ſacro habemus, dicat quidni duos ergo ſculptor exhibuerit? duos enim Tito dedit. Et hoc certe confiteri debebit imaginem lychnuchi in arcu Titiano ſculptam ſimilem eſſe lychnucho ſacro, quoniam λυχνίαι Tito datæ erant ſimiles λυχνίαις κατὰ τὸν ναὸν κειμέναις.

Præterea, etiamſi nobis non conſtaret Titum ex templo hæc vaſa eruiſſe, an non probabile eſt Imperatorem inprimis de vaſis his ſanctiſſimis, quæ erant περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, ſollicitum

fuiſſe

fuiſſe ut illa flammæ ſubtraheret & in pompa triumphali circumferret? Multum erat quum Pompejus jure victoriæ templum ingreſſus vidit illud grande gentis arcanum patens, ſub aureo vitem coelo: verum plus erat adyti interioris vaſa, menſam & lychnuchum, per plateas urbis Romanæ circumferri ſpectanda oculis omnium. Joſephus in prologo Lib. I. de bello, de Tito narrat eum ſacra κειμήλια ex igne rapuiſſe. Quis credat illum, aliis rapiendis intentum, hæc, quæ ut videret ingreſſus eſt cum ſuis in Sanctum, igni prædam conceſſiſſe?

Tum ad hoc velim attendi: lychnuchum quem in triumpho Titus circumtulit, unicum fuiſſe, unicam & menſam: vel, ita potius loquamur, unicum hunc lychnuchum, unamque menſam, digna fuiſſe cenſita quæ præ multis aliis vaſis & cimeliis, tanquam pretioſiſſima ſpoliorum in arcu triumphali ſculperentur in ſignum triumphi Judaici. Habuit tamen Titus, & ſine dubio in triumphum tulit, alios lychnuchos aureos, & menſas, quæ ipſi data fuerunt a ſacerdote transfuga, filio Thebuti. Sed nec illa nec alia in arcu Titi ſculpta ſunt præter unum lychnuchum, menſam, acerras, & tubas duas, quibus nonnulli addunt volumen legis Moſaicæ, cujus indicium aliquod in arcu ipſo ſibi deprehendere viſi ſunt, inprimis quum & Joſephus Legis meminerit inter alia ſpolia circumlatæ. De tubis ergo duabus quum vix videatur dubium quin illæ ſacræ fuerint, & ad exemplum τῶν הצוצרות Moſaicarum factæ, acerras quum videamus geminas menſæ impoſitas, quæ multarum aliarum rerum capax erat: menſam ipſam & lychnuchum quum certe negari non poſſit multum convenire cum forma quæ lychnuco & menſæ ſacræ tribuitur, nil eſt proclivius exiſtimatu, quam hæc ipſa quæ Sanctum olim adytum templi Hieroſolymitani exornarunt, heic quoque conſpici.

Porro, ex deſcriptione lychnuchi in triumpho conſpicui, quæ apud Joſephum extat, liquet illum lychnuchum publicum fuiſſe teſtimonium quo honore gens Judaica numerum ſeptenarium proſequeretur, quod ſoli lychnucho ſacro convenit. Hunc nempe arcanam habere ſignificationem, nec ad ornatum modo ſeptem lychnos ejus fabrefactos fuiſſe, ſed eo numerum indicari ſeptem planetarum ipſe Joſephus libro III. Antiquitatum, ubi lychnuchum ſacrum deſcribit, affirmaverat. Hæc autem eſt τιμὴ ἑβδομάδος, non diei ſeptimi, ut quidam, ſed numeri ſeptenarii honor, quem ἐμφανίζουσι, evidenter declarant, lychni ipſius lychnuchi, quoniam ſeptem ſunt: ideoque a Joſepho ad clariſſimam ἑβδομάδα corporum coeleſtium, ad planetas nobis conſpicuos, referuntur: nec Joſepho tantum, ſed & Philone, qui operoſus eſt in laudibus ἑβδομάδος, & tantum ei τιμῆς defert ut SEPTEM ἀπὸ τοῦ σεμνοῦ & σεβασμοῦ dictum putet, & in libro de mundi opificio ſcribat de hoc numero quod τιμῆς ἔλαχεν ἐν τῇ φύσει τῇ ἀνωτάτω & poſtea ἐκτετίμηται ὑπὸ τοῦ Μωϋσέως pag. 29. qua de re vide librum ejus ſingularem. Hic libro tertio de vita Moſis pag. 669. Ἓξ μὲν κλάδοι τρεῖς δ' ἑκατέρωθεν τῆς μέσης λυχνίας ἐκπεφύκασιν εἰς ἀριθμὸν ἕβδομον· ἐπὶ δὲ πάντων λαμπάδιά τε καὶ λύχνοι ἑπτὰ, σύμβολα τῶν λεγομένων παρὰ τοῖς φυσικοῖς ἀνδράσι πλανήτων. *Sex quidem rami, tres hinc & inde, ex medio lychnuchi prodeunt, ut numerum ſeptenarium efficiant: & ſupra illos lucernæ & lychni ſeptem ſunt, ſymbola planetarum de quibus phyſici agunt.* Idem in libro quis rer. divin. hær. pag. 511. Τῆς κατ' οὐρανὸν τῶν ἑπτὰ πλανήτων πορείας μίμημά ἐςίν ἡ ἱερὰ λυχνία καὶ οἱ ἑπτὰ λύχνοι οἱ ἐπ' αὐτῆς, *Imago eſt curſus ſeptem planetarum lychnuchus ſacer & ſeptem lychni qui ſupra illum ſunt.* Plura quæ addit omitto, hæc ratus ſufficere. Chriſtiani ipſi Judæorum ſententiam ſecuti ſunt in myſterio ſeptem lychnorum. Hieronymus epiſtola ad Fabiolam: *Septem lucernæ ſeptem errantia aſtra demonſtrant.* Clemens Alexandrinus Stromatum Lib. V. ἥ τε λυχνία ἐν τοῖς νοτίοις ἔκειτο τοῦ θυμιατηρίου δι' ἧς αἱ τῶν ἑπτὰ φωσφόρων κινήσεις δεδήλωνται. *Lychnuchus ad auſtrum altaris ſuffitus erat, quo ſeptem luminarium motus declarantur.* Quo ergo, niſi hoc, modo manifeſtus ſit honor quem ſeptenario numero deferunt Judæi, quod lychnuchus ſacer quum per plures vel pauciores digeri ramos potuerit, in ſeptem digeſtus ſit? Ad uſum enim cui non videantur aut ſex aut octo æque apti fuiſſe? Si autem lychnuchus in pompa triumphali Titi circumlatus ſacer ille non fuit, fuit certe uti ſacer, digeſtus in lychnos & ramos ſeptem. Id Joſephus teſtatur. Cur nihil de lychnucho ſacro addit, qui ἀρχέτυπος eſſe hujus reſpectu debuit, & cur huic tribuit quod illi ſummo jure conveniebat? Si lychnuchus ille ſacer non fuit, quomodo dici poſſet illum declaraſſe quanto in honore ſit apud Judæos numerus ſeptenarius? Si nos, uti ſolemus, vel in ædibus privatis, vel templis, lychnuchos habeamus penſiles per ramos ſeptem aut novem digeſtos, num inde efficitur nobis numerum ſeptenarium aut alium, quiſcunque ſit, eſſe in honore? Si menſa convivalis quatuor cereos ſuſtinere ſoleat, vel unum candelabrum quadripartitum ſit ut totidem ferat candelas, quid inde ad τιμὴν τετράδος; Nihil omnino. Adeoque ſi in his vel illis conclavibus atriorum aut ædis ſacræ inventus fuiſſet lychnuchus ſeptem ramis inſtructus, inde ne colligi quidem poterat, nedum declarari, numerum ſeptenarium apud Judæos honorari. Quid? quod ſi vel maxime lychnuchus ejuſmodi ἑπτάλυχνος in æde ſacra repertus fuiſſet, vel a transfugis Tito traditus, poterat eſſe ἀνάθημα & donarium regum AEgypti vel Syriæ aliorumve. Ex conſpectu talis lychnuchi vix naſci hæc ſuſpicio potuit. Sed quum ipſa Judæorum confeſſione lychnuchus in Sancto ardens id myſterii adumbraret, & clarum eſſet cauſam eſſe oportere, cur ſeptem lychnos, non plures nec pauciores, ſuſtineret, apte & vere dicere potuit Joſephus illum lychnuchum declaraſſe Judæos ἑβδομάδα honore ſingulari proſequi.

Denique, ſi hæc menſa, hic lychnuchus, illa non ſint quæ in Sancto fuerunt, cur id verbulo non monet? Verum, dicet aliquis, ſi illa fuerint, uti tu opinaris, cur & hoc quoque Joſephus non adnotat? Reſpondeo, ne bis idem narraret, quum triumphum deſcribit, adnotaſſe menſam & lychnuchum ex Templo fuiſſe rapta, & ex omnibus quæ Joſephus narrat de Titi ingreſſu in templum & mora quam illic fecit ſatis liquere hæc vaſa Titi juſſu inde eruta. An non teſtatur Joſephus Titum voluiſſe ab incendio tutum præſtare templum & quæ in eo erant? Num ergo hæc vaſa in templo reliquiſſet inde egrediens flammis voranda aut rapienda a militibus, quæ triumphum ejus adeo poterant ornare & tam pretioſa erant? Mox etiam incenſo templo narrat ἁρπαγὴν fuiſſe, rapinam, omnium quæ iis in manus veniebant. Si lychnuchus, ſi menſa, alicui militi in prædam ceſſiſſet, num id Joſephus reticuiſſet? anne etiam Tito illa non fuiſſent oblata? Ex ſerie ergo narrationis Joſephi, iiſque quæ in deſcriptione horum vaſorum continentur, ſatis liquere arbitror illa eadem fuiſ-
ſe.

ſe. Jungit menſam & lychnuchum (uti illa ab eo & aliis ſemper jungi ſolent quum de ſancti vaſis agunt) utraque aurea, erepta utraque e Templo Hieroſolymitano, quæ præ aliis ſpoliis excelluerunt omnibus (διέπρεπε πάντων) & lychnuchum ait plane diverſæ formæ fuiſſe ab iis lychnuchis, quibus Judæi vulgo utebantur, quique ſeptem ramos habuit ſuſtinentes totidem lychnos. Teſtor veſtram conſcientiam, quotquot unquam hæc Joſephum narrantem legiſtis, an non protinus de lychnucho & menſa ſacra cogitaſtis? Et quis non de iis cogitaret? Cur ergo, ſi de altero lychnucho & altera menſa intelligi voluit, lectorem ſuum non admonet? Oculos denique veſtros teſtor qui lychnuchum & menſam in arcu Titiano contemplati, & illa Templi eſſe Hieroſolymitani ſpolia edocti eſtis, an non menti veſtræ protinus obverſata fuit lychnuchi ſacri & menſæ imago?

NUM. 2.

Epigraphe anticæ partis hujus numiſmatis mihi ignota.

JUDÆA CAPTA S. P. Q. R. VICTOR. In medio palma fructibus onuſta, Judææ regionis index: hinc inde S. C. ROMA. Senatus Conſulto Roma. Ex Strada.

Fides ſit penes Stradam. Ceterum quum in ſexcentis aliis numis Veſpaſianus Victoriæ Decus ſibi tribuat, ut epigraphe docet: VICTORIA AUGUSTI, ſive VICTORIA IMP. VESPASIANI; in hoc Senatus Conſulto Senatus Populuſque Romanus Victor inſcribitur JUDAEA CAPTA. Additur etiam ROMA.

NUM. 3.

Anticæ partis hujus numi epigraphe mihi incognita.

PALESTINA IN POTESTATEM Populi Romani Redacta. In exergo DE JUDÆIS. Palma arbor, juxta quam inter arma & bellica ſpolia a dextris ſtat captivus manibus poſt tergum revinctis; a ſiniſtris mulier quæ mœſta ſedet. In area numi S.C. Ex Strada. Scribendum erat PALAESTINA. Suſpicione non caret hic numus.

NUM. 4.

Ignota mihi eſt anticæ partis inſcriptio.

PONTifex MAXimus TRibunicia Poteſtate XX. Pater Patriæ. In exergo TRIUMPHus DE JUDæis. Triumphalis currus a milite ductus, ſub quo corruit captivus: in eo ſtant Flavius Veſpaſianus & Titus, quorum alter lauri ramum dextra oſtentat; in medio proſpectus templi.

Tribunitia Poteſtas XX. nec Veſpaſiano patri nec Tito Veſpaſiano filio convenit, qui eam in numis non numerarunt. Suſpectus ut & ſuperiores & qui ſequuntur, hic numus mihi eſt.

NUM. 5.

Pars antica quomodo inſcripta ſit, neſcio.

IMPerator CAESar VESPASIANUS AUGuſtus Pater Patriæ RESTitutor, ſive RESTituit. Templum Jovis Capitolini, cujus ſimulacrum ſedentis ſpecie in mediana cella cernitur, ad quod per multos gradus adſcenditur. Ex Strada.

Illud notatu dignum præter cetera continet hic numus, quod non, ut in aliis, Capitolinum templum compluribus Statuis ornatur, ſed ſola Jovis ſtatua, & antiqua templi facie, cum pluribus gradibus. Huc facit inſignis Taciti locus Hiſtor. Lib. IV. c. 53. qui reſtitutionem ejuſdem Templi a Veſpaſiano factam ita deſcribit. *Curam reſtituendi Capitolii in L. Veſtinum confert, equeſtris ordinis virum, ſed auctoritate famaque inter proceres. Ab eo contracti Haruſpices monuere, ut reliquiæ prioris delubri in paludes aveherentur, templum iisdem veſtigiis ſiſteretur: nolle Deos mutari veterem formam. Undecimo Kalendas Julias, ſerena luce, ſpatium omne quod templo dicabatur, evinctum vittis coroniſque. Ingreſſi milites, qui fauſta nomina, felicibus ramis. Dein virgines Veſtales, cum pueris puelliſque patrimis matrimiſque, aqua rivis & fontibus amnibuſque hauſta, perluere. Tum Helvidius Priſcus Prætor, praeunte Plauto Eliano Pontifice, luſtrata ſuovetaurilibus area, & ſuper ceſpitem redditis extis, Jovem, Junonem, Minervam, præſideſque imperii Deos precatus uti coepta proſperarent, ſedeſque ſuas pietate hominum inchoatas, divina ope adtollerent; vittas quis ligatus lapis innexique funes erant, contigit &c.* Ex imo gradu Templi, dextra in parte, adſurgit aliquid ceſpiti ſimile, de quo quid ſentiendum, & utrum ceſpitem illum, de quo Tacitus, referat, ab aliis diſcere cupio. De Capitolini templi reſtitutione vide quæ adnotet Doctiſſimus Philippus a Turre Antiſtes Adrienſis in Monum. Vet. Antii pag. 94. & Editorem Clariſſimum Annal. Eccl. Baronii ad annum Veſpaſiani Imperii ſecundum pag. 678. Eo reſtituto Templo dedicatum eſt VIII. Id. Decemb. anno V. C. 833. C. N. 80.

NUM. 6.

Inſcriptio adverſæ partis ignota mihi eſt.

PALESTINA COLONIA Populi Romani. Mulier ſtans dextra haſtæ innititur, læva demiſſum clypeum ſuſtinet. Ex Strada. & hic ſcribendum PALAESTINA.

NUM. 7.

Anterior inſcriptio me latet.

PALLAS. Pallas Dea dextra hastam sinistra clypeum sustinet. Ex Strada.

NUM. 8.

Vacat.

NUM. 9.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Pater Patriæ COnSul III. (in aliis CENSor) Anticæ partis epigraphe, ut auguror, hæc est.

LIBERTate Populi Romani RESTITuta EX Senatus Consulto, intra querneam coronam. Ex Goltzio.

Civicas coronas Senatus Consulto obtinuit Flavius Vespasianus, & quidem multas, uti numismata jam edita testantur, non solum ob cives servatos, verum etiam ob libertatem, quam Senatoribus, & Populo Romano reddidit ac restituit, ut supra adnotavimus.

NUM 10.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus COnSul IIII. CENSor. Caput Vespasiani laureatum.

PACI ÆTERNæ. Templum sex columnis in fronte ornatum, in unius medio ara ignita.

Exstat numus Tito Augusto dedicatus cum epigraphe PACI PERPETuæ, cum gereret secundum Consulatum cum Flavio Vespasiano patre quartum Consule. In hoc & ipse hunc numum inscripsit PACI AETERNæ; voluitque monumentum suæ gloriæ Templum Pacis, quod Foro proximum exstruxit. In aliis numis scriptum ARA PACis S. C. & cernitur ara, supra quam simpuvium. Hi numi his emblematis ornati cusi sunt anno V. C. 825. C. N. 72. sive etiam V. C. 824. C. N. 71. quum Templum Jani sextum post V. C. clusit, Pace Populo Romano terra marique parta, de qua Orosius Lib. VIII. Cap. 9, In hoc numo ara sacro igne calens in medio templi cernitur. Ad hanc igitur Pacem, quæ sub Vespasiano, quemadmodum sub Augusto, toto terrarum orbe floruit, adludit hic numus; non vero ad dedicationem Templi Pacis, quæ non in quartum, sed in sextum Vespasiani Consulatum incidit, ut auctor est Dio Xiphilini Lib. LXVI. *Vespasiano sextum, & Tito quartum Consulibus, Templum Pacis dedicatum est, & colossus sacra via collocatus, quem ferunt fuisse altum centum pedes: imago Neronis erat, vel Titi, ut ab aliis traditum est.*

NUM. 11. 12.

VESPASianus CAESar AUGustus. Caput Vespasiani laureatum, ad lævam versum: ante ejus pectus caput juvenile nudum.

PIETAS AUGusta, sive AUGusti. Femina stolata sedens dextrorsum versa, læva hastam, dextra pateram admovet aræ ignitæ. Ex Goltzio.

Titi Cæsaris numi aliquot eandem epigraphen præferunt, PIETAS AUGUSTA. S. C. alium vero typum; siquidem Pietas Dea vel stat in medio duorum, nempe Titi & Domitiani, vel eorum dextras conjungit. Et hic numus cusus videtur initio Imperii Flavii Vespasiani, eo, ut subspicor tempore, quo Titum consortem Imperii sui fecit, vel Cæsarem & Consulem designavit. Tempus, quo hic numus perrarus cusus est, ex Tacito melius colligi potest, qui postquam narravit Vespasianum adversam de Domitiano famam accepisse, memorat eum validissimam exercitus partem Tito tradidisse ad reliqua Judaici belli perpetranda, ipsumque orantem antequam digrederetur, verbis & bona spe solatum fuisse. Ita igitur scribit Tacitus Histor. Lib. IV. c. 52. *Vespasianus haud æque Domitiano mitigatus, quam Titi PIETATE gaudens, bono animo esse jubet, belloque & armis rempublicam adtollere: sibi pacem domumque curæ fore.* Cusus igitur videtur hic numus in memoriam Pietatis ejusdem Titi in parentem optimum, & quidem ut dixi, antequam ad conficiendum Judaicum bellum digrederetur, ut mihi videtur, anno V. C. 822. C. N. 69. quare nil mirum si, cum imagine patris, Titi quoque ante ejus pectus protoma sculpta est.

NUM. 13.

Inscriptio anticæ partis hujus numi mihi incognita: ex aliis numis in quibus scriptum SPES AUGUSTA S. C. hæc videtur: IMP. CAES. VESPASIAN. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. III.

SALUS ORBIS. Dextræ conjunctæ, quæ tenent caduceum medium inter spicas & papavera. Ex Goltzio.

Felicitatis, ubertatis, tranquillitatisque hæc symbola sunt, quæ bona, salvis Principibus, populi obtinent, horum vero parens Pax est.

NUM. 14.

Epigraphe huic numo, ea quæ superius a me adlata est, convenit. Ex Goltzio.

SALUTI PUBLICÆ. Idem typus, qui occurrit in numo superius edito num. 13. In his numis deest nota S. C. Senatus Consulti. Facile etiam Annonam ad P. R. felicitatem datam, indicat.

NUM. 15.

Inscriptio adversæ partis, mihi incognita, ex numis quæ Flavii Vespasiani Consulatum IV. præferunt desumenda est: nimirum IMP. CAES. VESP. AUG. P. M. COS. IIII. CENS.

S.C. In exergo: Senatus Consulto. Quadriga triumphalis: in curru qui ornatur imagine Victoriæ Vespasianus & Titus stant, dextra scipionem cui aquila in vertice insidet, tenent. Ex Goltzio.

Non triumphum de Judæa capta vastataque, sed processum Consularem exprimit hic numus, &, ut opinor vel quartum Vespasiani cum filio iterum Consule, quem Romae inierunt, vel forte etiam sequentes, in quibus pater & filius collegæ fuerunt. Scipionem eburneum cum aquila in vertice superstante Consules manu gerebant, quum ad Consulatum ineundum procederent, quod nemo ignorat eruditae vetustatis studiosus. Triumphum vero ducentes Imperatores sculpti in numis, interdum non scipionem tantum eburneum Consulum insigne præferunt, verum & lauri ramum. Præterea adest post Imperatores in Triumphali curru Victoria, quæ Lauream coronam capiti eorum imponit; ut in alio numismate cum epigraphe TRIUMP. AUG. quod describit Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 89. in triumphali curru Imperator Vespasianus solus stat in curru & a Victoria coronatur, nam Vespasianus & Titus eodem die de Judæis seorsim triumpharunt; ideoque numi seorsim cum triumphalibus quadrigis cusi sunt, prout utrique triumphum Senatus proprium decreverat, teste Josepho. In his quoque numis, qui triumphum Judaicum exhibent, adcedunt præterea buccinator canens, & duo captivi manibus post terga revinctis præeuntes, qui Vaillantio illi captivi Simon Gioræ, & Joannes inter alios septuaginta Duces præcipue electi videntur, ut triumphum Vespasiani & Titi nobilissimum redderent. Hæc omnia quum in hoc numo desiderentur, censeo occasione alicujus ex Consulatibus, in quibus Vespasianus Titum collegam habuit percussum esse ex Senatus Consulto, adeoque eorum Consularem processum exprimere, non vero triumphum.

NUM. 16.

IMPerator CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia P. Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Vespasiani laurea cinctum.

Corona quercea in cujus medio scriptum COS. VIII. Consul octavum. Ex Strada.

Mediobarbus complures numos Vespasiani describit pag. 116. & 117. quorum postica eandem præfert epigraphem COS. VIII. quos vide. Hic vero numus cum eadem epigraphe, quæ intra querceam coronam scripta est, & deest nota Senatus Consulti, & opinor, refert votivum aliquem clypeum in templo Jovis Capitolini subspensum; quod feliciter Imperator Vespasianus hunc Consulatum octavum iniisset. Vespasianus in suo Consulatu octavo Collegam habuit Titum filium sextum Consulem, anno nimirum V. C. 830. C. N. 77. quo anno Romæ ingens lues fuit.

NUM. 17.

Vacat.

NUMISMATA GRAECA

In eadem Tabula XVII. *expressâ sequuntur.*

NUM. 18. 19. 20.

ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. *DOMITILLA AUGUSTA. Caput ejusdem Domitillæ ad lævam conversum, velo opertum.*

ΒΑΡΓΑΣΗΝΩΝ. *Bargasenorum. Mulier stolata stans, capite ornato turribus, dextra labarum, læva cornu copia gerit.*

Quæ sequuntur Græca numismata, in honorem Vespasiani percussa sunt a Græcis Urbibus. Primum duo *Bargasenorum* numi occurrunt, quorum alter alteri opem fert, ut posticæ partis epigraphe intelligatur. Nam in altero integrum nomen scriptum est ΒΑΡΓΑΣΗΝΩΝ. In altero tres priores litteræ indicantur, reliquæ desunt; sed in ambitu numi aliæ visuntur in hunc modum ΑΠΟΛ. quarum explicationem alii investigabunt. Alterum numum num. 20. Vespasiano dedicatum crediderim, auspice Abrahamo Rerkelio, qui citat tanquam Vespasiano dedicatum, & apud Goltzium conspici adfirmat. In urroque *Bargasa* Cariæ civitas turrito capite expressa, de qua Stephanus Byzantinus. Strabo Ceramum & Bargasam parva oppida supra mare describit Geograph. Lib. XIV. 656.

NUM. 21.

ΕΜΙΣΗΝΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Emisenorum Neocororum. Templum sex columnis & gradibus ornatum, cum ara sive potius basi ad statuam Vespasiani in eo ponendam in medio. In exergo adcedunt notæ S.C. de quibus alibi sermo.*

NUM. 22.

Laurea corona, intra quam scriptum ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΝ.

NUM. 23.

Corona ex apio, intra quam scriptum ΚΟΙΝΟΝ ΡΟΔΙΩΝ. *Commune Rhodiorum.*

NUM. 24.

Pertinere videtur hic numus, ornatus imaginibus Castoris & Pollucis, ad Orthosienses Syriæ populos, ut supra monuimus.



NUMISMATUM IMP. CAESARIS TITI VESPASIANI
TABULA I.
EJUS CAPITA EXHIBENS.

NUM. I.

IMPERATOR Titus CAESAR AUGUSTI Filius. *Caput Titi Cæsaris ad lævam conversum, laurea corona redimitum.*



TITUS, cognomine paterno, *amor ac deliciæ generis humani* adpellatus, in conspectum eruditorum hominum nunc venit. Primum cum exornare lubet eximia illa Taciti laude ex Lib. II. Hist. c. 1. *Augebat famam, ipsius Titi ingenium quantæcumque fortunæ capax, decor oris cum quadam majestate: prosperæ Vespasiani res, præsaga responsa, & inclinatis ad credendum animis, loco ominum etiam fortuita.* Et mox: *Lætam voluptatibus adolescentiam egit suo quam patris imperio modestior.* Quoniam vero Cl. Havercampus in principio numismatum Imperatorum, quæ ad eorum vitam spectant, adnotata erudite a Præstantissimo Tristano præponere consuevit, ne ab instituto (invitus tamen) recedam, huc Latino sermone conversa congeram, quæ Gallice de Titi vita scripsit idem Tristianus in hunc modum. „ TITUS VESPASIANUS natus est „ Romæ III. Kal. Januarias anno V. C. 793. „ Christi 42. Caligula & Sentio Saturnino „ Consulibus. Decessit annum agens quadragesimum. Regnavit autem annos duos, & viginti „ duos dies juxta Theophilum; juxta vero Aur. „ Victorem duos annos & menses novem. At „ Suetonius, cui major adhibenda fides est, duos „ annos, menses duos, & viginti dies cum in „ imperio solum regnasse scribit." In Commentario LII. pag. 295. hæc idem Tristanus subjicit. „ TITUS statura plusquam mediocri fuit, de„ cora facie, facili aditu, cultu nescio quid li„ berale, magnificum ac prope regium præfe„ rente: insigni oris comitate, morum suavita„ te, omnibus animi virtutibus, bene compa„ ctis ac firmis membris instructus: eloquentia „ vero ceterisque omnibus cum naturæ tum do„ ctrinæ præsidiis ad grandia quæque paratus. „ Poëta & Orator talis Græcis Latinisque litte„ ris excultus fuit, qualem Plinius in Præfatione „ sua ad Naturalem Historiam posteris com„ mendatum reliquit. Quod ad ejus mores ad„ tinet, vere de eo dici potuit, eo neminem „ benigniorem ac liberaliorem Principem im„ perium obtinuisse; adeo ut *deliciæ humani ge„ neris cognominari meruerit.* Ejus enim cle„ mentiam, munificentiam, humanitatem, ac „ pietatem, qui post eum fuere Imperatores sa„ pientiores magis admirati, quam imitati sunt. „ Tanta vero ac tam singulari prudentia excel„ luit, ut Ammianus Marcellinus Julianum Impe„ ratorem cum antiquioribus comparans, dixerit, „ illum ita domi forisque prudentem fuisse, ut Ti„ to Vespasiani filio hac in re æquiparandus cre„ deretur. *Nam incrementis velocibus* (inquit ille „ Lib. XVI. 1.) *ita domi forisque colluxit, ut pru„ dentia Vespasiani filius Titus alter æstimaretur.* „ Apollonius vero in sua quadam epistola, sa„ pientiæ coronam ei deferendam esse scribit; non „ enim victoriis ac cædibus hostium, sed clemen„ tia & æquitate clarescere voluit: *Inde omnibus* „ (ait ille) tanta virtute præditus videris, qui plu„ rimis coronarum generibus exorneris. Ut e„ nim si singulos recenseas Imperatores, omni„ bus eum meliorem indulgentioremque cogno„ ris; quapropter cum *Romanorum Imperatorum* „ *innocentissimum* adpellavit Joannes Sarisberien„ sis Lib. II. Polycrat. sui Cap. 26. ad ejus cle„ men-

„ mentiam, ac præ ceteris animi integritatem ſignificandam. Quod vero Suetonius atque Aurelius Victor de eo narrant, illum nempe ulciſcendi reos, ſuæque majeſtatis violatores ſollicitum, adjuraſſe *periturum ſe potius, quam perditurum*, eſt magni cujusdam animi tamque benevolentis, ut neſciam, utrum majora amoris, divinæque caritatis exempla oſtendere poſſit Antiquitas. Quamobrem commendatur a Luciano in Dialogo ſuo de *Peregrini morte*; quippe qui injurias, ſcommata, atque maledicentias forti animo contemneret: Ἐκείνῳ γὰρ, ὡς εἰκὸς, ὀλίγον ἔμελε τῶν βλασφημιῶν, καὶ οὐκ ἠξίου ὑποδυομένου τινὰ κολάζειν ἐπὶ ῥήματι: *Etenim regi, ut par erat, convitia & blaſphemiæ non erant curæ; neque ullum ex iis, qui Philoſophiæ ſe tradiderant, propter verba ſupplicio adficere dignabatur*: adpellat autem Πραΰτατον καὶ ἡμερώτατον *placidiſſimum & manſuetiſſimum.* Quod vero magnam ejus animi virtutem, moderationemque clariſſime probat, fuit conſilium illud calumniatores ac publicos delatores perdendi qua morte, qua exſilio, ut nullam ſive aulicis, ſive inimicis cauſam nocendi relinqueret. Dimiſit etiam a ſe complures qui laſcivia proſtarent; atque ipſam quoque Berenicen Reginam, cui ſe Imperatorem uxorem ducturum promiſerat. Ea fuit continentia, quum aliis tanquam Imperator exemplo eſſe deberet, ut ſumma virtute ſe ipſum vicerit. Hinc jure optimo improbanda eſt Imperatoris Juliani iniquitas, qui illum a Jove ad infame lupanar damnatum inducit. Poſtquam enim de Veſpaſiano, quem impudentiſſime carpit, verba fecit, addit τῶν παίδων δὲ τὸν πρεσβύτερον μὲν παίζειν κέλευε μετὰ τῆς Ἀφροδίτης τῆς Πανδήμου: *E Filiis vero ejus natu majorem*, intelligit ille *Titum, cum Publica ac Populari Venere ludentem adfirmat*. Id quum *Cantoclarus* minime animadvertiſſet, hunc locum ita explanavit, quaſi heic Apoſtata ille ſententiam reſpiciat Suetonii vocantis illum *delicias generis humani*; ſed falſus ideo eſt *Cantoclarus*, quia duas Veneres, uti a Veteribus factum legimus, nequaquam diſtinxit, Venerem nempe *Vraniam* ſive *Cæleſtem*, Veneremque obſcoenam ac *Popularem*. Ad hujusmodi diſcrimen conprobandum Himerii dumtaxat penes Photium teſtimonium adducam: Πανδήμῳ δὲ Ἀφροδίτῃ (inquit ille) πρὸς τὴν Οὐρανίαν οὐδὲν κοινόν· ἡ μὲν γὰρ βεβήλους καὶ οὐ καθαροὺς τὴν φύσιν γεννᾷ τοὺς ἔρωτας, τῇ δὲ χρυσοὶ μὲν οἱ παῖδες, χρυσᾶ δὲ τὰ τούτων καὶ βέλη· Σκοποὶ δ' αὐτοῖς ψυχαὶ νεοτελεῖς καὶ ἀκήρατοι. *Nihil enim* (ait ille) *inter hanc Vulgarem Popularemque Venerem & Cæleſtem illam commune eſt. Illa enim impudicorum amantium mater eſt; hæc legitimorum ingenuorumque filiorum parens: cujus tela ex mundo puroque auro immortalia, omnique labe carentia honeſta ſolum pectora configunt.* Amoribus itaque foedis inhoneſtisque deditum fuiſſe hunc Imperatorem, inſigniter mentitur Julianus, contra omnium Hiſtoricorum fidem. Etſi enim fortaſſe juvenis inhoneſto aliquo amore abreptus fuit, Imperator tamen factus, continentiæ ac pudicitiæ exemplum ſe præbuit, teſte Aurelio Victore, qui ait: *Denique ut ſubiit pondus regium, Berenicen nuptias ſuas ſperantem regredi domum, & ad enervatorum greges abire præcepit.* De ejus morte in diverſas abiere ſententias Hiſtorici. Nonnulli ardenti febre correptum obiiſſe ſcribunt: alii vero, quemadmodum Philoſtratus Lib. VI. Cap. 14. Theodorus Metochites pag. 47: Romanæ Hiſtoriæ ſuæ, & Tzetzes Cap. VI. Hiſt. 43. ob marinos notatos lepores dies ſuos confeciſſe tradiderunt.

Τίτος δὲ θνήσκει, βεβρωκὼς λαγῶν τῶν θαλασσίων.

Titus autem mortuus eſt quum comediſſet marinos lepores.

„ Hoc veneni genere ſæpiſſime, ait Philoſtratus, uſus eſt Nero in eos, quos a ſe dimittere ſecreto volebat. Cedrenus vero id in cauſa fuiſſe ſcribit, quod, quum per totum æſtivum diem iter habuiſſet, adeo fatigari corpore, nimioque fervere æſtu coepit, ut nimia ſanguinis e naſo effuſio eum pæne exſanguem reliquerit: qua occaſione a Domitiano capta eum perdendi, ut eidem ardori mederetur, eum in vaſe nivis oppleto lavari juſſit, in quo poſitus animam exhalavit. Aurelius vero Victor, quum narrat, *lautuſque* ſive melius *lotuſque veneno interiit*, hoc uno verbo, veneno eum fuiſſe extinctum, quod fortaſſe balneo inerat, diſertiſſime ſignificat. Scaliger ad Euſebium adnotat Judæos crediſſe, muſcam per naſum Titi ingreſſam cerebrum, dediſſe eum morti, quod quidem perridiculum eſt. Per hanc muſcam hi fortaſſe innuere Beelzebub volebant, qui ab eo ob captas Hieroſolymas poenas repetierit. Si autem verum fuiſſet Titum occiſum a muſcis, non adeo inteſtinum bellum cum ipſis geſſiſſet Domitianus, qui ferreo ſtilo eas, quotquot habere poterat, confixit. Facilius dixerim potius hiſce animalibus dicatum fuiſſe ab eo templum, quaſi illis Romani imperii hereditatem referret acceptam.

TITI VESPASIANI UXORES.

De his ſubjiciam, quæ ſcribit Doctiſſimus *Joannes Triſtanus*, Sanctamantii Dominus pag. 309. & ſeqq. „ Omnium prima TITI uxor ARRICIDIA fuit, filia Tertulli Equitis Romani, & Cohortium Prætorianarum Præfecti, e qua nullos liberos genuit. Hujus in locum defunctæ, matrimonio accepit MARCIAM FURNILLAM ſplendidi generis, eamque duxit antequam cum ipſe, tum Veſpaſianus pater Imperator renunciatus fuiſſet. Privatus adhuc cum ea divortium fecit, ſuſcepta filia *Julia Sabina*. Aeneas Vicus & Adolphus Occo eam *Marciam Fulviam* adpellant. Suetonius *Marciam Furnillam* vocans, ſi verum illud eſſet nomen, nequaquam neglexiſſet; quum a Furnia Romana familia *Furnilla* diminutivo fortaſſis nomine deducatur. Florus Lib. IV. cujusdam *Furnii* præſtantiſſimi ducis meminit, quo cum Agrippa & Antiſtius Cantabros domuere. Hic *Furnius* ille idem fortaſſe eſt, qui Marcum Antonium antea ſequutus, ſub eo duce bellum adverſum Sextum Pompejum movit, eumque interfecit cujusdam Titii præſidio fretus, uti narrat Lib. VII. Paulus Diaconus. In veteribus inſcriptionibus FURNIA PRIMA nominatur. Vide Gruterum.

JULIA SABINA
TITI VESPASIANI F.

„ JULIAM SABINAM Titi Veſpaſiani Marciæque Furnillæ filiam Flavius Sabinus duxit,

„ re-

„ recusante Domitiano, cui antea oblata fuerat. „ Matrimonio junctam Flavio Sabino postmo- „ dum Domitianus adeo dilexit, ut cum ea a- „ dulterium incestumque commiserit, occiso „ Sabino non modo neptis suæ marito, verum „ etiam patrueli suo, uti Philostratus Lib. VII. „ Cap. 3. adnotavit. His perpetratis utrum uxo- „ rem legitimam duxerit, uti Philostratus testa- „ tur, ipsis etiam Ephesiis sacrificio gaudium „ testantibus; an potius eam veluti concubinam „ habuerit non bene compertum; certum tamen „ est ab eo gravidam factam, coactamque con- „ ceptum potionibus a se abigere; quod idem „ fuit ac mori, uti Suetonius & Juvenalis Sat. II. „ animadvertunt. Plinius Secundus hujusce infe- „ licis incesti his verbis in Panegyrico meminit: „ *Et paullo ante omnes gradus, totaque area,* „ *hinc auro, hinc argento elucebat, seu potius* „ *polluebatur, quum incesti Principis statuis per-* „ *mixta Deorum simulacra sorderent.* Consulatur „ etiam idem Plinius Epistola II. Lib. IV. Julia „ vero etsi impura esset, castitatis tamen nomi- „ ne commendata fuit à Statio Poëtarum o- „ mnium adulatore impudentissimo Carm. II. „ Lib. V.

——— Nuper quum forte sodalis
Immeritæ falso polleret crimine famæ;
Erigeretque forum, succinctaque judice multo
Surgeret, & castum vibraret JULIA fulmen.

„ Hoc enim loci Poëtam arbitror *Juliæ* men- „ tionem facere, non *Juliæ legis* adversus adul- „ teros, uti doctissimi Interpretes una cum Cl. „ Meursio crediderunt. Ipse etiam Martialis tan- „ quam benignam Parcam puero Domitiano il- „ lam adsignat Lib. VI. Epigr. 3. postquam e- „ nim dixit:

Nascere Dardanio promissum nomen Julo,
Vera Deûm soboles, nascere magne puer.
Subdit:
Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi JULIA nebit ovem.

NUM. 2.

IMPerator TITUS CAESar DIVI VESPasiani AUGusti. Caput Titi Imperatoris laurea corona redimitum ad lævam conversum.

Numismata hæc omnia, quæ vultum TITI præferunt, perspicue ostendunt, eum *egregia forma, & cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ,* præditum fuisse, quod Suetonius in ejus vita c. 3. testatur. Cusus est hic numus, & reliqui omnes in quibus Titus Divi Vespasiani filius dicitur, eodem parente optimo defuncto, quum idem Titus Consul VIII. collega ejus esset, anno nimirum ab V. C. 832. C. 79. In aliquot numis post AUG. sequitur F. hoc est *Filius*; in aliis ut in hoc & sequenti prætermittitur.

NUM. 3.

Titus CAESAR VESPASIANus. Caput Titi Cæsaris laureatum ad lævam conversum.

Sola *Cæsaris* appellatione honestatur Titus in hoc numo, qui cusus censetur in ejus honorem postquam a Patre Cæsar est designatus, anno nimirum V. C. 822. C. N. 69. Dio Lib. LXVI. *His rebus gestis, Vespasianus etiam a Senatu creatur Imperator, Titusque & Domitianus Cæsares designantur.*

NUM. 4. 5. 6. 7.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum ad lævam versum.

Vel,

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

Vel,

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

Similis occurrit in his numis epigraphe; variat tamen aliquantulum aliquot litteris in fine adpellationum deficientibus, vel integre scriptis; non enim omnes uno eodemque die ex officinis monetariis prodierunt. In singulis numis hisce Titus non solum *Cæsar*, sed & Imperator vocatur, & quidem Imperator post Cæsaris adpellationem, quod est adnotandum; nam adhuc vivo patre primum cum Domitiano *Cæsar* & *Princeps Juventutis* adpellatus est; mox etiam *Imperator*, quum ab eo Imperii consors factus esset, postquam Romam rediit, anno nimirum V. C. 824. C. N. 71. quo hi numi cusi videntur. Capta Judæa milites eum quidem Imperatorem salutarunt; sed id in Vespasiano patre quasi ab eo desciscere suspicionem peperisse, auctor est Suetonius c. 5. *Ad perdomandam Judæam relictus, novissima Jerosolymorum oppugnatione septem propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus, cepitque eam natali filiæ suæ, tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione* IMPERATOREM EUM CONSALUTAVERINT, *& subinde decedentem provincia detinuerint, suppliciter, nec non & minaciter efflagitantes ut remaneret, aut secum omnes pariter abduceret. Unde nata subspicio est quasi desciscere a patre, Orientisque regnum sibi vindicare tentasset. Quam subspicionem auxit, postquam Alexandriam petens in consecrando apud Memphim bove Apide diadema gestavit, de more siquidem rituque priscæ religionis; sed non deerant, qui secus interpretarentur. Quare festinans in Italiam quum Rhegium, dehinc Puteolos oneraria nave adpulisset, Romam inde contendit expeditissimus, impinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem: Veni (inquit) pater, veni.*

NUM. 8.

IMPerator Titus CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Titi caput laureatum ad lævam versum.

Interpretandum, ut reor, facile etiam AUGusti, & subintelligendum *Filius*, ut in numo superius descripto Num. 2. quamvis & *Augustus*

gustus inscribi possit; nam & *Imperator* adpellatur. Titus AUGUSTUS inscribitur apud Com. Mediobarbum in numis aliquot qui præferunt IMP. IV. PONT. TR. POT. II. COS. II. item in aliis, in quibus COS. III. prænotatur. Sed & in plerisque ex his scribitur T. CAES. IMP. AUG. F. PONT. TR. P. COS. III. CENSor.

NUM. 9. 10. 11.

Titus CAESTR IMPerator PONTifex. Caput Titi Cæsaris laurea cinctum, ad lævam conversum, at in 10. ad dexram respicit.

Tres hi numi eandem epigraphen præferunt, & præterea ejus Pontificatus dignitatem memorant; vivo autem patre Pontifex quidem dictus est, non vero *Pontifex Maximus.*

NUM. 12. 13.

Titus CAESar IMPerator PONTifex TRibunicia Potestate. Caput Titi laureatum, ad lævam conversum.

At in altero numismate licet ejus Tribunicia Potestas memoretur, Pontifex tamen non inscribitur. In sequentibus numis tituli ordine recensentur, & cognomen Vespasianus exprimitur.

NUM. 14. 15. 16.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum ad lævam conversum, & in 15. ad pectus paludamenti insigne cernitur.

In numo 14. scriptum PON pro PONT. quod & in aliis hisce numis non raro adparet, in reliquis vero PONT. *Pontifex*; & in sequenti numo integrior epigraphe sculpta est.

NUM. 17.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunitia POTestate. Titi Cæsaris caput laurea ornatum, ad lævam conversum.

Horumce titulorum & adpellationum praeclarum decus obtinuit a Patre statim ac Romam rediit Judæa capta vastataque, quum ante Vespasiano salutato Imperatore creatoque a Senatu Princeps Juventutis & Consul cum fratre designatus esset, quod contigit anno V. C. 824. C. N. 71. quo triumphum Judaicum cum patre duceret; & quidem hi numi cusi sunt ante quam cum patre Consulatum secundum gereret, quod in his nulla Consulatus mentio fiat.

NUM. 18. 19. 20. 21.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

Vel,

Titus CAESAR IMPerator AUGusti Filius CENSor. Caput Titi laureatum conversum ad lævam.

In altero numo adlato num. 20. omittuntur singularia IMP. & AUG. F. In 21. CAESAR integre scriptum.

Præclaris titulis *Cæsaris*, Imperatoris, Pontificis, addito Tribuniciæ Potestatis honore, in sequentibus numis atque in his etiam Titus CENSOR inscribitur, quæ dignitas ejus meritorum splendorem quam maxime auget quod Censuram cum patre simul gessit, de qua & infra sermo. Declaratus est CENSOR Titus Cæsar a patre suo quum Consulatum secundum cum eo iniret, anno nimirum V. C. 825. C. N. 72. quod & hæc, & numismata alia a Com. Mediobarbo descripta pag. 121. & 122. testantur, quæ hac epigraghe ornantur. T. CAES. VESP. IMP. PONT. TR. POT. COS. II. CENS. Hoc ipso anno ut omnium sibi captaret benevolentiam Titus Congiarium Populo Romano ter dedit, quorum fidem faciunt numismata eodem anno percussa.

NUM. 22. 23.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex Tribunitia POTestate CENSor. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

NUM. 24. 25.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS CENSor. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

Prætermittitur in hoc numo PONT. TR. POT. Huic similis est numus qui sequitur, epigraphe tamen aliter scripta. In singulis hisce numis ad Num. 18. ad 26. Titus CENSOR adpellatur. Quo anno Censoriam dignitatem obtinuerit Titus supra adnotatum est. De hac honorifice meminit Suetonius in Tito c. 6. *Neque ex eo destitit participem atque etiam tutorem Imperii agire. Triumphavit cum patre, CENSURAMQUE gessit una.* Quod vero adtinet ad Titi Tribunitiam Potestatem, quam memorant hi numi Thesauri insignis Morelliani a Num. 12. ad 17. audiendus iterum Suetonius, qui hæc subdit c. 6. *Eidem* (Vespasiano Titus) *collega & in Tribunitia Potestate, & in septem Consulatibus fuit.* Alia paullo post Suetonius recenset munia, quæ idem Titus Cæsar & Censor gessit. *Receptaque ad se prope omnium officiorum cura, quum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in Senatu recitaret etiam Quæstoris vice, Præfecturam quoque Prætorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab Equite Romano administratam.*

NUM. 26.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus CENSor. Caput Titi Cæsaris laurea revinctum, ad lævam versum.

NUM.

NUM. 27. 28.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Imperatoris Titi laureatum, ad lævam conversum.

NUM. 29. 30.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Imperatoris Titi laurea corona redimitum, ad dexteram conversum.

In numis ſuperius adlatis tituli Titi Cæſaris Veſpaſiani recenſentur, tanquam cum patre participis & tutoris Romani Imperii; nunc vero in hiſce numiſmatis, inter ceteros titulos & adpellationes principem locum obtinet *Imperatoris* titulus dignitate ac majeſtate micantiſſimus: quare hinc arguimus hos numos, & ſequentes cuſos eſſe anno V. C. 832. C. N. 79. quo, defuncto parente, ſolus Romani orbis regimen ſuſcepit; quapropter & in his, & in reliquis inferius recenſendis, AUGUSTUS adpellatur, nec non etiam PONTIFEX MAXIMUS. & P. P. hoc eſt *Pater Patriæ*. De ejus Pontificatu maximo hæc ſcribit Suetonius. 9. *PONTIFICATUM MAXIMUM ideo ſe profeſſus accipere, ut puras ſervaret manus, fidem præſtitit; nec auctor poſthac cujusquam necis, nec conſcius, quamvis interdum ulciſcendi cauſa non deeſſet; ſed periturum ſe potius, quam perditurum, adjurans.*

NUM. 31. 32. 33. 34. 35.

Vacant.

TABULA II.
QUÆ PERSEQUITUR
NUMISMATA
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
CUM CAPITIS EJUSDEM
INSCRIPTIONIBUS.

NUM. 36.

Titus CAESAR IMPerator Pontifex COnSul II. Caput ejuſdem Titi laurea cinctum, ad lævam converſum.

Conſulatum ſecundum geſſit Titus cum patre Flavio Veſpaſiano anno V. C. 825. C. N. 72. & una cum eo *Cenſor* fuit, uti numismata quæ in hac Tabula mox ſequuntur teſtantur. In numo, quem Mediobarbus deſcribit p. 121. pro COS. II. ſcribitur COS. ITER. TR. P. In hoc tria congiaria Populo Romano dedit. In hoc quoque Conſulatu AUGUR adpellatus eſt quod teſtatur numus Arſcot. Tab. XXVIII. 12. apud Mediobarbum ita inſcriptus: AUGUR. PON. TR. POT. COS. II. CENS. cujus poſtica præfert tripodem, ſupra quem delphines. Veſpaſianus quoque ſe AUGUREM adpellat in numis argenteis, adpoſitis pro typo vaſis Pontificalibus. Deſcribit Vaillantius numum, cujus emblema eſt corona quercea in cujus medio ſcriptum AUG. quam AUGUR interpretatur, & probabile cenſet hoc munus præſtantiſſimum (quod apud Romanum populum ſumma in veneratione fuit; nam & Romulum Augurem fuiſſe gloriatur Cicero pluribus in locis, qui perpetuo Augures, & Auguralem ſcientiam apud Romanos fuiſſe contendit, de qua plura A. Gellius,) in numis intra querceam coronam declarari voluiſſe; plura enim læta auguria, & ſigna, quæ a Suetonio referuntur in ejus vita c. 5. ejus ad Principatum adventum prænunciarunt, eaque ratione ad ſervandos cives præceſſere. Titi vero frontem declaraſſe eum imperio dignum, & Imperatorem futurum memorat Suetonius c. 2. ubi ait eum in aula cum Britannico ſimul educatum fuiſſe, ac paribus diſciplinis, & apud eoſdem magiſtros inſtitutum. *Quo quidem tempore, ajunt, metopoſcopum, a Narciſſo Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inſpiceret, conſtantiſſime adfirmaſſe illum quidem nullo modo; ceterum Titum, qui tunc prope adſtabat, utique imperaturum.*

NUM. 37.

CAESar VESPASIANus IMPerator Pontifex TRibunicia Poteſtate COnSul II. Caput Titi Cæſaris laureatum ad lævam converſum.

Quod notandum, eſt in hoc numo TITI prænomen omittitur, ut & in 40. Non raro ſingulari nota P. PONTIFEX indicatur.

NUM. 38.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator Pontifex TRibunitia Poteſtate COnSul II. Caput Titi ornatum corona radiata.

Titi

Titi Numiſmata non pauca cuſa in ejus Conſulatu ſecundo & tertio, ut & in reliquis, præferunt ejus imaginem cum inſigni radiatæ coronæ, quod Decus capta vaſtataque Judææ obtinuiſſe a Senatu probabile eſt.

NUM. 39.

Titus CAESAR VESPASIANUS TRibunitia Poteſtate COnSul II. Caput Titi laureatum lævorſum reſpiciens.

NUM. 40.

CAESAR VESPASIANUS TRibunicia Poteſtate COnSul II. Caput Titi Cæſaris dextram verſus reſpiciens.

Omittuntur in his numis Imperatoris, Pontificis, & Tribuniciæ Poteſtatis adpellationes & tituli.

NUM. 41.

Titus CAESAR VESPASIANUS TRibunicia Poteſtate COnSul II. Caput ejuſdem Titi ad lævam converſum, radiata corona ornatum.

NUM. 42. 43.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONtifex TRibunicia POTeſtate COnSul II. Caput Titi Cæſaris in priore laureatum, in altero radiatum, ad lævam converſum.

NUM. 44.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONtifex TRibunicia POTeſtate II. COnSul II. Caput Titi Cæſaris laurea corona revinctum, ad lævam converſum.

In his numis Tribuniciæ Poteſtates Titi Cæſaris numerantur. Numerantur quoque adclamationes Imperii in ſequentibus.

NUM. 45. 46. 47. 48.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator III. PONtifex TRibunitia Poteſtate II. COnSul II. (In ſequentibus tribus numis IMPerator IIII. dicitur.) In ſingulis caput Titi Cæſaris laurea corona cinctum.

NUM. 49. 50. 51.

Titus CAESar IMPerator PONtifex TRibunicia Poteſtate COnSul II. CENSor. (In 51. additur VESPaſianus.) In ſingulis Titi Cæſaris caput laureatum lævam verſus reſpiciens. In numo 50. radiatae coronae inſigne præfert.

NUM. 52. 53.

Vacant.

NUM. 54. 55.

IMPerator Titus CAESAR COnSul III. Caput ejuſdem Titi in priore numo laureatum in altero radiatum ad lævam verſum.

Imperatoris titulus in his numis præponitur. Conſulatum tertium Titus iniit cum patre Veſpaſiano Auguſto Conſule V. anno V. C. 827. C. N. 74. quo Thracia, Cilicia, & Comagene Provinciæ factæ, teſte Suetonio in Veſpaſiano c. 8. *Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate ademta, item Thraciam, Ciliciam & Comagenen, ditionis regiæ uſque ad id tempus, in provinciarum formam redegit.*

NUM. 56. 57.

Titus CAESAR IMPerator COnSul III. CENSor. Caput Titi in priore numo laurea, in altero radiata corona ornatum.

NUM. 58. 59.

Titus CAESAR (in aliis CAESar VESPaſianus) Imperator PONTifex TRibunicia Poteſtate COnSul III. CENSor. Caput Titi in priore numo laureatum, in altero radiatum.

NUM. 60.

IMPerator Titus CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriae COnSul III. Caput Titi Caeſaris laurea præcinctum.

Prætermittitur in hoc numo, & in aliquot ex ſequentibus, CENSOR. Sed in hoc & in ſequentibus non paucis præclariſſima PATRIS PATRIÆ adpellatio accedit. Horum igitur numiſmatum fide & auctoritate diſcimus, Titum hanc adpellationem *Patris Patriæ* adſumſiſſe in Conſulatu ſuo tertio, eamque in Conſulatu ſuo primo & ſecundo non adhibuiſſe. Quamvis numus apud Vaillantium Tom. I. Num. Præſt. pag. 30. cum epigraphe in averſa parte CONCORDIA EXERCITUUM. oſtendat Veſpaſianum Patrem admiſiſſe in priore ſuo Conſulatu auguſtum *Patris Patriæ* elogium; tamen in numis cuſis in reliquis ſuis Conſulatibus frequenter occurrit; nec verum eſſe id quod Suetonius in ejus vita ſcribit c. 12. comperimus, ſero eam adpellationem recepiſſe. *Ac ne Tribunitiam quidem Poteſtatem, & PATRIS PATRIAE adpellationem niſi ſero recepit.* Id potius ſcribendum fuerat de Tito, qui hanc adpellationem, uti hæc numiſmata oſtendunt, nonniſi ſero, & quidem in Conſulatu ſuo tertio adſumſit. Neque ſolum Titus *natura benevolentiſſimus* patriam tamquam Pater dilexit; ſed etiam ci-

vium parentem se præstitit quum fortuita ac tristia quædam sub eo adcidissent, ut conflagratio Vesevi montis in Campania, & incendium Romæ per triduum, totidemque noctes, item pestilentia quanta non temere alias. *In his* (inquit Suetonius) *tot adversis, ac talibus, non modo Principis solicitudinem, sed & PARENTIS adfectum unicum præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.*

NUM. 61.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS AUGustus COnSul III. Caput Titi laureatum lævorsum respiciens.

Frequentius in numis Titi, Consulatu ejus tertio, quarto ac reliquis, AUGUSTI titulus occurrit, in pluribus omittitur.

NUM. 62. 63.

Titus CAESAR IMPerator COnSul IIII. Caput Titi in priore numo laurea ornatum, in altero radiatum, in utroque ad lævam conversum.

Consulatum quartum gessit Titus Cæsar anno V. C. 828. C. N. 75. in quo collegam habuit parentem suum Flavium Vespasianum Imperatorem. In hoc anno, ut adnotat Mediobarbus, Berenicen Reginam ejus amoribus insignem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur, ab Urbe dimisit, invitus invitam.

NUM. 64. 65.

Titus CAESar VESPASIANus (in aliis VESPasianus AUGustus) IMPerator TRibunicia Potestate COnSul IIII. Caput Titi in priore numo laureatum, in altero radiatum, ad lævam conversum.

NUM. 66.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. Caput ejusdem Titi laureatum ad lævam versum.

Mirari subit inscriptiones horum numismatum legenti, in quibus quartus Titi Consulatus scribitur, dum in hoc *Pontifex Maximus* adpellatur, in reliquis vel hic titulus omittitur, vel tantum PONT. *Pontifex* dicitur. Ceterum & apud Mediobarbum describitur numus cum hac epigraphe: IMP. T. CAESAR. VESP. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. cujus typus Felicitas cum caduceo & cornu copiæ: FELICITAS PUBLICA. S. C. Congiarium ab eo datum quum Pontifex Maximus adpellatus esset, indicat numus Musei Moscardi apud Com. Mediobarbum pag. 121. cum hac epigraphe: CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. S. C. quem idem Mediobarbus sub ejus Consulatu II. ponit.

NUM. 67. 68.

Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul IIII. CENSor. Caput Titi Cæsaris in priore numo laureatum, in altero radiata corona insigne.

Hi numi CENSORIS titulum præferunt, & in principio prætermittitur *IMPeratoris* adpellatio, quæ in sequenti numo, & in 66. non deest.

NUM. 69.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus PONTifex TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul IIII. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

In hoc numo Titus PONTifex tantum scribitur non vero PONT. MAX. ut in reliquis, & deest CENSORIS titulus.

NUM. 70.

Vacat.



TA-

TABULA III.
QUÆ PERSEQUITUR
INSCRIPTIONES ET CAPITA
IN NUMIS
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
EXPRESSA.

NUM. 71. 72.

Titus CAESAR IMPerator COnSul V. Caput Titi Cæsaris in priore numo laureatum, in posteriore radiatum.

Cum patre Flavio Vespasiano septimum Consule, Titus iniit Consulatum suum quintum anno V. C. 829. C. N. 76. quo tempore spolia Hierosolymitana in Templo Pacis collocata sunt.

NUM. 73. 74. 75.

Titus CAESar VESPASIANus (IMPerator PONTifex) TRibunicia POTestate COnSul V. Caput Titi laureatum praeterquam in 74. in quo radiatum; in singulis ad laevam conversum.

NUM. 76.

Vacat.

NUM. 77. 78.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator TRibunitia Potestate COnSul VI. Caput Titi in priore laureatum, in altero radiata corona cinctum; in utroque ad laevam versum.

Cum patre octavum Consule Titus Consul sextum fuit anno V. C. 832. C. N. 77.

NUM. 79.

Titus CAESAR IMPerator AUGusti Filius Tribunitia Potestate COnSul VI. CENSOR. Caput Titi radiatum laevorsum versum.

NUM. 80.

Titus CAESar IMPerator PONTifex TRibunitia Potestate COnSul VI. CENSOR. Caput Titi laureatum ad laevam respiciens.

In priore numo additur Augusti Filius; in altero deest, sed ejus loco succedit PON. *Pontifex.*

NUM. 81.

Titus CAESar IMPerator AUGusti Filius TRibunitia Potestate COnSul VI. CENSOR. Caput Titi laureatum ad laevam conversum.

NUM. 82.

Titus CAESAR VESPASIANUS TRibunitia Potestate COnSul VI. Caput, ut supra, laureatum.

NUM. 83.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate Pater Patriae COnSul VI. Caput Titi laureatum, ut supra.

NUM. 84.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator Pontifex TRibunicia Potestate COnSul VI. Caput Titi laureatum, ut supra.

NUM. 85.

Vacat.

NUM. 86. 87. 88. 89. 90.

IMPerator Titus CAESar (in aliis CAESAR) VESPasianus (sive VESPASianus) AUGustus sive AUGusti Filius Pontifex Maximus TRibunitia Potestate COnSul VII. (in numo 87. additur P. P. Pater Patriae.) In singulis Titi caput laureatum praeterquam in 88. in quo radiata ornatur corona, ad laevam conversum; ut in 90. ad dextram respiciens.

Septimum Consulatum gessit Titus cum patre nonum Consule anno V. C. 832. C. N. 79. quo quidem anno Vespasianus decessit VIII. Kalendas Julias annum gerens ætatis sexagesimum ac nonum superque mensem & diem septimum teste Suetonio c. 24. Hoc anno spectacula in Amphitheatro & Naumachiam a Tito editam, fusius describit Dio Lib. LXVI. De his hæc Suetonius in Tito c. 7. *Et tamen nemine ante se munificentia minor, amphitheatro dedicato, thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit adparatissimum largissimumque. Dedit & navale proelium in veteri Naumachia, ibidem & Gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.*

N u m. 91. 92. 93. 94. 95.

IMPerator Titur CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate (in numo 95. additur P. P. Pater Patriae) COnSul VIII. Caput Titi laureatum in 91. & 92. in reliquis radiata corona insigne; in 91. & 93. ad laevam conversum, in reliquis ad dexteram.

Titus in Consulatu suo VIII. quem gessit anno V. C. 833. C. N. 80. collegam habuit fratrem suum Domitianum Cæsarem jam septimum Consulem. Hoc anno incendium Romæ maximum contigit, quo Agrippæ Balnea, Isidis & Serapidis Fana, Septa, Templum Neptuni, & Templum Jovis Capitolini conflagrarunt.

N u m. 96. 97. 98. 99. 100.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate Pater Patriae COnSul VIII. (in 99. TITUS.) In singulis Titi Imperatoris Caput laureatum praeterquam in 98. & 100. in quo radiata corona decoratur; & ad laevam versum, praeter quam in 97.

N u m. 101.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IX. Pater Patriae COnSul VIII.

N u m. 102.

Vacat.

N u m. 103. 104.

DIVO TITO. Caput Divi Vespasiani corona radiata cinctum ad laevam conversum: in altero 104. paludamento ad pectus ornatur.

N u m. 105.

DIVUS TITUS. Caput Vespasiani ad dexteram versum, quod laurea corona redimitur.

Hæc numismata in memoriam Vespasiani patris inter divos relati dedicavit Titus Cæsar Imperator. Vivens quoque Deorum consortio dignum se censuit Vespasianus. Suetonius c. 23. in ejus vita: *Prima quoque morbi adcessione; Ut, inquit, puto DEUS fio.*

TABULA IV.

QUÆ EXHIBET

NUMISMATUM GRÆCORUM

IMP. CAES. TITI VESPASIANI

CAPITA ET INSCRIPTIONES.

N u m. 106.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR TITUS CAESAR.*) *Caput Titi laureatum ad laevam conversum.*

N u m. 107. 108. 109.

ΑΥΤΟΚΡ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ (*IMPERATOR TITUS CAESAR.*) *Caput Titi Caesaris laureatum ad laevam conversum.*

Nil

Nil peculiare horum numorum Inſcriptiones nobis exhibent. Variant tamen loca quæ eædem occupant. In 109. integra ſcriptura ſcultum ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ.

N U M. 110.

ΤΙΤΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. (*TITUS CAESAR.*) *Caput ejuſdem laurea redimitum, ad dexteram converſum.*

N U M. 111.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*IMPERATOR TITUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput ejuſdem laureatum, ut ſupra.*

N U M. 112.

ΑΥΤΟΚΡάτορος ΚΑΙϹαρος ΤΙΤΟΥ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. (*IMPERATORIS CAESARIS TITI VESPASIANI.*) *Caput Titi ad laevam reſpiciens, laurea corona redimitum.*

N U M. 113.

ΑΥΤοκράτωρ ΤΙΤος ΦΛΑΥΙȣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝȣ ΚΑΙΣΑΡ. Lυκάβαντος Α. (*IMPERATOR TITUS FLAVII VESPASIANI*) (*Filius*) *CAESAR ANNO I.*

Percuſſus eſt hic numus in Aegypto, apud Alexandrinos, anno primo.

N U M. 114.

ΑΥΤΟΚΡατωρ ΤΙΤΟϹ ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒΑϹΤΟϹ. (*IMPERATOR TITUS VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Titi laureatum, ad laevam converſum.*

N U M. 115.

ΑΥΤΟΚράτορος ΤΙΤΟΥ ΚΑΙΣαρος ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΣΕΒαςȣ. (*IMPERATORIS TITI CAESARIS VESPASIANI AUGUSTI.*) *Caput ejuſdem Titi, ut ſupra.*

N U M. 116.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*AUGUSTUS.*) *Caput Titi laurea redimitum ad laevam converſum, ante eum columella.*

N U M. 117.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*AUGUSTUS.*) *Caput Titi laurea redimitum ad dexteram converſum, ante eum columella.*

Effigies procul dubio eſt Titi, qui AUGUSTUS tantum, omnibus aliis titulis omiſſis, inſcribitur. Columna aliquod decus, vel templum in ejus honorem conditum forſitan deſignat, quod expendendum. Quod vero hi numi cum ſingulari hoc titulo ΣΕΒΑΣΤΟΣ, AUGUSTUS, magnam Titi laudem complectantur, conjicere mihi liceat Syriæ populos, qui ejus virtutem ſpectarunt, eum cum Augusto comparaſſe, ut tanti Imperatoris virtutem extollerent quod innuit Zonaras Annal. Tom. II. hæc de Tito ſcribens; *Cum longævitate Auguſti comparatur, quod nec is adamatus eſſet, ſi pauciores annos vixiſſet; nec hic, ſi plures: quod ille principio propter bella & ſeditiones aſperior, longo illo ſpatio beneficentia inclaruit: hic moderate geſto Imperio, in ipſo gloriæ faſtigio deceſſit; quod ſi diu vixiſſet, crimini dari forte potuiſſet, eum majore fortuna, quam virtute uſum fuiſſe.* Columna illa integra, ac ſuis partibus abſoluta, ad imperii tutelam, quam ipſe virtute ſua firmavit, & in Latinis numis memoratur, referri poteſt. Adnotanda eſt forma quadrata litteræ Σ pro Ϲ, vel ut in aliis jam editis C.

N U M. 118.

ΑΥΤΟΚρατωρ ΚΑΙΣΑΡ ΤΙΤΟΣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝος. (*IMPERATOR CAESAR TITUS VESPASIANUS.*) *Caput Titi laureatum ad lævam converſum.*

N U M. 119.

ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤος ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. (*TITUS CAESAR AUGUSTUS* (*ſive AUGUSTI F.*) *VESPASIANUS.*) *Caput Titi laurea redimitum, ad laevam reſpiciens.*

N U M. 120.

ΑΥΤΟΚρατορος ΤΙΤΟΥ ΚΑΙΣαρος ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ ΣΕΒαςȣ. (*IMPERATORIS TITI CAESARIS VESPASIANI AUGUSTI.*) *Caput Titi radiata corona inſigne, ad laevam verſum.*

N U M. 121.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΤΙΤΟΣ ΣΕΒαςȣ ΥΙΟΣ ΥΠΑΤος Ε. (*IMPERATOR TITUS AUGUSTI FILIUS CONSUL V.*) *Caput ejuſdem Titi laureatum, converſum ad laevam.*

N U M. 122. 123. 124. 125.

Cum reliquis vacant.

TABULA V.
QUÆ EXHIBET
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
NUMISMATA AUREA
A CELEB. ANDR. MORELLIO
SIVE NON DEPICTA, SIVE DEPERDITA
CURA ET STUDIO
ANT. FRANCISCI GORI
SUPPLETA PRÆSERTIM EX SCHEDIS MORELLIANIS
ET OBSERVATIONIBUS ILLUSTRATA.

LECTORI SUO
ANT. FRANCISCUS GORIUS.


Aud credibile est, Præstantissimum ANDREAM MORELLIUM, insignis hujus Thesauri Numismatum priorum XII. CAESARUM parentem, non delineasse ac pinxisse ea cum aurea, tum etiam argentea, quæ ad TITUM CAESAREM pertinent. Aurea Numismata non pauca, ipsum MORELLIUM vidisse in compluribus Museis, & descripsisse peraccurate, testantur ejus Adversaria, & Schedæ, quas diligenter sibi exscripsit Vir Celeberrimus Philippus Lib. Baro DE STOSCH, & facili, ut solet, humanitate mecum communicavit, quibus in sequenti recensione usus sum. Autographas igitur MORELLIANAS picturas, fato nescio quo, distractas periisse, verisimile est; certe studiose quæsitæ inveniri minime potuerunt. Aurea igitur Titi Numismata & argentea ab Occone, & a Mediobarbo Comite descripta, in meliorem ordinem redegi. Sed & Honestissimi Viri Jacobi WETSTENII a Cultoribus eruditæ Vetustatis omni laude ornandus est animus, propensaque semper ad juvanda litterarum studia egregia voluntas, qui, me hortante, noluit hæc Numismata prætermitti, & ut hic MORELLIANUS THESAURUS omnibus numeris esset absolutus, nullis parcens sumtibus ac laboribus, rogavit, ut a me describerentur, explicarenturque, & quæ αὐτόπτης videre possem, pingenda curarem, quod ea qua potui diligentia confeci.

NUM. I.

Titus CAESAR VESPASIANUS. Caput Titi.

ANNONA AUGusta, sive AUGusti. Femina sedens, manu tenens praecinctorium frugibus plenum.

Testatur hic perrarus numus Titum, Romæ fame laboranti frumentum parasse, & in urbem misisse, quum Cæsar a patre declaratus esset. Hoc beneficium, de quo silet Suetonius, hoc numo indicari monet Celeberrimus Comes Mediobarbus, quem etiam describit pag. 119. Nec semel id fecisse Titum, docet antiquum marmor Romæ inventum in Hortis Palatinis, quod editum est in Gruteriano Thesauro pag. CCXLIV.

CCXLIV. & adferre lubet, ex Panvinii fide:

IMP. T. CAESARI
DIVI. F
VESPASIANO AUG
PLEBS. URBANA
QUAE. FRUMENTUM
PUBLICUM. ACCEPIT
ET. TRIBUS

Hinc colligimus Titum non tantum primo anno Imperii Vespasiani Augusti Urbem annona sublevasse, ut docet hic numus; sed &, parente vita functo, quum Orbis Romani regimen feliciter suscepisset, publice frumentum Plebi Urbanæ, & Tribubus largitum. Id ipsum præstitum eodem tempore, nempe initio imperii sui a Vespasiano, numi aurei, grati animi causa signati, apud Mediobarbum testantur, cum eadem epigraphe ANNONA AUG. pag. 108. quorum typus, Femina sedens; dextra sellæ innixa, quæ sinistra spicas gerit. Adcedit de hujusmodi annonæ providentia, & opportuno subsidio Taciti testimonium Histor. Lib. IV. *Tum* (Vespasianus) *celerrimas navium mari committit; quippe tanto discrimine Urbs nutabat, ut decem haud amplius dierum frumentum in horreis fuerit, quum a Vespasiano commeatus subvenere.* Eodem tempore Titus quoque, teste hoc numo, nutanti ac fame laboranti urbi subvenit, ac suppetias cura sua ac vigilantia tulit; quare aurea Numismata in tanti beneficii memoriam Romæ edita sunt. Describitur hic numus aureus ab Occone pag. 103. & a Mediobarbo, pag. 109. percussusque, ut dixi, censetur anno V. C. 822. J. C. 70. uti alter Vespasiani descriptus. Describitur etiam in Museo Theupolo, & in eo exstat, pag. 147. in Serie II. Exstant quoque numi ex ære Senatus consulto percussi in Consulatu Titi secundo, & octavo, cum eodem typo: ANNONA AUG. de quibus infra; & in Museo Theupoliano, (quod notandum) mulier sedens sinistrum pedem naviculæ seu rostro navis imponit, ut frumentum Romam advectum notet, qui numus S. C. editus est ejusdem Titi Consulatu VI. Ex quibus liquet omnibus imperii tum Patris, tum sui annis, Titum solicite annonam curasse, quod etiam in Vespasiani aureo numo indicavit Cl. Havercampus Tab. V. n. 32. pag. 273. & 373.

NUM. 2.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus (in al. VESPASIAN.) Caput Titi laurea corona cinctum.

JUDaea CAPta. Duae figurae, captivorum more ad tropaeum sedentes & lugentes.

Luctuosam Judææ captæ cladem revocat in memoriam hic numus cum sequenti, quos percussos reor in honorem Titi postquam Romam rediit, & forsitan vel paullo ante, vel post quam de Judæis deletis, magnificentissimum cum patre egit triumphum, quem luculenter describit Flavius Josephus Lib. VII. Belli Judaici Cap. V. 5. Describitur a Com. Mediobarbo pag. 120. ex Numis Arscotianis Tab. XXX. num. 10. Describitur & in Schedis Morellianis & Stoschianis.

NUM. 3.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus, (in al. VESPASIAN.) Caput Titi laureatum.

JUDAEA DEVICTA. Victoria scribens in clypeo.

Hunc, & superiorem numum Celeb. Comes Mediobarbus revocat ad annum V. C. 824. J. C. 71. quo percussos censet. Victoria laudes, & præclara gesta Titi, quod Judæam devicerit, scribit in clypeo; quod decus summi Imperatores, etiam apud Græcos, consequebantur, rebus bene gestis, fusis deletisque hostibus; qui clypei ita scripti in templis Deorum subspendebantur. Hic numus exstat in Museo Mauroceno, quem describit Patinus Cap. II. pag. 11. & ex eo Mediobarbus pag. 120. Eadem numorum emblemata & in argenteis occurrunt.

NUM. 4.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONTifex TRibunitia POTestate.

Sine epigraphe. Judaeae captivae sedentis & lugentis typus.

Tum hic, tum superior numus eodem fere tempore Romæ percussi videntur ad augendam Titi nominis claritudinem ac famam; quæ qualis ac quanta fuerit paucis indicat Tacitus Hist. Lib. V. in principio: *CAESAR TITUS perdomandæ Judææ delectus a patre, & privatis utriusque rebus militia clarus, majore tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum, & exercituum studiis: atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promtumque in armis ostendebat, comitate & adloquiis officia provocans: ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto Ducis honore.* Memorat Flavius Josephus de Bello Jud. Lib. VII. Cap. V. Titum, quum in itinere Hierosolyma venisset, tristemque ejus solitudinem cum antiquæ civitatis splendore, & magna opulentia compararet, dejectorumque operum magnitudinem, & veterem pulcritudinem in memoriam revocaret, miseratum esse principis civitatis exscidium. Memorat etiam Judæorum captivorum indicio Romanos, pretiosa quæque ob incertam belli fortunam, in terra abscondita, aurum & argentum multum, Romanos effodisse. Describitur hic numus ab Occone p. 104. & a Mediobarbo p. 120.

NUM. 5.

Titus CAESAR IMPeratoo VESPasianus. (In altero: Titus CAESar IMPerator VESPASIANus.) Caput Titi laurea redimitum.

AETERNITAS. Dea stans, manibus praefert capita Solis & Lunae.

Adparet ex alio Vespasiani numo aureo, ornato eodem typo, & epigraphe, hunc in honorem Titi percussum fuisse initio imperii

rii sui, quum a parente consors imperii declaratus est. Horum Principum imperium quum a Romanis laude dignum censeretur, restituta in pristinam dignitatem ac libertatem Republica, idcirco *Aeternitatem* tum Imperio Romani Orbis, tum ejus moderatoribus precati, hoc monumento declararunt. Femina, sive eadem Aeternitas Dea, pro symbolis præfert capita Solis, & Lunæ, quæ sidera æterna censebantur; quod, præsertim penes Poëtas, est frequentissimum ex Aegyptiorum & Phoenicum opinione; putabant enim eos, ut & Mundum, sine principio, de qua re Horus Apollo. Ad rem nostram faciunt, quæ Virgilius Aeneid. Lib. IX. vs. 447.

Nulla dies unquam memori nos eximet ævo,
Dum Domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Adcolit, imperiumque pater Romanus habebit.

Et Aeneid. Lib. I. vs. 278. ubi Jovem Romano imperio æternitatem promittentem inducit:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi. ——— ———

Prior numus exstat a Co. Mediobarbo descriptus pag. 119. alter vero exstabat anno MDCCXLV. in Museo D. De Lene Lugd. quem in suis Adversariis descripsit V. C. Philippus Lib. Baro de Stosch. Occurrit idem typus & in numis argenteis ejusdem Titi.

NUM. 6.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus (alii VESPASIANus.) Caput Titi laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria, dextra lauream, sinistra palmam gerit.

Mediobarbus Comes hunc numum describit pag. 119. sed, ni fallor, a typographo erratum est in epigraphe: VICTORIA AUGUS. pro VICTORIA AUGUST. In memoriam devictorum a Tito hostium cusus videtur; nam complures Victorias consecutus est Titus, antequam Hierosolymam subverteret, quod contigit ad Cl. VIII. Septembris anni 823. De his meminit Suetonius in ejus vita c. 4. *Taricheam, & Gamalam, urbes validissimas Judææ, in potestatem redigit.* Omnium vero clarissima & memorabilis ea fuit, quam subactis Judæis obtinuit. Harum igitur in memoriam percussus hic numus videtur, quem etiam profert Rod. Occo pag. 103. Quæ laudes Vespasiano patri tribuuntur propter Victorias subactis populi Romani hostibus, eædem & Tito tribuuntur, uti numismata testantur. Exstat in Gruteriano Thesauro ara marmorea grandis ita inscripta p. CCXLIII. 1.

VICTORIAE
IMP. CAESARIS VESPASIANI
AUGUSTI
SACRUM &c.

NUM. 7.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunitia Potestate. Caput laureatum Titi.

In area numi: VICtoria AUGusti. Victoria globo pedibus insistens, dextra extenta lauream coronam, sinistra palmam præfert.

Inter numismata aurea Vespasiani alterum exstat cum hoc ipso typo, quod vide superius in Tab. VI. num. 3. explicatum a Cl. Havercampo pag. 278. qui typus & in numis quoque argenteis occurrit. Præfert etiam Vespasiani Consulatum IV. qui incidit in annum V. C. 825. J. C. 72. circa quod tempus, vel facile præcedenti anno percussus est hic numus in honorem Titi, ob devictos profligatosque Judæos Romani nominis hostes, partamque sibi immortalem gloriam. Globo Romani Imperii symbolo insistit Victoria, ut ostendat Romanorum Imperium Titi virtute firmatum, nomenque ejus ubique gentium amplificatum. Hunc ipsum numum adfert eximius Jo. Petrus Bellorius in Adnot. in XII. priorum Cæsarum Numismata Tab. Num. ex auro num. 5. pag. 73. Describitur etiam a Com. Mediobarbo pag. 120. & ad annum V. C. 824. J. C. 71. refertur, quo Titus Romam rediit, & de Judæis cum patre triumphavit. Occurrit etiam & in argenteis Titi numis idem typus.

NUM. 8.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia POTestate.

Sine epigraphe. Quadrigæ triumphales.

Numisma hoc aureum, cujus typus quadrigæ triumphales vacuæ, docet, Tito, quod superatis deletisque Judæis, famosæ Urbi, ut verbis utar Taciti Histor. Lib. V. c. 1. supremum diem induxisset, æternum ejus bellicæ virtutis monumentum, decretum fuisse triumphum, quem duceret, Romam victor reversus. Egregie Tacitus Hierosolymorum eversionem ob oculos ponit, & prædicat invictum Titi robur, qui ad perdomandam Judæam a patre relictus fuerat; nam inter cetera scribit c. 11. *Ipsi TITO Roma, & opes, voluptatesque ante oculos: ac ni statim Hierosolyma concíderent, morari videbantur.* Nec dubitandum Romæ, præter triumphum, & alios honores Tito decretos, quum & in aliis urbibus, & quidem Interamnæ statuam in ejus honorem positam doceat hæc Inscriptio, dummodo genuina sit, adlata in Gruteriano Thesauro p. CCXLV. 1. ob Judæos Populi Romani hostes sublatos.

PROVIDENTIAE. TITI. CAESARIS. NATI
AD. AETERNITATEM. ROMANI
NOMINIS. SUBLATO. HOSTE. PER
NICIOSISSIMO P. R
FAUSTUS. TITIUS. LIBERALIS
VI. VIR. AUG. ITER. P. S. F. C

Describitur hic numus ab Occone pag. 104. & ex eo a Com. Mediobarbo pag. 120.

NUM. 9.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia POTestate. Caput Titi ornatum laurea corona, sinistrorsum versum.

NE-

NEPtuno REDuci. Neptunus dextro pede globum calcans, dextra acrostolium, sinistra hastam tenens.

Adservatur elegans hic numus in serie aureorum Numismatum in Museo Marchionum Nicoliniorum Florentiæ. Exstat etiam hodie in in Museo Fridericiano, olim in Gunteriano ex schedis Morellianis. Describitur ab Occone pag. 102. & a Comite Mediobarbo p. 120. Idem typus occurrit in numismate aureo Vespasiano dedicato, quod superius vide in Tab. V. Num. 24. quod luculenter illustratur a Celeb. Viris Tristano, & Havercampo pag. 273. & 274. In ea tamen sententia sum, ut putem spectare ad vota Romæ facta Neptuno, ut Titum salvum, & incolumem Romam reduceret, *spoliis Orientis onustum*; nam constat, ex Syria & Judæa reversum, rebus Alexandriæ conpositis, maritimo itinere Romam profectum esse, teste Josepho Lib. IV. de Bello Judaico, Cap. ult. De hoc itinere audiendus etiam Suetonius, qui postquam eum Alexandriam petiisse, & apud Memphim consecrasse bovem Apidem, capite diademate ornato, more rituque priscæ religionis, narravit, hæc adjicit cap. 7. *Quare festinans in Italiam, quum Rhegium, dehinc Puteolos oneraria nave adpulisset, Romam inde contendit expeditissimus, inopinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem: Veni (inquit) Pater, veni.* Idem typus & in argenteis Titi numis obvius est.

NUM. 10.

Titus CAESAR VESPASIANUS. In alio: Titus CAESAR VESPASIANUS TRibunitia POTestate. Caput Titi.

CERES AUGUSTa. Femina stans, dextra spicas & papaver, sinistra hastam gerens.

Idem typus occurrit in numis æreis tum Vespasiani, tum Titi, quos describit Mediobarbus; sed in Vespasiano adnotatus Consulatus tertius, & in duobus aliis numis post ejus obitum cusis, in quibus DIVUS adpellatur. In aliis Titi æreis adnotatus legitur ejus Consulatus VIII. ex Museo Theupolo Ser. III. pag. 424. Hos vero aureos numos adfert Adolphus Occo p. 103. edit. Plantin. qua utor. Quia vero in altero adnotatam exponit Titi Tribunitiam Potestatem; hinc evincitur mense Julio anni ab V. C. 824. J. C. 71. cusum fuisse, quo Romam rediit, & cum patre de Judæis triumphavit, donatus Tribunitia Potestate, & Pontifex adpellatus, uti adlati ab eodem Mediobarbo numi testantur pag. 120. Cererem vero in numis sculptam, ad indicandum frumentum inopiæ vel fami Romanorum sublevandæ, a Tito advehi jussum, non moror. Dea enim *Frugifera*, & frugum omnium creatrix, habita est; nam, ut ait Ovidius, Metamorph. Lib. V. vers. 341.

Prima CERES curvo glebam dimovit aratro;
Prima dedit fruges alimentaque mitia terris.

Idem typus occurrit & in numis argenteis ejusdem Titi Cæsaris. Hic vero aureus numus descriptus est a Cl. Morellio in suis Schedis, & in Stoschianis.

Tom. II.

NUM. 11.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum sinistrorsum versum.

PAX AUGUSTi. Figura muliebris stolata in cathedra sedens; dextrâ olivæ ramum, sinistrâ hastam transversam tenet.

Hic numus elegans, & integræ notæ a me visus, in museo Marchionum Nicoliniorum Florentiæ adservatur. Exstat etiam hodie in Museo Fridericiano, olim Principis Antonii Gunteri ex schedis Morellianis & Stoschianis, & Romæ inter Cimelia Antonii Borionii, uti me monuit V. C. Ridol. Venutus. Cælatus videtur hic numus, quemadmodum & sequentes, qui Pacis typo ornantur, ad optatam Pacem declarandam, qua Vespasianorum virtute, consilio, & rebus domi forisque præclare gestis, Romani fruebantur, exstinctis ante hos Principes regnantibus immanissimis Tyrannis, adserta Libertate Populi Romani, servatis civibus, restituto pristino gloriæ & Romanæ majestatis splendore, Judæorum natione perdomita, rebus compositis, prolatis imperii finibus; qua propter tunc tranquilla pace Romanus orbis fruebatur & quiescebat. Quæ bona, profecto maxima, quum Romani non tantum Vespasiano, sed etiam Tito tribuerent, nil mirum si horum beneficiorum monumenta tam frequenter in numis aureis, argenteis, æreisque ex omni modulo testati sunt. Describitur hic numus ab Occone p. 103. & a Mediobarbo p. 121. & in Museo Theupoliano exstat Ser. II. pag. 148.

NUM. 12.

TItus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunitia POTestate. Caput Titi laureatum.

PAX AUGusti. Figura stans, dextra caduceum supra tripodem, sinistrâ innixa columnæ, lauri ramum tenet.

Adservatur hic numus egregius in Museo Theupoliano, & describitur in Serie II. pag. 148. Cusus est in memoriam Pacis, quam Titus, auspice Vespasiano patre, universo orbi fecit, de qua hæc in medium adfero ex Orosio Lib. VII. *Omnibus bellis, ac tumultibus domi forisque compressis, PACEM TOTIUS ORBIS pronunciaverunt, & JANUM GEMINUM obseratis cohibitum claustris, sextum demum ipsi, post Urbem conditam, censuerunt.* Repetitur hic typus & in argenteis & in æreis numis. Describitur in Morellianis Schedis, & in Stoschianis.

NUM. 13.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS CENSor. Caput Titi laurea redimitum.

PAX AUGusti. Figura sacrificans.

Xx Recen-

Recensetur hic numus aureus singularis ex Occone p. 121. a Com. Mediobarbo p. 121. De Titi Censura, dicam inferius; quæ cum jungatur secundo ejus Consulatui, incidit in annum V. C. 825. J. C. 72. quo hic numus cusus videtur. Titi Pietatem & Religionem, ut opinor, declarat hic numus, in quo sacrificans mulier innuit Titum ad Deos retulisse donatam Romano Orbi Pacem exoptatissimam, & suarum victoriarum gloriam, quod & Philostratus testatur in Vita Apollon. Lib. VI. c. 14. *Finitimæ gentes, ob victoriam, coronare ipsum voluerant; ille vero tali honore indignum se esse respondit: non enim se esse talium operum auctorem; sed Deo iracundiam contra Judæos demonstranti, suas manus præbuisse.*

NUM. 14.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor Pater Patriæ.

PAX AUGusti, sive AUGusta. Figura stans, dextra caduceum protendit super aram, in qua pars hostiæ cæsæ; sinistro cubito columnæ innixa cum ramo.

Diversus est hic typus eximii numi a duobus paullo supra editis, quem ex Tristano Tom. I. p. 297. describit Mediobarbus p. 121. Composito orbe, sacra cum gratiarum actione fecisse Titum ex his discimus. Caduceus tum Paci tum Felicitati convenit, bonorum, quæ Pacem sequuntur insigne ac symbolum. In antiquo marmoris fragmento in Thesauro Muratoriano p. CCXXIX. 2. Titus CONSERVATOR. PACIS. AUG. dicitur.

NUM. 15.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

PACI PERPETuæ. Figura stans columnæ nixa, dextra caduceum, sinistra gerit oleæ ramum.

Adfert hunc numum Mediobarbus pag. 121. ex Arscot. Tab. XXVIII. n. 6. Parta Orbi Pace perpetua, meruit Titus ut in publicis hisce monumentis tantum beneficium memoraretur: quod & factum ad Vespasiani gloriam, testantibus numis in ejus honorem percussis, in quibus PAX ORBIS TERRARUM, itemque *Perpetua* & *Aeterna*, & *Augustorum* adpellatur. Memoratur etiam Pacis Templum longe magnificentissimum in hanc memoriam conditum, & Donariis cumulatum. Huc pertinet marmorea prægrandis basis in Gruteriano Thesauro adlata p. CCXXXIX. quæ Paci æternæ partæ auspiciis Vespasianorum Principum dedicata est, & hæc habet:

PACI. AETERNAE
DOMUS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AUG
LIBERORUMQ. EJUS
SACRUM
TRIB. SUC. JUNIOR

In sinistro basis latere dedicationis tempus indicatur

DEDIC. XV. K. DEC
L. ANNIO. BASSO COS
C. CAECINA. PAETO.

NUM. 16.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum.

PONTIFex TRibunitia POTestate. Figura muliebris insistens basi, dextra temonem, sinistra cornu copiæ tenet.

Exstat hic numus in Museo Theupoliano, descriptus in Ser. II. pag. 148. Romano Orbe composito, ad omnia bona, quæ Titi virtute, prudentia, optimoque regimine consecuta sunt, declaranda, expressus hic numus videtur, ut supra monebam. Titus statim ac a patre Imperatoriæ majestatis particeps factus est, non destitit etiam *Tutorem Imperii agere*, uti narrat Suetonius in ejus vita c. 6. Huc pertinent, quæ scribuntur ex Suida in Excerptis: *Huic* (Tito) *omnia ex sententia successerunt, Fortuna etiam suffragata:* & mox: *Pleraque omnia suapte Providentia tractavit.* Figura illa muliebris, sive Dea insistens cippo, quum pro symbolis gerat temonem & copiæ cornu, fortasse Principis Fortunam, vel Providentiam designat. Descripsit hunc numum & ipse Cl. Andreas Morellius ex cujus autographis Schedis, quas vidit, apographum sibi confecit V. C. Philippus Lib. Baro de Stosch, quod mecum humanissime communicavit. Adfertur in Gruteriano Thesauro p. CCXLV. 1. ara PROVIDENTIAE Titi dedicata.

NUM. 17.

Anticæ partis epigraphe eadem ut supra num. 2. & 3. Caput item Titi laureatum.

Posticæ quoque partis eadem inscriptio: PONTIF. TR. POT. Femina insistens cippo, dextra temonem, sinistra cornu copiæ.

Mediobarbus duos numos aureos cum hoc typo describit p. 110. nisi quod in altero Figuram cippo insistentem facit, uti etiam Occo pag. 105. in altero vero instantem cippo indicat; & hunc exhibet ex Numis Arscotianis Tab. XXVIII. num. 11. Opinor, esse unum eumdemque numum. Hoc emblemate declaratum arbitror, Titi imperium optimo justoque regimine firmum, felix, faustumque esse, & rerum omnium copia abundantissimum, ac tranquillissimum.

NUM. 18.

In utraque numi hujus facie iidem typi, & eædem inscriptiones ut in superiore num. 17. leguntur.

Figura mulieris sedens, sinistra hastam, dextra gerit ramum trifolium.

Descri-

Describitur hic numus a Comite Mediobarbo inter aureos pag. 120. ex Numis Arscotianis Tab. XXIX. num. 12. Verum, quæ folia esse censet in sinistra manu Deæ sedentis, vel lauri ramus est, vel spicæ & papavera; quæ ad partam Titi virtute vel gloriam, vel felicitatem, rerumque ubertatem in Romano imperio, ni fallor, adludunt. At Bellorius ectypum hujus numi adfert, & sedentem Deam, cujus pedibus scabellum subpositum est, Deam Pacem esse censet; quæ opinio non improbanda. Hunc & superiorem numum Mediobarbus cusos censet anno V. C. 824. J. C. 71. quo Titus e Syria Romam reversus, decretos triumphi honores suscepit.

NUM. 19.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus. Caput Titi laureatum.

PONTifex MAXimus. Jupiter in sella sceptrum tenens, sinistrorsum versus.

Eximius hic numus aureus adfertur a docto viro Bellorio in Tab. num. 3. & describitur pag. 73. Susceptam Pontificatus Maximi dignitatem refert Titus beneficio Jovis Optimi Maximi, cujus imaginem in adversa parte exhibuit, manu sceptrum tenentem, ut religionis & imperii se consortem, & conservatorem ac tutorem ostenderet. Percussus est hic numus Vespasiano Titi parente adhuc vivo, ni fallor, quasi Jovi, Libertatis Populi Romani Vindici ac Propugnatori, imperium susceptum tribuat.

NUM. 20.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS CENSor. Caput Titi laureatum.

JOVIS CUSTOS. Figura nuda stans, sinistra hastam, super aram dextram protendens.

Vexatum Titum insidiis Domitiani fratris sui, & viri Consularis A. Cæcinæ memorat Suetonius in Tito c. 6. & in 9. *subspectissimum quemque sibi, submissis, qui per theatra, & castra quasi consensu ad pœnam deposcerentur, haud cunctanter oppressit. In his A. Cæcinam Consularem virum vocatum ad cenam, ac vix dum triclinio egressum, confodi jussit: sane urgente discrimine; quum etiam chirographum ejus præparatæ ad milites conjurationis deprehendisset. Quibus rebus sicuti in posterum SECURITATI satis cavit; ita ad præsens plurimum contraxit invidiæ: ut non temere quis tam adverso rumore magisque invitis omnibus transierit ad Principatum.* Et paullo post c. 9. *Duos patricii generis convictos in adfectatione Imperii, nil amplius, quam ut desisterent, monuit, dicens Principatum fato dari.* Ex his, conjicio a Tito numum hunc percussum fuisse circa annum ab V. C. 825. J. C. 72. ut Jovem Imperii sui Custodem esse testaretur, cui securitatem suam in frequenti vitæ periculo tribuebat; pro qua & vota ac sacra peregisse testatur eximius hic numus ab Com. Mediobarbo descriptus pag. 121. ex Occone p. 103. qui typus & in argenteis occurrit. Jupiter *Custos Urbis & Imperii* a Romanis summa religione colebatur, teste Apuleio de Mund & Cicerone in Orat. quod notum est. Titus Censor defuncto Vespasiano, statuæ honorem meruit ob egregium Religionis studium, teste vetusto hoc marmore, e Gruteriano Thesauro deprompto p. CCXLIV. 7.

IMP. CAESARI
DIVI. F. T. VESPAS
IANO. AUGUSTO
PONT. MAX. TRIB
POT. IMP. X. P. P.
CENSORI. CONSER
VATORI. AEDIUM
PUBLICARUM. ET
RESTITUTORI. AEDIUM
SACRARUM
SODALES. FLAVII
P. MARTIUS. VERUS

NUM. 21.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor. Caput Titi laureatum.

VESTA. Templum rotundum, gradibus, hinc inde duabus statuis, in medio Deæ Vestæ simulacro altiori basi imposito, & columnis insigne.

Editus est hic numus a Joanne Petro Bellorio in Tab. Num. 8. & ab eo descriptus pag. 74. Item ab Occone p. 104. & ex eo a Com. Mediobarbo p. 121. Idem typus occurrit & in aureis numis Vespasiani superius prolatis illustratisque. Tab. V. Num. 25. pag. 274. Vestæ ædis refectæ beneficium non Vespasiano tantum, sed & Tito tribuendum esse, testantur numi, de quibus infra. Hic idem numus describitur, & inter raros recensetur a Cl. Vaillantio. Tom. II. pag. 98. novæ edit. Rom.

NUM. 22.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor. Caput Titi laureatum, ut supra.

PONTIFex TRibunicia Potestate. Titus Imperator sedet togatus cum lauri ramo & hasta.

Accepi hujus perrari numi descriptionem ex Schedis Ill. V. Philippi Baronis de Stosch, qui exscripsit ex autographis Schedis Præstantissimi Andreæ Morelli. Morellius se vidisse testatur in Museo Principis Antonii Gunteri a Schwartzburg Arnstad. nunc Fridericiano, & in Museo Principis Viduæ Aurelianensis; item Cl. Equitis Andreæ Fontana, apud quem idem Stoschius vidit.

NUM. 23.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor (in alio CENSOR.) Caput Titi laurea revinctum.

SALUS AUGusti. Figura sedens.

Eadem facile de causa superius memorata, cusus hic quoque numus cum epigraphe SALUS AUG. vel etiam respicit vota Diis nuncupata pro Titi salute; de qua hæc Suetonius memorat c. 8. *Medendæ valetudini, leniendisque morbis nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum remediorumque genere.* Hæc sacra, & vota non semel peracta & nuncupara, testantur alia numismata præsertim argenteus editus Consulatu ejus VIII. ex Senatus Consulto cum epigraphe: SALUS AUG. S. C. in quo Salus Dea sculpta sedens, sinistra sellæ innixa, dextera pateram præfert. Aureum hunc numum describit Mediobarbus p. 121.

NUM. 24.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor. Caput Titi laureatum ad lævam versum.

TRibunicia POTestate PONTIFex. Femina sedens in sella sinistrorsum versa, dextra hastam sinistra oleæ ramusculum ostentat.

Ex museo Farnesiano adfert V. C. P. Pedrusius Tab. VIII. Num. VIII. pag. 113. & seqq. Quamvis latiora adpareant folia, & eandem Deam præferre lauri ramusculum conjici possit; rectius tamen puto olivæ ramum gerere, ad partam pacem declarandam.

NUM. 25.

Titus CAESAR IMP. VESPASIANUS. Caput Titi.

COS. II. Aquila.

Hunc Numum describit Comes Mediobarbus. Titus in secundo suo Consulatu anno V. C. 825. J. C. 72. conlegam habuit Vespasianum patrem suum jam Consulem quartum. Aquila Romani Imperii auspicatissimum symbolum est, & insigne.

NUM. 26.

In antica numi parte eadem inscriptio, ut supra num. 25.

COnSul II. Figura galeata cum tropæo.

Eodem anno percussus hic numus censetur a Com. Mediobarbo, a quo describitur p. 121. in memoriam devictorum Romani nominis hostium.

NUM. 27.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

AUGUR PONtifex TRibunicia POTestate COnSul II. CENSor. Tripus, supra quem Delphinus.

Titus Auguratus insignia, hoc, ut videtur, anno, accepit; nempe quum Consulatum suum secundum, captis auspiciis, iniret; anno vero superiore, quod edita numismata testantur, Pontifex a Vespasiano patre factus est. Illud observare lubet in scriptis marmoribus Titum præferre nomen Gentis suæ Flaviæ, ut in Gudianis, pag. CLVII. 7. & in sequenti marmore Cæritano pag. CLXXVIII. 9.

L. PAEDANIO. L. F. QUIRIN
SAENIANO. PRAEF. ET
VICARIO. PRAEFECTI PRAETORIO
JUR. DIC
PRAEFECTO. ET. LEG. LEGION
II. MINERVIAE. CANDIDATO. IMP.
TITI. FLAVI. CAES. OB. MERITA. EIVS
S. P. Q. CAERES

describitur hic numus a Com. Mediobarbo p. 121. & adnotatur in Schedis Morellianis.

NUM. 28.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

PONTIFex TRibunicia Potestate COnSul II. (Consul iterum) Figura sedens, dextra hastæ puræ innititur, sinistra lauri ramum gerit.

Idem fere typus, ut supra, sed diversa est epigraphe. Describitur ab Mediobarbo Comite ex Numis Arscot. Tab. XXVIII. Num. 20. pag. 121. In secundo suo Consulatu Titus Tribunitiam gerebat Potestatem II, & Imperator III. dicebatur, uti colligitur ex sequenti inscriptione Gruteriani Thesauri CCXLIV. 2. quæ ejus imagini aureæ subposita est, testamento C. Papirii Aequi Centurionis Legionis III. Aug.

T. CAESARI
VESPASIANO
PONTIF. TR.
POT. II. IMP. III
COS. II

qui & Vespasiano & Domitiano aureas ex auri P. X. ponendas curavit.

NUM. 29.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

PONTIFex TRibunicia Potestate COnSul III. Figura muliebris sedens dextra hastam, sinistra olivæ ramusculum gerit.

Recensetur hic numus inter aureos Musei Theupoliani Ser. II. pag. 148. Idem typus habetur in numis superius descriptis, & facile ad stabilitam perpetuo totius orbis pacem, sub Vespasiano & Tito, adludit. Consulatus Titi tertius cum Consulatu quincto Vespasiani adnotatur anno V. C. 827. J. C. 74.

NUM.

NUM. 30.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus TRibunitia Potestate III. COnSul III. Caput Titi nudum.

IMPerator CAESar VESPasianus AUgustus Pontifex Maximus. Caput Vespasiani radiatum.

Singularis hic numus a me descriptus est ex Schedis V. C. Philippi Lib. Baronis de Stosch, qui exscripsit ex Autographis Andreæ Morellii. Titi cum patre Vespasiano in Romani Orbis regimine concordiam forte declarat hic numus; & quidem ea ita probata est a Senatu, ut in æreis numis consignata sit hoc epigrammate: CONCORDIA AUG. S. C. qui præferunt Consulatum Titi tertium.

NUM. 31.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum.

PONTIFex TRibunicia Potestate COnSul IIII. Victoria dextra coronam lauream, sinistra palmam gerens, insistit basi duos inter angues.

Renovata est Titi Consulatu quarto, qui incidit in annum V. C. 828. J. C. 75. memoria adeptæ gloriæ & felicitatis Populi Romani, devictis hostibus perniciosissimis, nempe Judæis; adsimili fere typo ut in numis Augusti ASIA RECEPTA. Cl. Morellius vidit in museo Gunteriano, & D. de Lene Lugd. & in suis Adversariis exscripsit, & ex his Cl. Stoschius, e quibus ego quoque excepi.

NUM. 32.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. COnSul IIII. Bos cornupeta gradiens a dextris sinistrorsum.

Exstat hic numus in collectione, seu serie aureorum Numismatum Musei Marchionum Nicoliniorum, quæ Florentiæ prodiit anno MDCCXXVIII. cura & Studio Cl. V. Josephi Marchionis & Equitis Nicolinii, antiquitatum studiosissimi. Sed in numo Nicoliniorum Cimeliorum anticæ partis epigraphe variat ab ea numi, quem describit Comes Mediobarbus pag. 122. hoc modo: TITUS CAESAR IMP VESPASIAN, quare mendum irrepsisse subspicor in hac Mediobarbana descriptione. Consulatus Titi IV. occurrit cum Consulatu VI. Vespasiani, anno V. C. 828. J. C. 73. Exstat etiam idem numus in Museo Theupoliano Ser. II. p. 148.

NUM. 33.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi.

COnSul IIII. Capricornus cum globo, temone, & cornu copiæ.

Emblema hoc, faustissimi imperii tanquam insigne, in his Titi numis, quod frequens est in numis Augusti, propositum esse reor; quo moderante tranquillitas, & rerum adfluentia designatur. Id confirmat de Tito Suetonius c. 6. *Neque ex eo destitit participem, atque etiam TUTOREM IMPERII agere.* Ex mox. c. 8. *In his* tot adversis, *ac talibus non modo PRINCIPIS sollicitudinem, sed & PARENTIS adfectum unicum præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.*

NUM. 34.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate, Pater Patriæ COnSul IIII. Caput Titi laurea insigne.

AETERNITas, sive AETERNITATi. Mars gradiens, dextra pilum, sinistra tropæum.

Adsimilis typus occurrit in numis ex ære Senatus Consulto percussis in honorem Titi, quos profert Museum Ariscot. Tab. XXX. Num. I. & ex eo describit Comes Mediobarbus pag. 120. cum epigraphe: MARS ULTOR S. C. Sed & aureus hic ab eo prolatus pag. 122. perrarus est, cum epigraphe AETERNIT. Declarare videtur opima spolia devictis Judæis a Tito Romam deportata, & facile sacrata etiam MARTI ULTORI, uti ex aliis ejus numis colligimus.

NUM. 35.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum sinistrorsum versum.

COnSul V. Bos cornupeta gradiens a dextris sinistrorsum.

Taurus furens, pede incurvo, minaci ad feriendum capite, tam frequenter sculptus in numis cum Titi, tum Vespasiani, addita superne Consulatus notâ, quid designet, ab aliis discere cupio. Forte boni ominis gratia adpositus est; nam & inter cælestia signa recensetur. Forsitan etiam Ludos editos designat, de quibus audiendus Suetonius c. 7. in Tito: *Et tamen nemine ante ante se munificentia minor, Amphitheatro dedicato, Thermisque juxta celeriter exstructis, MUNUS edidit adparatissimum largissimumque. Dedit & navale prælium in veteri Naumachia: ibidem & gladiatores, atque uno die quinque millia OMNE GENUS FERARUM.* Exstat hic numus in Museo Theupoliano, descriptus a Cl. Morellio ex archetypo Musei Principis Viduæ Aurelianensis, & in Museo Gunteriano, nunc Fridericiano, a me depromto ex Schedis Stoschianis. Titi quinctus Consulatus contigit cum VII. Vespasiani patris anno V. C. 829. J. C. 76. Adfertur hic typus & a Com. Mediobarbo p. 123. Sed inter argenteos.

NUM. 36.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

COnSul VI. Bos & Vacca ad aratrum juncta.

Exstincta immanissimorum Tyrannorum serie, æterna Urbs quasi iterum sub Vespasianis condita visa est, & resurgere. Id, ni fallor, designat hoc emblema, quod deductarum coloniarum index est. Id ipsum quoque significare videtur sequens numus cum Roma circa quam duo vultures volitant, faustissima omina in Romulo Urbis Parente & conditore maximi Imperii auspicia ceptante. Sextus Titi Consulatus cum Vespasiano Consule VIII. incidit in annum V. C. 830. J. C. 77. Describitur hic numus ab Occone p. 104. & ex eo a Mediobarbo p. 138.

NUM. 37.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Titi caput laurea revinctum.

COnSul VI. Roma galeata, sinistrorsum versa, insidens clypeis ac spoliis, cum hasta ad dextrum brachium transversa, ad cujus pedes lupa cum gemellis; hinc inde vultures volitantes.

Optima atque auspicata auguria sibi Roma promittere videtur hoc typo, imperante Tito; cujus imperium ad primordia Romuli Conditoris sui revocatur. Huc facit Livius Lib. I. c. 6. & 7. *Intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen coortum a satis miti principio; quoniam gemini essent, ne ætatis verecundia discrimen facere posset, ut Dii, quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen NOVAE URBI daret, qui conditam imperio regeret. Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures: jamque nunciato augurio, quum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque Regem sua multitudo consalutaverat: tempore illi præcepto; at hi numero avium Regnum trahebant.* Adfertur hic numus a Bellorio Tab. Num. 2. pag. 73. Exstat in Museo Theupoliano Ser. II. p. 148. Florentiæ in Museo Marchionum Nicoliniorum pag. 11. item in Museo March. Riccardiorum, Romæ in Museo Capponio, atque in pluribus aliis.

NUM. 38.

Titus VESPasianus CAESAR. Caput Titi.

COS. VI. Roma inter tropæa militaria sedens, augurium captans, dextra extinguens in armis facem, supra aves volitantes.

Fides sit penes Cl. Comitem Mediobarbum, qui inter aureos numos hunc describit p. 123. Sed alterum numum supra editum, quem citat penes Vaillantium Tom. II. f. 52. ipsum non aureum, sed argenteum esse, inter rariores habendum, testatur idem Vaillantius. In numo aureo supra a nobis descripto, Roma hastam demissam sustinet; de face non parum dubito, & peccare in multis, & in epigraphe etiam anticæ partis admodum subspicor. Hunc numum citat Mediobarbus ex Thesauro Mauroceno; sed Patinus non habet.

NUM. 39.

Titus VESPasianus CAESAR. Caput Titi.

COnSul VI. Delphinus anchoræ implicitus.

Ex Thesauro Mauroceno descriptum exhibet & hunc numum & quidem aureum laudatus Com. Mediobarbus p. 123. Mihi vero penes alios Numographos non occurrit, neque in Adversariis Morellianis, & Stoschianis Schedis descriptum observavi. Sed alter tantum aureus describitur eum epigraphe. TR. P. IX. IMP. XV. COS VIII. P. P.

NUM. 40.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

TRibunitia POTestate VIII. COnS. VII. Thensa.

Exscripsi hunc numum ex Schedis Cl. V. Baronis de Stosch, qui excepit ex Autographis Morellianis, in quibus notavit, se vidisse apud D. de Cleves Gemmarium Parisiensem. Thensa repetitur in numis Titi, quæ fuit inter præsagia Imperii Vespasiani patris sui. Suetonius in Vespasiano c. 5. *Nunciabantur & ex Urbe præsagia: Neronem diebus ultimis monitum per quietem, ut THENSAM JOVIS OPT. MAX. e Sacrario in Domum Vespasiani, & in Circum deduceret.*



TA-

TABULA VI.

EXHIBENS ET PERSEQUENS

TYPOS NUMISMATUM

IMP. CAES. TITI VESPASIANI

AUREORUM.

NUM. 41.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laurea ornatum.

TRibunitia POTestate VIII. COnS. VII. Captivus sub tropæo sedens ac lugens.

Memoria captæ devictæque Judææ frequenter, ut vidimus, in numis Vespasiani & Titi renovatur. Septimus Titi Consulatus scriptus in hisce numis aureis incidit in annum V. C. 832. J. C. 79. quo anno Vespasianus pater mortuus est. Hunc quoque numum exscripsi ex Schedis Stoschianis, quæ ex archetypis Morellianis desumtæ sunt.

NUM. 42.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Capricornus, ut in Augusto. In alio numo Caput Titi.

TRibunitia Potestate VIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriae Amphitheatrum.

Capricorni cæleste signum, quod Augusti Cæsaris Numismata præferunt, & idem Princeps thema suum fecit, ac pervulgavit, teste Suetonio c. 94. utpote fortunæ ac summae felicitatis indicium, suum quoque fecit Vespasianus ut ejus Numismata testantur. Hoc ipsum in honorem parentis sui expressit, vel etiam suum pariter fecit, Titus, teste numo perraro, quem describit Mediobarbus pag. 124. Amphitheatrum vero in postica facie sculptum censet, quod hoc anno nimirum ab. V. C. 832. J. C. 79. Titus spectacula in Amphitheatro, & Naumachiam exhibuerit, quæ Dio luculenter prosequitur, & paucis describit Suetonius c. 7. cujus testimonium supra retulimus. Sed apud Occonem pag. 105. in numo, cujus typus est Amphitheatrum, Titi Tribunitia Potestas, non VIII, sed VIIII adnotatur.

NUM. 43.

Titus CAESAR VESPASIANUS. Caput Titi (in alio AUG.)

IMPerator XIII. Sus foeta cum porcellis.

Adservatur hic numus singularis aureus in Museo Theupoliano, descriptus in Serie II. p. 148. quem errore deceptus Comes Mediobarbus vel potius postremus Editor, inter argenteos recenset p. 123. & enumerat inter cusos V. C. 831. J. C. 78. Expressum mihi videtur hoc emblema ad declarandam Imperii sub Tito felicitatem; nam sus foeta, ni fallor, indicat novam eamque auspicatissimam Romani Imperii, quasi jam renati, originem; eamque æternum fore certam ac quietam tanti Principis sedem; quod faustissimum omen fuit Anchisæ ad Aeneam, & Ascanium, uti ex Virgilio colligitur Lib. VIII. v. 43.

Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa, jacebit;
Alba, solo recubans: albi circum ubera nati.
(Hic locus Urbis erit, requies & certa laborum:)
Ex qua, ter denis Urbem redeuntibus annis,
Ascanius clari condet cognominis Albam.

NUM. 44.

IMPerator Titus (in alio TITUS) CAESar VESPASIANus AUGustus Ponfex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. (in alio) Pater Patriæ. Currus præaltus dextram versus ductus a quadrijugis equis, super quo flos.

Descripsi, ut in priore descriptione legitur, ex Schedis Stoschianis, quæ cum Morellianis conveniunt, ex archetypo D. Cleves. Profert hunc numum Bellorius Num. 4. & corrigit priorem lectionem pag. 73. adnotatque perperam expressum a Vico, qui, pro flore, in summitate currus expressit flammam. Quum adsimilem florem in Cæsarum numis manu sua Spes ostentet; credibile est hoc typo indicari bene ominatas esse Romanorum spes de Titi Imperio rectissimo ac pacatissimo; nam & natum ad æternitatem nominis Romani vetusta marmora, in ejus honorem scripta ac dedicata, testantur; quapropter & numi exstant in honorem Titi percussi cum epigraphe: SECURITATI AETERNAE, & in numis argenteis Titi Consulatu ejus

jus IIII & VII Senatus Consulto percussis, occurrit Spei typus teste Occone p. 104. & 105. Sed probabile etiam est Titum hoc thensæ decus in numo expressisse, & patri jam vita functo eam dedicasse, quum eum inter divos referret, & consecraret.

NUM. 45.

IMPerator Titus CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. (In alio ex Schedis Morellianis sequitur: P. P. hoc est Pater Patriæ.) uti apud Occonem p. 105. Tropæum ad quod captivus in genu prolapsus, sive adorans.

Iterum ne ulla unquam seculorum labentium oblivione excideret memoria Victoriæ & triumphi Judaici, eadem in his numis frequenter repetitur. Omnium siquidem clarissima fuit clades gentis pervicacissimæ. Hunc numum exscripsi ex Schedis Stoschianis, ac proinde Morellianis, qui numus exstare dicitur in museo Aurelianensi & Gunteriano. Numus alter eodem fere typo insignis adfertur a Bellorio, qui adnotat in eo captivum ad tropæum revinctum cerni, & ita etiam variare anticæ partis epigraphen: IMP. TITUS. CAES. VESPASIAN. AUG. P. M. item posticæ: TR. POT. VIII. IMP. XIIII. COS. VII. quem vide.

NUM. 46.

Eadem ut in superiore numo 45. tum in antica, tum in postica facie inscriptio. Caput item Titi laureatum.

Imperator radiato capite columnæ rostratæ insistit, dextra hastam, sinistra parazonium gerit.

Hunc aureum numum in museo Principis Antonii Gunteri de Schwartzburg Arnstad vidit, & exscripsit Andreas Morellius, ex iisdem Cl. Stoschius. Hodie exstat in Museo Fridericiano.

NUM. 47.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriæ. Mulier stolata sedens, dextra præfert duo papavera, sinistra copiæ cornu.

Typus hic, ut supra monuimus, Imperii Titi felicitatem, & beatam rerum copiam designat. Describitur a Mediobarbo p. 124.

NUM. 48.

Eadem tum in antica, tum in postica epigraphe, ut in superiore Numo 47.

Currus triumphalis vacuus.

Refert Dio Lib. LXVI. hoc tempore, nimirum in Consulatu Titi septimo, alterum bellum exstitisse in Britannia, quo Cnæus Julius Agricola regionem hostium universam vastavit, primusque omnium Romanorum, quod sciretur, Britanniam circumfusam esse mari undique cognovit. His rebus gestis in Britannia, Titum Imperatorem XV. adpellatum esse, & Agricolæ in Urbem reverso permisisse ut triumpharet. Ob hanc igitur de Britannis victoriam triumphalis currus in numo hoc expressus videtur, quod ei decretus fuerit. Describitur hic numus a Com. Mediobarbo p. 124.

NUM. 49.

IMPerator Titus CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi redimitum laurea corona.

TRibunitia Potestate VIIII. IMPerator XV. COnSul VII. Pater Patriæ: Imperatoris Titi statua radiato capite, imposita rostratæ columnæ, quæ dextra hastam tenet.

A superioribus duobus numis aureis in eo tantum differt epigraphe, quod in illis Titus IMP. XIIII, in hoc vero IMP. XV. dicitur. Decretam Tito rostratam columnam cum ejus statua, docent hi numi, ob navales victorias, quas ipse obtinuit, de quibus paullo fusius infra. Hunc quoque numum exscripsi ex Schedis Stoschianis, desumtis ex Morellianis, in quibus numus hic exstare dicitur in Museo Regis Borussiæ, & apud D. De Lene Parisiensem. Hi omnes numi neque ab Occone, neque a Com. Mediobarbo recensentur. In meis erat votis omnes aureos numos exscribere perquam diligenter, qui magna copia exstant in regio Thesauro Magni ducis Etruriæ, Clementissimi Domini mei, FRANCISCI III. LOTHARINGI, nunc, (quod faustum, felix, fortunatumque sit) IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI; sed nondum mihi ad hæc tantum Cimelia patuit aditus, quum ejus Cimeliarcha Ill. Antonius COCCHIUS, amicus meus, eos numos se editurum responderit.

NUM. 50.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunitia Potestate VIIII. IMPerator XV. COnSul VII. Pater Patriæ. Quadrigæ triumphales.

Quadrigarum triumphalium honorem sibi decerni meruit Titus, ob relatam de Britannis victoriam virtute Agricolæ, ut supra ex Dio-

Dione obſervavimus. Hic numus ab Occone deſcribitur pag. 105. & recte habet TR. P. VIIII. teſte alio numiſmate Muſei Theopoliani pag. 149. in Serie II. at Mediobarbus pag. 124. qui ex eo accepiſſe videtur, exſcripſit TR. P. VIII. perperam, ni fallor.

NUM. 51.

Eadem epigraphe in utraque numi facie, ut in ſuperiore 49.

Numi typus: Mulier ſedens, dextra duo papav era, ſiniſtra copiæ cornu.

Variat & in hoc epigraphen Mediobarbus, dum ſcribit p. 124. TR. P. VIII. quum Occo p. 105. ſcribat TR. P. VIIII.

NUM. 52.

Eadem epigraphe, ut ſupra num. 49. tum in antica, tum in poſtica numi facie.

Typus fere idem ut ſupra: Figura muliebris ſedens, dextra duo papavera, ſiniſtra ramum tenet.

Idem Sphalma (ſi verum eſt) apud Mediobarbum occurrit pag. 124. nempe TR. P. VIII. quum Occo habeat TR. P. VIIII. p. 105.

NUM. 53.

Eadem epigraphe, ut ſupra num 49. in utraque numi facie.

Duo capricorni orbem ſuſtinentes.

Vidit & exſcripſit Præſt. Morellius, ex ejus Autographis Schedis Cl. Stoſchius, ex eo ego.

NUM. 54.

IMPerator Titus CAESAR VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Pulvinar Jovis cum fulmine.

Profertur in lucem hic numus a Doctiſſimo Bellorio Tab. num. 6. & explicatur pag. 73. cujus typum & in argenteis Titi numis num. 7. occurrere indicat. Sella Tito dedicata, non ſolum indicat dignitatem Imperii ejus, ſed Jovi eſſe eum ſimillimum Principem; quandoquidem ipſum Jovem Romani Imperii & vitæ ſuæ Cuſtodem Titus colebat, ut vidimus.

NUM. 55.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum ad lævam verſum.

TRibunicia Poteſtate XI. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Delphinus anchoræ implicitus.

Circumvolutum anchora delphinum, tanquam peculiare ſignum ſuum accepit Veſpaſianus, & in ſuis numis expreſſit, exemplo quoque ejus filii Titus, & Domitianus. Facile exprimere voluerunt, in conſiliis pro ſalute & felicitate Reipublicæ omnia maturanda eſſe, eo ſenſu, quo maturare explicant Grammatici veteres apud Gellium Noc. Attic. Lib. X. Cap. XI. Vide Joannem Pierium Valerianum Hieroglyphic. Lib. XLV. Cap. XIII. Exſtat hic numus in Muſeo Farneſiano, deſcriptus & illuſtratus a P. Pedruſio S. J. Tab. VIII. Num. X. ut videtur, percuſſus a Tito poſtremo vitæ ſuæ anno, de quo inferius.

NUM. 56.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGUStus Pontifex Maximus. Caput Titi.

VENUS VICTRIX. Venus ſtolata ſtans, dextra galeam oſtentat, ſiniſtra haſtam tenet.

Facile Titus *Veneris Victricis* ædem incendio corruptam inſtauravit, vel refecit, jam adeptus Romani Orbis regimen, poſt obitum patris. Vaillantius hunc numum rarum eſſe ſcribit, & ita explicat Tom. II. pag. 98. & refert ad id quod contigit adhuc vivo Veſpaſiano. *Venus Victrix a vincendo dicta, cui ædem dedicavit Pompejus Magnus, in Titi numo exhibetur, in gratiam Berenices Judæorum Reginæ ab eo maxime dilectæ, quam in Palatio cum fratre Agrippa conlocaverat; ei nupturus erat niſi P. Romanus id ægre tuliſſet; illam porro invitus dimiſit; ex Suetonio & Tacito.* Deſcribitur hic numus a Mediobarbo p. 124. ex eodem Vaillantio. Alterum Numum ibidem deſcribit Mediobarbus cum adſimili typo; epigraphe vero, ni mendum ſubeſt, hæc habet: VENE. VICTR. & in eo Venus nuda eſt.

NUM. 57.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi.

HONOS AUGuſti. Figura ſeminuda palliata ſtans, dextra haſtam, ſiniſtra cornu copiæ gerit, ſiniſtro pede globo inſiſtit.

Ex Numis Arſcot. Tab. XXVIII. n. 5. deſcribit Mediobarbus. p. 124. forte indicat hic numus honores ſtatuarum, imaginum, & titulorum, quos tanquam monumenta virtutis ſuæ Titus accepit. Suetonius c. 4. *Tribunus militum in Germania & in Britannia meruit ſumma induſtria, nec minore modeſtia & fama; ſicut adparet ex imaginum ejus multitudine, & titulis per utramque provinciam.* Hic numus inter aureos deſcribitur a Com. Mediobarbo pag. 124.

NUM. 58.

IMPerator TITUS CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi.

BONUS EVENTUS AUGUSTI. Figura nuda stans, dextra pateram, sinistra spicas & papavera tenet.

Pontificatum Maximum non accepit Titus, nisi mortuo Vespasiano, anno V. C. 832. J. C. 79. quo verisimile est eximium hunc numum cusum fuisse. Quibus vero conditionibus professus sit accipere, memorat Suetonius in ejus vita c. 9. *PONTIFICATUM MAXIMUM ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem præstitit; nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius; quamvis interdum ulciscendi caussa non deesset: sed periturum se potius, quam perditurum adjurans.* Bonus Eventus in numis hisce Titi expressus forte est, ut Pacem ejus virtute & cura feliciter evenisse designet; nam & in Vespasiani numis *Bonus Eventus* sculptus cernitur cum epigraphe PACIS EVENT. de quo Vaillantius Tom. II. pag. 88. Quia vero hic Deus agrorum bonis & culturæ præesse censebatur, forsitan in numis hisce Titi exhibetur, ut declaret eum restituendis aliorum bonis & possessionibus invigilasse. *Quædam* (ita Suetonius c. 8.) *sub eo fortuita ac tristia acciderunt, ut conflagratio Vesevi montis in Campania, & incendium Romæ per triduum, totidemque noctes; item pestilentia quanta non temere alias. In his tot adversis ac talibus non modo Principis solicitudinem; sed parentis adfectum unicum præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Curatores restituendæ Campaniæ e Consularium numero sorte duxit.* BONA *oppressorum in Vesevo, quorum heredes non exstabant, restitutioni adflictarum civitatum adtribuit.* Exstat hic numus in museo Theupoliano Ser. II. pag. 147. describitur ab Com. Mediobarbo p. 124.

NUM. 59.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Captivus ad tropæum genu flexo, manibus post terga revinctis.

Idem, ut supra, numi typus ea occasione cusus, quum Judaici triumphi & victoriæ memoria renovaretur. Sed in hoc Titus IMP. XV. dicitur, in altero IMP. XIIII. Ex Occone p. 105. sed Mediobarbus mendose habet TR. P. VIII. pro VIIII. Octavus Titi Consulatus collegam accepit Domitianum Cæsarem VII. Consulem anno V. C. 833. J. C. 80. quo hic numus cusus est.

NUM. 60.

Eadem, ut supra, epigraphe in utraque numismatis facie. Caput Titi.

Columna rostrata cum icuncula superstante.

De hoc typo nonnulla superius adnotavimus. Hic numus describitur a Com. Mediobarbo p. 124. sed Tribunitia Potestas VIIII. non vero VIII. esse debet. Exstat & in Museo Theupoliano p. 149. in Serie II.

NUM. 61.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi.

TRibunicia Potestate IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Sella curulis ornata corona.

In Theupoliano Cimeliarchio adservatur hic numus, descriptus in Serie II. pag. 149. Quæ de curuli sella, & de ejus honore scribi possent, jam docti viri occuparunt. Eximium est marmor illud Neapolitanum Græce scriptum quod adfert in suo Thesauro V. C. Muratorius, quo colligimus Titum, quum esset Consul VIII. Tribunitia X. fuisse apud Neapolitanos Nomotheten & Gymnasiarcham. Deest, ni fallor, in hoc numo numerus Tribunitiæ Potestatis, quæ dubio procul esse debet VIIII.

NUM. 62.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi.

TRibunitia Potestate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Elephas.

Elephas ludorum in Amphitheatro editorum magnificentiam declarare videtur, de qua Dio consulendus, & Suetonius, aliique. Exstat eximius hic numus in Museo Potentissimi Regis Borussiæ, olim in Museo Principis Antonii Gunteri de Schwartzburg Arnstad servatus; nunc vero in Fridericiano. Ex Schedis Morellianis & Stoschianis.

NUM. 63.

Eadem epigraphe, ut in numo paullo superius descripto, in utraque facie. Caput idem.

Tropæum cum duobus captivis.

Huc pertinet insignis inscriptio adlata in Gruteriano Thesauro pag. CCXLIV. 6. quæ memorat ac testatur maxima honoris monumenta Tito dedicata fuisse publice, ob memoriam Judææ devictæ.

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AUG. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P.
PRINCIPI. SUO. S. P. Q. R.
QUOD. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQUE. ET AUSPICIS. GENTEM. JUDAEORUM. DOMUIT. ET URBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBUS. ANTE. SE DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUSQUE. AUT. FRUSTRA PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT

NUM.

NUM. 64.

Eadem, ut in duobus modo descriptis, epigraphe in utraque numi facie. Caput idem.

Delphinus anchoræ circumvolutus.

Extant in memoratis Museis ex citatis Schedis Morellianis, & Stoschianis.

NUM. 65.

Eadem, ut supra, utraque epigraphe. Caput idem.

Lectisternium.

In alio in iisdem Schedis subsellium adnotatur. In altero cum eadem inscriptione in utraque facie, duæ sellæ curules, & in utraque laurea corona superposita.

NUM. 66.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Ara cum fulmine superposito.

NUM. 67.

Eadem, ut in superioribus numis, epigraphe in utraque numi facie.

Tripus cum Delphino superposito.

Iidem Typi spectantur etiam in numis argenteis Titi, qui describuntur in Serie II. Musei Theupoliani, atque etiam a Com. Mediobarbo. pag. 125. Hi vero aurei descripti sunt a Morellio in prælaudatis Museis, atque etiam in Cimeliarchio Aurelianensi.

NUM. 68.

Titus CAESar VESPASIANUS AUGustus. Caput Titi laureatum.

IMPerator CAESar TRAIANus AUGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit. Tropæum.

Ex Vaillantio profert descriptionem hujus numismatis inter elegantiores habendi Mediobarbus p. 124. Præstat ipsum Vaillantium Tom. II. pag. 96. audire „ Inter Imperatorum numos „ a Trajano restitutos, Titi præ ceteris crebrius „ parantur; quod ejus memoria præcipue apud „ Trajanum culta sit. Tropæum istud de Judæis est, quos Titus subegit; & illi, teste Dione Lib. LXVI. *Jussi sunt quotannis didrachmum pendere Jovi Capitolino.* Verum in numis duobus, quos vidit Cl. Morellius in museis Aurelianensi, & Principis Antonii Gunteri, in antica circa caput Titi hæc adnotavit: IMP. T. CAES. VESP. AUG. P. M.

NUM. 69.

DIVUS TITUS. Caput Titi radiatum.

IMPerator CAESar TRAJANus AUGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit. Ara cum fulmine.

Exscripsit ex archetypis in iisdem museis Cl. Morellius, ex ejus Schedis Cl. Stoschius, ex iisdem ego. Defunctum Titum anno V. C. 834. J. C. 81. nullo, præter consecrationem, honore eum prosecutus est Domitianus, teste Suetonio c. 2. Titi egregius cultor Trajanus restituit.

NUM. 70.

DIVUS TITUS AUGustus. Titi caput radiatum.

JULIA AUGUSTA DIVI TITI Filia. Caput Juliæ Augustæ.

Numum hunc eximium ex Vaillantio Tom. II. f. 51. describit Comes Mediobarbus p. 125. qui & argenteum numum adsimili emblemate ornatum recenset. Quanto mœrore Urbem impleverit mors Titi beneficentissimi Principis, & natura benevolentissimi, memorat Suetonius cujus verba neque huc adponere, nec legere piget c. 11. *Excessit in eadem, qua pater, villa, Idibus Septembris, post biennium, ac menses duos, diesque XX. quam successerat patri, altero & quadragesimo ætatis anno. Quod ut palam factum est, non secus atque in domestico luctu, moerentibus publice cunctis, Senatus prius quam edicto convocaretur ad Curiam, cucurrit, obseratisque adhuc foribus, deinde apertis, tantas mortuo gratias egit laudesque, quantas congessit ne vivo quidem unquam ante præsenti.* Arcum magnifico opere, & sculpturis insigne, meruit cum hoc titulo:

SENATUS
POPULUSQUE ROMANUS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AUGUSTO.



TABULA VII.

EXHIBENS

IMP. CAES. TITI VESPASIANI

NUMISMATUM EX ARGENTO

QUÆ

ANDREAS MORELLIUS

VEL NON DELINEAVIT, VEL DEPERDITA SUNT,

DESCRIPTIONEM SUPPLETAM

CURA ET STUDIO

ANT. FRANCISCI GORII.

PROOEMIUM.



Abes heic, Candide Lector, accuratam Descriptionem Numiſmatum ex argento in honorem Imp. Caesaris Titi percuſſorum, quotquot in editis libris, & in Cimeliis Illuſtrium Virorum, non ſine laboris fructu inveniri a me potuerunt. Ut aureorum Numiſmatum ordinem, ita & argenteorum ſeriem, quam publici juris fecit Vir eximius Comes Mediobarbus, non tantum ſecutus ſum, ſed in pluribus auxi, ac perfeci. Præclariora Muſea Italica, quæ magno mihi adjumento ad hanc ſpartam fuere, memorare non prætermittam; cum primis locupletiſſimum Cimeliarchium Romanum Nobiliſſimæ Dominæ Marchioniſſæ Annae Grimaldiae, quam, propter hæc elegantioris priſci ævi ſtudia, delicias, egregiamque in numis cognoſcendis peritiam & eruditionem, Musis decimam addendam eſſe jure ac merito cenſeo. Nam ipſa ſuorum Titi Numiſmatum cum aureorum, tum argenteorum perbrevem, ſed accuratiſſimam Deſcriptionem, quam ipſa ſtudio ſuo confecit, menſe Decembri hujus anni MDCCXLV. ad me ſingulari humanitate miſit, & mecum communicavit. Illud notandum, argenteorum Numiſmatum typos, aureorum typis adſimiles eſſe, ſed in nonnullis differre.

NUM. I.

ΑΥΤΟΚΡΑΤωρ ΚΑΙΣΑρ ΟΥΕΣΠΑΣΙανὸς..... *Imperator Cæſar Veſpaſianus..... Caput Imperatoris Veſpaſiani dextrorſum verſum ſublatum ab aquila volitante.*

ΤΙΤȣ ΦΛΑΥΙȣ ΟΥΕΣΠΑσιανȣ̃ ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. *In area ſiniſteriore* B. *Titi Flavii Veſpaſiani, anno novo ſacro ſecundo. Caput Titi laureatum, ſiniſtrorſum verſum: in area dexteriore lituus.*

Protuli hunc argenteum numum maximi moduli inſignem ex Muſeo Mediceo Claſſ. II. Tab. X. n. 111. pag. 67. Cuſus forte videtur, (Veſpaſiano inter Divos relato, cujus apotheoſin indicat aquila, ejus ſimulacrum in cælum ferens) a populis Syriæ in honorem Titi Cæſaris anno ſecundo ejus imperii, ut ejus gratiam ſibi conciliarent, atque ejus benevolentiam ac patrocinium promererentur. Facile etiam & melius crediderim, percuſſum fuiſſe adhuc vivo Veſpaſiano, quem Jovi ſimilem, adtollente ejus imaginem aquila, ſignificarunt. Titus adhuc vivens in votiva ara penes Gruterum p. CXIII. 4. DIVUS adpellatur; neq dubium etiam

etiam Vespasianum adhuc superstitem tanquam Deum cultum esse. Lituus pone caput Titi Cæsaris clarissimum Auguratus ejus insigne, præstantissimo numo, qui Vaillantio aliisque Numographis ignotus fuit, raritatem adjicit. Auguratus ejus fit mentio in numismate, quod Mediobarbus p. 121. describit, cum tripode in aversa, supra quem Delphinus, & epigraphe: AUGUR. PON. TR. POT. COS. II. CENS. qui typus etiam in adlatis hisce numis argenteis, & aureis frequenter occurrit.

NUM. 2.

Epigraphe anticæ partis, ut puto, alteri similis. Caput Titi laureatum.

ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Β. *Aquila rostro coronam præferens insistit fulmini.*

Didrachmalem hunc numum rarissimum ita describit Vaillantius Tom. II. pag. 100. „ Observavimus Vespasiani numum cum epigraphe ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Α. Id est, *anno novo sacro primo*, & Aquila fulmini insistente, „ quem, ob fulmen Seleuciæ ad Orontis ostia „ symbolum, ab ipsa urbe cusum, protulimus. „ En alter Titi *anno secundo* signatus, qui sub „ patre cælari potuit; quum iidem typi in utroque frequentes sint: testis numus, in quo pa- „ ter hinc, & inde filius, cum eodem anno no- „ vo sacro secundo, in Vespasiani numis a nobis descriptus.

NUM. 3.

Epigraphe facile eadem, ut supra. Caput Titi laureatum.

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *Templum Veneris Paphiae, ut in patre Vespasiano.*

„ Templum Veneris Paphiæ in hoc Titi „ numo, illum a Paphiis insulæ Cypri „ percussum arguit, ut similis æreus in patre cum „ lemmate ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ ΕΤΟΥΣ Α. sed in „ argenteis additum est ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. id est, „ *anno novo sacro octavo*: at quum in illis solis „ hoc Schema occurrat, id explicabit vir erudi- „ tus Nicolaus Toinardus, qui de his numis pa- „ rat Dissertationem." Ita hunc numum maximi mod. quum inter rarissimos, & elegantissimos recenset Vaillantius Tom. II. p. 100. describit. Ad hæc audiendus Suetonius in Titi Vita c. 5. qui mirifice ad hunc numum illustrandum confert. *Ubi turbari rursus cuncta sensit, rediit ex itinere, aditoque PAPHIAE VENERIS oraculo, dum de navigatione consuluit, etiam de imperii spe confirmatus est.* Adfertur hic numus a Cl. Bellorio Tab. n. 14. & explicatur pag. 73.

NUM. 4.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONTifex TRibunitia POTestate. Caput Titi.

Intra lauream coronam scriptum: AUGusto EP-E hoc est EPHEsii.

Ephesii populi auream coronam laureæ similem Tito dono misisse videntur, & non obscure declarat hic numus, quem in lucem protulit Cl. Bellorius inter argenteos Titi num. 18. & explicavit pag. 73. Id moris fuisse videtur, præsertim apud Orientis populos, ut evectis ad Romani orbis fastigium Cæsaribus, aureæ coronæ per legatos dono mitterentur. Descripsit hunc numum & Mediobarbus p. 120.

NUM. 5.

IMPERATOR Titus CAESAR AUGUSti Filius. Caput Titi.

CONCORDIA AUGusti. EPHESii. Figura sellæ ornatæ insidens, dextra spicas, & papaver; sinistra cornu copiæ tenet.

Profert hunc numum Mediobarbus ex Museo Daviæ p. 120. & ita explicat: „ Numum „ hunc cusum existimo Ephesi a Tito, quum in „ Italiam hoc anno (nempe V. C. 828. J. C. „ 71.) rediit, ut suspicionem Orientalis Impe- „ rii affectati a se dimoveret. Concordiam enim „ cum patre eo testatam voluit, quam & re- „ pentino adventu firmavit his verbis: *Veni* (in- „ quit) *Pater, veni*; arguens rumorum de se „ temeritatem." Ex Suetonio c. 5. in Tito. Verum sponte etiam ab Ephesiis cusum arguere possumus, quum alii numi argentei in honorem Vespasiani exstent superius editi in Tab. VII. n. 20. 21. 22. & 26. p. 286. 287. quorum aversæ partis epigraphe habet: LIBERI. IMP. AUG. VESPAS*iani*.

NUM. 6.

Titus CAESAR VESPASIANUS (in alio) TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi.

ANNONA AUGusta. Mulier sedens, manu tenens præcinctorium frugibus plenum.

Adsimilis typus occurrit in numis aureis, ut in superiore Tabula num. 1. Repetitur etiam in æreis Titi numis, Senatus Consulto percussis, & quidem Consulatu ejus sexto & octavo notatis. Liquet igitur Titum & antequam Romam ex Judæis Victor rediisset, & quum Romæ esset cum patre consors imperii, & post ejus obitum, adsidua cura prospexisse Romæ frugum inopia, & fame laboranti. Sed & hisce numis alii ex argento addendi sunt, de quibus infra, in quibus Cereris typus ad idem beneficium declarandum impressus cernitur. Exstat in Museo GRIMALDIO.

NUM. 7.

Eadem facile epigraphe ut in antecedenti numo, in antica ejus parte.

ANNONA AUGUSTI. Figura stans, dextra Palladium, sinistra cornu copiæ; hinc ad pedes modius spicis plenus, illinc prora navis ornata.

Expressius testatur hic numus non solum a Vespasiano, sed etiam a Tito nutanti in summo discrimine Urbi subventum fuisse, missis navium celerrimis frumento onustis, quæ sævo licet mari fremente, commissæ, opportune ad Romanos pervenere; teste Tacito Historiar. Lib. IV. Annona non tantum gerit cornu copiæ, sed etiam Palladium, quo stante, Romanum Imperium stare, & æternum fore credebant. Hic numus exstat inter Arscot. Tab. XXIX. n. 7. quem describit Mediobarbus pag. 124.

NUM. 8.

Titus CAESAR VESPASIANUS. (In alio TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi.

CERES AUGUSTa, sive Augusti. Figura stans, dextra spicas & papaver, sinistra hastam tenens. (In alio numo argenteo: Figura sedens cum iisdem adtributis.)

In numo adlato superius num. 10. Ceres stans sculpta est. In æreis numis Titus capite tum laureato tum radiato occurrit. Describuntur a Comite Mediobarbo pag. 119. ex Occone p. 104. Hic numus in Museo Grimaldio adservatur.

NUM. 9.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus. Caput Titi laureatum.

AETERNITAS. Mulier stans manu dextra Solis, sinistra Lunæ capita præfert.

Aeternitas in æreo numo penes Occonem p. 106. Senatus Consulto percusso, alia præfert symbola, nimirum hastam dextra, sinistra cornu copiæ. Aurei numismatis typum vide in superiore Tabula num. 5. Describitur a Com. Mediobarbo p. 120. argenteus hic numus.

NUM. 10.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus. Caput Titi.

PAX AUGUSTi, sive Augusta. Dea Pax sedens, dextra ramum gerit.

Pacis emblemate insculpta quatuor Numismata aurea supra dedimus num. 11. 12. 13. & 14. Titus cum patre Romanum orbem pace firmavit, parta de Judæis Victoria, exstructo etiam Pacis templo magnificentissimo. Describitur hic numus argenteus ab Occone p. 120. Adfertur a Cl. Bellorio n. 19. & explicatur p. 73.

NUM. 11.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus. Caput Titi.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria gradiens, dextra lauream, sinistra palmam præfert.

Cum hoc conferenda duo aurea numismata superius edita num. 6. & 7. quorum epigraphe VICTORIA AUG. & VICTORIA AUGUST. Hic describitur a Com. Mediobarbo p. 120. In memoriam Judaicæ Victoriæ celeberrimæ percussus est.

NUM. 12.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

ROMA VICTRIX. Roma Dea, galea & armis insignis, sedens, dextra victoriolam, sinistra hastam tenet.

In numis argenteis Vespasiani Titi patris idem typus occurrit, ut in adlata superius Tab. VII. num. 4. pag 288. & 289. videre est. Partis virtute Titi terra marique victoriis Roma sedens auctori nominis & imperii sui gratulari videtur. Descriptus hic numus ab Occone p. 106. & ex eo a Mediobarbo p. 120.

NUM. 13.

Titus CAESAR VESPasianus PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

NEPtuno REDuci. Neptunus stans nudus, dextro pede globo insistit, dextra acrostolium tenet, læva tridentem.

Hic numus describitur a Mediobarbo pag. 120. sed pro acrostolio, flagrum Neptuno perperam tribuit. Idem typus in Vespasiano, ut supra Tab. VII. num. 3. pag. 288. & in Titi numis aureis, ut supra num. 9. Cusus est in memoriam ejus reditus optatissimi ex Syria & Aegypto.

NUM. 14.

Titus IMPerator VESPasianus. Caput Titi laureatum.

. . . . Quadrigæ, quibus instat Titus, dextra eburneum sceptrum, sinistra præferens lauri ramusculum.

Facile cusus est hic numus, quum Titus Romam rediens victis Judæis triumphum egit cum patre, qui contigit anno V. C. 824. Christi 71. Mediobarbus antecedenti tempori adsignat p. 120. Consulendus aureus numus editus supra num. 8.

NUM. 15.

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

JOVIS CUSTOS. Jupiter nudo corpore stans, sinistra hastam, dextram vero super ignitam aram protendit, qua tenet pateram.

Typus

Typus adsimilis supra editus in aureo numo num. 20. Describitur hic ab Occone 104. & ex eo a Com. Mediobarbo p. 120. Jovi Romani imperii Custodi, ut reor, sacra fecit Titus postquam cum patre regimen suscepit. Exstat hic numus in Museo Grimaldio.

NUM. 16.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

Sine epigraphe. Domitianus togatus eques dexteram elevat, læva tenet scipionem eburneum.

Argenteus hic numus inter rariores adscribendus censetur a doctissimo Vaillantio, qui hæc adnotat Tom. II. pag. 98. „ Domitianus in nummis Titi, ut in patre, eques repræsentatur, qualis in pompa triumphali de „ Judæis progrediebatur: de quo Josephus Lib. VII. de Bello Jud. Cap. XVII. *Vespasianus prior ibat, & Titus deinde sequebatur. Domitianus autem adequitabat, ipse quoque ornatus pulchritudine, dignumque spectari exhibens equum.*

NUM. 17.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

TITUS ET DOMITianus CaesaRES PRINcipes JUVENtutis. Duo Fratres togati in sellis curulibus sedentes.

Facile hic numus, qui a Mediobarbo describitur ex Museo Daviæ pag. 121. idem est ac superius. Successores Imperii declarati a patre Titus & Domitianus, suscepta Principis Juventutis dignitate, togati exhibentur, qua sumta in Capitolium ad ædes Jovis ibant.

NUM. 18.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

TITUS ET DOMITianus CaesarES PRINcipes JUVENtutis. Titus & Domitianus togati sedentes, dextris lauri ramos tenent.

Idem typus habetur in numis argenteis Vespasiani patris; eademque epigraphe in alio ejusdem Imperatoris numo, in cujus postica duæ figuræ Equestres decurrentes, quos editos supra vide in Tab. VII. num. 27. 28. 29. pag. 287. Describit Comes Mediobarbus p. 120. ex Museo Daviæ.

NUM. 19.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus PONtifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

Sine epigraphe: Palma cum fructibus; hinc Imperator sinistro pede globum calcans, dextra hastam, sinistra parazonium tenet; illinc figura captiva sedens.

Ex Thesauro Patini describit Mediobarbus p. 120. Celeberrimam a Tito reportatam victoriam de Judæis, quos obtrivit ac pæne delevit, illustrat hic typus, qui etiam occurrit in Vespasiano ut supra in Tab. VII. num. 16. pag. 286. Hunc explicat Vaillantius T. II. p. 98.

NUM. 20.

Deest epigraphe. Caput Titi.

FIDES PUBLICA. Dextræ manus simul junctæ intermedio caduceo & spicis.

Describitur p. 120. a Com. Mediobarbo hic numus cum duobus sequentibus ex Numis Arscotanis Tab. XXVIII. n. 23. Inter argenteos non reperitur apud Numographos, sed inter æreos.

NUM. 21.

Deest epigraphe. Caput Titi.

SECURITAS Populi Romani. Figura sedens ante aram accensam, sinistra hastam puram præfert.

Apud eumdem Mediobarbum p. 120. ex Numis Arscotanis Tab. XXIX. n. 18. Alterum typum adjicit idem Mediobarbus ex iisdem Numis Arscot. Tab. XXVIII. n. 24. in quo duo Cornucopiæ caduceo medio sculpta sunt. Toto orbe pacato, devictis hostibus perniciosissimis, nempe Judæis, Titi virtute partam Romanis felicitatem, securitatemque hi numi ostendunt.

NUM. 22.

Titus CAESAR VESPASIANUS. Caput Titi.

IMPerator IIII. Scropha.

Censet V. C. Mediobarbus Comes pag. 121. ubi hunc numum describit, scropham in hoc numo cusam esse in contumeliam Judaicæ gentis; & adnotat sculptam fuisse in Porta Hierusalem, quum restaurata fuit ab Hadriano. Sed quum idem typus occurrat in superiore Tabula inter aureos num. 43. atque etiam occurrat in numismate maximæ magnitudinis in honorem Hadriani percusso, & in aliis Imperatorum numis, probabilius censeo, indicare felicia Romani Imperii auspicia, fortunatumque regimen orbis terrarum Tito delatum a patre Vespasiano, quod etiam evincit Suetonii testimonium in ejus vita c. 6. ut supra observavi.

NUM. 23.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus. Caput Titi laureatum.

PONTIFex TRibunicia POTestate. Figura muliebris stolata sedens, dextra gerit hastam, sinistra florem, sive lauri ramum.

Captis imperii felicibus auspiciis, Titus Tribunitiam Potestatem, & Pontificatus honorem a patre accepit. Ob spem igitur felicissimi imperii, moderante Tito, cujus videtur hic numus, in quo facile Spes Dea sculpta est. Mediobarbus profert p. 120. ex Museo Daviæ. Hic idem numus editus est a Cl. Bellorio inter argenteos Titi n. 16. Deam esse Pacem censet, & lauri ramum præferre scribit pag. 73. quem vide.

NUM. 24.

Eadem epigraphe in utraque argentei numismatis facie, ut in superiore.

Caduceum alatum.

Frequenter in numis sculpta Felicitas Dea, caduceum dextra ostentat; quo symbolo potitur. Quum igitur caduceus in hoc numo, quem ex eodem Museo Daviæ describit Mediobarbus p. 120. sculptus sit, dubio procul partam Titi imperio subjectis populis felicitatem designat.

NUM. 25.

Epigraphe eadem facile ut in superiore numo Titi.

COnSul ITERum TRibunitia Potestate. Figura sedens, dextra ramum, sinistra gerit copiæ cornu.

Describit hunc numum Comes Mediobarbus p. 121. ex Minii Cimeliis. Cusus a Tito hic numus in Consulatu suo secundo anno V. C. 825. J. C. 72. quo etiam CENSOR in aliis numis inscribitur.

NUM. 26.

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum.

PONTIFex TRibunicia Potestate. COnSul III. Caduceum alatum.

Alterum numum argenteum eodem typo ornatum supra dedimus. Hic vero inter rariores adscribendus est, Consulatu III. Titi Cæsaris insignis, quem ad hoc tempus nullus Numographorum nobis descriptum dedit. Exstat in lectissimo Museo Grimaldio.

NUM. 27.

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi.

PONTIFex TRibunicia Potestate COnSul IIII. Figura sedens, dextra ramum.

Ex Occone p. 104. edidit Comes Mediobarbus p. 122.

NUM. 28.

Epigraphe in adversa numi parte, ut puto eadem ac superior, vel parum diversa.

PONTIFex TRibunicia Potestate COnSul IIII. Victoria insistens cippo, e quo duo hinc inde angues erumpunt; dextra lauream, sinistra palmam gerit.

Serpentes ex ara, seu cippo prosilientes, Victoriæ Titi felicitatem designant. Adsimilis typus in numis cum epigraphe: ASIA RECEPTA. describitur hic numus a Mediobarbo pag. 122. Adsimilis typus in aureis Titi numis cum Consulatu IIII. ut supra n. 31.

NUM. 29.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi.

COnSul V. Bos cornupeta.

Confer hunc argenteum numum cum aureo superius edito num. 35.

NUM. 30.

Eadem epigraphe ut in superiore numo. Caput Titi.

COnSul V. Aquila insidens cippo.

Deest hic typus in aureis Titi numis. Describitur ab Occone ex Museo Daviæ p. 123.

NUM. 31.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

COnSul. VI. Bos & vacca cum aratro.

Ex Occone p. 104. adfert Mediobarbus pag. 123. Adsimilis typus habetur supra in numis aureis Titi num. 36. Hic argenteus exstat in Grimaldio Cimeliarchio.

NUM. 32.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

COnSul VI. Roma, ut in aureis numis, augurium captans, insidet clypeis, cum lupa, & puerulis.

Mediobarbus p. 123. adfert jam ab Occone descriptum. p. 104. Perlubet hujus numi heic iterum adferre doctissimi Vaillantii descriptionem Tom. II. p. 99. „ Roma insidet „ clypeis ut victrix; adstat lupa cum puerulis, „ tanquam ejus symbolum: advolant duo vul„ tures, in memoriam illorum, quos viderat „ Romulus: qui typus in numo Titi signatus „ videtur, quod ille Judæos subegerit faustis cap„ tis auguriis: Roma autem adhibetur cum Ro„ mulo,

„ mulo, quod primi Augures ab illo Romæ con-„ ditore instituti sunt." Sedet autem Dea Roma; quia sedentes auguria veteres captabant, ut in Museo Etrusco observavi.

NUM. 33.

Eadem, ut in superiore numo, epigraphe in utraque facie.

COnSul VI. Aquila insistens fulmini.

Ex numis Arschotanis Tab. XXIX. num. 8. describitur a Mediobarbo pag. 123. Aquila, ut exploratum, Romani Imperii Symbolum est: fulmini insistit ut Cæsaris potentiam in profligandis hostibus ostendat.

NUM. 34.

Eadem, ut in superiore numo, epigraphe in utraque facie.

Mars stans, dextra hastam, sinistra tropæum, prope cyparissum.

Ex Minianis Schedis hic numus describitur a Mediobarbo p. 123. subspicor de cyparisso prope Martem sculpto; viderint qui archetypum consulere possunt.

NUM. 35.

Titus CAESAR VESPASIANUS. (In aliis AUGustus.) Caput Titi.

IMPerator XIII. Sus porcellos lactans.

De hoc typo quo bonum omen & felicitas Imperii Titi Cæsaris declaratur, dixi nonnulla superius; nam huic adsimilis typus in aureis ejusdem Titi numis occurrit. Vide supra num. 43. Exstat hic numus argenteus in Museo Grimaldio.

NUM. 36.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

IMPerator XIII. COnSul VI. Quadrigae triumphales.

Percussus hic numus in memoriam acti de Judæis perdomitis contritisque celeberrimi triumphi videtur. Ejusdem Judaici triumphi renovatam memoriam videbimus infra in numo Titi argenteo, in quo Consulatus ejus VII. adnotatur.

NUM. 37.

Epigraphe adversæ partis, ut opinor, alteri superius edito facile similis. Caput Titi.

TRibunicia POTestate VIII. COnSul VI. Captivus genuflexus ad tropæum.

Docet hic numus frequenter repetitam celeberrimæ victoriæ, & Judaici triumphi memoriam; nam in singulis Titi Consulatibus devictæ Judææ emblemata occurrunt.

NUM. 38.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi.

SECURITATI AETERNAE.

Hic numus a Goltzio adfertur Tab. IX. & eo describitur a Comite Mediobarbo p. 124. Securitas æterna Romano Imperio adlata est a Tito, devictis Judæis; qui tertius post alios duos ante se duces clarissimos, Pompejum, & Sosium sub Antonio, Hierosolymam cepit.

NUM. 39.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

TRibunicia POTestate VIII. COnSul VII. Quadrigæ triumphales, ex quibus flos erumpit.

Argenteum hunc numum rarum ita describit Vaillantius Tom. II. p. 97. „ Pro Tito in „ quadrigis triumphante, super eas flos, seu her-„ ba, quam gerere solet Dea Spes, collocatur: „ ad denotandam Reipublicæ spem in armis Ti-„ ti victricibus positam esse per triumphum de „ Judæis actum." Nonnullis non flos, aut folia herbæ, sed flammæ e currus vertice erumpentes visæ sunt, uti etiam ex numo Pechiano describit Mediobarbus; sed omnes emunctioris naris Antiquarii Critici florem patulum, sive trifolium, quod proprium est Spei Deæ symbolum, non flammas agnoscunt. Ita etiam in numo Augusti a L. Aquilio Floro Triumviro Monetali percusso, currus, super quo flos, sculptus est, ut notat Cl. Bellorius.

NUM. 40.

IMPerator TITUS CAESAR VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laurea corona redimitum.

Sine epigraphe. Aquila legionaria inter duo signa militaria.

Vaillantius ita describit hunc numum argenteum maximi moduli, quem inter rarissimos collocandum censet Tom. II. p. 99. & 100. „ Cusus hic numus est a Tito sub initium impe-„ rii, defuncto patre, cujus nomen adsumse-„ rat cum titulo Augusti, & Pontificis Maximi; „ ut fortassis celebraret Kalendas Julii, quibus „ Legiones Aegypti primæ, suadente Tiberio „ Alexandro Aegypti Præfecto, Vespasianum „ Imperatorem consalutarunt; ut refert Sueto-„ nius c. 6. *Tiberius Alexander Præfectus Ae-„ gypti primus in verba Vespasiani Legiones ade-„ git Kalendis Julii; qui principatus dies in po-„ sterum observatus est.*" Perlubet heic adferre quæ adnotavi ad hunc numum insignem, quem protuli ex Museo Mediceo Cl. 71. pag. 68. Titus,

tus, mortuo patre, Pontificatum maximum adeptus, quum solus imperare cœpisset, memor fidei virtutisque legionum suarum, quibus insignem de Judæis victoriam ac triumphum nobilissimum reportarat, rarissimum hunc numum argenteum forsitan cudi jussit: ni potius referendus sit ad Britannicam expeditionem, quæ a Dione memoratur. Numum Titi, Senatus Consulto percussum, illustrat Oiselius Tab. XCIV. num. VI. p. 468. in cujus aversa Victoria, sinistra palmam ferens, dextra lauream coronam imponit militari signo, cui vexillum suspensum est.

Aquila legionaria, quæ in medio defixa cernitur, coronam, victoriæ indicem, rostro deorsum converso præfert: a dextris signum cum manu expansa ac porrecta constitutum occurrit, de quo Fabrettus de Columna Trajani Cap. III. pag. 60. De cultu & auspiciis horum militarium signorum postea nonnulla observavi, de quibus etiam consulendus Caspar Gevartius in Electis Lib. I. Cap. II.

NUM. 41.

IMPerator Titus CAESar VESPASIANUS. Caput Titi.

IMPerator XIII. Figura monticulis insidens, dextra e vacca lac emungit mulctrali vase supposito.

Producit hunc numum Mediobarbus p. 124. ex Schedis Pedrusianis.

NUM. 42.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

TRibunitia POTestate VIII. COnSul VII. Quadrigæ triumphales.

Describitur hic numus ab Occone p. 165.

NUM. 43.

Anticæ partis epigraphe, eadem facile, ut superior. Caput Titi laureatum.

Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul VII. Imperator in quadrigis, dextra ramum, læva sceptrum, in cujus apice globus.

Hunc numum ita describit Vaillantius Tom. II. p. 97. „ Triumphi Judaici typus in nummis Titi renovatur, tanquam æternum ejus rei monumentum, dum ille imperium, patre mortuo anno 832. suscepit; ille autem tunc Tribunitiam Potestatem VIII. gerebat, & Consulatum VII. hoc anno vivo parente inibat, ut testantur nummi ejus cum his titulis percussi.

NUM. 44.

In antica eadem ut in superiore numo facile epigraphe. Caput Titi laureatum.

Sine epigraphe. Thensa, in qua figura sedet dextra hastæ innixa, & læva protensa pateram tenens. Thensam trahunt duo elephantes cum sessoribus.

Hic numus argenteus rarissimus & præstantissimus est, auctore Vaillantio, qui hæc ad eum adnotat Tom. II. pag. 99. „ Vespasiani patris apotheosin voluit Titus in hoc nummo repræsentari. Thensa genus erat vehiculi, quo defuncti viri principes per Circum ad rogum deferebantur. Elephantes symbolum sunt æternitatis, & figura sedens simulacrum erat ipsius Vespasiani inter divos jam relati, vel proxime referendi." Nuperus Editor V. C. Operis Vaillantii adnotat hunc numum exstare in Museo D. Abbatis de Rothelin.

NUM. 45.

IMPerator Titus CAESAR VESPASIANUS AUGustus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia POTestate VIII. COnSul VII. Figura nuda genuflexa, religatis ad tropæum manibus.

Describitur hic numus a Mediobarbo p. 124. Item alius adfertur ex Cimeliis Fæschianis cujus epigraphe posticæ partis cum hoc concordat; sed antica habet: T. CAESAR VESPASIANUS. Exstat in Museo Grimaldio.



TA-

TABULA VIII.
EXHIBENS
TYPOS NUMISMATUM
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
EX ARGENTO.

NUM. 46.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate VIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriæ. Currus quadrijugis equis ductus, cui imminet flos.

Producitur & explicatur hic numus ab Oiſelio Tab. XCII. num. 5. quem vide, ex eo deſcribit Mediobarbus p. 124. Hunc numum profert Cl. Bellorius. n. 15. Exſtat hic numus in Muſeo Grimaldio.

NUM. 47.

IMPerator TITUS CAESAR VESPASIANUS AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi.

BONUS EVENTUS AUGUSTI. Figura nuda ſtans, dextra pateram tenet.

Deeſt apud Com. Mediobarbum epigraphe adverſæ partis pag. 121. quam ſupplevi ex numo Muſei Theupoliani Ser. II. pag. 147. Ita quoque hunc numum Occo deſcribit p. 105. Adnotant deſcriptores muliebrem figuram in poſtica ſculptam; & quidem Mediobarbus ita ſuum deſcribit ex Muſeo Nicolai Bon J. C. *Figura muliebris ſtans nuda, ſiniſtro brachio columnæ nixa, haſtam tenet per tranſverſum, dextra mucronem;* qui typus omnino differt a Theupoliano. Sed in numis frequenter Bonus Eventus Deus, qualem ab Euphranore ſculptum memorat Plinius, virili ſpecie exprimitur, & quidem nudo corpore: ita etiam in aureo Titi numo ſuperius deſcripto num. 58. Muliebri ſpecie, rarum imo inſolitum mihi videtur. Optimum Titi imperium declarat hic numus.

NUM. 48.

IMPerator Titus CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate VIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriæ. Venus Victrix, columnæ nixa; caſſidem dextra manu adtollit, ſiniſtra transverſam haſtam.

Hunc numum profert Bellorius inter argenteos n. 10. & in explicatione pag. 72. cenſet Venerem dextra tenere clypeum, qui typus in numis Auguſti occurrit. Sed, pace tanti viri dixerim, non clypeum, ſed caſſidem oſtentat; uti ſuperius adnotavimus. Numus argenteus eodem typo inſignis exſtat in Muſeo Grimaldio, ſed in eo a ſuperiore diſcrepat poſticæ partis inſcriptio, quæ ita ſe habet: TR. P. VIIII. IMP. XV. COS. VII. P. P. Venus nuda obverſo corpore ſiniſtro brachio nititur columellæ, quo haſtam tenet, de quo infra.

NUM. 49.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate VIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriæ. Dea Concordia ſedens cum copiæ cornu, & patera.

Deſcribit hunc numum Bellorius inter argenteos Titi n. 17. pag. 73.

NUM. 50.

Titus CAESAR VESPASIANUS. Caput Titi.

PONTIFex MAXIMus. Figura ſedens, dextra haſtam, ſiniſtra ramum.

Mediobarbus deſcribit hunc numum ex Arſcotanis Tab. XXIX. n. 23. Dies, quo Imperatores Romani Pontificatus Maximi inſignia capiebant in Capitolio in æde Jovis, notabatur in publicis Tabulis, ac monumentis. Exſtat Florentiæ inſignis Tabula marmorea, quam protuli in Par. I. Inſcriptionum antiquarum, quæ in Etruriæ Urbibus exſtant, pag. 316. num. 64. in qua Dies aſſumti Pontificatus Maximi a Tiberio Cæſare ita adnotatur: VI. IDUS MARTIAS

QUA DIE TI CAESAR PONTIF. MAXIMUS FELICISSIME EST CREATUS.

N U M. 51.

Epigraphe omissa apud Mediobarbum p. 124. forsitan alteri similis.

PONTifex MAXimus. Imperator eques, dextra spiculum gerit.

Inter elegantiores hic numus censetur a Vaillantio, qui ita egregie illustrat Tom. II. p. 27. „ Pontificis Maximi dignitatem in se perpetuam transtulerunt Imperatores, quæ, ut Consulatus, & Tribunitia Potestas, non renovanda; quia erat ad vitam. Paludatus in equo est Titus cum hoc titulo, tanquam ad Britannicam expeditionem promtus; quod sacra facere posset tam uti Pontifex, quam ut Imperator, ut liquet ex Lampridio in Severo." Describitur hic numus a Com. Mediobarbo pag. 124.

N U M. 52.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

COnSul VII. Bos.

Sequentes Titi numi, qui præferunt inscriptum ejus Consulatum VII. percussi sunt mortuo Vespasiano, anno V. C. 832. Christi 79. quo idem Titus Romanum Imperium solus tenuit, & in his *Augustus, Pontifex Maximus, & Pater Patriæ* dicitur.

N U M. 53.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriæ. Captivus, dextro genu flexo, revinctis manibus ad tropæum.

Adfertur a Mediobarbo pag. 124. ex Museo Daviæ.

N U M. 54.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriæ. Mulier stolata sedens, dextra duo papavera, sinistra copiæ cornu tenet.

Hunc numum prætermisit Comes Mediobarbus p. 124. 125. habet autem Occo p. 105. Exstat in Museo Grimadio.

N U M. 55.

Eadem epigraphe in utraque numi facie legitur, ut in descriptis supra numis. Caput Titi laureatum.

Columna rostrata, supra quam posita Imperatoris statua radiato capite.

In aureo Titi numo superius descripto num. 46. idem aut paene similis typus occurrit. Hunc quoque Mediobarbus ex Cimeliis Daviænis exscripsit p. 124.

N U M. 56.

Eadem epigraphe ut supra in utraque numi facie. Caput Titi laureatum.

Currus quadrijugis equis ductus, supra quem flos.

Persimilis typus & in aureis Titi numis occurrit, ut supra num. 44. Idem Mediobarbus descripsit ex Museo Daviæ p. 124. Exstat in Museo Grimaldio.

N U M. 57.

Eadem epigraphe cum in antica tum in postica numi parte. Caput Titi laureatum.

Venus nuda stans, columnæ innixa; dextra galeam ostentat, sinistra hastam.

Venus Pacifera, rebus prospere in bello gestis, gloriabunda inducitur, ita sculpta in Cæsarum numis; ad quos illustrandos non abludunt Lucretiani versus elegantissimi, quos adferre non abs re mihi videtur. Ita enim Lucretius Lib. I. ver. 30.

Effice, ut interea fera munera militiai
Per maria, ac terras omnes sopita quiescant.
Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis, quoniam belli fera munera Mavors
Armipotens regit, in gremium qui sæpe tuum se
Rejicit, aterno devictus volnere amoris;
Atque ita suspiciens tereti cervice reposta
Pascit amore avidos inhians in te, Dea, visus:
Eque tuo pendet resupini spiritus ore.

N U M. 58.

Eadem, ni fallor, ut supra epigraphe in antica numi. Caput Titi laureatum.

EX S. C. (Ex Senatus Consulto.) Victoria laureata clypeum adpendit tropæo, sub quo captivus sedet.

Adfert hunc numum, & illustrat Oiselius Tab. LXIX. n. 5. ex eo iterum producit Mediobarbus p. 124. Quemadmodum vero, uti superius observabam susceptum tempus Pontificatus Maximi in publicis monumentis consignabatur; ita etiam perhonorifica *Patris Patriæ* adpellatio, quod mihi compertum ex vetusto sequenti lapide, seu fragmento veteris Kalendarii Prænestini, quod hæc habet:

NON.

NON. N. CONCORDIAE
IN. ARCE. FERIAE. EX
S. C. QUOD EO DIE
IMPERATOR. CAESAR
AUGUSTUS. PONTIFEX
MAXIMUS. TRIB. POTEST
XXI. COS. XIII. A. SENATU
POPULOQUE. ROMANO. PATER
PATRIAE. APPELLATUS

Vide Gruterum p. CXXXVI. 2.

NUM. 59.

Eadem epigraphe, ut supra in utraque numi facie. Caput Titi laureatum.

Duo Capricorni, quorum in medio clypeus in quo scriptum S. C. Senatus consulto, sub clypeo globus.

Perrarus hic numus ab Occone & Mediobarbo non descriptus exstat in Museo Grimaldio. Typus auream Imperii Romani sub Tito felicitatem, qualis Augusti ævo floruit, designat.

NUM. 60.

IMPerator TITUS CAESAR VESPASIANus. Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriae. Capricornus supra globum.

Cæleste hoc signum cum globo conjunctum, Romani Imperii sub Tito felicitatem, & æternitatem designat. Describitur a Mediobarbo p. 125. ex Minianis Cimeliis. Exstat hic numus in Museo Grimaldio.

NUM. 61.

In utraque numi facie eadem epigraphe sculpta, ut in antecedenti.

Figura insistens columnæ rostratæ, dextera hastam gerit.

Minime dubitandum Imperatoris statuam rostratæ columnæ impositam esse; & forsitan divinare licet non solum Vespasiano, sed & Tito dedicatam, vel etiam duas columnas fuisse. Ex Minianis Schedis Mediobarbus p. 125.

NUM. 62.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Titi caput laureatum.

TRibunicia Potestate VIII. IMPerator XV. COnSul VII. Pater Patriæ. Captivus dextrum genu flectens, revinctis ad tropæum manibus.

Numus hic argenteus, & sequentes quinque a Mediobarbo Comite describuntur pag. 124. item etiam ab Occone p. 105.

NUM. 63.

Eadem in utraque numi parte epigraphe. Caput Titi laureatum.

Figura stans, sinistro brachio columnæ innixa, hastam per transversum gerit.

NUM. 64.

Eadem cum in antica tum in postica inscriptio. Caput Titi laureatum.

Captivus flexo genu sub tropæo, e quo pendent duo pila & scutum cum thorace in medio.

Adfertur a Bellorio num. 2. explicatur pag. 72.

NUM. 65.

IMPerator TITUS CAESAR VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate IX. IMPerator XIIII. COnSul VII. Pater Patriae, Capricornus sub quo globus.

Hic numus in lucem editus a Cl. Bellorio n. 6. at in explicatione, ut videtur, hallucinatur, dum censet Augusti numum restitutum. Parum variat; idem ac superius descriptus videtur. Jam adnotavimus tum Vespasianum, tum Titum ut faustissimum Imperium suum declararent, idem thema Augusti, nempe Capricornum cæleste signum usurpasse, ut æternitatem imperio suo conciliarent, & Senatus & populi Romani gratiam inirent. Censet etiam Bellorius argenteum numum Titi cum Delphino anchoræ obvoluto, numum esse Augusti restitutum; sed perperam. Vide infra.

NUM. 66.

Anticae partis inscriptio eadem, ut in superiore numo. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XV. COnSul VII. Pater Patriae. Venus nuda obverso humero stans, dextra cassidem ostentat, sinistro brachio columnae innixa, hastam transversam gerit.

In Grimaldio Cimeliarchio hic numus adservatur.

NUM. 67.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate VIIII. IMPerator XV. COnSul VII. Pater Patriæ. Capricornus globo inſtans.

Ex iiſdem Cimeliis Davianis profert Comes Mediobarbus p. 124. De hoc typo ſuperius.

NUM. 68.

Utriuſque faciei numiſmatis eadem epigraphe, ut in antecedenti. Caput Titi laurea redimitum.

Figura inſiſtens columnæ roſtratæ, dextra haſtam tenet, caput habet radiatum.

Habetur in Mediobarbana Deſcriptione pag. 124. ex archetypo Muſei Daviæ. De hoc ſupra nonnulla adtuli. Exſtat in Muſeo Grimaldio.

NUM. 69.

IMPerator Titus CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus. TRibunicia Poteſtate COnSul VIII. Pater Patriæ. Caput Titi laureatum.

ANNONA AUGuſti, ſive AUGuſta. Annona Dea ſedens, verſo dextrorſum capite, præcinctorium frugibus plenum adtollit.

De hoc ipſo typo diximus ſupra ad alium numum Titi argenteum. Sed ille initio imperii percuſſus eſt, hic vero ultimo ejus imperii anno, quum præferat Conſulatum ejus VIII. Ex his colligimus Titum annonam in ſumma caritate non ſemel curaſſe, & publicæ ſaluti, & incolumitati P. R. conſuluiſſe pervigili cura. Exſtat in Muſeo Grimaldio.

NUM. 70.

IMPerator Titus CAESar VESPASIANus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Pulvinar Jovis cum ejus fulmine repoſito.

Adfertur hic numus a Bellorio inter argenteos n. 7. & explicatur pag. 72. Livius ſcribit Dec. III. Lib. 2. „ Cn. Flaminio, & Cn. Servilio Conſulibus X. *Virorum monitu decretum fuit fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret:* quod fulmen religionis cauſa ſervabatur in interiore cella. Exſtat in Muſeo Grimaldio.

NUM. 71.

Eadem epigraphe in utraque numi facie. Caput Titi laureatum.

Pulvinar ornatiſſimum.

Egregius Bellorius cenſet heic ſculptum Pulvinar Junonis ad numos Titi n. 9. pag. 72. ut in numis Veſpaſiani, quod erat in ejus cella Capitolina, & arbitratur liliis ornatum fuiſſe hoc modo. Exſtat hic numus in Muſeo Grimaldio.

NUM. 72.

IMPerator TITUS CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Poteſtate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Sellae duæ junctæ, ſeu biſellium, ſuper quo laurea corona.

Lauream hanc coronam Jovi dedicatam eſſe cenſet Cl. Bellorius ad numos arg. 11. ubi hunc refert, & explicat pag. 72. Hanc Victores Imperatores, triumpho acto in gremio Jovis Capitolini ponebant, & dedicabant. Sellæ divini honoris indices Diis, Heroibus, ac Principibus propter decus ponebantur; adjecto fulmine, ſceptro, diademate, galea, & coronis; de quibus alia inferius adnotabimus.

NUM. 73.

In antica numi facie eadem epigraphe. Caput Titi laureatum.

TRibunitia Poteſtate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Tripus, cui inſiſtit Delphinus.

Adſervatur hic numus in Muſeo Grimaldio, cujus typus a Mediobarbo prætermiſſus.

NUM. 74.

In utraque numi parte eadem ut ſupra inſcriptio. Caput Titi laureatum.

Columna roſtrata, cui impoſita Imperatoris haſtam tenentis ſtatua.

Non abs re videtur heic adferre, quæ ad numos Titi tum aureos, tum argenteos, hoc emblemate inſignes adnotat Doctiſſimus Vaillantius Tom. II. p. 99. „ Columna illa roſtrata „ videtur ea fuiſſe, quam narrat Suetonius in „ Fori parte Galbæ a Senatu decretam; in cu„ jus Imperatoris loco, poſita eſt Veſpaſiani ſta„ tua, ob victoriam contra Judæos ab eo rela„ tam in lacu Genaſar; de qua vide Joſephum „ Bell. Jud. Lib. III. Cap. 19. & cujus meminit „ in triumpho ejuſdem principis Lib. VII. Cap. „ 17. *Multæ etiam ſequebantur naves.* Unde in „ patris & filii nummis *Victoria Navalis.* Ad„ fertur a Bellorio n. 3. & explicatur p. 72.

NUM. 75.

IMPerator Titus CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate COnSul VII. Caput Titi laurea redimitum.

VE-

VESTA Populi Romani. Dea Vesta sedens, velato capite, dextera pateram tenet.

Constat ex Tacito Vestæ Templum, quod in magno illo Urbis incendio conflagraverat, a Vespasiano & Tito, ut infra luculentius ostendam, restitutum fuisse. In memoriam pietatis, religionis, ac magnificentiæ Titi hic numus perrarus sculptus videtur. Vide etiam in edito superius Titi numo aureo num. 21. Mediobarbus hunc descripsit ex Museo Ruzini J. C. Bononiensis p. 125.

NUM. 76.

IMPerator TITUS CAESAR VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRibunicia Potestate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Tropæum cum duobus captivis hinc inde adsidentibus. Adfertur a Bellorio n. 5. & describitur pag. 72.

NUM. 77.

Eadem epigraphe cum in antica tum in postica, ut in antecedente numo.

Elephas.

Adsimilis typus in aureis numis. Vide adlatam superius Tabulam num. 64. Ex Occone p. 105. descripsit Comes Mediobarbus p. 125. Adfertur a Bellorio n. 4. & explicatur p. 72. Exstat etiam in Museo Grimaldio.

NUM. 78.

Eadem epigraphe, ut in numo superius descripto.

Sella curulis ornata.

Vide aureos Titi numos num. 65. Adfertur a Bellorio n. 9. & describitur pag. 72. & exstat in Museo Grimaldio.

NUM. 79.

Eadem epigraphe in utraque numi facie, ut in antecedenti.

Delphinus cum aquila.

Imperii Romani moderante Tito potentiam, cujus aquila symbolum est, & partas ab eo terra marique victorias hic typus designat.

NUM. 80.

In utraque numi facie eadem epigraphe, uti superius legitur.

Aedificium pulcherrimum.

Describit hunc perrarum numum Vaillantius T. II. pag. 97. 98. his observationibus. „ Icon est Templi a Tito in honorem patris ex„ structi in Regione VII. quod dictum est *Tem„ plum Flaviæ Gentis*; sed P. Victor de Regio„ nibus Urbis innuere videtur, Domitianum il„ lud postea Minervæ, ab eo superstitiose cultæ, „ & dictæ *Flavianæ*, dedicasse, *Templum Miner„ væ Flavianæ, alias Templum gentis Flaviæ.*

NUM. 81.

Sequentium numismatum epigraphe, cum in antica tum in postica, eadem est ut in superiore.

NUM. 82.

Tripus supra quem Delphinus. Exstat in Museo Grimaldio.

Ara cum fulmine.

NUM. 83.

Figura sedens dextra ramum, sinistra taedam gestat.

NUM. 84.

Delphinus anchoræ implicitus.

Hi fere omnes typi & in aureis Titi numis supra descriptis occurrunt. Adfertur a Bellorio n. 8. & describitur p. 72. & exstat in Museo Grimaldio.

NUM. 85.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANUS. Caput Titi laureatum.

COnSul VIII. Prora navis rostrata cum stella.

Hic numus cum reliquis novem paullo ante descriptis, recensentur a Comite Mediobarbo p. 125. jam ab Occone descripti p. 105. & 106.

NUM. 86.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul VIII. Caput Titi laureatum.

JUDAEA CAPTA.

Renovatur memoria tum Victoriæ, tum triumphi Judaici celeberrimi; quod singulis fere Titi Consulatibus factum jam adnotavimus, & quidem Senatus Consulto uti plurima ex ære numismata testantur.

NUM. 87.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

TRi-

TRibunicia Poteſtate IX. IMPerator XV. COnSul VIII. Pater Patriæ. Tripus cum corona in medio ſupra quam Delphinus, hinc inde aves ad auſpicia.

Hic idem numus adfertur ab Jo. Petro Bellorio num. I. Tab. numiſmatum argenteorum, & deſcribitur pag. 72. Tripus Apollini ſacer, Auguratus dignitatem facile deſignat. Exſtat in Muſeo Grimaldio.

NUM. 88.

DIVO TITO. Caput Titi radiatum.

CONSECRATIO. Ara cum igne.

Titus mortuus eſt die decima tertia Septembris: regnavit annos duos, menſes duos, dies viginti, ut oſtendit Cl. Tillemontius.

NUM. 89.

DIVO TITO. Caput Titi radiatum.

CONSECRATIO. Aquila caelum reſpiciens.

De Titi apotheoſi inferius ſermo. In Arcu Triumphali Titus ab aquila in ſublime raptus, conſpicitur. Spartam hanc de Apotheoſi Imperatorum Romanorum egregie occupavit Vir omnigena eruditione & doctrina excultiſſimus Joannes Daniel Schoepflinus Conſil. & Hiſtoriographus Galliarum Regis meritiſſimus, amicus meus, quem adeat Lector, ac præſertim Cap. II. ubi de Tito, qui ei in Deorum numero relatos *Titiales Sodales* adſignatos adnotat pag. 21.

NUM. 90.

DIVUS TITUS AUGuſtus VESPAſianus. Caput Titi radiatum.

JULIA AUGUSTA DIVI TITI F. Caput Juliæ.

Ex Fæſchianis numis hunc deſcribit Mediobarbus p. 126. Inſcriptio triumphalis Arcus qui poſt ejus mortem conſtructus eſt hæc habet.

SENATUS
POPULUSQUE. ROMANUS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI F.
VESPASIANO. AUGUSTO

NUM. 91.

Epigraphe deeſt, facile ſuperiori ſimilis.

AETERNITAS FLAVIORUM. Templum ſex columnarum, cum tribus ſimulacris ſupra fornicem; hinc inde duæ ſtatuæ equeſtres, ſupra quatuor equi decurrentes.

Ex Numis Arſchotanis Tab. XXX. n. 19. profert Mediobarbus p. 126. qui hæc adnotat: *Templum ſumtuoſiſſimum a Domitiano conſtitutum in honorem gentis ſuæ Flaviæ, in Regione Urbis VI. ad Malum Punicum, in qua olim natus erat; auctor eſt Suetonius in Domitiano.*

TABULA IX.
EXHIBENS
TYPOS NUMISMATUM
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
EX ÆRE MAGNO.

NUM. I.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator Pontifex COnSul II. Caput Titi laureatum.

JUDAEA CAPTA. In numi exergo S. C. Palma arbor inter mulierem ſedentem, prope bellica arma, quæ læva caput pallio ſuo velatum ſuſtentat, & Imperatorem ſtantem cum haſta & parazonio, lævo pede galeam calcantem.

Hominum mores mutari honorum inter mortales magnorum adceſſione conſtat variis quibus antiqua & recens Hiſtoria abundat exemplis: Titus imperium adeptus, natura benevolentiſſimus fuit, & virtutem coluit, qui antea ſævitiam, & cupiditatum illecebras omnes in ſe tranſtulerat. Sed ex his numis, quos adferimus, complures in ejus honorem percuſſi ſunt adhuc vivo Veſpaſiano patre, quo auſpice bello, triumphoque Judaico ſummopere inclaruit. Qualis tunc eſſet Titus, memorat Tacitus Hiſt. Lib. V. in princ. *Ejuſdem anni principio, Cæſar Titus perdomandæ Judææ delectus a patre, & privatis utriuſque rebus militia clarus, majo-*

re tum vi famaque agebat, certantibus provinciarum & exercituum studiis, atque ipse, ut super fortunam crederetur, decorum se promtumque in armis ostendebat, comitate & adloquiis officia provocans; ac plerumque in opere, in agmine, gregario militi mixtus, incorrupto Ducis honore. Hæc vero Suetonius in ejus vita c. 5. Ad *perdomandam JUDAEAM relictus, novissima Hierosolymorum oppugnatione septem propugnatores totidem sagittarum confecit ictibus, CEPITQUE eam natali filiæ tanto militum gaudio ac favore, ut in gratulatione Imperatorem eum consalutaverint.* Hegesippus ejus fortitudinem in expugnanda famosa urbe, eique dando supremo die, hæc scribit Lib. Cap. 25. *Emicat Titus, & alios a tergo fugientes opprimit, alios cædit, palantes universos præverso itinere a muris repellit & obvius recurrentibus fugam intercludit. Primus in urbem inruit, & postea ceteri.* Igitur capta exscisaque Judæa, quum Romam Titus rediisset, a patre consors imperii Romani factus, numos hosce cum epigraphe JUDAEA CAPTA, aeterna virtutis suæ monumenta obtinuit, Senatus consulto percussos; quibus etiam, ut vidimus, Vespasianus honestatus est, quod ejus consilio, & auctoritate Judaicum bellum a Tito gestum esset. Tempus, quo hi numi percussi sunt, supra non semel indicavimus.

NUM. 2.

Titus CAESar IMPerator AUGusti Filius TRibunicia Potestate COnSul VI. Censor. (In alio TR. P. P. P.) Caput Titi Cæsaris laureatum.

JUDAEA CAPTA. S. C. Duo captivi sub palma.

Consulatu quoque sexto Titi repetitur Judææ captæ ab eo ac deletæ insigne monumentum. Judæam Titus cepit eo ipso die, qui apud Judæos sanctus est, nempe Sabbatho; ut Dio testatur Lib. LXVI. *Sic Hierosolyma die Saturni, quem diem præcipue Judæi nunc etiam adhuc colunt, exscisa fuere.*

NUM. 3. 4.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul VIII. (in alio cum P. P. hoc est Pater Patriæ.)

JUD. CAP. Hoc est: JUDAEA CAPTA. In numi exergo S. C. Senatus Consulto. Captivus manibus post tergum revinctis stans, & mulier sedens ac lugens juxta palmam arborem inter acervum armorum.

Senatus ut iniret gratiam Titi, statim ac defunctus est Vespasianus ejus pater, memoriam ejus egregiæ virtutis ac fortitudinis, captæ nempe Judææ typum, in numis consulatu ejus quoque VIII. dedicatis, renovavit, ut ei Romanum imperium moderanti, præteritorum facinorum nova gratulatione & memoria, immensum gloriæ decus virtute sua partum testaretur.

NUM. 5.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator IIII. PONTifex TRibunicia Potestate II. COnSul II. Caput Titi laurea redimitum.

JUDAEA. In numi exergo S. C. Imperator Titus galea, thorace ac paludamento insignis, stans, læva hastæ innixus, dextra aliquid jubenti similis, dextro pede galeam calcat. Captivus flexo genu Imperatorem adorans, & post eum adveniens mulier supplices ad eum manus tendunt; non longe palma arbor.

Similem typum in numo Vespasiani supra observavimus in Tab. XIII. num. 6. Verum in eo Imperator nudo capite stat, & dextra Victoriolam globo insistentem tenet; in hoc Titus galea insignis, dextra rebelles Judæos arguit, & fideles ut sint jubet. Potiori jure convenit hujus numismatis typus Tito; ipse enim Jerosolymas cepit, ac subvertit; Hunc numum ad restitutionem Hierusalem & Judææ a Tito factam, referendum esse censet Comes Mediobarbus, qui eum describit pag. 122.

NUM. 6.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia Potestate CONSul II. (In alio TR. POT. COS. II) Caput Titi laureatum.

CONGIARium PRIMUM Populo Romano DATum. Titus Cæsar togatus ad dextram respiciens, in sella curuli sedens in substructione, adstante Pallade quæ læva hastam, dextra pateram tenet; infra stant duæ figuræ, a dextris vir togatus, a sinistris servus, qui dextra adtollit tesseram frumentariam. In numi exergo S. C.

Rei antiquariæ facile princeps Vaillantius hunc numum ita descripsit, ut quæ ea esset figura, quæ in medio stat, notum nobis non fecerit, nec nuperus editor Baldinius de his monuit. Hæc enim habet pag. 35. *Imperator togatus sedens in substructione cum figura stante: in area duæ aliæ.* Mediobarbus quoque iisdem verbis hunc numum descripsit pag. 121. Palladem adstantem ante Imperatorem, qui congiarium dat populo Romano, descripsit ex alio numo Musei Moscardi, cum epigraphe: CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. S. C. idem Mediobarbus. Hinc oritur mihi suspicio, Minervam non solum a Domitiano, ut auctor est Suetonius in ejus vita c. 15. verum etiam a Tito ejus fratre cultam fuisse, tamquam tutelare Domus numen; nam ante ejus simulacrum Congiaria populo Romano dat, ut hæc numismata testantur. Hunc numum profert Angelonius Tab. 88. num. 21. pag. 78.

NUM. 7.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator III. PONTifex TRibunicia POTestate II. COnSul II. Caput Titi Cæsaris lævorsum respiciens, laurea corona redimitum.

CAESAR DOMITIANus COnSul DESignatus II. Domitianus togatus equo vectus, sinistra gerens Consularis dignitatis insigne eburneum scipionem cum juvenili capite ejus vertici insidente. In numi exergo S. C.

Præclarum hoc numisma nobis exhibet fraternum Titi amorem quo fratrem suum Domitianum prosecutus est, quum iterum Consul designatus est, quod insigne monumentum benevolentiæ posuit vivo Vespasiano patre, anno nimirum V. C. 825. C. N. 72. nam sequenti anno Domitianus iniit Consulatum suum secundum, in quo collegam habuit M. Valerium Messalinum; ipse vero Titus Cæsar memorato anno, quo Domitianus Consul designatus est, cum Vespasiano Consulatum secundum gerebat. Quibus honoribus prosecutus sit Titus fratrem Domitianum, licet immerentem, docet Suetonius c. 9. *Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pæne ex professo solicitantem exercitus, & meditantem fugam, neque occidere, neque seponere, ac ne IN MINORE QUIDEM HONORE habere sustinuit; sed (ut a primo imperii die) consortem successoremque testari perseveravit: nonnunquam secreto lacrymis & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.* Adfert hunc numum ex Thesauro Brandenburgico Laur. Begerus Tom. II. pag. 635. & illustrat, & inter hæc scribit: *Ex sceptro Consulari, quod eques Domitianus præfert, ad Consulatum secundum statuam pertinere liquet.* Equestrem statuam Senatus consulto positam Domitiano censet etiam Angelonius, qui hunc ipsum numum adducit Tab. 88. num. 4. pag. 72. Sed hoc decus ex hoc numo argui non posse clamat Vaillantius. Quid vero innuat illud insigne, quod gerit, cui juvenile caput in vertice impositum est, mox ad alios numos expendam.

NUM. 8.

Titus VESPASIANus AUGustus IMPerator TRibunicia Potestate COnSul III. Caput Titi laureatum.

ROMA. In area numi S.C. Roma galeata stans, dextra Victoriolam, læva hastam gerens.

Senatus consulto non pauci numi percussi sunt in honorem Titi Cæsaris, cum emblemate Romæ vel stantis, vel insidentis bellicis spoliis, quæ dextra vel lauri ramum, vel lauream coronam, vel etiam Victoriolam præfert, quorum epigraphe ROMA VICTRIX. vel ROMA, ut in hoc nostro depromto e Museo Christianissimi Regis. Tito Cæsari jam Romam reverso, claro partis Britannico & Judaico bello victoriis, in memoriam ejus virtutis hujus modi Romæ simulacra dedicata sunt, quæ in hisce numis exhibentur. Mos enim fuit Imperatoribus vel ad debellandos populos proficiscentibus, vel a bello redeuntibus, parta victoria hujus modi simulacra offerre, quæ Romam cum Victoriola referrent, vel etiam ipsas Victoriolas iisdem pro meritis consecrare, quod alibi fusius observavi. Harum Victoriarum, quas Imperatores consecuti fuerant, memoria renovabatur, & toties repetebatur, quoties ipsi Consulatum inibant, & solemni pompa procedebant: Alium numum in honorem Titi percussum in sexto ejus Consulatu adfert, & in hunc modum describit Oiselius Tab. XIX. num. III. *Numus Titi cum inscriptione* COS. VI. *Roma galeata sedens super arma disjecta, quæ inter duo clypei cum galea conspicui; juxta pedes ejus lupa lactans Romulum & Remum, dum ad caput ejus utrinque duæ Aquilæ advolant.* Reor duas Aquilas Britannicam & Judaicam Victoriam designare. Alterum numum in eadem Tabula XIX. num. VI. adfert idem Oiselius cum epigraphe ROMA, Vespasiano dedicatum, in quo Dea Roma tropheo innititur, & sinistra aquilam Legionis signum, dextra Victoriolam prætert; quæ numismata eodem tempore, eademque occasione Vespasianis patri & filio dedicata sunt.

NUM. 9.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (in alio fine P. P.) Caput Titi Imperatoris laureatum.

VESTA. In area numi hinc inde S.C. Vesta dextrorsum versa sedens, pallio caput velata, læva hastam, sinistra Palladium tenet & offert.

Cum hac epigraphe VESTA dedicata sunt Senatus consulto alia numismata, quorum typus non ipsa Dea Palladium offerens & sedens; sed templum rotundum, in cujus medio ejusdem Deæ simulacrum sedentis specie; & quidem hæc percussa non solum in Consulatu Titi octavo, quem gessit una cum Domitiano septimum Consule, anno V. C. 833. C. N. 80. verum etiam in Consulatu secundo, quarto & septimo. Alium numum describit Vaillantius cum epigraphe VESTA in Tito pag. 98. Tom. II. Num. Præst. in quo Templum cum tribus figuris, ut in patre Vespasiano; & hæc adnotat: *Vestæ templi icon in numo Titi, ut in patre, repræsentatur, ob ipsius ab iis restaurationem, quum illud in magno illo Romæ incendio conflagrasset, ex Tacito, ut supra diximus.* Occurrit etiam, ut videbimus, idem Vestæ templum rotunda forma, cum simulacro ejusdem in penetrali in numis Domitiani in quatuor ejus Consulatibus percussis. Sed in hisce numismatis, in quibus non templum, sed Dea Vesta sculpta est, quæ Palladium offert, arbitror, ad æternitatem imperii Titi Senatum respexisse; nam Palladium, quod in Templo Vestæ Romæ servabatur; æternum Romani imperii pignus & columen censebatur; etsi non negem, Titi pietate restitutum Templum Vestæ, & pristino cultui & honori restitutum ejus simulacrum hoc ipso typo posse designari.

NUM.

NUM. 10.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus Tribunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Imperatoris Titi laureatum, ad dexteram conversum.

ANNONA AUGusta, sive AUGusti. In numi exergo S. C. Mulier diademate ornata & stolata stans, dextra præfert parvum Aequitatis signum, sinistra cornu copiæ; ad pedes hinc vasculum cum spicis, illinc prora navis.

Creberrime, sicut in Vespasiani numis, ita & Titi sculptum cernitur Annonæ emblema; hic vero sculptus est in Consulatu ejusdem Titi octavo, in quo collegam habuit Domitianum fratrem suum anno V. C. 833. C. N. 80. post excessum patris. Hoc ipso anno quum incendio maximo non pauca ædificia Romæ conflagrassent, inter quæ & horrea, tanta fuit Titi cura, ne Populus Romanus vitæ periculo, instante fame, laboraret, ut naves frumento onustas Romam advehendas curaret in magno Urbis discrimine. Quapropter Senatus hoc ei numisma dedicavit, ut singularem ejus curam circa Annonam declararet; quare vasculum illud sive modius, sive panarium spicis abundans; & prora navis adpingitur, qua advectum magna copia frumentum denotetur. In adsimili numo, qui e Farnesiano Museo adfertur a P. Pedrusio S. J. in Tab. XVI. num. II. deest in exergo nota S. C. Senatus Consulti; & Annona ipsa dextra præfert Minervæ parvum simulacrum; at in hoc Aequitatis sive Justitiæ sigillum tenet. Mediobarbus in numis Titi in Consulatu ejus VIII. percussis, quos pag. 125. describit, Annonam præferre Victoriolam & copiæ cornu adnotat.

NUM. 11.

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANUS. (in alio Titus CAESAR VESPASIANUS.) Caput Titi Cæsaris laurea corona revinctum.

ANNONA AUGUST. (Augusti, sive Augusta.) Figura muliebris diademate cincta, tunica amicta, nudis brachiis, sedens, utraque manu sustinet ingremio lacinias lintei, in quo collectæ spicæ frumenti. In area numi nota S. C. Senatus Consulto.

Roma fame laborante, Imperator Vespasianus Annonam procuravit, teste Tacito Histor. Lib. IV. Cap. 52. *Tum celerrimas navium frumento onustas, sævo adhuc mari committit. Quippo tanto discrimine Urbs nutabat, ut decem haud amplias dierum frumentum in horreis fuerit, quum a Vespasiano commeatus subvenere.* Paullo ante hæc Tacitus narrat, Titum jam paratum ut digrederetur, ad reliqua Judaici belli perpetranda. Quum igitur numismata hæc cum Annonæ sedentis typo hoc tempore percussa sint, nempe anno V. C. 822. C. N. 69. liquet & ipsum Titum, consortem jam imperii a patre factum, singularem in Annona procuranda Urbi fame jam laboranti, curam gessisse. Hæc numismata describit Com. Mediobarbus pag. 119. in Tito, & Adolphus Occo pag. 103. Id etiam innuunt complura numismata inscripta CERES AUGUST. quæ ab iisdem Antiquariis describuntur; & curam Annonæ in provido Principe significant, uti Cl. Havercampus ad numismata Vespasiani argentea Tab. VIII. num. L. p. 288. adnotavit.

NUM. 12.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (in alio sine siglis P. P.) Caput Titi Cæsaris laureatum.

FELICITas PUBLICa. Femina stans dextra hastam, sinistra copiæ cornu gerit. In area numi S. C.

Populorum felicitati providi Principes prospiciunt, si pacem, annonam, justitiam, tranquillitatem aliaque hujus generis bona solicite curant. Publicæ Felicitati consuluit Titus Cæsar, quum natura benevolentissimus esset, & Romani orbis imperio dignus haberetur. Testantur numismata bene multa in ejus honorem cum hoc typo, Senatus consulto percussa, & quidem in Consulatu ejus secundo, in tertio, in quinto, in quibus adest fortuna, quæ non, ut in hoc, hastam, sed caduceum dextra gerit, & copiæ cornu; quibus symbolis parta ubique pace, curataque rerum copia & ubertate, publicam felicitatem donasse Populo Romano jam superiorum Imperatorum tyrannide oppresso significatur. Neque tantum Populi Romani felicitati prospexit; verum totius orbis, uti docet numisma Consulatu ejus quinto percussum cum eodem fere typo, & epigraphe: FELICITATI ORBIS TERRARUM. Accedunt ad hæc alia numismata eodem typo consignata, cum epigraphe FELICITAS AUGUSTI, quæ obvia sunt apud Numographos.

NUM. 13. 14.

IMPerator Titus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IX. Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Imperatoris laureatum.

PAX AUGUSTa, sive AUGUSTI. Mulier stolata stans, dextra præfert oleæ ramusculum, læva cornu copiæ. In area numi S. C.

Frequens est ut in Vespasiani, ita & in Titi, numis Pacis typus. Ea quæ ad priores diximus, heic repetere supervacaneum videtur. Judæa capta, quum totus orbis beata frueretur pace, numismata repetita sunt, quæ ad hoc tempus adluderent, vel ad Templum Pacis magnificentissime exstructum, multisque donariis locu-

pletatum, Janumque clausum, de quo satis dictum in observationibus ad numos præcedentibus Tabulis editos. In aliis Titi numis Pax stat ad aram, & dextera tenet pateram, sinistra caduceum, cum oleæ ramo. Notabilis vero est numus, quem adfert egregius Tristanus, & eruditis observationibus illustrat pag. 247. in quo quidem Pax oleæ ramum & caduceum præferens stat ad aram tripedem, cui non facer ignis impositus, sed aliquid solidum, quod victimæ femur esse opinatur; quare ejus explicationem Latino sermone redditam haud prætermittendam esse censui. Hæc igitur prælaudatus Tristanus: TI (in aliis numis constanter T. pro *Titus* scribitur; cur in hoc TI scriptum sit mirum videtur) „ CAES. IMP. VESP. CENS. P. P. Titi Vespasiani effigies cernitur in antica numi parte, in postica: PAX AUG. Dea Pax sinistro cubito columellæ innixa, olivæ ramum gerit manu sinistra, dextera vero demittit caduceum; & in ara prope ejus pedes posita hostiæ coxa jacet. Inter rariora Fouchetiani Musei numismata spectatur hic numus oppido insignis, non solum propter oleæ ramum & caduceum, quæ symbola gerit Dea tanquam Pacis firmæ stabilisque emblemata, quam Titus Romano Imperio restituit; verum etiam propter victimæ coxam aræ Pacis superpositam, quæ veterem ritum cum Græcorum tum Latinorum proprium demonstrat. Hi enim Paci Deæ cruenta sacrificia nunquam facere consueverunt; sed hostias immolandas extra Templum cædere; mox vero crura, sive coxas cremandas ejus altari imponere. Bacchylides in Vita Numæ a Plutarcho conscripta hujusce ritus meminit.

Τίκτει δὲ θνατοῖσιν Εἰρήνα μεγάλα
Πλοῦτον καὶ μελιγλώσσων ἀοιδῶν ἄνθεα.
Δαιδαλέων τ' ἐπὶ βωμῶν θεοῖσιν αἴθεται βοῶν
Ξανθᾷ φλογὶ μηρία, τῶν εὐτρίχων τε μήλων.

„ Scilicet: *Nunc Dea magna Pax opes veneresque dicendi ministrat. Illi super aras affabre constructas adolentur boum taurorumque coxæ.* Aristophanes vero in sua Comoedia Pacis peculiares ritus commemorat; Servus quippe inducitur, qui Domino dicat, se ad cædendum ovem Paci sacrificandam ire: cui nequaquam id licere respondet Dominus; Pax enim, inquit, victimarum sanguine non gaudet: quapropter victimam efferre jubet: postea quam vero mactaverit, crura sive coxas super altare consumendas referre: vs. 1017.

Λάβε τὴν μάχαιραν εἶθ' ὅπως μαγειρικῶς
Σφάξεις τὸν ὗν. Πρ. Ἀλλ' οὐ θέμις ΘΕ. τιὴ τι δὴ
Τρ. οὐχ ἥδεται δήπουθεν Εἰρήνη σφαγαῖς,
Οὐ δ' αἱματοῦται βωμός, &c.

„ Additque id agendo se totam ovem sacrorum Regi servaturum. Comoediam hanc legenti plura occurrunt, in quibus hujusce ritus fit mentio, citaturque Homerus testis. Id etiam confirmatur ab Oraculo quodam, quod refert Phlegon in Lib. Admirab. Cap. X. p. 2715. in Thesauro Antiq. Græc. Gronovii, in quo jubentur crura caprarum Phoebo consecrari ad obtinendam pacem. Præsto sunt versus:

Σεμνὸν Φοῖβον ἄνακτα μετελθέτω ἐν θυσίαισι
Προσφρονέως βωμοῖς ἐπὶ πίονα μηρία καύσας
Αἰγῶν παλλεύκων νεάτην. ἀτὰρ ὄιδατε πάντες,
Λισσέσθω Φοῖβον παιήονα κρᾶτα πυκάσσας
Ἰκκῆρες πίπτοντες ὅπως λυσίης ἀκάκοιο.

„ Quo in loco doctissimus Meursius *πίονα μηρία* *sumina*, scilicet papillas suis enixæ foetus interpretatur; non *femora*, seu *crura pinguia*; verba enim utrumque significantia virum eruditissimum fefellerunt. Additur enim epitheton *πίονα*, quasi Oraculum exigat sacrificium solito honorificentius, quale a veteribus Judæis Deo vero instituebatur. Ex capite enim tertio Levitici discimus, jussisse Deum in Pacificorum hostiis, ut sibi adeps, renes, totaque cauda offerrentur. *Et offerent de Pacificorum hostia sacrificium Domino adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem, quæ operit ventrem, atque universa vitalia, & utrumque renunculum cum adipe, qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis; & adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini.* De hujusmodi ritu consulatur Philo Judæus in suo de Victimis opere pag. 650. Hunc siquidem morem Græcorum minime proprium fuisse videmus, sed a Judæis profluxisse, a quibus Aegyptii Græcique complures cærimonias, & sacra hauserunt. Neque solum Paci hostiarum coxæ, atque crura offerebantur, sed & fluminibus, ad quorum fontes hostiarum coxæ ductæ consecrabantur teste Maximo Tyrio Serm. XXXVIII. *Καὶ ἐμβάλλουσι τὰ μηρία εἰς τὰς πηγὰς, ἐπιφημήσαντες τοὔνομα τοῦ Ποταμοῦ, ὁποτέρῳ ἔθυσαν.* Quod fortasse factitatum, quia hoc sacrificii genere similitudo notabatur; quum aquæ placidi fluminis quieto temporis lapsui congruant. Hæ tamen cærimoniæ avaritiam potius Gentium, quam pietatem redolebant. Itaque Eubulus Comicus apud Clementem Alexandrinum Lib. VII. Stromat. avaritiam suorum civium carpens exprobrat illis, quod nihil aliud ex victimis, quas Diis immolabant, illis relinquerent præter coxas & caudas, hisce duobus versibus:

Αὐτοῖς δὲ τοῖς θεοῖσι τὴν κέρκον μόνον
Καὶ μηρὸν, ὥσπερ παιδεραςαῖς, θύετε.

Diis offertis caudas & coxas solum
Et femur, sicuti infamibus & sceleratis pæderastis.

Inter numos ex Mss. Goltzianis excerptis, numi anticam partem superius observavimus cum templo sex columnis ornato in cujus medio ara cum epigraphe PACI AETERNæ; sed aræ quid superpositum sit, non bene dignoscitur, num folia herbarum; sacrum focum non audeam adfirmare.

NUM. 15.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VI. (in alio COnSul VIII. & in alio fine P. P.)

PIETAS AUGUSTa. Pietas stans in medio duorum Cæsarum, qui togati sunt, eorum jungens dexteras. In numi exergo nota S. C.

Cæ-

Cæsar ille togatus, qui stat a dextris, & scipionem præfert, est Titus, qui quando hic numus percussus est, erat Consul VI. cum Vespasiano patre octavum Consule, anno nimirum V. C. 830. C. N. 77. Pietas concordes fratres junctis eorum dextris conciliat, &, ut fraterno amore se complectantur, inter eos media adstat. Titus Domitianum, licet insidiantem sibi, in honore semper habuit, eumque dilexit, &, ut a primo imperii die, consortem successoremque testari perseveravit, auctore Suetonio in ejus vita c. 9.

NUM. 16.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGusti Filius Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul III. (In alio Musei Farnesiani COS. VIII.) Caput Titi Cæsaris laureatum, dextrorsum conversum.

PROVIDENTia AUGUSTa, sive AUGUSTi. Imperator Vespasianus Tito Cæsari Augusto tradens globum cum gubernaculo: utrique togati stantes. In numi exergo nota S. C. Senatus Consulto.

Orbis Romani gubernaculum moderantibus Flavio Vespasiano & Tito, quem Romam reversum *imperii participem atque etiam tutorem fecerat*, teste Suetonio in Tito c. 6. quod ipsi res bene gererent, & publicæ felicitati ac tranquillitati prospicerent, perenne monumentum eorum Providentiæ a Senatu dedicatum est tum hoc numisma, quod etiam adfert & illustrat L. Begerus Thes. Brand. T. II. pag. 635. & 636. tum alia eodem typo consignata, quæ describit Mediobarbus, qui adnotat Imperatorem Vespasianum gerere in capite radiatam coronam, epigraphen vero ita se habere: PROVIDENT. AUG. S. C. At Angelonius, apud quem radiatum caput Imperatoris non cernitur, in Tab. 88. num. 16. & deest gubernaculum, censet in hoc numo exhiberi Titum, qui ut declaret se Domitianum fratrem imperii sui consortem delegisse, globum orbis Symbolum ei tradit. Id quoque minime negandum est, si typum numi Farnesiani a P. Pedrusio adlatum in Tab. XVI. num. III. Tom. VI. spectemus, quum numus sit percussus Titi Consulatu VIII. post mortem patris. At in numo a Begero adlato, in quo Titi Consulatus III. adnotatur, eo quod tunc viveret Vespasianus, ad id quod primum observabam referendum est. De Titi Providentia hæc ex Suida in Excerpt. *Huic omnia ex sententia successerunt, fortuna etiam suffragante: pleraque omnia suapte PROVIDENTIA tractavit.*

NUM. 17.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laureatum.

SALUS AUGUSTA. Dea salus sedens capite tecto palliolo suo, sacrificantium more, dextra pateram, læva hastam gerit. In numi exergo S. C.

Frequens hic typus & in numis Vespasiani, de quo superius nonnulla adnotavimus. Numismata hæc, & alia in honorem Titi in Consulatu ejus VI. & VIII. percussa cum typo Salutis, in mentem revocant Tabulas Fratrum Arvalium, quæ memorant vota nuncupata pro ejus salute. Alteram exhibit Fabrettus Inscript. Cap. VI. num. 49. pag. 442. COLLEGI FRATRUM ARVALIUM NOMINE VOTA NUNCUPAVERUNT PRO SALUTE IMP. VESPASIANI CAESARIS AUG. TRIB. POT. COS. VIII. ET T. CAESARIS AUG. F. VESPASIANI COS. VI. VICTIMIS IMMOLATIS IN CAPITOLIO. &c. Alteram habes apud Celeb. Philippum a Turre Episcopum Adriensem in monumentis Vet. Antii pag. 387. vota nuncupata III. Nonas Januar. anno C. N. 81. pro salute IMP. TITI CAESARIS DIVI F. VESPASIANI AUG. PONT. MAX. TRIBUNIC. POTEST. COS. VIII. ET CAESARIS DIVI F. DOMITIANI COS. VII.

NUM. 18.

IMPerator TITUS CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Titi laurea redimitum, ad lævam respiciens.

SALUTI AUGUSTI: Hinc inde S. C. Frons templi cum quatuor columnis, cujus ostium clausum.

Titum ad imperii munera & vice parentis sui obeunda solicitum memorat Suetonius c. 6. *Eidem* (Vespasiano) *collega & in Tribunitia potestate, & in septem Consulatibus fuit: receptaque ad se prope omnium officiorum cura, quum patris nomine & epistolas ipse dictaret, & edicta conscriberet, orationesque in Senatu recitaret etiam Quæstoris vice, Præfecturam quoque Prætorii suscepit, nunquam ad id tempus nisi ab Equite Romano administratam.* Vota igitur & Sacra pro Titi Salute facta, idcirco arbitror, testatumque publicis monumentis a Senatu, quantum ipsi cuperent, ut saluti suæ prospiceret, expresso Salutis templo in hoc numismate. Constat etiam Titum de sua salute valde solicitum fuisse; quare nil mirum si Senatus hæc numismata, ut ejus genio facerent satis, dedicavit. *Medendæ valetudini, leniendisque morbis nullam divinam humanamque opem non adhibuit, inquisito omnium sacrificiorum remediorumque genere.* Hæc de eo Suetonius in ejus vita c. 8. Suspicari etiam quis poterit, Salutis Templum a Tito restitutum fuisse.

NUM. 19. 20. 21.

Titus CAESar VESPASIANus AUGustus IMPerator IIII. Pontifex TRibunicia Potestate II. COnSul II. (in aliis COS. III.) Caput Titi Cæsaris laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria adjendens clypeum arbori palmæ, in quo scribit, & lævo pede galeam calcat. In area nota S. C. Senatus Consulto.

Vel,

In altero eadem epigraphe in antica parte, & in postica: Victoria palmæ arbori clypeum adpendit, in quo scribit, lævo pede galeam calcat; sub palma Judaea sedens ac moerens. In numi exergo S. C.

In altero eadem epigraphe in adversa, & in aversa parte. Victoria clypeum, in quo scriptum OB CIVES SERvatos, adpendit arbori palmae, laevo pede galeam calcans; sub arbore mulier inter acervum armorum moesta sedet.

Idem typus, qui in his numis Tito dedicatis Senatus Consulto occurrit, observatur etiam superius in numis Vespasiani Tab. XIII. num. 9. 10. & 11. nam de Judæis reportata victoria patri æque ac filio tribuitur, sed potiori jure Tito debetur; ipse enim gentem contrivit ac pæne delevit. Neque absurdum videtur subspicari ob tam memorabilem de Judæis relatam victoriam, statuas in hunc modum, ut in numis exhibentur, ei dedicatas, præsertim in Templo Pacis, in quo spolia hostium dedicata sunt; quod & de votivis clypeis, & de querneis coronis diximus; quas ornatas titulis OB CIVES SERVATOS. & VICTORIA AUGUSTI. in perpetuum gloriæ horum Principum monumentum suspensas in templis probabili conjectura observavimus.

NUM. 22.

Vacat.

NUM. 23.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator III PONTifex TRibunicia Potestate II. COnSul II. Caput Titi laureatum.

ITALIA. Figura muliebris turrito capite insidens globo; dextra sceptrum sive hastam, sinistra cornu copiae globo impositum sustinet. In exergo S. C.

Hujus numismatis typus cernitur etiam in numo Vespasiani, quem describit Comes Mediobarbus pag. 116. qui scribit, ad indicandam Italiæ dignitatem, globo insidentem figuram sculptam esse, quasi Italia reliquo orbi dominetur. Quod vero hi Principes Italiæ tranquillitati prospicerent, hæc numismata sculpta censeo, & Senatus consulto dedicata. Facile etiam in honorem Titi hoc numisma impressum, quum ipse Tarichea & Gamala, urbibus validissimis Judææ in potestatem Populi Romani redactis, Judæa perdomita & capta, ut ortam subspicionem tolleret, quasi desciisceret a patre, ex Alexandria discedens, Italiam petiit. Suetonius c. 5. *Quare festinus in ITALIAM, quum Rhegium, dehinc Puteolos oneraria nave adpulisset, Romam inde contendit expeditissimus, inopinantique patri, velut arguens rumorum de se temeritatem: Veni, inquit, pater, veni.* Sed ad felicitatem Italiæ declarandam sub horum Principum regimine, numismata hæc vero similius sculpta videntur. Sed eam præcipuam causam arbitror fuisse, ut hæc numismata inclyto ITALIÆ nomine ornarentur in laudem Titi, ac Vespasiani, quod ipsi ITALICOS ac Provinciales viros in Senatorium & Equestrem Ordinem adlegerint, submotis indignissimis, quod docet Suetonius c. 9. *Amplissimos Ordines & exhaustos cade varia, & contaminatos veteri negligentia purgavit, supplevitque, recenso Senatu, & Equite, submotis indignissimis, & HONESTISSIMO quoque ITALICORUM ac Provincialium adlecto.* Voluit etiam utrumque ordinem non tam libertate inter se quam dignitate differre. Hinc etiam tum in Vespasiano tum in Tito numi cum typo libertatis.

NUM. 24.

Vacat.

TABULA X.
ADHUC EXHIBENS TYPOS ET INSCRIPTIONES NUMISMATUM
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
EX ÆRE MAGNO.

NUM. 1. 2.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator PONtifex TRibunicia Potestate COnSul II. Caput Titi laureatum ad laevam conversum.

Vel,

Titus CAESar VESPasianus IMPerator PONtifex TRibunicia POTestate COnSul II. CENSor. Caput Titi laureatum, ut supra.

S. C.

S. C. scriptum in area utriusque numi. Mars Gradivus, dextra hastam, sinistra tropaeum in humeris gerens.

Frequenter in numis Cæsarum sculptus cernitur Mars Gradivus, opima spolia in humeris suspensa ferens; quo emblemate honestabat Senatus militarem Cæsarum virtutem, qui hostes vicissent, & spolia ex iisdem tulissent. Meruit hoc gloriæ monumentum Titus, Romam reversus post captam Judæam; quo tempore, nempe anno V. C. 825. C. N. 72. cusa sunt hæc numismata. Celebratur Titus ab Eutropio Lib. VII. Hist. Rom. quod Imperator fuerit *Facundissimus, Bellicosissimus, Moderatissimus.*

NUM. 3.

IMPerator TITUS CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Imp. Titi laureatum ad dextram versum.

S. C. In area numi utrinque scriptum; in medio Figura muliebris gradiens, dextra florem; læva manu vestem adtollens.

Suscepto Romani Imperii regimine, quum Titus vitia quædam & sævitiam, qua privatus culpabatur, reliquisset, spe arreptus Senatus eum fore optimum Principem, votisque omnium facturum satis testatus est hoc numismate, in quo Spes Dea sculpta cernitur. Omnium vota implevit Titus, qui in excerptis ex Suida: *Vir omni virtutum genere ornatus dicitur: siquidem valde solers, si quisquam alius fuit. Adeo enim solerter, & prudenter non solum communia negotia, sed privatos etiam congressus gerebat, ut nihil addi posset.* Idem numus adfertur a P. Pedrusio ex Museo Farnesiano Tab. XVI. num. 5. in Tom. VI. pag. 175.

NUM. 4.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio sine P. P.) Imperatoris Titi caput laureatum.

S. C. In area numi scriptum. Victoria lævam versus gradiens, læva palmam in humeris gestat, dextra coronam offert.

Celebrata est Titi Victoria de Germanis, & Judæis pluribus monumentis. Hic vero numus in Consulatu ejus octavo percussus, facile ei a Senatu dedicatus in memoriam victoriæ de Britannis relatæ per Cn. Julium Agricolam de qua Dio Lib. LXVI. tunc enim Imperator XV. erat. Haud probo quæ adnotat Mediobarbus p. 126. ex Laurentio Legato ad Mus. Cosp.

NUM. 5. 6.

Explicantur hi numi Tab. XII. N. 23.

NUM. 7.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate COnSul II. Titi caput laurea revinctum.

Sine epigraphe. Titus Cæsar eques dextra jaculum vibrat in militem prostratum armatum gladio & scuto. In aliis numis S. C. nota non desideratur.

Equestrem statuam Tito positam subspicor, quæ testaretur, hostes Romani Imperii ab eo domitos, & in potestatem redactos. Miles ille sub equo stratus, in quem Titus Cæsar jaculum contorquet, forsitan indicat Judæum aliquem ab eo prostratum, cui illud vestis genus convenit; quod colligere mihi videor ex Suetonio. *Ex Quæstura deinde honore Legioni præpositus Taricheam, & Gamalam, urbes validissimas Judææ, in potestatem redegit equo quadam acie sub feminibus amisso, alteroque inscenso, cujus rector contra se dimicans occubuerat.* Convenit tempus; nam Suetonius id contigisse memorat ante Jerosolymorum oppugnationem. Exhibet & Laur. Begerus Tom. II. Mus. Brand. pag. 635.

NUM. 8.

Epigraphe hujus numismatis mihi ignota.

S. C. Titus eques chlamyde & militaribus armis insignis, sinistra scipionem gerens, dextra Palladium accipit a Roma galeata, quæ dextrum pedem globo imponit, & læva hastam præfert.

Repræsentat hic numus plane singularis, ex Thesauro Christianissimi Regis depromtus, Titum Cæsarem, Judæa capta, caque sub tributo constituta, quod quotannis pendere debebat Jovi Capitolino, teste Dione e Xiphilino Lib. LXVI. Romam, ni fallor, revertentem, cui obviam fit Roma, galea & armis insignis, quæ ei tanquam tutelæ ac præsidio nominis & gloriæ Romani imperii, Palladium offert, quo servato, aeternam fore Romani orbis majestatem fata spondebant; qua propter Roma, presso globo, quo Romanum imperium designatur, perpetuo stabilis, & incolumis significatur, Tito Cæsare ad regimen Reipublicæ a Vespasiano promoto statim ac Urbem intravit.

NUM. 9.

Titus CAESar DIVI VESPASIANi IMPeratoris Filius AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriae COnSul VIII. Caput Titi Imperatoris Augusti laureatum, ad laevam conversum.

S. C. In numi exergo scriptum. Templum Jovis Capitolini, cujus simulacrum sedentis specie in medio positum, qui laeva hastam, sinistra fulmen gerit: hinc inde Palladis & Junonis signa, columnis multisque statuis ornatissimum.

Hunc

Hunc ipsum typum inter numos Flavii Vespasiani conspeximus in superiore Tab. XIII. num. 23. hunc ipsum Tito quoque Senatus Consulto dedicatum e Thesauro Christianissimi Regis proferimus. Manifestum est non aliud Templum in his numis ræpræsentari præter celeberrimum illud Jovi in Capitolio magnificentissime exstructum; quod a Vespasiano restitutum fuisse constat, quum civili bello a Vitellianis incensum conflagrasset. Testatur Tacitus cujus verba supra adtulimus, Dio, & Suetonius in Vespasiano c. 8. *Ipse restitutionem Capitolii adgressus, ruderibus perpurgandis manus primus admovit, ac suo collo quædam extulit.* Restitutionis hujusce Templi gloriam testantur numismata, quæ aliqui Antiquarii quum sedulo non observarint, censuerant in his repræsentari Templum Pacis; & valde halucinati sunt. Veteres scriptores non memorant Titum quoque Capitolini templi instaurationi operam dedisse; tamen ex hoc præclarissimo numo, qui in ejus Consulatu octavo signatus est, nempe anno V. C. 834. C. N. 81. & quidem e vivis erepto Flavio Vespasiano parente suo, discimus eumdem Principem vel restitutionem Templi promovisse, vel absolvisse; quod innuit fortasse Suetonius, qui de Vespasiano, ut supra adnotatum est, scribit: Ipse RESTITUTIONEM CAPITOLII ADGRESSUS. Idem Titus alia plura opera a Vespasiano inchoata, vel non perfecta, inter quæ Amphitheatrum, ut mox dicemus, feliciter absolvit. De hoc templo ejusque ornamentis luculenter differit Justus Ryckius in Commentario de Capitolio.

NUM. 10.

IMPerator Titus CAESAR VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriae COnSul VII. Caput Titi Caesaris laureatum.

S. C. In area numi scriptum, in quo Caduceum alatum inter duo cornua copiae.

Titi Cæsaris prudentia partam Populo Romano pacem & felicitatem, rerumque omnium, quibus Imperia maxime florent ac perennant, beatam copiam, ut Senatus ostenderet, hoc numisma cudendum curavit, in quo sculptum caduceum inter duo cornua copiæ; quod emblema antea ediderat in Vitellii numis.

NUM. 11. 12. 13.

Vacant.

NUM. 14.

DIVO AUGusto Tito DIVI VESPasiani Filio VESPASIANo.

Idem Titus togatus, dextrorsum respiciens, nudo capite, insidens sellae curuli, dextra lauri ramum gerit, inter arma militaria varia. In ima numi parte nota S. C. Senatus Consulto.

In postica hujus numi parte, Titi Amphitheatrum statuis ornatum, juxta quod hinc meta sudans, hinc aedificium columnis praenobile.

Munificentia, qua Reges ac Principes inter mortales maxime eminent, nemo aequavit Titum Cæsarem, qui Amphitheatrum, inter admiranda toto orbe celeberrima opera recensendum, dedicavit. Hanc ei laudem tribuit Suetonius c. 7. *Nulli civium quidquam ademit, abstinuit alieno, ut si quis unquam, ac ne concessas quidem ac solitas collationes accepit: & tamen nemine ante se MUNIFICENTIA minor, AMPHITHEATRO DEDICATO, Thermisque juxta celeriter exstructis, munus edidit adparatissimum largissimumque. Dedit & navale prælium in veteri Naumachia, ibidem & Gladiatores, atque uno die quinque millia omne genus ferarum.* De hoc miræ vastitatis & magnificentiæ ædificio, quod undique columnis & statuis ornatum fuisse hæc numismata testantur, ita Martialis Lib. I. Epigr. 1.

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Vespasianus, ut Augustum destinasse compererat, media urbe hoc Amphitheatrum inchoavit & struxit; sed Titus filius summam manum imposuit, & dedicavit. Eodem Tito iniquis fatis intercepto, Domitianus frater eo consecrato, memoriam hujus operis æternam fecit his numismatis, quorum hoc ipsum a nobis adlatum Senatus cudendum curavit.

NUM. 15. 16.

IMPerator Titus (scribe T.) CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul VIII.

Idem Titus togatus, dextrorsum respiciens, nudo capite adsidet in sella curuli inter varia arma militaria, dextra ramusculum lauri praefert. Infra nota S.C.

In postica hujus numi parte spectatur ejusdem Titi Amphitheatrum; juxta quod meta sudans, & aedificium columnis ornatum.

Perspicuum est, Domitianum ex hoc ipso numo desumsisse emblema numismatis paullo superius adlati num. 14. & 15. quo Titum sideribus receptum, atque inter Divos relatum, consecravit; nam præter consecrationem nullum alium divinum honorem eidem Tito Imperatori fratri suo adhibuit, quod eum insidiis clam palamque structis semper vexasset. Suetonii testimonium adferre lubet in Domit. c. 2. *Nunquam jactare dubitavit* (defuncto patre Vespasiano) *relictum se participem Imperii; sed fraudem testamento adhibitam: neque cessavit ex eo insidias struere fratri clam palamque, quoad correptum gravi valetudine, prius quam plane efflaret animam, pro mortuo deseri jussit: defunctumque NULLO præterquam CONSECRATIONIS HONORE dignatus, sæpe etiam carpsit obliquis orationibus & edictis.* Igitur hic numus, ut liquet

quet ex subjectis siglis S. C. dedicatus est, dum adhuc viveret idem Titus Imperator, in octavo ejus Consulatu; in quo ea togata figura Lauri ramusculum gerens (quod tanquam divinitatis insigne in manibus eorum, qui decesserant, habitum fuisse jam alibi adnotavi) repræsentat Flavium Vespasianum, qui in epigraphe DIVUS adpellatur. Juxta Amphitheatrum, de quo luculenter disserit Doctissimus J. Lipsius, ad quem lectores mitto, spectatur meta sudans, & pars domus aureæ Neronis; quæ in numo Musei Farnesiani inverso ordine a dextris collocatur. Vide Tom. VI. Tab. XVII. num. 11.

Num. 17. 18.

DIVO AUGusto Tito DIVI VESPasiani Filio VESPASIANO. Divus Titus, Deorum specie ad dextram respiciens, radiatam coronam capite gerens, sedet in throno dextra lauri ramusculum ostentat, sinistra sceptrum sive hastam: ante eum posita ara succensa, encarpo coronata.

Postica ejusdem numismatis pars ornatur hac epigraphe: IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriae. In area scriptum majoribus literis S. C. Senatus Consulto.

En alterum Titi a Domitiano consecrati monumentum Senatus Consulto adprobatum. Alia quoque ejusdem Titi apotheosin testantur numismata, quæ varia exhibent emblemata, nempe aram cum igne, quæ innuit in ejus honorem Flamines & Sacerdotes Titiales institutos, quorum mentio habetur in antiquis marmoribus; item aquila cælum respiciens; quæ apud Com. Mediobarbum describuntur, quibus, ut auguror, locum destinaverat Celeb. Morellius in hac Tabula in vacuis orbiculis 11. 12. 13. 19. & 20.

Num. 19. 20.

Vacant.

TABULA XI.

ADHUC EXHIBENS INSCRIPTIONES ET TYPOS NUMISMATUM

IMP. CAES. TITI VESPASIANI

EX ÆRE MEDIO.

Num. 1. 2. 3. 4.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator TRibunicia Potestate COnSul II. Caput Titi laureatum.

AEQUITAS AUGUST, vel AUGUSTI. Figura muliebris stans, dextra æquatas lances, sinistra hastam tenens. In area S. C.

Vel,

Titus CAESar IMPerator COnSul III. CENSor.

Vel,

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate COnSul V.

Vel,

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (in alio sine P. P.) Omnes cum eodem typo & nota S. C.

Aequitas in aliis Cæsarum numis pro hasta copiæ cornu tenet. Aeterna commendatione dignam censuit Senatus Titi aequitatem atque animi moderationem. Hanc laudat Suetonius c. 7. *Nulli civium quidquam ademit, abstinuit alieno ut si quis unquam, ac ne concessas quidem ac solitas collationes accepit.*

Num. 5. 6.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio sine P. P.) Caput Titi laureatum.

AETERNITas AUGUSTi, sive AETERNIT. AUG. Figura muliebris, ad lævam respiciens, stans, dextra hastam, sinistra cornu copiæ gerens, lævo pede galeam calcans. In area numi hinc inde S. C.

Mediobarbus non pauca numismata hoc ornata emblemate describit in Tito pag. 125. notatque Aeternitatem lævo pede calcare non galeam sed globum. At calcare galeam non est dubium, ut exhibet etiam numus, quem servo inter mea Cimelia. Hoc typo adluditur ad æternam nominis celebritatem, quam Titus adeptus est, Hierosolyma subversa. Quapropter in alio ejus numo Aeternitas manibus præfert capita Solis & Lunæ, cum epigraphe AETERNITAS.

NUM. 7.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Titi laurea corona cinctum.

AETERNITas. In numi exergo S. C. Mars Gradivus dextra hastam, sinistra suspensa in humeris bellica spolia gerit.

Hujus numi typum explicat Oiselius ad Num. Tab. XXXIX. num. IX. „ *Mars* itidem armatus, cum hasta pura in dextra, & „ tropæo in manu sinistra. Hoc statu Mars, „ quando ita festinanter procedit, ut heic in aliquot numis repræsentatur, *Gradivus* adpellari solet. Festus: *Gradivus Mars adpellatus est a gradiendo in bello ultro citroque.* Quamvis & aliam ejus nominis rationem addat: „ *sive a vibratione hastæ, quod Græci dicunt Κραδίνειν. vel ut alii dicunt, quia gramine sit ornatus.* Quod de gramine addit, inde est, quod „ Martem ex nescio quo flore mater conceperit: unde Ovidius Lib. V. Fastorum, Floram „ ita loquentem inter alia introducit: *Mars „ quoque, si nescis, per nostras editus artes.*

NUM. 8. 9.

Titus CAESar IMPerator PONtifex TRibunicia Potestate COnSul II. CENSor. Caput Titi Cæsaris laureatum.

CONCORDIA AUGusti. (In altero numo CONCORDIA AUGUSTi.) Femina dextrorsum respiciens, in sella sedens, dextra pateram admovet aræ adcensæ, sinistra tenet copiæ cornu. In numi exergo S. C.

Typum Concordiæ Deæ, sedentis specie, ad ejus quietem ac stabilitatem indicandam, quia Pacis & utilitatis publicæ altrix Dea est, censet Cl. Havercampus ostendere, hanc curæ fuisse Vespasiano in explicatione ejus numi argentei Tab. VIII. num. II. pag. 289. Quia vero hic ipse typus occurrit eodem tempore expressus non solum in numis Vespasiani patris, sed etiam Filiorum ejus; probabile arbitror designare concordiam eorumdem Principum; nam Vespasianus, quum audisset Titum in Syria, capta Judæa, summo militum gaudio ac favore in congratulatione salutatum fuisse Imperatorem, in subspicionem incidit, quasi a se desciseeret, ut memoriæ proditum a Suetonio in Tito c. 5. Domitianus vero insidias Tito struere numquam destitit: quare quum in altero ex his numis ante conspectum Concordiæ Deæ posita sit ara festiva fronde coronata, & sacro calens igne, haud absurdum esse arbitror, si quis censeat, hæc numismata Senatus Consulto ea de causa percussa fuisse, ut concordes animi eorumdem Principum essent, pro qua concordia haud alienum a veritate est, vota & sacra eidem Deæ facta opinari.

NUM. 10.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia Potestate COnSul II. Caput Titi Cæsaris laureatum.

FELICITAS PUBLICA. Figura muliebris stans, dextera caduceum, læva cornu copiæ sustinet. In area numi S. C. Senatus Consulto.

Felicitatis typus frequenter spectatur in numis Titi Cæsaris, qui ejus Consulatu secundo, ut in hoc, tertio, quarto, quincto, sexto, demum septimo & octavo cusi in ejus honorem sunt, & Senatus consulto dedicati. In multis etiam inscribitur FELICITAS AUGUSTI; quasi eo imperante propria ejus fuerit. Felices se vocant populi, quum imperio Principis parent, qui publicam quietem, pacem, tranquillitatem, commoda ac bona omnia curat. Titus, præter hæc, Romanum populum editis ludis magnificentissimis recreavit per centum dies, teste Dione Lib. LXVI. qui hæc subdit: *Sed & plebi utile fuit, quod Titus parvos globulos ligneos de superiore loco jaceret in theatrum, in quibus scripta erat nota alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque & jumentorum, & pecudum ac mancipiorum. Hos globulos qui rapuisset, adtulissetque ad Dispensatores Titi, quod inscriptum erat, consequebatur.*

NUM. 11.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator III. PONtifex TRibunicia Potestate COnSul II. Caput Titi laureatum.

FIDES PUBLICA. Dextrarum duarum nexus, medio Caduceo inter spicas. Infra nota S. C.

Dictum est supra in numis Vespasiani, typum hunc denotare, concordiam fidemque publicam pacis & ubertatis altricem esse ac parentem. Hæc bona populi consequuntur quum Principes imperio digni imperant, & omnium commodis prospiciunt.

NUM.

NUM. 12. 13. 14.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGusti Filius AUGustus. Caput Titi laureatum.

Vel,

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus.

Vel,

Titus CAESar IMPerator AUGusti Filius TRibunicia Potestate COnSul VI. CENSor.

PAX AUGusti, sive AUGusta. In aliis PAX AUGUST. Mulier stolata stans ante aram coronatam & ignitam, dextra pateram, læva caduceum & oleæ ramum gerens.

In aliis numis, eadem epigraphe inscriptis, Pax Dea cernitur in sella sedens, sinistra hastam puram, dextra oleæ ramum tenens. In his stans cernitur, & in numis adlatis num. 13. & 14. deest ara ignita & patera. Innuere videntur parta terra marique pace, virtute cum Vespasiani tum Titi, omnium rerum adfluentiam & publicam felicitatem diu optatam adesse; quam ita laudat Silius Italicus Lib. XI.

———————— PAX optima rerum,
Quas homini novisse datum: PAX una triumphis
Innumeris potior ———————— ——

Partam toto orbe pacem, clausumque Jani templum non tantum Vespasiano, sed & Tito tribuit Paulus Orosius Lib. VII. *Omnibus bellis, ac tumultibus domi forisque compressis, PACEM TOTIUS ORBIS pronunciaverunt; & Janum Geminum obseratis cohiberi claustris, SEXTUM demum ipsi, post Urbem conditam, censuerunt. Jure enim idem honos ultioni Passionis Domini impensus est, qui etiam Nativitati fuerat adtributus.* Recte Cel. Havercampus in aurea Numismata Vespasiani superius relata in Tab. V. num. 34. pag. 275. hos numos refert ad felicia illa tempora, quæ sub Vespasianorum imperio contigere, summa tranquillitate plena, qua Pax ubique gentium floruit, & Templum Pacis conditum est.

NUM. 15. 16.

Titus CAESar IMPerator PONtifex TRibunicia Potestate COnSul VI. CENSOR. Caput Titi laureatum.

Vel,

Titus CAESar IMPerator AUGusti Filius TRibunicia Potestate COnSul VI. CENSOR. Caput ut supra.

SECURITAS AUGUSTI, sive AUGUST. In exergo S. C. Mulier stolata sedens dextram admovet capiti suo, sinistra sceptrum tenet; ante eam ara succensa & encarpis coronata.

Cultum religionis designare aram sacro igne fulgentem positam in conspectu securitatis, censet Oiselius, qui adfert hunc numum Tab. LIX. num. VI. mihi vero similius videtur, vota & sacrificia facta, ut Securitas illa imperii parta Vespasianorum principum armis, virtute ac prudentia, perpetua esset. Quam opinionem de Imperii majestate ac dignitate haberet Titus, memorat Suetonius c. 9. *Duos patricii generis convictos in adfectatione Imperii, nihil amplius, quam ut desisterent, monuit, dicens* Principatum fato dari: *si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum.* Securitas Dea manum capiti suo imponit, ut mentem optimam Principis declaret esse maximum Imperii præsidium, atque in ea, quæ bona sit, situm esse justissimum regimen reipublicæ.

NUM. 17. 18.

Titus CAESAR VESPasianus PONTifex TRibunicia POTestate.

Vel,

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul VIII. Caput Imperatoris Titi laureatum.

SECURITAS Populi Romani: in priore numo sine nota S. C. in altero numo in exergo scripta est. Figura muliebris stolata sedens ante aram ignitam & festa fronde coronatam, dextra sceptrum gerit, sinistro cubito sellæ innixa.

In his quoque numis ante Deam sedentem posita est ara cum sacro igne accenso, ut indicet Populi Romani vota & sacra persoluta pro Imperii perpetua Securitate. Exstant & alia numismata in Consulatu octavo Titi Senatus Consulto percussa, quorum epigraphe apud Goltzium Thes. IX. SECURITAS PROVINCIARUM. S. C. SECURITAS ORBIS TERRARUM. S. C. Quod adtinet ad Populum Romanum, cujus Securitas in his numis declaratur, multis donis ac beneficiis Titus cunctorum amorem sibi conciliavit. En Suetonii testimonium c. 8. *Populum in primis universum tanta per omnes occasiones comitate tractavit, ut, proposito gladiatorio munere, non ad suum, sed ad spectantium arbitrium editurum se professus sit. Et plane ita fecit; nam neque negavit quidquam petentibus, &, ut quæ vellent peterent, ultro adhortatus est.*

NUM. 19.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul III. Caput Titi laureatum.

S. C. Senatus Consulto, scriptum in area numi, in qua Victoria gradiens expressa, quae clypeum dextra sustinet inscriptum S. P. Q. R.

Hic numus ut & reliqui, qui sequuntur, Victoriis terra marique partis clarum Titum Cæsarem ostendunt, Germanica, Britannica, Judaica; in quarum memoriam plurimi numi cusi sunt in quolibet ejus imperii anno, & repetita emblemata, quum Consulatus iniret, & natalem imperii diem & Quinquennalia celebraret; qui etiam indicant, quum in his Victoria vel in clypeis inscribat, vel eos sustineat inscriptos, votiva hæc monumenta in templis Deorum suspensa fuisse Hos clypeos, & coronas ornatas titulis relatarum de hostibus victoriarum vel ipsi Imperatores vel Senatus ac Populus Romanus dedicabant, & in templis suspendebant. Quæ ex Doctissimo Tristano jam adnotavit Cl. Havercampus, vide ad Numismata aurea Vespasiani adlata in Tab. VI. num. 7. pag. 278.

NUM. 20.

Titus CAESAR IMPerator VESPasianus. Caput ejusdem Titi.

VICTORIA AUGUST. In area hinc inde nota S. C. Senatus Consulto. Victoria gradiens dextram versus, læva palmam, dextra lauream coronam præfert & Principi offert.

NUM. 21.

TITUS CAESAR IMPerator VESPASIANus. Caput Titi laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. In area numi S. C. Victoria stans, dextra lauream coronam imponit signo militari, sinistra gestat palmam.

Qui in numis Vespasiani patris occurrunt typi cum Victoriarum emblematis, quæ habentur superius in Tab. XV. iidem repetuntur in numis Titi, cui parta gloria nomini Romano potiori jure tribuenda est. Victoria lauream coronam imponens militari vexillo, indicat Legionis illius virtutem, quæ fortiter in bello pugnavit & vicit. In hisce signis tituli, & numismata cum imaginibus Imperatorum suspendebantur. De his Suetonius, qui ita Titum commendat, c. 4. *Tribunus militum & in Germania, & in Britannia meruit summa industria, nec minore modestia & fama, sicut adparet ex imaginum ejus multitudine ac titulis per utramque provinciam.* Ad ea, quæ ad Vespasiani numos hoc emblemate consignatos in Tab. XV. adnotantur, benevolum Lectorem mitto.

NUM. 22. 23. 24. 25.

Titus CAESAR IMPerator COnSul II. Caput Titi Cæsaris laureatum.

Vel,

Titus CAESar IMPerator PONtifex TRibunicia Potestate COnSul II. CENSor. Caput Titi laureatum.

Vel,

Titus CAESar VESPASIANus AUGustus IMPerator IIII. PONtifex TRibunicia POTestate II. COnSul II. Caput Titi Cæsaris, ut supra.

Vel,

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio desunt P. P.) Caput Imperatoris Titi laureatum.

VICTORIA AUGUST. In aliis VICTORIA AUGUSTI. Victoria gradienti similis in prora navis ad lævam respiciens, dextra lauream coronam ostentat, sinistra palmam gerit. In area numi S. C.

In numo adlato num. 25. Victoria humi insistit gradiens, in reliquis proræ navis. Quæ ad numos Vespasiani hisce typis insignes breviter adnotavimus, de his quoque dicenda sunt, nam Titus cum patre partas de hostibus victorias & titulos communicavit.

NUM. 26. 27.

Titus CAESar VESPasianus IMPerator PONtifex TRibunicia POTestate COnSul II. CENSor. Caput Titi laureatum.

Vel,

Titus CAESar VESPASIANus AUGustus IMPerator IIII. PONtifex TRibunicia POTestate II. COnSul II. Caput Titi laureatum.

VICTORIA NAVALIS. In area numi S. C. Victoria rostro navis insistens, dextra lauream coronam sustinet, & adtollit, læva palmam gerit.

In altero numo adlato num. 27. Victoria ad dexteram respiciens rostro & puppi navis insistit, & diadema in capite defert. De navali victoria, quam Titus retulit devictis profligatisque Judaeis ad Lacum Genasar, de qua Josephus Bello Jud. Lib. III. Cap. 19. cujus etiam meminit in triumpho ejusdem Lib. VII. Cap. 17. supra diximus ad Vespasiani numos in Tab. XV. relatos. Pro hac meruit Vespasianus ut in columna illa rostrata, quam in Fori parte Galba a Senatu obtinuerat, in ejus loco statua, ea remota, sibi poneretur; quod decus numismata, in ejus honorem ob hanc Victoriam Navalem percussa, ostendunt.

NUM. 28.

Titus CAESar VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

VI-

VICTORIA JUDAICA. Victoria rostro navis insistens, dextra lauream coronam, læva palmam gerit. In area numi S. C. Senatus Consulto.

Quantæ gloriæ Victori Tito Cæsari, quantique momenti Populo Romano navalis hæc Victoria fuerit, debellatis contritisque Judaeis, qui navibus cum Romanis ad lacum Genesar pugnarant, varii horum numorum typi ac tituli ostendunt.

TABULA XII.
NUMISMATUM
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
EX ÆRE MEDIO
TYPOS ET INSCRIPTIONES
ADHUC PROSEQUENS.

NUM. I.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio deest P. P.) Caput Titi Cæsaris laurea corona revinctum.

PROVIDENT. Ara: hinc inde nota S. C. Senatus Consulto.

Exhibetur pro typo ara Providentiæ, quæ erat in Palatio Cæsarum, denotatque deberi Vespasiani providentiæ, quod Imperio Romano talem ac tantum successorem dederit, qualis fuit Titus, de quo hæc Suetonius c. 6. *Neque ex eo destitit participem, atque etiam tutorem Imperii agere. Triumphavit cum patre, Censuramque gessit una. Eidem Collega & in Tribunitia Potestate, & in septem Consulatibus fuit.* Profert & illustrat hoc ipsum numisma Præstantissimus Tristanus pag. 300. num. 3. in quo sculpta est ara cum epigraphe PROVIDENT. S. C. „ Duæ „ veteres inscriptiones idem PROVIDENTIA, „ seu PROVIDENTIAE verbum in eodem „ sensu usurpant & apud Gruterum leguntur „ pag. 244. num. 8.

FELICITATI. AUG. ET
PROVIDENTIAE
DIVI. TITI. IMP. VESPASIANI
AUG. F.
SUBLATIS. POP. ROM. HOSTIB
PERNICIOSISSIMIS
C. AELIUS. SUCCESSUS
L. COCCEJUS. FELIX
S. P. F. C.

„ Victoriam Judaicam Gentemque sublatam spe„ ctant, quum Providentia Titi commendetur „ consulentis in posterum, ne a Christianis, quos „ cum Judæis contundit, hostesque perniciosissi„ mos adpellat, Deorum cultus amplius everte„ retur. Hæc enim ceterorum populorum con„ suetudo erat Judæorum nomine notandi Chri„ stianos, veluti acerrimos Judæorum osores, „ quasi a Judæis Christiani originem suam repe„ terent. Hinc Rutilius Numantianus, qui fuit „ Ethnicorum omnium pervicacissimus, floruit„ que sub primis Christianis Imperatoribus, Re„ ligionis nostræ dilatationem sic in Itinerario suo „ conqueritur:

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompei bellis, Imperioque TITI.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Hac itaque inscriptione laudatur Titus ut eversor Judaici Populi, a quo propagatos Christianos, nostramque Religionem ruinis Hierosolymorum Templique destructione exstinctam credebant. Impie igitur deflet longo post tempore Numantianus Titum hanc gentem superasse, quæ Jesu Christi Cruce postea victrices Gentes debellare sibi videbatur.

NUM. 2.

Vacat.

NUM. 3.

Titus CAESar IMPerator VESPasianus CENSor. (In alio CENSOR.)

Vel,

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio sine P. P.)

SALUS AUGusti. Salus Dea in cathedra sedens, cum scamno ad pedes, dextra pateram tenet, sinistro cubito cathedrae innititur. In exergo nota S. C. Senatus Consulto.

De typo hujus numismatis nonnulla superius adnotavi ad Tab. VI. num. 18. Sacra & Divina habebatur Cæsarum Salus, pro qua jurare veteres Romani, si opus esset, solebant.

NUM. 4.

Vacat.

NUM. 5.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio sine P. P.) Caput Titi laureatum.

CERES AUGUSTa. Dea Ceres stans velato capite, dextra duas spicas, laeva hastam tenet. In area S.C. Senatus Consulto.

Frumenti curam, quam gessit Titus providus Princeps, denotat hic typus, cum aliis numis conjungendus, qui inscribuntur ANNONA AUGUSTI. Hæc præcipue resplenduit quassata adflictaque Urbe incendio per triduum totidemque noctes, item pestilentia, quanta non temere alias. Suetonius c. 8. *In his tot adversis ac talibus non modo Principis solicitudinem, sed & PARENTIS adfectum unice præstitit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.*

NUM. 6.

IMPerator Titus CAESar VESPASianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio VESP. & sine P. P.) Caput Titi Cæsaris laureatum.

GENIO Populi Romani. Genius seminudus stans, dextra pateram effundit in aram ignitam, læva cornu copiæ sustinet. In area numi S. C.

Genius Populi Romani ad aram nudo capite sacrificans, indicat vota a Populo Romano ac sacrificia facta pro felicitate ac diuturnitate imperii Titi. In numis Corneliæ Gentis Genius cum capite ornato diademate sculptus est, & pone sceptrum: in aliis cum radiata corona, vel cum modio.

NUM. 7.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi.

MARS VICTOR. Mars Gradivus, sive Quirinus, galeato capite, reliquo corpore nudus, dextra jaculum, sinistra tropæum in humeris gerit, sine nota S. C.

Perdomitis ac pæne deletis Judæis hoc typo se Victorem indicat Titus, & feliciter vindictam de iisdem rebellibus ac pervicacibus Judæis sumtam. Hoc siquidem consilio Augustus Marti templum dedicavit, quod voverat bello Philippensi pro ultione paterna, & Martem *Ultorem* adpellavit, de quo Ovidius Fastor Lib. V.

Templa feres, & me VICTORE vocaberis ULTOR:
Voverat, & fuso latus ab hoste redit.

At in Vespasiano hunc typum censet Vaillantius Tom. II. Num. Præst. indicare Templum Martis Ultoris, quod fuit in Capitolio, a Vitellianis incensum, a Vespasiano restitutum fuisse, cujus restitutionis & Titum auctorem fuisse subspicari possumus.

NUM. 8.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate Pater Patriae COnSul VIII. (In alio sine P. P.)

VESTA. Dea Vesta capite velato sedens, ad lævam respiciens, dextra gerit Palladium, sinistra sceptrum sive hastam. In area numi S. C.

Superius ad numismata ex aere magno edita in Tab. V. num. 9. nonnulla observavimus: tum in hoc, tum in illo idem typus.

NUM. 9. 10.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate.

Vel,

Titus CAESar IMPerator AUGusti Filius PONTifex TRibunicia Potestate COnSul III. CENSor. Caput Titi Cæsaris laureatum.

ROMA. In numi exergo S. C. Roma galeata insidens armorum acervo, dextra lauream coronam, sinistra parazonium tenet. In altero vero stans dextra Victoriolam, sinistra hastam.

Roma dea, maximis honoribus toto Romano orbe culta insidet opimis spoliis & clypeis, ut Victrix; neque alia occasione consignati hi numi censendi sunt, nisi ut significent partas Titi Cæsaris virtute victorias, inter quas præcipua fuit Judaica. Roma Victori Tito debita ejus fortitudini præmia offert coronam lauream, & Victoriolam. Victoriarum parva simulacra Imperatores ad bellum proficiscentes præibant, redeuntibus vero, fractis hostium viribus obviam a Senatu mittebantur. Adparet gentium Dea Roma in his numis sculpta, qualis a Corippo Lib. I. de laudibus Justini describitur.

Addidit antiquam tendentem brachia ROMAM
Exserto & nudam gestantem pectore mammam
Altricem Imperii, Libertatisque Parentem

Nu-

Numum sine epigraphe describit Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 99. in quo Roma augurium captans, clypeis insidet inter duas aquilas, aut vultures cum lupa & puerulis; qui typus Titum Romulo parenti & Urbis conditori similem sive æqualem facit, docetque illum Judæos subegisse faustis, de more, captatis auguriis. Eadem emblemata & in Vespasiani numis occurrunt.

NUM. 11.

Titus CAESAR VESPASIANus IMPerator PONTifex TRibunicia POTestate. Caput Titi laureatum.

ROMA VICTRIX. Roma insidens clypeis & opimis hostium spoliis, dextra globum, læva hastam tenet. In exergo S. C.

Roma Victrix insidens clypeis ceterisque militaribus armis, quia globum tenet & offert, significat Titum Romano Imperio dignum, cujus pater consortem & participem ac tutatorem fecit statim ac victor Romam rediit devictis Judæis.

NUM. 12.

Vacat.

NUM. 13. 14.

Titus CAESAR IMPerator VESPASIANus PONTIFex TRibunicia POTestate. Caput Titi Cæsaris laureatum.

JUDAEA CAPTA. Judæa captivæ mulieris specie sedens, & lugens inter bellica spolia, palma arbore intermedia. In exergo S. C.

Vel,

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus TRibunicia Potestate Pater Patriæ COnSul VI.

JUDaea CAPta. In area numi S. C. Idem typus, ut in superiore numo.

Emblemata hæc numorum, quæ cusa sunt, Tito in Urbem regresso, post Judaicum bellum, & quidem triumphi occasione, atque etiam repetita dum Consulatus iniret, superius explicata sunt, & in aliis Titi numis. Tab. V. num. 1. 2. 3. 4.

NUM. 15. 16.

Vacant.

NUM. 17.

Titus CAESar VESPasianus IMPerator PONTifex TRibunicia Potestate COnSul II. CENSor. Caput Titi laureatum.

S. P. Q. R. (Senatus Populusque Romanus.) OB CIVes SERvatos. Scriptum intra querceam coronam.

Numismata hæc ornata coronis querneis, quarum in medio elogium scriptum est, referunt clypeos eadem epigraphe inscriptos, qui Victoribus Imperatoribus in triumpho donabantur, & in Jovis templo in Capitolio suspendebantur. De his supra sermo. Meruit etiam Titus præter votivas dapsiles coronas aureas, & clypeos rebus a se gestis inscriptos Arcum pulcherrimum, supra quem hinc inde duo tropæa, in medio quadriga Victoriata, & duæ Victoriæ, dextris serta, sinistris palmas gerentes; in cujus peristylio scriptum. S. P. Q. R. PIUS TITO DIVI VESP. F. VESPASIAN: quem numum adfert Octavius de Strada pag. 51.

NUM. 18.

Titus CAESAR VESPASIANus. Caput Titi Cæsaris.

PRINCipi JUVENTutis. Titus togatus eques, sinistra scipionem tenet, dextram vero extendit. In numi exergo S. C.

Explicat hunc numum Vaillantius Tom. II. Numism. Præst. pag. 97. hisce adnotationibus: „ Principis Juventutis dignitas in eos, „ quos Imperatores sibi successores destinabant, „ primum ab Augusto translata est: his, depo„ sita prætexta, toga virilis dabatur, si eam non„ dum accepissent; hac autem sumta, statim in „ Capitolium ad Jovis ædes ibant: ideo Titus „ toga indutus in equo signatur." Sed quid scipio in manu Titi Principis Juventutis? Tenere eum arbitror, quia Consul cum Domitiano designatus fuit; in alio vero Titi numismate cum epigraphe: T. CAES. IMP. VESP. TR. POT. in cujus aversa parte Domitianus togatus eques dextram elevat, læva scipionem eburneum; hæc scribit: „ Domitianus in nummis Titi, ut in „ patre, eques repræsentatur, qualis in pompa „ triumphali de Judæis progrediebatur: de quo „ Joseph. Lib. VII. de Bell. Jud. Cap. 17. Ve„ spasianus prior ibat, & Titus deinde sequeba„ tur. Domitianus autem adequitabat, ipse quo„ que ornatus pulchritudine, dignumque specta„ ri exhibens equum.

NUM. 19. 20.

Epigraphe adversae partis mihi incognita.

DOMITIANUS COnSul II.

Vel,

TRibunicia POTestate COnSul III. CENSOR. Caduceum alatum in medio duorum cornu copiae. Infra nota S. C. Senatus consulto.

Hoc emblema bonorum omnium altricem esse Pacem celeri victoria partam designat, de quo nonnulla superius adnotata sunt. Pertinent hi numi cum sequenti 21. ad Domitianum Cæsarem, de quibus suo loco.

NUM.

NUM. 22.

IMPerator Titus CAESar VESPaſianus AUGuſtus Pontifex Maximus Pater Patriæ COnSul VIII. (In alio ſine P. P.)

S. C. Scriptum in area numi, cujus typus Spes Dea gradiens, dextra florem oſtentans, læva veſtem adtollens.

Reperitur idem Spei typus in numis Titi Cæſaris, qui ejus Conſulatum ſecundum, quartum, ſeptimum, &, ut in hoc, octavum enumerant. Senatus ut oſtenderet optimam eſſe omnium ſpem de ejus optimo imperio, hoc ipſum emblema creberrime ei dedicavit; & merito quidem, quum ipſe neminem petentem ſpe fruſtratum dimittere ſoleret. Suetonius c. 8. *In ceteris vero deſideriis animum hominum obſtinatiſſime tenuit, ne quem SINE SPE DIMITTERET. Quin & admonentibus domeſticis, quaſi plura polliceretur, quam præſtare poſſet, non oportere, ait, quemquam a ſermone Principis triſtem diſcedere. Atque etiam recordatus quondam ſuper coenam, quod nihil cuiquam toto die præſtitiſſet, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: AMICI, DIEM PERDIDI.*

NUM. 23.

Titus CAESar VESPASIANus AUGuſtus IMPerator IIII. PONtifex TRibunicia POTeſtate II. COnSul II. Caput Titi laureatum.

Titus ſtans in quadrijugo curru triumphali in quo ſculpta Victoria cum palma & corona; dextra lauri ramum, ſiniſtra ſcipionem cum aquila in vertice gerit. In exergo numi ſcriptum S. C. Senatus Conſulto.

Refert hic numus, ut alibi ſupra obſervavimus in Veſpaſian. Tab. XIII. n. 7. non triumphum Titi, ſed Proceſſum Conſularem; quod, præter alia, docent inſignia Conſulatus, quæ manibus præfert. Triumphantibus Imperatoribus ſolet Victoria retro eorum capiti coronam imponere, quæ in hoc numo deſideratur.

NUM. 24.

Titus CAESar VESPASIANus AUGuſtus TRibunicia Poteſtate COnSul VI. Caput Titi laureatum.

S. C. In area numi. Duo ſigna militaria, Aquila legionaria media.

Exercitarum bello Titi Legionum ſigna, quæ tanquam ſacra culta ſunt, in hoc numo in ejuſdem Principis honorem percuſſo a Senatu, adferuntur, quæ inſignes Victorias Imperatori ſuo pepererunt. Spectantur etiam tria militaria ſigna in numis Titi, in quibus ejus Conſulatus ſecundus memoratur; adeoque ad bellum Judaicum bene ac feliciter geſtum referenda ſunt.

NUM. 25.

Titus CAESar DIVI VESPASIANi IMPeratoris Filius AUGuſtus Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate Pater Patriæ COnSul VIII. Caput Titi laureatum.

S. C. Templum ſex columnis ac pluribus ſtatuis ornatum.

Convenit hujus numiſmatis typus cum altero, quem ſupra obſervavimus in Tab. VI. num. 9. in quo ſculptum eſſe Jovis Capitolini Templum oſtendimus, quod, uti veteres ſcriptores docent, in majoribus cellis conſtituta fuerunt tria ſimulacra, in medio illud Jovis ſedentis, a dextris Minervæ, a ſiniſtris Junonis, quæ & in hoc repræſentantur. Sed in hoc præterea, quod eſt adnotandum, in faſtigio ejuſdem templi ſculpta ſpectatur quadriga triumphalis, quam Senatus Conſulto dedicatam fuiſſe Tito non ſine ratione ſubſpicari poſſumus. Capitolinum Templum cum Templo Pacis aliqui Numographi confundunt, qui tria hæc Deorum ſimulacra obſervare neglexerunt. Id etiam adnotat eruditiſſimus Bellorius in Adnot. ad Num. Imperat. pag. 69. & 71. ad numos Titi adlatos num. 9. & 36. Templum Pacis, quantum ab hoc Capitolino differat, ex alio Titi numo, in quo hæc tantum epigraphe S. C. ſcripta eſt, & deſcribit accurate Vaillantius Tom. II. Num. Præſt. pag. 32. intelligi poteſt: „ Templum, ad „ cujus aditum quinque gradus cum quinque co- „ lummis, quibus innititur fornix, ſive arcus, „ ſub quo Imperator in curru triumphali. Ad „ latera porticus duæ figuræ inſiſtunt baſibus, al- „ tera Martis, ut videtur, altera Minervæ. Intra „ ædificium viſitur aliud templum, ſive ædicula „ columnis ſuffulta, in cujus medio figura ſtans.

NUM. 26.

Titus CAESar IMPerator PONtifex TRibunicia Poteſtate COnSul II. CENSor. Caput Titi laureatum.

S. C. Aquila expanſis alis globo inſiſtit.

Aquila ſubjecto ſuis pedibus globo inſiſtens declarat orbem Romano Imperio ſubjectum. Titus Imperii terminos ampliavit, ſubjecitque non ſolum multas Provincias, ſed & tributarias fecit. Idem typus expreſſus in numis Veſpaſiani apud Angelonium in Tab. pag. 71.

NUM. 27. 28.

Vacant.

TA-

TABULA XIII.
COLONIARUM NUMOS
EX ÆRE MEDIO
IN HONOREM
IMP. CAES. TITI VESPASIANI
PERCUSSOS
COMPLECTENS.

NUM. I.

TITO FLAVIO VESPASIANO. Caput Titi laureatum ad lævam conversum.

COLonia CAESAREA LIBera ΦΛΑ-*ϐία h. c. FLAVIA. Caput mulieris turritum.*

Consulendus Nobilissimus Spanhemius in hunc numum pag. 784. Adfertur etiam inter numos Reginæ Christinæ Tab. LII. & a Cl. Havercampo illustratur pag. 337. in quem vide etiam quæ adnotat Vaillantius Tom. I. pag. 135. quæ repetere supervacaneum est. Complures esse apud antiquos Geographos Cæsareas, neminem latet. Hic vero numus ad Cæsaream illam Palæstinæ referendus, quæ olim *Pyrgos*, seu *Turris Stratonis* Ptolemaeo & aliis dicta fuit Quum enim Titus in Palæstina sit diutius moratus occasione belli Hierosolymitani, verisimile est (ut opinatur Mediobarbus pag. 127.) Coloniam ab eo ibi deductam, quam Plinius *Apolloniam*, & *Coloniam Primam* Flaviam adpellatam scribit. Tacitus Ann. Lib. II. *Haud dubia destinatione discessere: Mucianus Antiochiam, Vespasianus Cæsaream: illa Syriæ, hæc Judææ caput est.* At non Titus, ut censet Mediobarbus sed Vespasianus coloniam fecit, & Flaviam nomine gentis suæ adpellavit. Plinii ecce testimonium Lib. V. Cap.... *Stratonis turris, eadem CAESAREA, ab Herode rege condita: nunc Colonia Prima Flavia, a Vespasiano Imperatore deducta.* Ulpianus Lib. I. Digest Tit. XV. de Censibus. *Divus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit.* Hieronymus in Chronico an. IV. Olymp. CXCI. *Herodes Cæsaream in nomine Cæsaris condidit, quæ prius Turris Stratonis vocabatur.* Eadem Colonia Titum Vespasiani filium, alterum veluti conditorem suum, devenerata est, in cujus honorem hunc numum percussit; Ea, ut mihi adridet, occasione, qua Romam e Judæa proficiscens Cæsareæ aliquantulum moratus est, & Domitiani fratris sui natale celebravit; ut auctor est Josephus Lib VII. de Bello Jud. Cap. 20. Porro Natale Domitiani in diem XXIV. Octobris, ut adnotat Cl. Pagius in Baron. ad ann. Vesp. I. incidebat.

NUM. 2.

Titus CAESAR IMPerator DOMITIANUS CAESAR. Caput Titi laureatum, Domitiani vero sine laurea, in prospectu.

MUNICIPium STOBENSe. Templum quatuor columnis subfultum, in cujus medio figura Imperator sinistra hastæ innixus.

Describit hunc numum Comes Mediobarbus pag. 127. ex Museo Corrario. At in notis alteri editioni subjectis alterum numisma Stobensium describitur, cum hac inscriptione: licet extrita T...... IMP..... NT. COS. VI. in postica vero in qua sculptum est Templum quatuor columnarum, scriptum MUNICIPIUM STOBENSIUM ex numo Musei Josephi Magnavaccæ. Ex hoc numo colligimus Stobenses Tito dedicasse templum, in quo ejus statuam posuerunt; nam figura, quæ in medio templi posita est, Imperatorem refert thorace & militaribus armis ornatum cum hasta; quod facile divinum decus eidem persolverant ludorum occasione, quos in memoriam ejus victoriæ Judaicæ ediderunt; in his enim temporaria templa in honorem Imperatorum fabricari solebant, & frequenter etiam parva in hunc modum argentea cælabantur, quæ pro præmio victoribus donabantur. Stobi in Macedonia memorat Plinius Lib. IV. Cap. 17. *Oppidum Stobi civium Romanorum.* Ulpianus Lib. L. Dig. Tit. XV. de Censibus Stobenses juris Italici sunt. Hoc Jus Italicum, & Romanam Civitatem, a Vespasianis, ut auguror, acceperunt, ac præsertim a Tito, quem Diis parem dedicato templo fecerunt. Numum e Thesauro Reginæ Christinæ adfert & explicat Cl. Havercampus Tab. LII. p. 332. in quo pictus est Municipii Stobensis Genius muliebri figura inter spolia bellica, quo typo Judaicam victoriam Tito gratulati videntur, non secus ac Vespasiano, in cujus quoque honorem hoc numisma percusserunt.

NUM. 3. 4.

Vacant.

NUM. 5. 6.

.... *CAESAR DIVI......* (*Forte ita restituendus IMPERATOR Titus CAESAR DIVI AUG. F.*)

DIVOS........ (*Forte: DIVOS VESPASIANUS AUG.*) *Imperator nudo capite stans thorace armisque insignis, dextra hastæ innixus, læva parazonium gerens.*

In numerum Deorum relatum Vespasianum testatur numus; sed a qua Colonia cusus sit, mihi incompertum.

NUM. 7. 8.

Vacant.

NUM. 9. 10. 11.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR TITUS CAESAR.*) *Caput Titi lævorsum respiciens, laurea corona cinctum.*

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. (*ALEXANDRIA.*) *Feminæ caput ornatum exsuviis capitis elephantis.*

Cusus est in honorem Titi hic numus ab Alexandrinis, eo ut videtur tempore, quo capta Judæa per Aegyptum iter instituit, quod accurate Josephus Lib. VII. de Bello Jud. Cap. 24. describit. Ex Antiochia enim ad Aegyptum discessit, & iter agendo ad Hierosolymam venit. *Titus autem propositum iter ad Aegyptum tendens, emensa velociter solitudine pervenit ALEXANDRIAM: decretoque ad Italiam navigare, captivorum duces Simonem & Joannem illico ad Italiam portari præcepit. Peracta vero peregrinatione pro voto &c.*

NUM. 12.

Epigraphe, ut supra num. 9. & 10. Caput Titi laureatum lævorsum versum.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. *Mulier stans veste succincta, exserta dextra mamma, capite elephantinam galeam gerens, dextra lauream coronam offert, sinistra labarum sive militare vexillum tenet.*

Perspicue declarat eximius hic numus, qua de causa, quave occasione Alexandrini numismata hæc dedicarint Titi, nempe ob insignem de Judæis relatam victoriam. Siquidem Alexandriæ imago lauream coronam ei urbem suam adeunti offert. Principibus victoriis ac rebus præclare gestis inclytis, quum urbes adveniebant, in occursum mitti solebant hujusmodi signa urbium & oppidorum, quæ coronas offerrent. Variat hujus numismatis pictura apud Cl. Havercampum Tab. LII. ex numo Thesauri Reginæ Christinæ; nam mulier, quæ Urbis genium repræsentat non labarum, seu vexillum, sed spiculum læva gerit. Eum vide pag. 334.

NUM. 13.

Eadem epigraphe in antica numi, ut supra num. 9. 10.

.... ΑΠΑΜΕΩΝ. .... *APAMENSIUM. Fasciculus quinque spicarum.*

Apamenses hunc numum Tito Cæsari dedicarunt, quorum nomen tantum vetustas non contrivit in postica parte. Pro typo exhibent pinguium spicarum fasciculum, ad indicandam urbis, quæ Syriæ fuit metropolis, ubertatem, & agrorum fertilitatem, de qua hæc e Strabone proferre lubet Geograph. Lib. XVI. p. 752. *Apamia* (sive Apamea) *urbem habet magna ex parte probe munitam. Est enim collis quidam in campo muris bene cinctus, quem Orontes, & ingens quidam lacus circumpositus, & latæ paludes insulam faciunt; tum prata pascendis equis & bobus amplissima circumjacent. Urbs in tuto sita est, & Cherronesus e re ipsa vocata. Regione & multa & ubere abundat, per quam Orontes fluit, & multus in ea vagatur.* De hac urbe luculenter multa adnotat Doctissimus Norisius De Epoch. Syromaced. Dissert. II. §. 1. pag. 68. & seqq.

NUM. 14.

ΤΙΤΟΣ ΣΕΒΑΣτος. (*TITUS AUGUSTUS.*) *Caput Titi laureatum ad lævam versum, ut supra Tab. IV.*

ΑΣΚΑΛΩν. *In area lævorsum* ΒΠΡ'. (*ASCALO Anno* CLXXXII.) *Mulier turrito capite succincta tunica rostro insistens, dextra hastæ innixa, læva acrostolium tenet: in area a dextris arula sive parvum candelabrum, a sinistris columba sublatis alis volanti similis.*

Adsimili typo alterum numum adfert Tristanus Tom. I. pag. 304. sed epigraphe anticæ partis ita habet: Τ. ΟΕΣΠΑΣ. pro ΟΥΕΣΠΑ-Σιανός. posticæ vero: ΑΣΚΑΛΩΝΙΤΩΝ. *Ascalonitarum.* Sed hoc loci, prætermissa Tristani, quam ad hunc numum adfert, explicatione, alteram Doctissimi Norisii substituere satius videtur, qui hoc ipso numo e regia Galliarum Gaza prolato de Epoch. Syromaced. Differt. V. §. 1. p. 431. his observationibus eum illustrat. „ *Alter numus* „ est Titi, ut ex inscriptione. ΤΙΤΟϹ ϹΕΒΑϹ. „ *Titus Augustus* adparet. In postica parte cum „ eodem symbolo ac nomine urbis legitur E- „ pocha ΒΠΡ, *Anno* CLXXXII. quam æram o- „ misere Tristanus pag. 304. Patinus pag. 151. „ Eo autem symbolo mulieris turritæ, quae in „ Ascalonitarum nummis passim visitur, ipsa- „ met urbs Ascalo designatur cum rostris na- „ vium. Diodorus Siculus Lib. II. narrat, Der- „ cetum partus pudore suffusam, puellam, quam „ in-

„ invidia Veneris, Deæ sibi iratæ, conceperat, „ in deserto quopiam loco exposuisse; columbas „ vero lacte primum, deinde caseo ex pastorum „ attegiis rostro deportatis, ac in os puellæ instillatis, eandem pavisse, quo usque pastores, „ re ex corrosis caseis observata, infantem formæ decore insignem repertam, uvidam Simmæ pecudum ductori tradiderunt, *qui abs se* „ *adoptatæ Semiramidis nomen imposuit, Syrorum* „ *lingua a columbis derivatum, quas Syrorum* „ *exinde natio ut Deas perpetuo veneratur.* De „ etymologia nominis Semiramidis videsis Bochartum Lib. II. par. 2. Geogr. Sacræ Cap. „ XI. pag. 281. Dercetum vero in lacum Ascaloni proximum semet mersisse, ac insigne „ templum ab Ascalonitis eidem dicatum tradit „ ibidem Diodorus, cujus verba mox dabimus. „ Philo, Hebræorum Plato, apud Eusebium Lib. „ VIII. de Præp. Evang. Cap. V. narrat se, „ quum Hierosolyma sacrificandi causa pergeret, „ Ascalonem versisse, ubi scilicet *magnam columbarum multitudinem videns, admirabar;* „ *interrogantique mihi, quamobrem eæ aves omnia pæne illa loca occupassent, responsum* „ *fuit, lege apud eos columbarum esum esse prohibitum;* ne videlicet Deos suos devorare viderentur. Hinc patet, cur in Ascalonitarum „ nummis columba obsignata fuerit. Sed his omissis, utriusque nummi regii Epochæ considerandæ sunt. In nummo Neronis, cujus imaginem uti & aliorum Cæsarum, rudiori „ Monetariorum arte scalptam videmus, signatur annus Ascalonitarum AOP. CLXXI. „ Cum vero hæc Aera inchoata fuerit per autumnum A. V. 650. annus ab hinc 171. coepit „ ab autumno A. V. 821. Christi 67. ac decimo „ quarto eodemque postremo imperii Neronis, „ qui initium habuit die 13. Octobris ejusdem „ anni. Ex hoc autem numismate refelluntur memorati superius scriptores, qui Epocham Ascalonis post A. V. 650. deducebant; siquidem „ juxta illorum opiniones annus ibi scalptus „ 171. cum imperio Galbæ, aut Vespasiani concurreret; Nero enim semet interfecit A. V. „ 821. die decima Junii. In altero nummo Titi legitur annus Ascalonis BПP, CLXXXII. „ quem annorum numerum si deducas ab A. V. „ 650. annus 182. desinit per autumnum A. V. „ 632. quo Titus die 24. Junii demortuo Vespasiano patri successit.

„ Ex hoc etiam numo colligimus annum apud Ascalonitas non coepisse a verna tempestate; siquidem annus eorundem CLXXXII. extitisset, priusquam Titus, mortuo patre, Augusti titulum accepisset. Exstat hic idem nummus Bononiæ in Museo Pollacio, ut vir harumce rerum peritissimus Josephus Magnavacca mihi per litteras significavit, misso etiam „ ectypo ejusdem nummi in cujus antica legitur „ CEBACTOC, Titi cognomine ibidem detrito: Epocha sane BПP ibidem adparet; cujus „ tamen prior nota B non tam recte in altero „ regio nummo conspicitur. Quare Titus id temporis erat Augustus, ac idem nummus intra „ primum quadrimestre imperii percussus fuit. „ Illustrissimus Spanhemius pag. 868. nummum „ laudat e Cimeliis Principis Durlacensis, in anteriori parte inscriptum: CEBACTOC, *Augustus;* in posteriori legitur: ACKAΛΩNIT... „ & in area ΔΠ.. *Ascalonitarum.* Anno.. LXXXIV. „ Recte observat postremam litteram P eidem „ Epochæ deesse, qua annus centesimus designatur; ita ut ibi legendum sit: Anno CLXXXIV.

„ Hinc tamen infert eum numum non esse Titi, „ sed potius Domitiani, cui etiam Harduinus p. „ 78. eundem nummum adtribuit, *qui*, inquit, „ *Tito vulgo adscribitur.* Ex semel perperam „ statuto capite Aeræ Ascalonis, coguntur unius „ Principis nummos alteri pro arbitrio adfigere. „ Cum illa Epocha inierit ab autumno A. V. „ 650. annus ab hinc 184. coepit ab autumno „ A. V. 833. Tito usque ad Septembrem anni „ Urbis insequentis 834. superstite. Interim binis hisce nummis Titi tanquam clavis trabalibus caput Aeræ Ascalonis figitur in toties memorato A. V. 650." Mitto, quæ mox adnotat idem summus Vir Norisius de Derceti fabula ex Diodoro Lib. II. Ovidio Lib. IV. Metamorph v. 43. ex Luciano de Dea Syra, de qua multa Seldenus in Syntagm. II. de Diis Syriæ Cap. III. Porro illud notandum superest, quod mulier illa Ascalonem referens urbem, turribus idcirco munitum caput habens, rostro navis insistit; quumque Ascalonitæ in aliis numis Neptunum exhibeant cum tridente in sinistra manu, & delphino in dextra; hinc eruimus Ascalonem maritimam urbem designari; de qua tamen Vuillelmus Tyrius Lib. XVII. de Bello Sacro Cap. 22. scribit: *Hæc autem civitas situ maris nullam præbente aptitudinem, portum, vel aliquam tutam navibus non habet, nec habuit stationem.* Sed prælaudatus Norisius pag. 433. Ascalonem in proxima ora maritima suum habuisse navale, ostendit. Quid arula illa in area posticæ partis numi sculpta, atque etiam in antica ante vultum Titi, significet, non exposuit Norisius: credibile est celeberrimum Deæ cultum indicare, quæ non procul ab ea urbe celeberrimum templum habuit, teste Diodoro Siculo Lib. II. *Est* (inquit) *in Syria urbs Ascalon, a qua non procul ingens & profundus lacus piscium copia abundans; & in vicinia illustris Deæ templum, quæ Derceto Syris vocatur, facie mulierem, & toto alias corpore piscem referens.* Porro & prope caput Titi adjecta illa arula, fortasse indicat aliquod Titi hujuscemodi donarium, vel auctum Deæ cultum templumque ab eo beneficio aliquo locupletatum.

NUM. 15.

Epigraphe anticæ partis, ut supra Tab. IV.

ΕΠΙ Μάρκου ΝΕΡΑτίου ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. *In area hinc inde:* ΚΟινὸν ΓΑΛατίας: *SUB M. NERATIO PANSA LEGATO, COMMUNE GALATIAE. Trium spicarum manipulus.*

Hunc numum e regia Galliarum gaza profert Vaillantius inter Numos Græcorum Populorum. Spicæ simul collectæ regionis fertilitatem indicant. In alio Neronis numo scriptum ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ Commune Galatarum, & ita in hoc lubentius legerem.

NUM. 16.

Epigraphe anticæ partis, ut supra Tab. IV.

ΕΠΙ Μάρκȣ ΝΕΡΑτίȣ ΠΑΝΣΑ ΠΡεσβευτȣ̃ *Mons Argaeus, in cujus vertice patrius deus, dextra globum, finistra hastam gerens.*

Cæsariensium Cappadociæ insigne in numis obvius est Mons Argaeus, de cujus natura, situ atque altitudine multa adnotat Strabo Geogr. Lib. XII. p. 538. In hujus montis vertice Cæsarienses pro patrii Dei simulacro, adulationis causa, ponere solent Imperatoris illius statuam, quem divinis honoribus tanquam Deum suum colere testantur. Ita in numo Caracallæ hunc Principem tanquam Apollinem seminudum muliebri habitu effictum eidem Monti insidentem fingunt. In hoc videntur Titum patrii Dei loco posuisse, cui globum in dextra adpingunt, ob imperium ei a Patre conlatum; qua occasione numum arbitror ab iisdem Tito dedicatum. Exstat alter numus ex Museo Reginæ Christinæ cum epigraphe in antica parte. TITOC. KAICAP CEBACTOC. Caput Titi sine laurea. In postica Mons Argæus, in cujus vertice posita corona laurea, cum epigraphe: KAICAPEIAC.

NUM. 17.

Epigraphe anticæ partis, ut supra Tab. IV.

Laurea corona, intra quam scriptum: ΕΠΙ ΠΑΝΣΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ. *(SUB PANSA LEGATO.)*

Describititur hic numus a Vaillantio, e Museo Reginæ Christinæ; sed in fine inscriptionis posticæ partis additur nota numeralis Γ. nempe: *sub Pansa Legato tertium, sive anno tertio.* Cusus videtur vel a Communi Galatiæ, vel etiam Cæsariensibus Cappadociæ, uti colligitur ex numis supra descriptis. Has urbes Judaeorum Victori Tito dono dedisse coronas pretiosas, quæ laureas exprimerent, subspicari facile possumus, auctoritate superius adlata Apollonii Poetæ, qui Bellum Hierosolymitanum carmine descripsit, cujus verba superius prolata sunt.

NUM. 18.

Epigraphe anticæ partis hujus numi, ut supra.

ΦΛΑΥ ΚΥΡΗΝΗ. *(FLAVIA CYRENE.) Caput muliebre elephantina galea tectum.*

Adfertur hic numus a Patino pag. 151. Harduinus in Num. Pop. & Urb. pag. 245. interpretatur *Flavia*, vel *Flaviopolis Cyrene.* Flaviæ gentis denominationem accepit a Vespasiano, vel a Tito, qui eam Coloniam Romanorum civium jure donarunt, & beneficiis ornarunt.

NUM. 19.

Epigraphe anticæ partis numi, ut supra.

Laurea corona, intra quam scriptum: ΦΛΑΟΥ ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ (Φλαȣιέων Νεαπολιτῶν Σαμαρείας. *FLAVIORUM NEAPOLITANORUM SAMARIAE.)*

Hunc quoque numum exhibet Patinus pag. 151. & ex eo Harduinus pag. 340. Vaillantius quoque ex Thesauro regis Galliarum describit, sed addit epocham in fine epigraphes L. AI. hoc est anno XI. quam in nostro non conspicimus.

NUM. 20.

Epigraphe anticæ partis numi, ut supra.

ΕΠΙ ΒΩΛΑΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *(SUB VOLANO SMYRNAEORUM.) Jupiter sedens superiore parte nudus, inferiore tectus pallio, dexteram porrigit, læva hastæ seu sceptro innititur.*

Ex alio Vespasiani numo a Smyrnæis percusso discimus Jovem hunc, quem multa religione hi populi coluere, esse ab iisdem adpellatum *Acræum*, seu *Arcium Præsidem*, quod templum in excelso urbis loco & arce haberet, & populos tueretur; de quo plura Cl. Spanhemius in Observ. in Hymnum in Jovem vers. 81. Siquidem numus in honorem Vespasiani ab iisdem populis percussus, hæc habet apud Vaillantium ΕΠΙ ΒΩΛΑΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΑΚΡΑΙΟΣ: *sub Volano sive Bolano Smyrnaeorum Acræus*; & in hoc numo Jupiter dextra Victoriolam gerit, & offerre Imperatori videtur. Exstat etiam ab his alter numus in quo Titi & Domitiani capita adversa, & in posteriore ejus facie sculptus Fluvius decumbens, adjecto ejus nomine ΜΑΡΩΝΟΣ. Igitur & Smyrnæi non solum Vespasiano, sed & Tito gratulati sunt hisce publicis monumentis ob relatas ab iisdem de Judæorum gente inclytas Victorias, ad quas paratum auxilium suum Jupiter ostendit, porrecta dextera manu.

NUM. 21. 22.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΙΤΟϹ. *(IMPERATOR TITUS.) Caput Titi laureatum, ad lævam versum.*

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ L. ΓΜΡ. *(PHILADELPHENSIUM Anno* CXLIII.) *Caput Herculis laurea corona redimitum, cum leonina pelle circa collum.*

Præstat hujus rarissimi numi explicationem adferre magni viri Norisii, qui illum accuratius expressum producit in Differt. III. de Epochis Syromaced. §. II. p. 268. „ Duos hic numos eosque rarissimos produco, quorum ad „ me ectypa elegantissime delineata, insignis „ Doctrinæ parisque humanitatis vir, Andreas „ Morellius transmisit. Prior (ille ipse est qui in „ hac Tabula profertur; sed deest caput expressum intra effigiem Titi) numus servatur in „ Museo Illustrissimi & Excellentissimi D. Colberti Marchionis de Seignelay, potentissimo „ Gal-

„ Galliarum Regi a consiliis ac secretioribus mandatis. Antica ejusdem numi epigraphe est: „ αὐτοκρΑΤωρ TITOC: *Imperator Titus*; & in „ postica cum capite Herculis laureato, ut in „ Gadarensium numo Mediceo superius exposito: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. L. ΓΜΡ. *Philadelphensium.* „ *Anno* CXLIII. Quum ex Josepho Aretas Arabum Nabatæorum Rex A. V. Romæ 690. „ Philadelphiam secesserit, M. Aemilio Scauro „ Damascum se conferente, nondum eo anno „ Philadelphenses Autonomiam acceperant, sed „ Arabum dominio premebantur." Quare anno proximo 691. eodemque altero Olympiadis CLXXIX. Romanorum imperio adjecti, libertate a Pompejo donati sunt, ut suis legibus uterentur; ac proinde recte in laudato Chronico Alexandrino Philadelphensium in Coele Syria Epochæ initium eodem anno recitatur. At annus ab eodem 143. coepit per autumnum A. V. 833. Christi 80. qui erat secundus principatus Imperatoris Titi Augusti. Cujusnam vero caput intra effigiem Titi sculptum sit, haud ita facile possim divinare. Puto tamen vel patris Vespasiani esse jam in superos a Tito relati; vel cujusdam alterius numinis, quod Philadelphiæ præ ceteris colebatur. Hunc numum describit Vaillantius, aitque exstare in Museo Foucaultiano.

NUM. 23. 24.

Vacant.

NUM. 25.

TITϐ ΑΥΤοκράτορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαςϐ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. (*TITI IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI.*) *Caput Titi laureatum.*

ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΟΚΥΙΑΣ. (*JUDAEA DEVICTA.*) *Victoria stans, dextro pede globo imposito scribit in clypeo palmæ arbori suspenso.*

Hunc & sequentem numum adfert & explicat Patinus p. 151. Postulabat talis tantusque de Judæorum rebelli gente relatus a Tito triumphus, ut titulus utraque lingua celebraretur, cujus æternum nomen, ac gesta in clypeo scribit Victoria. Clypei titulis & rebus gestis Imperatorum inscripti in eorum honorem in Templo Jovis in Capitolio adpendebantur, una cum laureis eorum coronis.

NUM. 26.

Eadem inscriptio anticae partis numi, ut in praecedenti. Caput Titi laureatum.

ΙΟΥΔΑΙΑΣ ΕΑΛΟΚΥΙΑΣ. (*JUDAEA DEVICTA.*) *Tropaeum suspensis trunco militaribus armis insigne, prope quod hinc sedet captivorum more Judaea provincia, hinc coacervata alia arma.*

Eximius hic numi typus in Græca urbe percussus perspicue declarat quam multis laudibus celebrata sit victoria de Judæis a Tito reportata Haud prætermittendum elogium in marmore Interamnate scriptum apud Gruterum p. CCXLV. I.

PROVIDENTIAE. TITI CAESARIS. NATI AD. AETERNITATEM. ROMANI NOMINIS. SUBLATO. HOSTE. PER NICIOSISSIMO. P. R FAUSTUS TITIUS. LIBERALIS VI. VIR. AUG. ITER. P. S. F. C

Mitto inscriptionem triumphalis Arcus, quam non ut alii fictitiam, sed sinceram censet doct.ssimus Pagius in Crit. ad Annal. Baron. ad annum imperii Titi secundum, in qua, quum ejus decima Tribunitia Potestas adnotetur, legitimo favet monumento, cujus anaglyphum opus, insculptum Candelabrum Judaicum sancti Templi Romam transvectum cum reliquis argenteis vasis, & in Titi triumpho delatum exhibet: quum ante ipsum Pagium a nemine animadversum fuisset, in ejus imperii Proconsularis decennalibus, de more, triumphalem hunc Arcum positum fuisse.

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO. AUGUSTO. PONTIFICI. MAXIMO TRIBUN. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P. PRINCIPI. SUO. S. P. Q. R.
QUI. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQUE. ET AUSPICIIS. GENTEM. JUDAEORUM. DOMUIT. ET URBEM. HIEROSOLUMAM. OMNIBUS. ANTE. SE DUCIBUS. REGIBUS. GENTIBUS. QUE. AUT. FRUSTRA PETITAM. AUT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT

NUM. 27. 28.

Vacant.



TABULA XIV.

ADHUC PERSEQUITUR

NUMISMATA GRAECA EX AERE MEDIO

IMP. CAES. TITI VESPASIANI

IN COLONIIS PERCUSSA.

Num. 1.

Epigraphe anticæ partis hujus numi mihi incognita.

ΔΙΟΣ ΙΔΑΙΟΥ. (*JOVIS IDAEI.*) *Aquila ſtans expanſis alis volanti ſimilis.*

Typus hujuſce numiſmatis ut & ſequentis, qui & in Domitiani numis occurrit, pertinet ad Cretenſes, qui Jovem apud ſe natum in Creta valde gloriati ſunt, qua de re multa exquiſita eruditionis fruge adnotat vir Antiquariorum princeps Spanhemius in Hymnum Callimachi in Jovem vers. 4. pag. 5. & 6. ubi hunc numum citat his verbis: „ Occurrunt cum Ti- „ ti & Domitiani numi, in quibus ΔΙΟΣ ΙΔΑΙΟΥ „ cum aquila; qui tamen de Cretenſi Jove de- „ bent intelligi: & firmare videtur, quod foe- „ dus inter Cretenſes & Apolloniatas jure juran- „ do ſancitum fuerit, παρὰ τὸν Δία Ἰδαῖον, au- „ ctore Polybio in Excerp. Vales. pag. 133. In hoc numo Jovis aquila, fida ejus miniſtra, & famulatrix, in ſequenti vero ipſe Juppiter ſculptus eſt.

Num. 2.

Epigraphe hujus quoque numi anticæ partis mihi incomperta eſt.

ΖΕΥΣ ΚΡΗΤΑΓΕΝΗΣ. (*JUPITER in CRETA GENITUS.*) *Jupiter Fulminator inter ſeptem aſtra.*

Percuſſus eſt & hic numus a Cretenſibus in honorem Titi, qui facile Jovem ei adprecati ſunt auxiliatorem ad hoſtium vires infringendas; nam Jovem ſuum, fulmina jaculantem dextra & iratum, expreſſere. In aliis numis Jupiter quoque ΚΡΗΤΑΙΟΣ CRETAEUS adpellatur. Pro Jovis incunabulis apud ſe ſtatuendis mirum in modum inter ſe certarunt Aſiæ populi, uti jam adnotavi ad aram Albanam e marmore, cujus latera quatuor exhibent Rheæ puerperium, Jovis ortum, educationem, & inter omnes Deos imperium quam vide in principio inter Donianas Inſcriptiones. Dicitur quoque Jupiter ΘΕΟΣΙΟΣ ΚΡΗΤΑΙΟΣ in præclaro Aegienſium Achaiæ numo, de quo laudatus Spanhemius, quem vide vers. 34. & 55. loco memorato Callimachi. Septemtriones Jovem circumſtant, qui, ut explicat ad Heronis numum argenteum maximum Græce inſcriptum Vaillantius Tom. II. pag. 68. cælo præeſt, atque ſideribus.

Num. 3.

Epigraphe anticae partis, ut ſupra. Caput Titi.

ΕΤους ΚϚ ΡΑ ΑΓΡΙΠΠΑ. (*Anno XXVI. REGE AGRIPPA.*) *Victoria gradiens cum palma & corona.*

Vitioſe ſcriptus eſt averſus hujus numi typus. Pro ΚϚ Patinus, qui adfert pag. 151. habet ΚΓ. & integrum nomen ΑΓΡΙΠΠΑΣ. Pro ΡΑ ſcribe ΒΑσιλέως ΑΓΡΙΠΠΑ: *ſub Rege Agrippa.* Forte numus apud Aſcalonem, vel in alia civitate, quæ Agrippæ imperio ſubjecta erat, percuſſus eſt, de quo plura luculenter adnotat Noriſius Epochis Syromac. Diſſert. V. Alia numiſmata in antiquitatis penu exſtant eodem Agrippa in Palæſtina regnante cælata, alterum apud Vaillantium cujus typus triremis, cum epigraphe ΒΑ ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤ. ΙΘ: *Regnante Agrippa, Anno XIX.* alterum cujus typus mulier dextra ſpicas tenens, læva Cornucopiæ, quo Palæſtinæ, regnique Agrippæ beata indicatur felicitas, cum epigraphe ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠ ΕΤ ΙΕ. *ſub Rege Agrippa Anno XV.* Ex quibus omnibus colligimus Agrippam gratulatum eſſe Tito hiſce numis in ejus honorem percuſſis ob Judæos ab eo devictos profligatoſque, nam Joſepho teſte, eidem Tito auxilium tulerat in bello Judaico; fuitque Romæ cum Berenice ſorore ſua, ut auctor eſt Dio Xiphilini Lib. LXVI.

Num. 4.

Vacat.

Num. 5.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΤΙΤΟΣ ΚΑΙσαρ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστός. (*IMPERATOR TITUS CAESAR VESPASIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Titi laureatum.*

NEI-

ΝΕΙΛΟΣ L. Γ. (*NILUS Anno III.*) *Nilus pectore tenus radiata corona cinctus, cum loti flore ad dextrum humerum.*

Haud prætereunda mihi videtur pereruditi hujus numismatis interpretatio, quam adfert Illustr. Tristanus Tom. I. pag. 307. his verbis: „ NILUS repræsentatur tanquam Jupiter radiato diademate cinctus, floremque „ præferens, cujus truncus præiongus est. Numisma hoc est medii moduli, & ex illo ære candido, vulgo *alchimia*, in Aegypto cusum, uti indicat Nilus, non tanquam commune Numen, sed Jovem ipsum referens. Tanta erat utilitas, quam toti Aegypto præstabat Nilus, ut populi illi divinos ei honores adsignarint, crediderintque illum a Jove profluxisse, cujus filium putabant, ideoque Διιπετὴς, „ *a Jove* scilicet *fluentis* sive *delapsi* nomine decoratur ab Homero, uti notant Strabo Lib. I. „ pag. 37. & Aristides Oratione ad Deos habita. „ Hoc enim Flumen sub Jovis Pharii nomine „ invocabant, ut Martialis Lib. IX. Epigram. 36.

„ *Scis quoties Phario madeat Jove fusca Syene:*
„ *Scis quota de Libyco littore puppis eat:*

„ & sub *Jove Aegyptio*, uti Byzantinus Parmenio apud Athenæum Lib. V. pag. 203. ita „ eum invocat:

——————— Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε

Hoc est: *O Jupiter Aegyptie Nile.*

„ In aliis numis more Fluminum decumbit. Veteres tanquam Oceanum hoc ipsum Flumen habuerunt, uti testatur Diodorus Siculus Lib. I. pag. 17. & 34. quibus in locis ea de re rationem reddit. De flore, quem gerit, nonnulla ut eloquar, hunc arbitror esse Loton Aegyptiam, quam ostendi in Numismata Antonini, (quod est decimum nonum) quodque ad Harpocratem pertinere credebatur, uti ad descriptionem numismatis vicesimi quinti Imperatoris Hadriani ostendi. Theophrastus Lib. IV. Cap. 10. Historiæ suæ de Plantis, Loton describit florem prælongo trunco, eaque forma, qualem heic videmus, & cernitur etiam in numismate Antonini. Lotos summo in pretio habebatur; ex ea enim panem populi illi conficiebant, uti adnotavit Herodotus Lib. II. pag. 34. additque Loton maxime crescere quum Nilus exundat, atque speciem esse quamdam *lis aquatici*, uti dicunt Aegyptii. Marcescere Loton faciunt, ut postea arescat, & ejus florem, qui ad instar papaveris est, coquunt. „ & panem conficiunt. Seneca Lib. III. Quæst. „ Natural. Cap. XXV. adserit, aquas hujusce „ Fluminis reddere fecundiores mulieres. Hinc „ Anastasius Sinaita *genitalem aquam* adpellat „ Lib. III. suarum Contemplationum Anagogicarum super Hexameron ad calcem. *Genitalis aqua* (inquit ille,) *ut Aegyptia multos generans.* In eodem libro accurate describit mirabiles Nili cursus recursusque hisce verbis: *Recedit autem & recurrit Nilus ex Aegypto in diebus mensium Decembris, & Januarii. Incipit autem fluere mense Junio, & per eum totum; & post ipsum crescit mense Julio; in Augusto autem & toto Septembri instar maris inundans Aegyptum facit navigabilem, quæ prius „ erat arabilis. Incipit autem, ut dictum est, „ decrescere in Octobri, & Novembri & toto Januario redditur priori alveo.*

„ Quod vero pertinet ad effigiem Nili, numisma hoc rarius censetur, eo quod neminem Veterum ac recentiorum Auctorum, quod sciam, adhuc offenderim, in quibus Nilus sub Jovis specie describatur. Quum autem Aegyptii huic Flumini statuas posuerint, eae erant e regio marmore, sive lapide, eo quod, ut ipsi ajebant, Flumen hoc in mare prorumperet, postquam Aethiopiam adluisset, uti adnotavit Pausanias Lib. VIII. pag. 393.

„ Credo Aegyptiis in cudendo hoc numismate in honorem Titi Vespasiani fuisse propositum, ut ejus beneficiis easdem agendas esse gratias ostenderent ac Nilo, quem Deum aliquem esse sibi fingebant. Titus enim, vivo etiam patre, pro Aegyptiis multa gessit, ad publica onera, tributa & vectigalia minuenda ac relaxanda, quæ pater propter publicas impensas illis imposuerat, ut Dio Cassius adnotat Lib. LXVI. Siquidem post captas Hierosolymas Aegyptum Titus invisit, atque Alexandria Memphim perrexit, ubi Apidi bovi consecrando operam dedit diademate cinctus juxta veterem patrium morem; quod subspicionem dedit patri, illum adfectasse Imperium: quam subspicionem auxit, postquam Alexandriam petens, in consecrando apud Memphim bove Apide, diadema gestans de more quodam rituque priscæ religionis; sed non deerant, qui secius interpretarentur, ut scribit Suetonius.

N u m. 6.

Epigraphe anticæ partis numi, ut supra.

ΣΑΡΑΠΙΣ. (*SARAPIS.*) *Caput Serapidis cui impositus calathus sive parva columella, ad pectus ornatum chlamyde. In area* L. Γ. *Anno tertio.*

Principi beneficentissimo, Alexandrini hunc, & sequentes quinque numos Tito dedicarunt, consignata epocha annorum ejus imperii.

N u m. 7.

Epigraphe anticæ partis numi, ut supra.

ΕΥΘΗΝΙΑ L. Γ. (*ABUNDANTIA Anno III.*) *Caput deæ spicis ornatum.*

Urbi frugum inopia laboranti frumento Alexandria devecto opem tulisse Titum, jam dixi ad numos ejus cum epigraphe CERES AUG. vel ANNONA AUGUST. Beneficia Titi Romanis conlata, præter numismata, testatur etiam marmor Romæ inventum in Hortis Palatinis apud Gruterum p. CCXLIV, 4.

IMP. T. CAESARI
DIVI. F
VESPASIANO. AUG
PLEBS. URBANA
QUAE. FRUMENTUM
PUBLICUM. ACCEPIT
ET. TRIBUS . . . .

Tri-

Tritici peregrini, quod præſtitum eſt puellis, ut ſufficeret per annos quatuordecim, fit mentio in antiquo marmore in quo Titi nomen ſcriptum eſt poſt patris exceſſum, in Tom. I. Inſcript. ant. quæ in Etruriæ Urbibus exſtant a me edito p. 449. num. 82. Quod igitur Alexandrini frumentum Tito ſuppeditarint, magniſque ejus beneficiis cumulati ſint, hunc numum cum Abundantiæ typo eos percuſſiſſe crediderim.

NUM. 8.

Epigraphe anticae partis numi, eadem ut ſupra.

OMONOIA. (*CONCORDIA.*) *Dea ſtolata in cathedra ſedens, dextrorſum verſo capite, dextra lauri ramuſculum tenet. In area Epocha* L. B. *Anno ſecundo.*

Sacra & vota ſoluta ab Aegyptiis pro concordia in imperio, fraternique amoris mutua benevolentia Titi & Domitiani, ni fallor, teſtatur hic numus.

NUM. 9. 10. 11.

ΑΥΤοκράτωρ ΤΙΤος ΦΛΑΥΙος ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝός. (*IMPERATOR TITUS FLAVIUS VESPASIANUS.*) *Caput Titi laurea redimitum.*

EIPHNH. (*PAX.*) *Pax Dea ſtolata ſtans dextrorſum reſpiciens, dextra ſpicas, ſiniſtra caduceum gerit. In numo* 10. L. *A. Anno I., in altero* 11. L. B. *Anno II.*

Adlati duo numi num. 10. & 11. proferuntur & illuſtrantur ab eximio Triſtano Tom. I. pag. 303. num. 9. & 10. ſed in altero habet EPEINH; in altero vero EIPHNH. Sed & in altero ſignato anno ſecundo imperii Titi Veſpaſiani, qui in noſtra Tab. eſt 11. ita ſcriptum in anteriore ejus facie obſervat, ΑΥΤ. ΤΙΤΟΥ ΦΛΑΥΙΟΥ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. Sed & in hoc Pax Dea non ſpicas, ſed oleæ ramuſculum tenet. Mox hæc idem Triſtanus adjungit. „ Heic ſolum addam, quæ pertinent ad verbum EIPHNH, „ quod a Græcis obtinuit, de quo quædam adnotat Plutarchus in Vita Numæ, ſignificat „ nempe foedus ictum inter duos populos verbis & pactis, non vi: Καὶ γὰρ Εἰρήνην Ἕλληνες καλοῦσιν, ὅταν λόγῳ μὴ βίᾳ πρὸς ἀλλήλους χρώμενοι, λύσωσι τὰς διαφορὰς. Verum pax, quam Veſpaſianus & Titus Imperio Romano conciliarunt, „ perdomitis Judæis ceteriſque hoſtibus, vi certe facta eſt. Frumenti ariſtæ ſignificant copiam & „ fertilitatem, quæ Pacem plerumque conſequuntur. Olivæ ramus, ſignum eſt Tranquillitatis, quæ Pacis filia, matre major eſt juxta „ etymologiam, quam tradit D. Athanaſius in „ ſuo Tractatu ΠΕΡΙ ΟΡΩΝ. Definitionum ſcilicet pag. 54. Ἐτυμολογία ἐςὶν ἡ τῆς δυνάμεως τοῦ ὀνόματος ὀρθότης, ἐξ αὐτοῦ τοῦ νοὸς ἑρμηνευομένη. οἷον κατὰ τί Εἰρήνη; κατὰ τὸ ἠρεμεῖν τὸν νοῦν. Nempe etymologia „ vim verbi explicat, ſuoque ſenſu illud donat. „ Ita Pax adpellatur Εἰρήνη, κατὰ τὸ ἠρεμεῖν τὸν νοῦν, „ quia quietum tranquillumque animum reddit. „ Hinc D. Gregorius Nazianzenus eam ſic invocat in XIV. Orationis exordio: Εἰρήνη φίλη, „ τὸ γλυκὺ καὶ πρᾶγμα, καὶ ὄνομα; Εἰρήνη φίλη, τὸ „ ἐμὸν μελέτημα, καὶ καλλώπισμα: *Pax amica, non „ re dumtaxat, ſed nomine quoque ipſo jucunda: „ Pax amica, meditatio mea, & decus meum.*

Minime etiam abſurdum videtur credere hos numos ab Alexandrinis percuſſos, poſtquam Templum Pacis a Tito abſolutum fuiſſe ſciverunt; vel ejus memoriam renovarunt, Decennalium Titi occaſione, quæ incidunt in annum ejus imperii ſecundum, Conſulatum vero VIII. quo repetiti etiam numi cum titulo JUDAEA CAPTA, ut obſervat ad hunc annum doctiſſimus Pagius. Ea, ut proponebam occaſione perfecti Templi Pacis a Tito, numos hoſce cum typo Pacis ſignatos cenſet Cl. Patinus pag. 152. qui eam in rem adducit, quæ de eodem Templo narrat Joſephus de Bello Judaico Lib. VII. Cap. 18.

NUM. 12.

Vacat.

NUM. 13.

Epigraphe numi in antica parte, ut ſupra. Caput Titi laureatum.

ΙΤΑΛΙΚΟῦ ΑΝΘΥπάτε. . . . .
(*ITALICO PROCONSULE. . . . . . .*) *Hercules ſtans dextra pateram tenet, ſiniſtra erectam clavam, pendentibus leonis exſuviis.*

Edax tempus corrupit populorum nomen, qui hunc numum Tito dedicarunt. Forte pertinet ad Cyzicenos, qui ſe Herculem conditorem venerari in numis teſtantur, ut in numo Domitiani penes Vaillantium.

NUM. 14.

Epigraphe anticæ partis numi, ut ſupra. Caput Titi.

ΕΠΙ ΑΝΘΥΠΑτε. . . . .
(*SUB PROCONSULE. . . . .*) *Jupiter dextrorſum verſus ſedens, dextra fulmen, ſiniſtra haſtæ innititur.*

Jupiter *Fulgerator* cernitur in numis non paucorum populorum; ſed qui ſint hi, qui hunc Tito conſecrarunt, temporum injuriis epigraphe labefactata, incertum eſt.

NUM. 15.

Epigraphe anticæ partis numi, ut ſupra.

ΕΠΙ. . . . . ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. (*SUB. . . . . . . RUFO PROCONSULE.*) *Manipulus quinque ſpicarum.*

Deeſt & in hoc populorum nomen, apud quos Proconſul fuit. . . . . Rufus. Ex alio adſimili typo ſuperius edito in Tab. IX. num. 13. forte numus ab Apamenis cuſus.

NUM.

NUM. 16.

Vacat.

NUM. 17.

Epigraphe anticæ partis numi, ut ſupra.

ΣΕΒΑΣΤΟΥ L. ΕΝΑΤ. (Αυτὸ Σεβαστος ΕΝΑΤε. *Hoc eſt. Auguſti anno IX.) Mulieris caput elephantinis exſuviis tectum.*

Cuſum eſt hoc numiſma Alexandriæ, in quo Provincia Aegyptus elephantino tegmine pro caſſide ornatur. Idem adfertur e Muſeo Reginæ Chriſtinæ in Tab. LII. num. 19. a Cl. Havercampo, & explicatur pag. 334.

NUM. 18.

Epigraphe deeſt in utraque numi facie.

Victoria dextrorſum gradiens dextra coronam, ſiniſtra palmam gerit.

Forſitan hic numus a Rhodiis cuſus, quorum numus in Domitiano idem emblema continet, vel potius ab Agrippa Rege, quod probabile videtur, quum idem typus in ejus numis, apud Patinum p. 151. occurrat. Sed hæc nomina ita delevit injuria temporis, ut res in incerto ſit.

NUM. 19. 20.

Vacant.

NUM. 21. 22.

Τίτυ ΑΥΤοκράτορος ΚΑΙΣαρος ΣΕΒαστȣ ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. (*TITI IMPERATORIS CAESARIS AUGUSTI VESPASIANI.*) *Caput Titi laureatum.*

L. Δ. *Anno IV. in altero vero* L. ϛ. *Anno VI. Caput Iſidis dextrorſum verſum, cui imminet perſeæ flos, pendente ex humeris chlamyde.*

Cælatos hos numos apud Aegyptios docet Iſidis Aegypti Reginæ caput, de qua plura in Galba Cl. Patinus pag. 128. qui hos numos Titi profert pag. 153. Adcedit Aegyptiorum more adnotata epocha imperii in altero numo annus *quartus*; in altero vero *ſextus*, nempe adhuc ſuperſtite Veſpaſiano. Flos ille tanquam inſigne capitis Aegyptii Diis ſuis impoſuere, Iſidi, Canopo, ceteriſque.

NUM. 23.

Epigraphe anticæ partis eadem, ut ſupra num. 21. & 22.

Caput Serapidis dextrorſum verſum, cui calathus imminet. In area L. ϛ. *Anno VI.*

Hic quoque numus in Aegypto cuſus epocham præfert, quo anno Tito dedicatus eſt, nimirum imperii ejus ſexto, quo idem Titus Conſulatûm tertium, ſive quartûm cum Veſpaſiano patre ſuo gerebat. De cultu Serapidis apud Alexandrinos, ad quos hi numi pertinent, multa erudite congerit Cl. Patinus pag. 154. ad quem Lectorem mitto. Multa mira Veſpaſianum patraſſe Alexandriæ memorat Tacitus Hiſt. Lib. IV. & Suetonius in ejus vita c. 7. Joſephus & alii. Hæc ex præſtigiis orta, & impoſturis Apollonii Tyanæi, qui Alexandriæ aderat, quo tempore idem Veſpaſianus morabatur; expendit, & refellit Emin. Baronius ad annum ejuſdem Imperatoris primum C. N. 71. Aderat cum patre Auguſto ipſe quoque Titus; quare nil mirum, ſi & ipſe, poſtquam a patre imperii Romani particeps & ſucceſſor renunciatus eſt, tot numos ab Alexandrinis conſecutus ſit.

NUM. 24.

Epigraphe anticæ partis eadem, quæ in deſcriptis numis num. 21. & 22.

Serapis Deus capite calathifero, ſtans, ſuperiore corporis parte nudus, inferiore pallio velatus, dextra aliquid indicat, ſiniſtra vero haſtæ ſeu ſceptro innititur: pone eum vel folium, vel clava. In area L. H. *Anno VIII.*

Annus octavus Imperii Titi adnotatur, quo hic numus ab Alexandrinis cuſus eſt, qui in annum V. C. 831. ſive etiam 832. in hos enim incidit Tribunitia ejus Poteſtas VIII. Fallaci fama nititur & Suetonius, qui hæc de Veſpaſiano commemorat anilia ſomnia c. 2. *Suſcepto igitur civili bello, ac ducibus copiiſque in Italiam præmiſſis, interim Alexandriam tranſiit, ut clauſtra Aegypti obtineret. Hic quum de firmitate imperii capturus auſpicium ædem Serapidis ſubmotis omnibus ſolus intraſſet, ac propitiato multum Deo tandem ſe convertiſſet, verbenas, coronaſque & panificia,* (ut illic adſolet) *Baſilides libertus obtuliſſe ei viſus eſt, quem neque admiſſum a quoquam, & jampridem propter nervorum valetudinem vix ingredi, longeque abeſſe conſtabat.* Et mox: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure ſedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis demonſtratam a Serapide per quietem. Reſtituturum oculos ſi inſpuiſſet, confirmaturum crus ſi dignaretur calce contingere. Quum vix fides eſſet rem ullo modo ſucceſſuram, ideoque ne experiri quidem auderet, extremo hortantibus amicis, palam pro concione utrumque tentavit: neque eventus defuit.* Nil igitur gratius, honorificentius nihil Alexandrini Tito hiſce dedicatis in ejus honorem numiſmatis præſtare potuerunt, quam ei patrii numinis imaginem offerre, addita epocha, quam ab ejus imperii conſortio cum patre auſpicati ſunt; ſignificantes etiam, quemadmodum Iſidem & Serapidem inter Deos ſuæ regionis principes deveneratі ſunt, ita eum cum patre divinis Serapidis auſpiciis in ſua æde captatis imperium Romani orbis conſecutum eſſe. Forſitan Titus Donariis ornavit ejuſdem Serapidis ædem, quemadmodum & Romæ complures exſtruxit, reſtituitque, uti ex hoc marmore diſcimus apud Gruterum p. CCXLIV. 7.

IMP. CAESARI
DIVI. F. T. VESPAS
IANO. AUGUSTO
PONT. MAX. TRIB
POT. IMP. X. P. P.
CENSORI. CONSER
VATORI. AEDIUM
PUBLICARUM. ET
RESTITUTORI. AEDIUM
SACRARUM
SODALES. FLAVII
P. MARTIUS. VERUS

NUM. 25.

IMPerator Titus CAESar VESPasianns AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate COnSul VIII. Caput Titi laureatum.

Obeliscus basi rotundæ statuis & gradibus ornatæ impositus. Hinc inde nota S. C. Senatus Consulto.

Hic numus, extra choream suam a Cl. Morellio delineatus, erudite explicatur a Patino pag. 149. qui censet in eo expressam *Metam sudantem*, quam Paulus Diaconus inter Domitiani opera recenset, sed hic numus Titum ejus conditorem veneratur. Sed mihi Obelisco similior videtur; nec improbabile est dono missum Obeliscum Tito ab Alexandrinis, cujus tamen apud scriptores nulla habetur mentio.

NUM. 26. 27. 28.

Vacant.

TABULA XV.

EXHIBENS

NUMISMATA

EX OMNI METALLO ET MAGNITUDINE

JULIAE AUGUSTAE

IMP. CAES. TITI VESPASIANI FILIAE.

NUM. 1.

JULIA. AUGUSTA. TITI. AUGUSTI F. Caput Juliæ lævorsum conversum.

NUM. 2. 3.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliæ, ut supra.

Capita hæc tria JULIAE AUGUSTAE in ornatu capillorum non conveniunt inter se. Eidem adhuc viventi hæc numismata dedicata videntur. Hanc Titus e Martia Fulvia, quam in locum Arricidiæ uxorem duxit, suscepit. Primum Flavio Sabino Vespasiani nepoti nupta, a Domitiano patruo, licet ante oblata, marito occiso, abducta est. Mortis ejus idem Domitianus auctor exstitit, ut memorat Suetonius in Domit. c. 22. *Fratris filiam* (Juliam) *adhuc virginem oblatam in matrimonium sibi, quum devinctus Domitiæ nuptiis pertinacissime recusasset, non multo post alii* (nempe Flavio Sabino) *collocatam ultro corrupit, & quidem vivo etiam tum Tito; mox patre ac viro orbatam, ardentissime palamque dilexit, ut etiam caussa mortis exstiterit coactæ conceptum a se abigere.* Illam igitur fato suo functam omnibus honoribus adfecit, & in Dearum numerum retulit, uti numismata, quæ sequuntur, evincunt.

NUMISMATA AUREA.

NUM. 4. 5.

JULIA AUGUSTA. Caput Juliæ. DIVI TITI FILIA. Pavo, cauda expansa.

Aureum hunc numum rarissimum, ita explicat Doctissimus Vaillantius Tom. II. Numism. Præst. pag. 101. „ *Idem* Pavonis typus, „ licet sine epigraphe, ad concordiam Juliæ cum „ Domitiano denotandam percussus est ob eo„ rum nuptias, quibus præfuisse Junonem de„ notat ejus ales, hinc Deæ sacra; quod in Sa„ mo, ubi illa adoleverat, & Jovi nupserat, pri„ mi pavones Lib. XIV. c. 20. teste Athenæo, „ fuerint editi, ac educati; exstat in Cimeliar„ chio Galliarum Regis." Sed exquisitæ eruditionis copia in numis illustrandis mirum in modum præcellit Nobilissimus Tristanus, cujus interpretationem, ut Havercampi institutum sequar, liceat e Gallico sermone in Latinum conversam heic adferre: „ JULIA AUGUSTA. Numus Juliæ „ effigiem exhibet compositis eodem modo ca„ pillis, quo Pallas, & Diana utebantur, teste „ Statio:

Utraque torva genis, flavoque in vertice nodo.

„ Spectatur in postica parte, cum epigraphe DI„ VI TITI FILIA, Pavo, qualis describitur „ Historia septima a Phile:

Πτεροῖς ὁ Ταῶς γαυριῶν πολυχρόοις
Λοξῶς ἀνακλᾷ, καὶ σοβεῖ τὸν αὐχένα.

„ Avis, nempe, specie sua, gemmataque cau„ da superba colloque eminens. Pavoni igitur „ Junonis volucri comparatur Julia, tanquam „ Juno Augusta, Latialis Jovis uxor aut saltem „ comes, quæ propter divitias, majestatem re„ galemque splendorem dicere posset:

Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis,
Me meus in terris Jupiter ecce tenet,

ut

,, ut adulator Martialis in Epigrammate 94. Lib. IX. de parasito canebat. Avis hæc Junoni ideo tribuebatur, quia majestatis, regii splendoris ac feminei decoris symbolum est. Achmet enim, sive Apomazar Cap. 289. designare eam avem inquit, πλοῦτον πολὺν, καὶ ἔνδοξον, καὶ ἀξίωμα καὶ γυναῖκα εὐειδεστάτην: regales scilicet opes, splendidum genus, ac plus quam mediocre, egregiamque mulieris speciem. Hadrianum Mycenis dedicasse pavonem solido auro gemmisque distinctum Junoni, auctor est Pausanias Lib. II. quo munere non modo majestatem, atque Imperatoriam magnificentiam; verum etiam amorem suum in conjugem Sabinam testatum voluit, pro qua verisimile est ab eo fuisse dedicatum. Hujusce avis speciem ac formam descriptam habemus apud Philen Hist. VII. qui Aelianum Lib. V. Cap. 21. accurate pavonem pingentem est imitatus. Tanto fuit pavo in honore apud Græcos, ut Athenienses non nisi summa pecuniæ vi ejus publice spectandi copiam facerent; idque solum Kalendis singulorum mensium, & viris feminisque connubio junctis. Kalendæ enim Junoni erant nuncupatæ. Quum pavo apud Medos potissimum oriatur, quemadmodum ejus superbæ fronti adsimilari possunt superbi illi populi arrogantesque, ut abunde probat trigesima prima Epistola Theophilactus Simocattus; ita ei quoque comparabimus hasce duas famosas Junones, cælestis terrenique Jovis uxores solio insidentes. Ad hanc quoque regiam potentiam ostentandam quatuor aureos pavones circa aureum lectum suum statuit arrogans ille Tyrannus *Disabolus Cagan* seu Turcarum Princeps, ut scribit in Legationibus suis Menander; eoque magis, quod pavone clamante, caudamque extollente, Venereæ conjunctionis signum nonnulli credunt, velut D. Gregorius Nazianzenus Carm. LXIII. innuit dicens:

Φασὶ Παῶ μεγάλαυχον ἐπὴν περίκυκλον ἐγείρῃ
'Αυχένα κυρτώσας χρύσεον ἀστερόεις
Κλάξειν θηλυτέραις Φιλοτήσιος,

,, *Nimirum Pavonem memorant præ fastu quum explicat alas gemmantes, collum stellifer aureolum, clangore ad se accire suo Venerem.*

,, His ita expositis videtur aptissime pavo convenire huic posticæ parti, DIVIQUE TITI FILIAE, quæ libidine fuit insignis. Hoc enim pavonis emblemate videtur ad Venerem Domitianum provocare. Ex panegyrica Oratione ad Maximianum & Constantinum habita clarissime evincitur, pavonem non solum dignitatem regalesque opes, verum Principis formosæ conjugium portendere. Orator enim Constantino Faustæque Maximiani filiæ plaudit, ea potissimum de caussa, quum idem Maximianus casside pavonis plumis ornata illum donasset: *Neque enim* (ait) *dubium, quin tibi mature sacrum illud fastigium divinæ potestatis adstrueret; qui te jam olim sibi generum antequam petere posses, sponte delegerat. Hoc enim, ut audis, imago illa in Aquilejensi palatio ad ipsum convivii posita adspectum, ubi puella jam divino decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo sustinet, atque offert tibi etiam tum, Constantine, puero, galeam auro gemmisque radiantem, & pennis pulchræ alitis eminentem, ut te, quod vix ulla possunt habitus ornamenta præstare, sponsale munus faciat pulchriorem.* Mos enim apud veteres maxime invaluerat, pavonis plumis decorandi galeas clypeosque, ut ex Aristophanis Comoedia ΑΧΑΡΝΗΣ edíscimus.

NUM. 6. 7.

JULIA AUGUSTA DIVI TITI Filia. Caput ejusdem Juliæ ad lævam respiciens.

DIVUS TITUS AUGUSTUS. Titi caput radiatum ad lævam conversum.

Domitianus defunctum Titum nullo præter quam consecrationis honore dignatus est; teste Suetonio c. 2. Numus hic aureus eximiæ raritatis & elegantiæ e Thesauro Christianissimi Regis depromtus, in gratiam tantum Juliæ ejus filiæ signatus videtur, in quo idem Titus ornatur *Divi* titulo, & radiata corona.

NUM. 8.

Vacat.

NUMISMATA ARGENTEA.

NUM. 9. 10.

JULIA AUGUSTA DIVI TITI Filia Caput Juliæ ad dexteram respiciens.

DIVUS TITUS AUGUSTUS. Caput Titi laureatum dextrorsum respiciens.

Domitianus, majori honore ut honestaret memoriam Juliæ Augustæ, ejus Caput sive effigiem cum effigie Titi patris, fratris sui conjunxit; & Divi titulo ornavit: sed Tito lauream coronam, non vero radiatam, quæ inter symbola divinitatis censebatur, adtribuit.

NUM. 11.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliae ad laevam versum.

VENUS AUGUSTA. Venus stans, sinistro brachio columellae innixa, sinistra manu hastam, dextra cassidem ostentat.

Juliæ dum adhuc viveret dedicatus est hic numus, quo Veneri comparatur. Laudat Martialis ejus imaginem ac pulchritudinem hoc Epigrammate 13. Lib. IV.

Quis te Phidiaco formatam, JULIA, caelo:
Vel quis Palladiæ, non putet artis opus?
Candida non tacita respondet imagine Lygdos;
Et placido fulget vivus in ore liquor.
Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Ut Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A te Juno petat ceston, & ipsa Venus.

Pulcherrimæ Gemmæ inscalptam ab Evodo præstanti Artifice ejus imaginem, eodem modo in metæ speciem fastigiatis capillis, adfert Vir Clarissimus, omnis Antiquitatis egregius interpres Philippus Liber Baro de Stosch, quam vide in Tab. XXXIII. sui operis pag. 44. At Juvenalis tamquam abortivis fecundam inridet in Sat. His breviter prænotatis, silentio præterire nefas mihi visum

visum est eruditissimam, atque ingeniosissimam hujus numismatis explicationem, quam edidit Antiquariorum facile princeps Tristanus in Tom. I. p. 312. num. 2. ad elegantissimum hunc typum
„ VENUS AUGUST. Venus stans, columel-
„ læ innixa lævo cubito, cesto seu amorum fasciis
„ negligenter a tergo per coxas pendentibus, ga-
„ leam dextra, sinistra vero hastam gerit. Heic
„ JULIA tanquam Venus exhibetur; cudentibus
„ enim tale numisma propositum fuit, Juliam
„ eandem ac Venerem ostendere, sive ob egre-
„ gia facinora, sive ob formam utrique commu-
„ nem. Galeam gerit, tanquam Victrix Mar-
„ tis, qualem describit Apollonius Rhodius Lib.
„ I. Argonautic. clypeum Martis brachio suo in-
„ sertum tenentem. Eadem ratione Julia Ro-
„ mana Venus, & Augusta Romani Martis, cas-
„ sidem sustinet, veluti de eo propter formam,
„ Charitesque suas se triumphasse velit indicare.
„ Columnæ innititur, ut ostendat amoris sui for-
„ tunam solide constitutam; tot enim tantisque
„ naturæ dotibus ornata nunquam a Domitiano
„ derelictam iri confidit, cujus fidei tanquam fir-
„ missimæ columnæ innititur. Nuda exhibetur,
„ ut ad ejus pulchritudinem nihil esse adjumen-
„ ti ostendatur, & abscondita Marti suo servat.
„ Numismatis figura perbelle quadrat simulacro
„ marmoreo, quod eidem Juliæ Augustæ Do-
„ mitianus erigi jussit, quodque describit Lib.
„ XII. Epigramm. 13. Martialis. (*Supra relatum*
„ *habes*) Hisce enim versibus Poëta dicit Juliam
„ per hanc statuam significari, quæ manibus cin-
„ gulum tenens cesto suo jungit. Vocatur Græ-
„ ce κεςὸς; is enim sive acu, varioque colore di-
„ stinctus, sive reticulatus ideo erat, ut dimi-
„ diata solum viderentur, quæ illi subessent.
„ Huic similis videtur fuisse vestis illa, sive tuni-
„ ca a Tarentinorum luxu excogitata, atque a
„ loco, quo primum texi cœpit, Ταράντινον, sive
„ Ταραντινίδιον adpellata, quæ tam mollis levisque
„ erat atque pellucida, ut facile quæ ab ea tege-
„ bantur, cernerentur, ut Aristippus conqueri
„ simulet nona sua Epistola Socratica ad Anti-
„ sthenem, dicens, se esse coactum Tyrannorum
„ festis adparere καὶ ἀλειφόμενοί τινι τῶν εὐωδεςάτων
„ μύρων καὶ σύροντες ἐσθῆτας μαλακὰς ἐκ Τάραντος: scili-
„ cet, *unguentis delibuti, suavique odore fragran-*
„ *tes, longas vestes subtili mollique textura tra-*
„ *bimus a Taranto revocatas.* Aristenetus Epist.
„ xxv. Lib. I. sic eum describit: τὸ δὲ Ταράντινον
„ (inquit ille) ἐξ οὗ διαφανῶς ἡ ὥρα διέλαμπεν: nem-
„ pe, *quæ indicta est Tarentina, ut species ver-*
„ *næque formæ decus totum transluceret.* Philo-
„ stratus Epist. ad mulierem suam, Pollux Lib.
„ VII. Cap. Cap. 17. Athenaeus quoque hujus-
„ ce vestis meminerunt, adnotatque Athenæus
„ infames, dissolutosque Ithyphalligeros hoc
„ vestis genere uti consuevisse a lateribus ad sum-
„ ma usque crura. Alciphron sua quadam epi-
„ stola demonstrat fuisse eas vestes sericas levissi-
„ masque, in qua lepidissimum duorum scorto-
„ rum certamen describit, quarum utraque e-
„ minentiores pulchrioresque clunes habere con-
„ tendebant: quod & D. Hieronymus de mu-
„ lieribus sui temporis tangit in libro de perpe-
„ tua Virginitate adversus Helvidium hisce ver-
„ bis: Ingrediuntur expositæ libidinum victimæ,
„ & tenuitate vestium nudæ, impudicis oculis
„ ingeruntur. Pluribus etiam hac de re conque-
„ stus fuerat ante eum Seneca Lib. VII. de Be-
„ neficiis Cap. 9. *Video*, inquit ille, *sericas ve-*
„ *stes; si vestes vocandæ sint, in quibus nihil est*
„ *quo defendi aut corpus, aut denique pudor pos-*
„ *sit; quibus sumtis mulier parum liquido nudam*
„ *se non esse jurabit. Hæc ingenti summa ab igno-*
„ *tis etiam ad commercium gentibus accersuntur,*
„ *ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui*
„ *in cubiculo, quam in publico ostendant*, Achil-
„ les vero Tatius Andromedæ tunicam cum le-
„ vissima araneæ tela comparat dicens: ἀραχνίων
„ ἐοικὼς πλοκῇ. Harum denique mentio fit apud
„ Clementem Alexandrinum Lib. II. Cap. 10.
„ Pædagogici sui.

„ Quoad cestum spectat, hic videmus pro ve-
„ lo simulque cincto usurpari; cingulum enim
„ quo ligabatur, solvebatur contrahebaturque,
„ æque ac cestum sive extendere, sive demittere
„ vellent: quum enim adtollebatur dimidiam
„ pectoris partem tegebat, altera relicta omnino
„ nuda: quum vero demittebatur, eo tanquam
„ largis amplisque fasciis utebantur ad ea tegenda,
„ quæ natura occulta esse jussit. Quæ omnia
„ conjici partim possunt ex Epigrammatis 19.
„ & 56. Lib. V. Anthologiæ; partim ex hoc
„ Coluthi charactere, qui de Venere, quæ se
„ nudam Paridi præbuit, loquitur hice versibus:

> Χειρὶ δ᾽ ἐλαφρίζουσα, μελίφρονα Θεσμὸν ἐρώτων
> Στῆθος ἅπαν γύμνασε ——————

„ *manibus* vero *suis tollens lenta vincula, mam-*
„ *mas, pectus, quodque infra est, ostendit.* Quod
„ aperte probat cestum hoc nil aliud fuisse, quam
„ vincula sive cingulum: quod & ex initio Lib.
„ XXXII. Nonni evincitur. Venerem enim in-
„ ducit Junoni cestum donantem, describitque
„ illud veluti cingulum:

> —————— ἀνειρύσασ᾽ ἐπὶ κόλπου
> Ηρῃ δῶρον ἔδωκε θελήμονι κεςὸν ἐρώτων,
> Καὶ τινα μῦθον ἔλεξε χάριν θελκτῆρος ἱμάντος,
> Δέχνυσο τοῦτον ἱμάντα τεῆς ἐπίκουρον ἀνίης.

„ Scilicet: *e sinu profert cestum Junoni sive A-*
„ *morum texturam, donoque ei dat, additque ef-*
„ *ficaciora hoc vinculo verba, dicens: En acci-*
„ *pe vinculum istud, hujusmodi doloris unicum le-*
„ *vamen:* posteaque subdit, Junonem cesto se
„ circumcingere solitam præter morem:

> Καὶ λαγόνας ςεφανηδὸν ἀηθεῖ δήσατο κεςῷ

„ *Baltheum* denique inter Latinos cestum adpel-
„ lat Martialis:

> *Sume Cytheriaco medicatum nectare cestum,*
> *Ussit amatorem baltheus iste Jovem.*

„ Apulejus vero in sua Apologia *cingulum* ad-
„ pellat: *Nec Proteus faciem, nec Ulyxes scro-*
„ *bem, nec Aeolus follem, nec Helena craterem,*
„ *nec Circe poculum, nec Venus cingulum.* Con-
„ sulatur etiam Alciphron in Par. I. Epistola pe-
„ nultima. Quæ omnia ex scriptoribus eo lu-
„ bentius colligo, quum plerosque doctos viros
„ animadverterim, cestum tanquam tunicam,
„ sive indusium existimasse. Tota enim Amo-
„ ris vis, quæ cesto inesse credebatur, sita erat,
„ ut arbitror, in illa vestium tenuitate mollitie-
„ que, quibus ad propriam formam cupidis obtru-
„ dendam impudicæ feminæ utebantur. Taren-
„ tinæ vero Coæque idcirco maximo in pretio
„ habebantur; caro enim hisce vestibus tecta,
„ tota pæne nuda ostendebatur, ut Horatius Sat.
„ II. Lib. I. meminit:

Al-

Altera nil obstat: Cois tibi *pæne videre est*
Ut nudam. ——————————

„ Post illum quoque Tibullus Lib. II. Eleg. 3. „ Propertius Lib. I. Eleg. 2. ceterique. Si quis „ autem nosse cupit, quo impudicitiæ ac liber- „ tatis pervenissent mulieres Romanæ, quæ hujus „ modi tenuissimis vestibus utebantur, Consola- „ tionem tantum Senecæ ad Helviam legat.

N U M. 12. 13.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliæ, ut supra.

VESTA. Dea Vesta insidens sellae, dextra Palladium, sinistra hastam transversam tenet.

VESTA. S. C. Idem typus in utraque parte num. 13. sed in hoc in area adest nota S. C. Senatus Consulto.

Pudicitiæ decus adfectabant Augustæ, quo Vestales explendescebant; hinc, ut apud populos majorem existimationem obtinerent, specie Vestæ Deæ in numis repræsentantur. Ex alio numo discimus & a Senatu honores accepisse Juliam, dum adhuc viveret, quum argenteus hic numus ejusdem Senatus Consulto percussus sit. Duos numos adfert eodem typo impressos Laur. Begerus Tom. II. Thesauri Brandemburg. pag. 638.

N U M. 14.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliae.

PIETAS AUGUSTA. Pietas Dea sedens, sinistra hastam gerit, dextram vero manum ponit super caput togati juvenis, qui ad ejus pedes stat, & dextra ramusculum lauri adtollit.

Idem typus jam a nobis observatus in numo argenteo Domitillæ uxoris Flavii Vespasiani, matris Titi & Domitiani in superiore Tab. XVI. num. 9. In eo tantum ille differt, quod Titus, qui ad ejus pedes stat, cui mater dextram manum supra ejus caput imponit, ut se ejus tutelam esse ostendat, spicas & papavera; non vero, ut in hoc, lauri ramusculum gerit. Quomodo vero hic typus Juliæ Augustæ Titi Filiæ conveniat, prorsus ignoro: constat enim patruum Domitianum ex ea nullum filium suscepisse; eique matrimonio junctum, insanoque amore captum, mortis ejus auctorem exstitisse, quum abortivum abjicere ei persuasit. Alii igitur de hoc typo videant, quem suspectum esse hæc jam adnotata suadent, & Domitillæ typum huic Juliæ numo recenti opere aptatum fuisse; de qua non insolita Artificum fraude videndus Avecas Vicus.

N U M. 15. 16.

DIVA JULIA AUGUSTA. Caput Juliæ ad lævam respiciens.

Sine epigraphe. Thensa a duobus elephantis cum suis sessoribus vecta, in qua Deae specie Julia in sella sedet.

Vestae effigie, ut in superioribus numis 12. & 13. sculpta videtur Julia, solemni consecrationis pompa insidens thensæ, quam elephanti trahunt. Dextra hastam, sinistra sacrificale instrumentum, forte capeduncularn, tenet. Elephanti æternitati, cujus sunt symbola, eam consecratam, & sideribus receptam designant. Hunc numum argenteum eximiæ raritatis describit Vaillantius Tom. II. Numism. Præstant. pag. 102. quem adeat B. L.

N U M. 17.

JULIA AUGUSTA DIVI TITI Filia. Caput Juliæ.

CONCORDIA AUGUST. Pavo Junonis ales oblique sculptus.

Perlubet ad hunc numum argenteum rarissimum non meam, sed Præstantissimi Vaillantii explicationem adferre, quam profert Tom. II. Num. Præst. pag. 101. „ Nomen Divi Titi „ filiæ, quod sibi adsumit Julia, nummum post „ patris mortem denotat percussum, quando il- „ la a Domitiano patruo accepta est in conju- „ gem, exemplo Claudii cum Agrippina nepte. „ Pavo ad ejus concordiam cum Domitiano con- „ sorte indicandam exhibetur; ille enim sacra- „ tus erat Junoni, quæ nuptiis præesse existimabatur. Alterum numum secundæ magnitudinis adfert Tom. I. Vaillantius pag. 38. Senatus consulto percussum, cujus typus Concordia sedens, quæ dextra pateram, sinistra cornucopiæ gerit.

N U M. 18.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliæ

TRibunicia Potestate VIII. IMPerator XIIII. COnSul VIII. Pater Patriæ. Caput Juliæ.

Ceres Dea sedens, ad dextram respiciens, velato capite, dextra spicas & papavera ostentat, læva ardentem facem tenet.

Minime dubium est, Dearum effigie, iisdemque adtributis, ornatas repræsentari Augustas feminas in numis. In his igitur Julia Titi Imperatoris filia, ut vidimus, tamquam Venus, Vesta, ac Pietas, & in hoc numo rarissimo Cereris effigie exhibetur. Ex epigraphe, quæ Titi memorat Tribuniciam Potestatem VIII. titulumque Imperatoris XIII. cum ejus Consulatu VIII. intelligimus hunc numum ei dedicatum fuisse initio anni ab V. C. 833. C. N. 80. tum eadem Julia tum parente Tito adhuc viventibus, quo anno facile eam in conjugem Domitianus ejus patruus suscepit. Hic numus nec a Vaillantio, nec ab aliis Numographis magni nominis adfertur aut describitur.

JULIAE TITI FILIAE AUGUSTAE
NUMISMATA EX AERE MAGNO

NUM. 19. 20.

DIVAE JULIAE AUGustæ DIVI TITI Filiae. In exergo S. P. Q. R. Senatus Populusque Romanus. Carpentum ſtatuis ornatum a mulabus tractum.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGuſtus GERManicus COnSul XV. CENSor PERpetuus Pater Patriæ. In medio areæ litteris grandibus S. C. Senatus Conſulto.

NUM. 21. 22.

DIVAE JULIAE AUGuſtae DIVI TITI Filiae. In exergo S. P. Q. R. Carpentum ſtatuis ornatum a mulabus tractum.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGus GERManius COnSul XVI. CENSor PERpetuus Pater Patriae. In medio areæ grandibus litteris S. C.

De Cenſoria Poteſtate perpetua Domitiani, qui in hiſce numis CENSOR PERPETUUS adpellatur, infra ſermo habendus eſt. Nunc in comperto eſt, Domitianum conſecraſſe inter Divas Juliam Divi Titi Fratris ſui filiam, eique Divinitatis inſigne teſtimonium tribuiſſe nempe carpentum a mulabus tractum, & quidem id feciſſe tum in Conſulatu ſuo XV. tum etiam in XVI. illud renovaſſe. Alterum ſiquidem Conſulatum geſſit anno V. C. 841. C. N. 90. quo Decennalia celebravit; alterum vero anno V. C. 843. C. N. 92. quo de Dacis & Germanis iterum triumphavit, adeoque multis poſt obitum Titi annis, qui contigit anno V. C. 834. C. N. 81. Idibus ſeptembris, poſt biennium, ac menſes duos, diesque viginti quam ſucceſſerat patri, altero & quadrageſimo ætatis anno, in eadem Reatina Villa, qua Veſpaſianus pater exceſſit. De carpento Auguſtis feminis decreto poſt mortem, nihil addam, quum apud Etruſcos, a quibus Romani accepiſſe videntur, inter divinos honores haberetur, & in eo a mulabus tracto defunctorum præſertim ſponſorum & conjugum imagines ſolemni pompa deferrentur. Deorum ſiquidem, quum hujuſmodi decus proprium eſſet, mortales humana ambitione ad ſe traduxerunt. Thenſam quoque Juliæ Auguſtæ tributam oſtendit argenteus numus in hac ipſa Tabula adlatus num. 16. De Thenſa hæc Feſtus: *Thenſam vocari, ait Sinnius Capito, vehiculum, quo exuviæ Deorum ludicris Circenſibus in Circum ad pulvinar vehuntur.* Sed de his divinis horibus alibi etiam redibit ſermo. Sed in explicatione hujus numiſmatis quam multa ex antiquitatis penu depromſerit vir Præclariſſimus Triſtanus in Tom. I. pag. 317. num. 4. ex his intelligendum eſt. „ DIVAE JULIAE AUG. DI-
„ VI TITI FIL. S. P. Q. R. *Carpentum duabus*
„ *mulabus tractum.* In poſtica parte legitur: IMP.
„ CAES. DOMIT. AUG. GERM. COS. XV.
„ CENS. PER. P. P. S. C. Juliæ apotheoſin a
„ Domitiano celebratam repræſentat. In more
„ poſitum Ludis Circenſibus imagines Auguſta-
„ rum Romanarum in Deorum numerum rela-
„ tarum circumferre in carpentis, quæ a duabus
„ mulabus trahebantur. Quod, ut arbitror, in
„ cauſa eſt, ut credamus, veteres animæ immor-
„ talitatem cognoviſſe. Animas enim Auguſto-
„ rum Auguſtarumque, quos optimi mores ho-
„ neſtarant, credebant, ſublata corporis conjun-
„ ctione, commercium quoddam in cælis cum
„ Jove inire. Martianus enim Capella Lib. II.
„ docet Deas ad hujuſmodi cæleſte connubium
„ vocatas, ad cælum carpentis evehi. *Et cum ſo-*
„ *nitu introfertur Lectica interſtincta ſideribus,*
„ *cui ritu myſtico crepitus præcinebat, qua mos*
„ *fuerat nubentes Deas in cæleſtis thalami perve-*
„ *nire conſortia.* Lecticas enim aſtris utraque ex
„ parte diſtinctas adſerit. Neque dubitaverim et-
„ iam carpenta Ludis Circenſibus trahi ſolita,
„ aſtris fuiſſe circumundique ornata. Ut igitur
„ Capella quod ſuperius dixerat confirmaret,
„ hanc ſcilicet ad cælum evectionem in lecticis
„ ſignum eſſe divinitatis, fingit *Athanaſian*, ſeu
„ *Immortalitatem*, quam Apotheoſeos, ſive Dei-
„ ficationis, Conſecrationiſque filiam dicit, le-
„ ctica in cælos transferri, hiſce verbis: *Et heus,*
„ inquit, *Virgo, præcepit Deorum pater, hac re-*
„ *gali lectica in cæli palatia ſubveharis, quam*
„ *quidem nulli fas attrectare terrigenæ.* Currum
„ enim iſtum, quem in hac poſtica parte duabus
„ mulabus tractum videmus, eumdem eſſe cre-
„ do ac illum, quem *lecticam* adpellat Capella.
„ *Carpentum* enim ſive *Pilentum* a veteribus u-
„ ſurpatum in deducendis Deorum Dearumque
„ imaginibus in Ludorum Circenſium pompis,
„ Lecticarum quoddam genus erant; a conſuetis
„ vero Lecticis matronarum ac Romanorum in
„ hoc differebant, quod illæ ſuperius adductæ
„ cum rotis erant & a mulabus trahebantur; hæ
„ vero a libertis mancipiiſque ferebantur. Quod
„ autem illæ a mulabus traherentur Religio ſua-
„ debat, ut ſcilicet in Ludis, & per Urbem u-
„ na cum imaginibus ſtatuiſque Deorum, Ve-
„ ſtales Virgines, ſacroque omni cultu, quibus
„ præerant, deducerentur. Neque aliis mulieri-
„ bus fas erat in hujuſmodi Lecticis adſportari;
„ quippe quæ non eſſent, uti Veſtales, ſacris i-
„ nitiatæ. Quod ſi aliquando id minime obſer-
„ vatum legimus, ut de Meſſalina Dio adſerit
„ Lib. LVIII. ipſe tamen addit, ideo hunc illi
„ honorem tam ſolemnem, quemadmodum &
„ Liviæ quoque, fuiſſe decretum, ut ita au-
„ guſtiores ſanctioreſque, uti Deæ, exhiberentur.
„ Quod vero Carpenta, ſive eæ cum rotis lecticæ
„ a mulabus traherentur, id opinor inſtitutum,
„ quia mulæ ſunt animantium genus infecun-
„ dum, neque maribus conjunguntur. Quum
„ igitur ſolemne eſſet Virgines Veſtales impollutas
„ eſſe debere in Deorum miniſterio, æquum erat
„ ut incontaminatis animalibus uterentur. Hujus-
„ modi carpentorum genus Pindarus Ode V.
„ Olympionic. ἀπήνην vocat. Martialis Lib. XI.
„ Epigr. 2. Juliæ apotheoſeos meminit, ac non
„ ſine oſtentatione cultum deſcribit, quem illi,
„ ut Deæ, mulieres Romanæ reddebant:

„ *Dum voce ſupplex, dumque thure placabit*
„ *Matrona dives dulce Julium nomen;*
„ *Manebit altum FLAVIAE decus gentis*
„ *Cum ſole & aſtris, cumque luce Romana.*

„ Heic obiter adnotabo *lucem Romanam* fortaſſe
„ Romam in Dearum numerum relatam intel-
„ ligi, ac veluti novum Aſtrum populorum cul-
„ tui oblatum, quale Martianus Heracleotes,
„ verſu 232. adpellat:

Ἄςρον

"Αςρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης

„ *Astrum*, nempe, *commune universae terrae.*
„ Quod respicit etiam numisma Imperatoris Eu-
„ genii, Romam sedentem exhibens, cum epi-
„ graphe: URBS ROMA LUCES.

JULIAE TITI FILIAE AUGUSTAE
NUMISMATA EX AERE MEDIO TUM LATINA TUM GRAECA
In urbibus percussa.

NUM. 23.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliæ.

CERES AUGUSTa. S. C. Mulier stans velata, dextrorsum conversa, dextra spicas, sinistra hastam gerit.

Numum hunc ex ære secundi moduli, rarum & elegantem, describit Vaillantius Tom. I. Num. Præst. pag. 38. Sed variat epigraphe aversæ partis; nam apud eum scriptum est CERES AUGUSTA, & singularia illa S. C. hinc inde in area numi sculpta prætermittuntur. Quemadmodum in vetustis sepulcris anaglypho opere sculptis, in eorum orbiculis, clypeis, vel conchis Defunctorum tum hominum tum mulierum imagines frequenter cum Deorum effigie repræsentantur, quo honoris genere eos apotheosin accepisse constet, quod non uno in loco observavi in Tom. III. Inscriptionum ant. quæ in Etruriæ Urbibus exstant, in quo Tabulas æri incisas quinquaginta protuli, majori ex parte ornatas veterum sepulcrorum sculpturis; ita & in hisce numis tum Cæsares, tum Augustæ feminæ, ut inter Deos relatæ crederentur, deorum dearumque specie, & imagine exprimuntur; quare in his sub effigie Cereris, Veneris, Vestæ, Concordiæ, Pietatis inducitur ac repræsentatur Julia Titi filia, quæ eo vivente numis hisce honestata est.

NUM. 24.

JULIA IMPeratoris Titi AUGusti Filia AUGUSTA. Caput Juliæ.

VESTA. Dea Vesta velata & stolata, dextrorsum sedens, dextra Palladium, laeva hastam transversam tenet. In area hinc inde S. C.

Persimilem numum describit Vaillantius Tom. I. Num. Præst. pag. 38. adnotatque eumdem typum in aversa; sed aliam hanc epigraphen præferre: IMP. D. VESP. AUG. F. REST. S. C. Angelonius tum hunc, tum alterum supra editum num. 23. satis abunde illustrat.

NUM. 25.

JULIA AUGUSTA DIVI TITI Filia. Caput Juliæ.

CONCORDIA AUGusta. Concordia dea Diademate ornata, & stolata dextrorsum sedens, dextera pateram, sinistra cornu copiæ tenet. In numi exergo Siglae S. C.

Memorat Suetonius Domitianum Juliam orbatam patre ac viro, oblatam sibi in matrimonium *ardentissime palamque dilexisse.* Hæc Dio Lib. LXVI. *Palam cum fratris sui filia Julia, tanquam cum uxore cohabitabat.* Id ut testaretur, tum hic numus, tum reliqui superius adlati, cum elogio, sive epigraphe CONCORDIA AUG. sculpti videntur, ut mutua eorum ob connubium concordia patesceret, & ne ejus concubina Julia videretur, adcedente in his honoribus, quibus eam adfecit, Senatus consulto.

NUM. 26.

Vacat.

NUM. 27. 28.

ΙΟΥΛία ΑΥτοκράτορος Τίτε Καίσαρος. *(Supplendus hic numus JULia IMPeratoris Titi Cæsaris Filia.) Caput Juliæ ad lævam versum.*

ΑΥΤΟκράτορος ΤΙΤΟΥ ΚΑΙΣαρος. *Caput Titi Augusti laurea corona redimitum ad lævam versum.*

Me latet, quæ Urbs, sive in Asia, sive in Syria, vel in Aegypto, utrum Alexandria, hunc numum percusserit, ut honorata publico monumento Julia Augusta, tum ejus gratiam tum parentis ejus Titi, sibi promereretur.

NUM. 29. 30.

ΙΟΥΛΙΑ CΕΒΑCΤΗ. *(JULIA AUGUSTA.) Caput Juliæ lævorsum respiciens.*

CΙΠΥΛΗΝΗ CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *(SIPYLENE SMYRNAEORUM.) Cybele turrito capite sedens, dextra pateram porrigens, laevo cubito innixa globo, ad pedes adstat leo.*

Smyrnæi hoc typo comparasse videntur Juliam Augustam Deæ Magnæ Genio Urbis Præsidi, quam Magnesii quoque cum Smyrnæis mutuo foedere juncti coluerunt. In marmore Arundeliano Magnesii jurant Smyrnæis, διὰ τὴν Μητέρα τὴν Σιπυληνὴν. Alterum numum in honorem Juliæ a Smyrnæis cusum describit Vaillantius, in quo sculpta mulier stolata stans, dextra pateram gerens, cum epigraphe ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ.

NUM. 31. 32.

ΙΟΥΛΙΑ CΕΒΑCΤΗ. *(JULIA AUGUSTA.)* ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *(THYATIRENORUM.) Tripus.*

Thyatireni Lydiæ hunc numum eidem Juliæ Augustæ dedicarunt, ut ejus & Principum Titi & Domitiani beneficia mererentur. Tripus ad Apollinem refertur, quem Thyatireni colebant, ut observat Patinus, qui hunc ipsum numum adfert pag. 155.

NUM. 33. 34. 35.

Vacant.

TA-



TABULA I.
EXHIBENS
CAPITA ET INSCRIPTIONES
IN NUMIS
IMP. CAESAR DOMITIANI.

NUM. I.

DOMITIANUS CAESAR AUGuſtus.
Domitiani caput nudum, lævorſum converſum, cum pectore armato thorace.



Itellio interfecto, DOMITIANUS & TITUS eodem tempore a Veſpaſiano CAESARES dicti ſunt; Tito vero decretus Conſulatus, Domitiano Prætura & Conſulare imperium, quo munere ornatus exercitum duxit contra Germanos; quare armis munitus in hoc numo exhibetur. Quæ ad ejus vitam, mores ac res geſtas pertinent, paucis pag. 318. Tom. I. ita concludit Triſtanus Sanctamanti Dominus, quæ, ut Havercampi veſtigiis inſiſtam, adferre conſentaneum videtur. „ DOMITIANUS alter „ & ultimus filiorum Veſpaſiani ac Domitillæ, „ natus eſt Romæ IX. Kal. Novembris, anno „ V. C. 803. Chriſti vero 50. Quadrageſimo „ quarto ætatis, regni vero decimo quinto anno occiſus eſt. Sed D. Theophilus ſuperiori „ ſpatio regni adjungit etiam quinque menſes, „ & ſex dies. (1) Statura fuit procera, vultu „ modeſto ruborisque pleno: grandibus oculis, „ acie autem hebetiore; præterea pulcher ac decens maxime inter adoleſcentiam & virilitatem. Ubi vero conſenuit, calvitio fuit deformis, & obeſitate ventris crurumque gracilitate laboravit. Oris lineamenta alterum quaſi „ Neronem eadem cum ſævitia referebant. Idcirco Auſonius *calvum Neronem* adpellat. Quod „ autem eſſet rubicundiore vultu, æquitatem ac „ pudorem ei ineſſe creditum, quo ornatum deſcribit in ſua Hiſtoria Imperatorem Juſtinianum Procopius. Plinius ſecundus in Panegyrico ſuo ad Trajanum, hunc falſum ementitumque colorem oris pudorem adpellat, *impudentiam multo rubore ſuffuſam*; ait enim: *Ad hæc ipſe occurſu quoque viſuque terribilis*, ſuperbia in fronte, ira in oculis; femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore ſubfuſa. Quia vero grandiores oculos habebat, eos Statius comparat nitidis ſideribus, „ non ſine indigna adulationis nota, hiſce verſibus Lib. I. Carm. I.

———— Et tua mitis
Ora Taras, tua ſidereas imitantia flammas
Lumina, contemto mallet Rhodos aſpera Phœbo.

„ Carm. vero 17. ſic de decimo ſeptimo ejus „ Conſulatu loquitur:

Læta bis octonis adcedit purpura faſtis
Cæſaris, inſignemque aperit Germanicus annum,
Atque oritur cum Sole novo, cum grandibus aſtris
Clarius ipſe nitens, & primo major Eoo.

„ Item in Euchariſtico ſuo:

Ipſum cupido tantum ſpectare vocavit,
Tranquillum vultu, ſed majeſtate ſerena
Mulcentem radios, ſubmittentemque modeſte
Fortunae vexilla ſuæ. ————

„ Joannes Sariſberienſis Lib. III. Cap. 14. Polycratici ſui adfirmat, Domitianum capillos habuiſſe

(1) Domitianus *occiſus eſt XIV. Kal. Octobris, anno ætatis XLV. Imperii XV.* inquit Suetonius in Domitiano c. 17 *Vixit Domitianus ann. IV. & XL. menſes X. Dies VI. & XX. Regnavit annos XV. Dies V. ait* Xiphilinus ex Dione.

„ buiſſe rufos, ſed in flavum degenerantes, ſicuti color eſt æris, vulgo *Leſtone*. Sed vir doctiſſimus aperte falſus eſt; quia Domitio Aenobarbo atavo Neronis conveniunt, quæ de Domitiano vult intelligi. *Et ut ad priores tranſeam, Domitianus ſatis verborum patiens fuit* (ait ille,) *in quo ſic luſiſſe fertur Orator Licinius. Non eſſe mirandum, quod aheneam habeat barbam, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet, eo quod dura dumtaxat loquebatur, quæ ex iniquitatis adipe, quam corde conceperat, procedebant. Iniquitas enim ſedere deſcribitur ſuper talentum plumbi.* Verba enim Oratoris Licinii Craſſi, quæ auctor adducit, Domitio Aenobarbo, teſte Suetonio, perbelle quadrant, non vero Domitiano. Quod autem pertinet ad hujuſce Imperatoris mores, notandum quod quamvis Titi frater eſſet; a Titi tamen moribus toto cælo diſtabat. Ideo Theodorus Metochites jure optimo in Hiſtoria ſua Romana de illis potuit dicere: Αμὶς καὶ ποτιστήριον ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης: *Matula*, ſcilicet, *& poculum ex eodem vitro.* Ac revera ſicuti Titus continens, fortis ac generoſus erat: ita Domitianus impudicus, mollis, tenaxque; ut ille humanitate, clementia, urbanitate: ita iſte ſævitia, inprudentia, atque in optimos viros internecino odio fuit. Titus de omnibus bene mereri volebat: Domitianus difficili aditu, ſuperbia impudentiaque tam ſingulari fuit, ut tanquam Minervæ filius credi atque coli voluerit. Hanc Deam etſi virginem, ſibi matrem adtribuebat, ea potiſſimum de cauſa; uti credidit Cardinalis Baronius, ut quæ Prophetæ de Virgine olim conceptura filium, qui terrarum orbis imperium obtineret, prædixerant, ad eum ſpectare crederentur. Philoſtratus Lib. VII. adnotat, Tarenti Præfectum fuiſſe in vincula conjectum, eo quod in publicis precibus, ceteris Imperatoris nominibus *Minervæ filium* non addidiſſet. Titus denique amor & deliciæ humani generis dictus eſt: peſtis vero, & pernicies Domitianus. Improbatur etiam a Plinio in Panegyrico tanquam litterarum, optimarum artium & Philoſophiæ oſor, atque contemtor; de hoc enim Tyranno ſic ad Trajanum ſuum loquitur: *Ut ſub te ſpiritum & ſanguinem & patriam receperunt ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exſiliis puniebat, quum ſibi vitiorum omnium conſcius princeps inimicas vitiis artes, non odio magis, quam reverentia relegaret:* hæc enim poſtrema verba reſpiciunt exſilium ab eo Philoſophis indictum. Ex quo tanto eum odio inſectabatur Apollonius, uti apud Philoſtratum & Poëtriam Sulpitiam videri poteſt. Juvenis pangendorum carminum glorioſam lubenter aucupabatur. Eum Quinctilianus non ſine notæ adulationis ſtomacho tanquam Poëtam adeo optimum elegantemque commendat in ſuarum Inſtitutionum Lib X. ut Homerus, Virgilius, Ovidius, ceterique Poëtæ præ eo nullius fuiſſe ingenii videantur. *Hos nominavimus*, inquit, *quia Germanicum Auguſtum ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum, parumque Diis viſum eſt eſſe eum maximum Poëtarum. Quid tamen iis ipſis operibus ejus, in quæ donatus imperio juvenis ſucceſſerat, ſublimius, doctius, omnibus denique numeris præſtantius?* In Procemio vero ſuo ad quartum Librum eum *in eloquentia eminentiſſimum* nominat: quod a tanto auctore dictum nolim. Suetonius vero, cui major quam Quinctiliano in hoc habenda eſt fides, adſerit: quod *Epiſtolas orationesque, & edicta alieno formabat ingenio, ſermonis tamen nec inelegantis.* Itaque oratio illa, cujus fragmenta refert in octavo libro Priſcianus: *Ut proſper dicendis ſucceſſus oſtenderet, auditorum benevolentia creſcere dicentium facultatem*, non fuit certe a Domitiano, ſed a Quinctiliano, ſive ab alio conſcripta. Magnus igitur haberi Poëta voluit Domitianus. Hoc adducti conſilio Smyrnæenſes Domitiano ſtatuam poſuerunt prope flumen *Melan*, quod Homeri pater credebatur; cujus & aquæ poeticum illum furorem bibenti immittere dicebantur, ut in vita Apollonii adnotat Philoſtratus. Contra vero Suetonius cap. 20. dicit; *nunquam tamen aut Hiſtoriæ, Carminibusque cognoſcendis operam ullam, aut ſtilo, vel neceſſario dedit.* Laudatur etiam Domitianus a Martiali Epigr. 55. eo quod in feris occidendis dexteritate quadam & virtute polleret, occiſo ferociſſimo Leone. Venator enim præſtansque ſagittator erat, ut etiam Cambyſes, Nero, & Commodus fuerunt. Idem Martialis Lib. IX. Epigr. 65. 66. & 104. dicit, fuiſſe illi in Appia via templum ſtatuamque ſub nomine Herculis erectam.

„ Initio imperii inceſta Virginum Veſtalium ſevere coercuit, antiquiſſimumque morem caſtrandi pueros, qui apud Ethnicos, & Romæ maxime invaluerat, ſuſtulit; quemadmodum adfirmant Suetonius, & Papinius hiſce verſibus:

——— An tacita vigilet face Troicus ignis
Atque exploratas jam laudet Veſta miniſtras

„ poſtea vero ſubdit:

Nondum pulchra Ducis clementia cœperat ortu
Intactos ſervare mares

„ In componendis ſubditorum diſſidiis, in delatoribus & calumniatoribus dimittendis, in ampliſſimis operibus incendio abſumtis reſtituendis, ac præcipue Capitolio, quod Pater ſuus inchoaverat, gratiam inire ſtudebat; ſed detecta ejus fictio ſatis ſuperque oſtendit, quo modo ſpecie juſtitiæ, prudentiæ, magnanimitatis fucum faciebat. Namque & Cornelia Virgo Veſtalis ab eo injuſtiſſime condemnata fuit, quum nullius conſcia ſceleris crederetur; & ipſe Pontifex Maximus & Cenſor cum Julia nepte inceſtum commiſit, atque, inſpectante Populo Romano homicidium quoque perpetravit, teſte Plinio Secundo Epiſt. XI. Lib. IV. *Nec minore ſcelere quam quod ulciſci videbatur abſentem inauditamque damnavit inceſti, quum ipſe fratris filiam non polluiſſet ſolum, verum etiam occidiſſet.* Eo demum impudentiæ impietatiſque devenit, ut non ſolum *Divus* dici, colique voluerit; ſed etiam Lectum ſuum ſordibus, adulteriis inceſtiſque contaminatum *pulvinar ſuum* denominarit; illudque in Deorum templis adſervari, & rite honorari juſſerit. Tanta efferebatur ſuperbia, ut Cænidi patris concubinæ ex Hiſtria reverſæ, oſculumque, ut adſueverat, offerenti, manum præbuerit. Quod & Plinius Trajanum ſuum ubi commendat, in eo taxat: *Non enim* (inquit) *tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis*; manet Imperatori quæ prior humanitas. Hic vero Deus tandem tyrannice interfectis plurimis, atque etiam carioribus, a Domeſticis ſuis occiſus eſt, timen-

„ timentibus forte idem periculum mortis, ni „ in ejus necem conjuraſſent. Fruſtra igitur ab „ iis oppreſſus Minervam ſuam, ut ſibi oppreſ- „ ſo ſuccurreret, invocavit, uti adnotavit Phi- „ loſtratus Lib. VIII. Hoc illi evenit, poſtquam „ ante diu pavidus atque anxius fuit, minimiſque „ etiam ſubſpicionibus præter modum com- „ motus. Adoleſcentulo enim Chaldæi cuncta „ prædixerant. Glycus & Conſtantinus Manas- „ ſes adnotant, eum nocte, quæ mortem præ- „ ceſſit, in ſomniis vidiſſe ſe equo nigro inſi- „ dentem extemplo raptum ex hominum con- „ ſpectu, atque in barathrum præruptiſſimum „ delapſum. Ideo Imperator Julianus dicit, il- „ lum ferreis catenis vinctum poſt inhumanam „ ferocemque illam beſtiam Siciliæ adſtare, quæ „ Phalaridem Tyrannum deſignare videtur. „ Chronicon vero Alexandrinum, quod pluri- „ ma abſurda, aliiſque indicta ſcriptoribus, atque „ inaudita ſæpius obtrudit, refert nullo fretum „ teſtimonio, Domitianum fuiſſe a Senatoribus „ ſecreto interfectum in templo Jovis, quod ſa- „ crum facturus intrarat: hinc lacerum ejus pur- „ puræ ſinum ad candelabra ſuſpendiſſe, quaſi il- „ lum uti religioſiſſimum Principem, in cælos „ ſublatum populo venditarent; verum detecta „ fraude, magnam ſeditionem populi in Urbe „ coortam fuiſſe, eo quod eum in Templo ad- „ greſſi eſſent.

DOMITIA IMP. CAES. DOMITIANI UXOR.

„ DOMITIA LONGINA filia fuit præſtantiſſi- „ mi ducis Domitii Corbuli, quem Nero, ut „ ſe occideret, compulit, quod ei ob egregia „ facinora ſubſpectus eſſet. Ut pater infelix fuit „ miſero vitæ exitu; ita etiam filia, quæ ob laſci- „ viam altera Meſſalina dici potuit; Domitiano „ tamen digna; quam, ut poſſideret, Aelio La- „ miæ viro rapuit; mox vero eum occidit. Ne- „ que diu cum ea pacem habuit; quum enim „ eam Paridis Saltatoris, & Hiſtrionis celeberri- „ mi conſuetudine teneri animadvertiſſet, a ſe „ dimiſit. Verum ſedata ira, formaque ejus ca- „ ptus, eam revocavit fato ſuo neſcio quo miſe- „ ro. Hiſtorici enim teſtantur, conjurationi, ne- „ cique viri conſenſiſſe, quem ob ſævitiam, & „ metum mortis, tanquam crudeliſſimum Ty- „ rannum oderat. Conſulatur Suetonius, Dio., „ Philoſtratus, Aurelius Victor & Cedrenus. „ Ab aliis vero ſummopere commendatur, quo- „ rum omnium princeps Joſephus, qui in ejus „ vita liberalitate humanitateque commendatam „ vult hiſce verbis: Ἡ δὲ (inquit ille) τοῦ Καίσα- „ ρος γυνὴ Δομιτία διετέλεσεν εὐεργετῆσαί με. *Domitia* „ *Cæſaris uxor beneficiis de me optime merita eſt.* „ Procopius vero *in ſecreta Hiſtoria* ſua rem ad- „ miratione laudibuſque dignam narrat, quæ a „ nullo ſcriptore memorata eſt." Domitianus, ait ille, uxorem habebat ingenuam, honeſtiſque moribus de omnibus optime meritam, atque a viri ſaevitia crudelique Dominatu alienam. Tanto amore, ac veneratione eam proſequebantur Senatores, ut poſt exſtinctum Domitianum, eam precati ſint, ut in Senatum veniret, jurati ſe ei daturos quidquid poſtulaſſet. Verum generoſa mulier nihil aliud eos rogavit, niſi ut corpus viri ſui ſepelire ſibi liceret, eique auream ſtatuam quo vellet loco ponere. Voluntati ejus morem geſſit Senatus, ut perpetrati homicidii in virum perenne relinqueret pia uxor monumentum, juſſitque viri corpus conquiri, laceraſque colligi reliquias, ex quibus rurſum compactum viri corpus Statuariis propoſuit, ut in hac funeſta imagine illud exprimerent. Voti compos effecta, ſimulacrum tale poſuit in via, quæ dextrorſum ad Capitolium ducit, ut euntibus ad Forum occurrere & ſpectari poſſet. Quæ ſtatua ad hæc uſque poſteriora tempora heic loci videbatur, vultumque Domitiani neciſque ſuæ memoriam conſecravit. „ Quæ omnia ſi vera ſunt, fatendum „ mendacia & injurias eſſe, quæ de hac Auguſta „ femina ſcripſere Hiſtorici omnes. Nonnullas „ heic adducam inſcriptiones antiquas, quæ hu- „ juſce Auguſtæ mentionem faciunt, quarum „ tres a Libertis ſuis, alter Cubicularius erat, „ tertia vero ejus Ornatrix, alter vero Duumvir „ Auguſtalis, poſitæ fuerunt.

TI. ATTICI DOMITIAE
AUG. LIB. IIVIR AUG.

HERMAE. AUG. LIB.
A CUBICULO
DOMITIAE. AUG

TELESPHORIDI
DOMITIAE DOMITIANI
ORNATRICI

DIS. MANIBUS
JULIAE HELENAE CONIUGI
OPTUMAE DE SE BENE ME
RENTI FECIT TELESPHORUS
DOMITIAE DOMITIANI SER
ET SIBI ET SUIS POSTERISQUE
EORUM

„ Ex ea Domitianus filium ſuſcepit, qui pri- „ mo infantiæ ſuae die raptus a morte eſt." Quoniam vero in hoc numo Domitianus lorica pectus armatum habet, cum Gorgonis capite in medio, quæ in eam ſcribit Epigrammata Martialis Lib. VII. in principio, adferre lubet; primo enim hoc epigrammate ipſum Domitianum, altero vero ipſam loricam adloquitur.

Accipe Belligerae crudum thoraca Minervæ,
Ipſa Meduſææ quo tumet ira Deae.
Dum vacat hæc, Cæſar, poterit lorica vocari:
Pectore quum ſacro ſederit, ægis erit.

Lorica uſum in bello contra Sarmatas ſcribit in ſequenti epigrammate:

Invia Sarmaticis Domini lorica ſagittis,
Et Martis Getico tergore dura magis:
Quam vel ad Aetolæ ſecuram cuſpidis ictus,
Texuit innumeri lubricus unguis apri,
Felix ſorte tua es: ſacrum cui tangere pectus
Fas erit, & noſtri mente calere Dei.
I comes, & magnos illæſa merere triumphos
Palmatæque ducem, ſed cito, redde togæ.

Turnebus exiſtimat loricam Domitiani ſquamis æneis textam, & conſertam fuiſſe, aprinarum ungularum ſpeciem imitantibus. Lipſius contra ex veris, & ipſis ungulis; Domitianum enim ambitioſe imitari voluiſſe Sarmatarum, contra quos expeditionem ſuſceperat, unde Jovi lauream de iis poſtea conſecravit, loricas adfirmat. Matthæus Raderus adfert locum Pauſaniæ Lib. I. qui docet ita Sarmatas ex aprinis ungulis fabricaſſe, ad quem Lectorem mitto.

NUM.

NUM. 2.

CAESAR DOMITIANUS AUGusti Filius. Caput Domitiani laureatum ad laevam versum.

Priores quinque numi, qui in hac Tabula adferuntur, nullo alio titulo decoratum Domitianum nobis exhibent præterquam CAESARIS titulo, quamvis laurea ornatum habeat caput. Vespasianus pater statim ac a Senatu creatus est Imperator, Titum & Domitianum Cæsares designavit, teste Dione Lib. LXVI. Quando vero Cæsar Domitianus consalutatus sit, declarat Suetonius c. 1. nempe post victoriam quam pater consecutus est, bello Vitelliano. *Post victoriam demum progressus, & CAESAR CONSALUTATUS, honorem Præturæ Urbanæ cum Consulari Potestate suscepit titulo tenus. Quam jurisdictionem ad collegam proximum transtulit: ceterum omnem vim Domitianus tam licenter exercuit, ut jam tum qualis futurus esset, ostenderet.*

NUM. 3. 4. 5.

DOMITIANUS CAESAR AUGusti Filius.

Vel,

DOMITIANUS CAESAR.

Vel,

CAESAR AUGUSTI Filius. Caput Domitiani laureatum, in 3. ad lævam versum, in sequentibus num. 4. 5. ad dextram conversum.

NUM. 6.

CAESAR IMPerator DOMITianus Caput Domitiani laureatum ad laevam versum.

Post *Cæsaris* titulum sequitur IMPERATOR, quo ornatur Domitianus. Hunc a Tito fratre Imperatore obtinuit, statim ac mortuo Vespasiano Romani orbis regimen consecutus est, ut narrat Suetonius c. 9. in Tito: *Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pæne ex professo solicitantem exercitus, meditantem fugam, neque occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit; sed (ut a primo Imperii die) CONSORTEM SUCCESSOREMQUE testari perseveravit; nonnunquam secreto lacrymis & precibus orans, ut tandem mutuo ergo se animo vellet esse.* Sed *Imperatoris* titulus post *Cæsaris* titulum enunciatus in numis, quid significet, ostendit Doctissimus Pagius ad numos Titi anno Ch. 73. §. IV. Ubi enim Imperatoris titulus præcedit, Imperium Proconsulare; ubi postponitur Victorias respicit. Sed in hoc, ut in numis Titi, aliorumque Principum aliquando, Imperator Domitianus dicitur & ratione Proconsularis Imperii, & ratione victoriarum.

NUM. 7.

DOMITIANUS CAESAR AUGUStus. Domitiani caput laureatum ad laevam versum.

NUM. 8.

IMPerator CAESAR DOMITIANUS AUGustus. Caput ut supra.

NUM. 9.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus PONTifex. Caput ut supra Domitiani.

Statim a morte patris Titus fratrem suum Principem Juventutis & Augustum declaravit; ipse vero eo mortuo Idib. Septembris se Pontificem Maximum in numis scripsit, in hoc vero *Pontifex* tantum, quia adhuc vivente Tito inscribitur.

NUM. 10.

IMPerator DOMITIANUS CAESar AUGustus. Caput Domitiani laureatum, ad dextram respiciens.

NUM. 11. 12.

IMPerator. DOMITIANUS CAESAR. (In altero pro CAESAR, scriptum AUG.) Caput ejusdem Domitiani laureatum, ad lævam versum.

NUM. 13.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum ad laevam conversum.

NUM. 14.

DOMITIANUS AUGustus GERManicus. Caput Domitiani nudum, ad lævam conversum.

Recta serie & ordine in his Tabulis disposita non sunt capita Domitiani. Epigraphe in antica parte hujus numi præfert GERMANICI adpellationem, quam accepit Domitianus, suscepta in Germaniam expeditione, quam commemorat Suetonius his verbis c. 2. *Expeditionem quoque in Galliam GERMANIASQUE, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantum ut fratri se & operibus, & dignatione adæquaret.* Sed infra declarat idem Suetonius, quando *Germanici* cognomen assumserit c. 13. *Post autem duos triumphos GERMANICI cognomine assumto, Septembrem mensem, & Octobrem ex adpellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit, quod altero suscepisset Imperium, altero natus esset.* Dio narrat Domitianum profectum quidem in Germaniam cum exercitu; sed hoste nunquam viso, reversum in Urbem, quasi Victorem. Hanc adpellationem sibi tribuisse discimus ex numis, paullo post quam Titus ejus frater excessit, in Consulatu septimo, ex numo apud Comitem Mediobarbum pag. 131. cum epigraphe IMP. CAES. DOMITIANUS AUG. GERM. P. M. TR. P.

COS. VII., cujus emblema ara cum ædicula, sive tabernaculo. Certiorem epocham quando Domitianus *Germanici* nomen adsumserit ex alio numo ostendit idem Mediobarbus, ut mox dicam.

NUM. 15. 16. 17.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum ad dexteram versum. In altero n. 16. radiatam gerit coronam, & ad lævam respicit.

NUM. 18. 19.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani in altero numo laureatum; in altero vero nudum, in utroque ad laevam conversum.

NUM. 20. 21.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERmanicus. In utroque Domitiani caput laureatum ad laevam respiciens.

NUM. 22.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate. Caput Domitiani, ut supra.

Percussus est hic numus statim mortuo Tito. Siquidem Tribunitia ejus Potestas numeratur Consulatu ejus octavo anno ab V. C. 835. C. N. 82.

NUM. 23. 24. 25.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERMANICus. (In sequenti GERMANICUS.) Caput Domitiani laureatum ad laevam conversum; at in duobus aliis num. 24. 25. ad dexteram respiciens.

NUM. 26. 27.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum ad laevam respiciens.

NUM. 28.

DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS. Caput Domitiani laureatum, ad laevam versum.

Adfectasse Domitianum *Germanici* cognomentum conjicere licet ex aliquot numis, vivente Tito; quanquam se Germanorum victorem paullo post editis numis testatus sit, in quibus arma, & spolia hostium capta exhibentur, cum titulo DE GERManis.

NUM. 29.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul DESignatus II.

Domitianus Consul iterum designatus est anno V. C. 825. C. N. 72. quum Vespasianus & Titus de Judæis triumphum egerunt nobilissimum.

NUM. 30, 31. 32. 33. 34.

CAESAR DOMITianus COnSul II.

Vel,

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANus COnSul II. (In aliis DOMITianus.)

Consulatum secundum obtinuit Domitianus anno ab V. C. 826. C. N. 73. quo Congiarium populo numorum ter centum ter dedit, teste Suetonio c. 4. *Congiarium populo numorum trecentorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largissimum epulum Septimontiali sacrorum quidem die Senatui Equitique panariis; plebi sportellis cum opsonio distributis, initium vescendi primus fecit: dieque proximo omne genus rerum missilia sparsit; & quia pars major intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris ac Senatorii ordinis pronunciavit.* In numis scriptum legitur: CONG. II. COS. II.

NUM. 35.

Vacat.



TA-

TABULA II.

IN QUA

CAPITA ET INSCRIPTIONES SCULPTÆ

IN NUMIS

IMP. CAESAR DOMITIANI

ADFERUNTUR.

NUM. 36. 37.

CAESar AUGusti Filius DOMITianus COnSul III. (In altero deest AUG. F) Caput Domitiani laureatum in priore numo ad lævam, in altero ad dextram conversum.

Consulatus tertius Domitiani, qui in hisce numis memoratur, ille est quem gessit cedente & suffragante fratre suo Tito, qui eum inierat cum Vespasiano Augusto quinctum Consule anno V. C. 827. C. N. 74. de quo hæc a Suetonio adnotantur c. 2. *In sex Consulatibus, nonnisi unum ordinarium gessit, eumque cedente & suffragante fratre.*

NUM. 38.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul IIII. Caput Domitiani laureatum, ad lævam conversum.

In Consulatu quarto collegam suum obtinuit M. Licinium Crassum Mucianum anno sequenti, virum artibus belli pacisque insignem, qui undecim Actorum libros & tres Epistolarum edidit, quem laudat Tacitus Dial. de Orator. c. 37. Idem Tacitus Histor. Lib. II. c. 5. cum Vespasiano comparat. *Vespasianus acer militiæ, anteire agmen, locum castris capere, noctu dieque consilio, ac si res posceret, manu hostibus obniti, cibo fortuito, veste habituque vix a gregario milite discrepans; prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par. Mucianum e contrario magnificentia & opes, & cuncta privatum modum supergressa extollebant: aptior sermone, dispositu provisuque, civilium rerum peritus: egregium principatus temperamentum, si demtis utriusque vitiis, solæ virtutes miscerentur. Ceterum hic Syriæ, ille Judææ præpositus &c.*

NUM. 39. 40. 41. 42. 43.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul V. (In aliquibus DOMIT. aut DOMITIAN.) In singulis Caput Domitiani laureatum ad lævam conversum.

Domitianus Consulatum quinctum suffectus iniit ex Fastis Onuphrianis, de quo vide Pagium, anno V. C. 829. C. N. 76. In hoc recenset Mediobarbus expeditionem ejusdem Domitiani in Sarmatas, & numismata cum epigraphe: SARMATIA DEVICTA SIGNIS A SARMAT. RECEPTIS. Sed hanc expeditionem postremam Domitiani fuisse optime demonstrat Card. Norisius in Consul. Epist. probatque ex variis locis Martialis & Statii, eidemque Norisio adstipulatur Pagius ad an. V. C. 845. C. N. 92. quo ab eo susceptam, bellumque confectum ostendit, & ob hanc expeditionem in sequentem annum distulisse Imperii sui Cæsarei Quinquennalia quinta observat.

NUM. 44. 45.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul VI. Caput Domitiani laureatum ad lævam conversum: & in altero subnexum fibula in humero paludamentum.

Cum Cn. Julio Agricola sextus Domitiani Consulatus in Fastis scribitur anno V. C. 830. C. N. 77. Parum inter se differunt inscriptiones, in quibus vel DOMITIAN scriptum.

NUM. 46.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANus COnSul VII. Caput Domitiani lauratum, ad pectus ornatum paludamento, ad lævam conversum.

NUM. 47. 48.

CAESAR DIVI AUGusti VESPasiani Filius DOMITIANus COnSul VII. Caput Domitiani laureatum ad lævam versum.

Septimum Consulatum Domitianus iniit cum Tito VIII. Consule anno V. C. 833. C. N. 80. Quod vero Vespasianus superiore anno excessisset, in his numis DIVI AUG. F. *Divi Augusti Filius* inscribitur.

NUM. 49.

IMPerator Domitianus CAESar DIVI VESPasiani Filius AUGustus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate COnSul VII. Caput Domitiani lævorſum reſpiciens corona radiata inſigne.

Domitianus in hoc numo *Imperator*, *Auguſtus*, *Pontifex Maximus* inſcribitur, *Tribunicia Poteſtate*, & hoc amplius radiata corona decoratur; jam enim conſors & particeps Imperii factus a Tito, & operibus, & dignitatibus ei ſe parem oſtendere conabatur, teſte Suetonio in ejus vita c. 2. Quoniam vero præter militarem ſcientiam optimis artibus Titus erat inſtructus, Latinæ Græcæque linguæ vel in orando, vel in fingendis poëmatibus promtus & facilis, ita ut etiam ex tempore præſtaret; ſed ne Muſicæ quidem rudis, ut qui cantaret & pſalleret jucunde ſcienterque: ita & Domitianus fratrem adæquare ſtuduit, ut a Suetonio memoriæ proditum c. 2. *Simulavit & ipſe mire modeſtiam, inprimiſque Poëticæ ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quam poſtea ſpretum & abjectum, recitavitque etiam publice.*

NUM. 50. 51. 52. 53. 54. 55.

CAESar DIVI VESPaſiani Filius DOMITIANus COnSul VII. Caput Domitiani laureatum ad lævam converſum, præterquam in 50. & 55.

Inſcriptiones horum numorum in ſingulis conveniunt: in aliis VESP. omittitur, & in 50. DOMITIAN. in reliquis DOMITIANUS ſcribitur.

NUM. 56. 57.

CAESAR AUGuſti Filius DOMITIANus COnSul VIII.

Vel,

IMPerator CAESar DIVI VESPaſiani Filius AUGuſtus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate Pater Patriae COnSul VIII. Caput Domitiani cinctum laurea corona, ad laevam reſpiciens.

Memoratur octavus Domitiani Conſulatus, quem iniit anno V. C. 835. C. N. 82. collega Tito Flavio Sabino. Hoc ſiquidem anno in Germaniam cum exercitu profectus eſt, & nunquam viſo hoſte Romam, ut victor, rediit. Comes Mediobarbus ad hunc annum revocat obitum infantis, quem ex Domitia uxore genuit, quem Cæſarem adpellavit & conſecravit, teſte numo, in quo idem infans globo inſidet ſtellis circumdatus cum epigraphe: DIVUS CAESAR IMP. DOMITIANI F.

NUM. 58. 59. 60. 61.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGuſtus GERManicus COnSul X.

Vel,

IMPerator CAESar DIVI VESPaſiani Filius DOMITIANus AUGuſtus GERmanicus COnSul X. Caput Domitiani in ſingulis converſum reſpiciens; & laureatum præterquam in duobus 60. & 61. in quibus radiata corona ornatur.

Prætermiſſi ſunt numi, in quibus Domitianus Conſul VIIII. inſcribitur. Unicum tantum adfert Mediobarbus pag. 133. Iterum Domitianus adſumit GERMANICI cognomentum, ob victoriam de Germanis relatam, quam perſuadere conabatur, in Conſulatu ſuo decimo, quo inſignitus eſt anno V. C. 837. C. N. 84. In hoc collegam habuit Oppium, alii Appium Sabinum, adſumſitque ob bellum adverſus Cattos, *Heſſos* hodie dictos. Eutropius Lib. VII. *Expeditiones quatuor habuit, unam adverſus Sarmatas, alteram adverſus Cattos, duas adverſus Dacos. De Dacis Cattiſque duplicem quidem triumphum egit; de Sarmatis ſolam lauream uſurpavit. Multas quidem calamitates iisdem bellis paſſus eſt. Nam in Sarmatia Legiones ejus cum Duce interfectæ, & a Dacis Appius Sabinus Conſularis, & Cornelius Fuſcus Præfectus Prætorio cum magnis exercitibus occiſi ſunt*; quæ Eutropius ex Suetonio, ut adſolet, cap. 6. exſcripſit.

NUM. 62.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGuſtus GERManicus COnSul XI. CENSoria POTeſtate Pater Patriæ.

Mediobarbus adfert numos pag. 133. qui teſtantur Domitianum Cenſoria Poteſtate decoratum fuiſſe a Senatu, quum eſſet Conſul X. Sed *Patris Patriæ* titulum, quo in hoc numo ſuperbit, jam & in Conſulatu ſuo Octavo adſumſiſſe conſtat auctoritate numiſmatis ſuperius adlati in hac Tabula num. 57. cujus rei fidem faciunt & alia numiſmata a Numographis deſcripta. Ceterum Domitianus anno V. C. 838. C. N. 85. quo de Cattis, Dacisque & Germanis populis triumphavit, in Conſulatu ſuo XI. conlegam habuit T. Aurelium Julium.

NUM. 63. 64. 65.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGuſtus GERManicus COnSul XI. CENSoria POTeſtate Pater Patriæ. Caput ejusdem laureatum, ut ſupra.

Conveniunt horum numorum inſcriptiones cum ſuperiore 62. ſed in aliquibus DOMIT. aut DOMITIAN. ſcriptum. In duobus numis 63. & 65. radiata ſplendet corona.

NUM. 66.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGuſtus GERManicus COnSul XI. CENSor PERPetuus Pater Patriae.

Per-

Perspicue constat ex hoc numo, Domitianum eodem anno, quo Censoria Potestate a Senatu decoratus est, omnium Cæsarum primum, glorioso honoris monumento CENSOREM PERPETUUM constitutum esse. Quamvis vero in Censura perpauca memoratu digna gesserit, tamen quod primus solusque Censor perpetuus designatus esset, stulte & insolenter elatus quam maxime gloriabatur, teste Dione Lib. LXVII. Perlubet ejus verba adferre, & alios honores, quos a Senatu consecutus, est ex eo memorare. *Adeo vero stulte elatus est & insolenter, ut Consul decem annos perpetuos, & Censor quamdiu viveret, primus solusque ex privatis civibus atque Imperatoribus designatus fit.* Rationem cur ita id fecerit reddit Zonarus: *Falsis*, inquit, *victoriis jactandis Consulatum in Decennium, Censuram per omnem ætatem accepit.* Præcipua quæ gessit in Censura, enumerat Suetonius c. 8. *Suscepta morum correctione, licentiam theatralem promiscue in Equite spectandi inhibuit. Scripta famosa, vulgoque edita, quibus primores viri ac feminæ notabantur, abolevit non sine auctorum ignominia.* Alia subdit, quæ piget referre.

NUM. 67.

IMPerator CAEsar VESPasiani Filius DOMitianus AUgustus GERmanicus COnSul XII. Caput Domitiani ad laevam versum, ornatum laurea corona.

Quantum novitatis præferat epigraphe hujus numi adnotare libet: CAE pro CAES. DOM. pro *Domitianus*, AU pro *Augustus*, ut etiam in numis ingenium sculptorum, & non in scriptis lapidibus tantum, observare liceat.

NUM. 68. 69. 70.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COSSul XII. (In aliis CENSor PERpetuus Pater Patriæ.) Caput ejusdem Domitiani ad laevam versum, ornatum laurea corona, præterquam in 70. in quo radiato capite exhibetur.

Servium Cornelium Dolabellam conlegam habuit Domitianus in suo Consulatu XII. anno V. C. 839. C. N. 86. quo agonem Capitolinum instituit, de quo Suetonius c. 4. *Instituit & Quinquennale certamen, Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, & aliquanto plurium, quam nunc est, coronatorum. Certabant etiam & prosa oratione Grace Latineque, ac præter Citharoedos, Chorocitharistæ quoque & Psilocitharistæ.* De hac institutione Certaminis Quinquennalis vide quæ observat Pagius ad ann. Ch. 86. §. v.

TABULA III.

IN QUA

CAPITA ET INSCRIPTIONES SCULPTÆ

IN NUMIS

IMP. CAESAR DOMITIANI

EXPONUNTUR.

NUM. 71. 72. 73.

IMPerator CAESar DOMITianus AUgustus GERmanicus COnSul XIII. CENSor PERpetuus Pater Patriae. Caput Domitiani Imperatoris laurea coronatum, laevorsum conversum; in 73. ad dextram, in 72. radiata corona ornatum.

Domitianus in Consulatu suo XIII. consalutatus Imperator XIV. collegam habuit Aulum Volusium Saturninum, anno V. C. 840. C. N. 87. In his quoque numis ornatur titulis, adpellaturque *Germanicus, Censor Perpetuus & Pater Patriæ.* In pluribus numis apud Comitem Mediobarbum, post titulum *Germanicus* sequitur P. M. hoc est *Pontifex Maximus*, qui titulus in non paucis in hoc Morelliano Thesauro adlatis desideratur, & rursum incipit in numo 79. in quo, ut in aliis, prætermittitur CENS. PERP. *Censor Perpetuus.* Quamvis in aliis numis mox proferendis num. 86. 87. 89. 90. simul conjungatur, nec desideretur. In omnibus hisce numis emendatam celatamque cernimus ejus capitis deformitatem, nempe calvitium, quum plurimi capilli vertici ejus incumbant; ceterum calvitio male laborasse docet Suetonius c. 18. *Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco, vel jurgio objectaretur, quamvis libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, hoc etiam, illum simul seque consolans, inseruerit;* Οὐχ ὁράας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε.
„ *Eadem me tamen manent capillorum fata, &*
„ *forti animo fero comam in adolescentia senescen-*
„ *tem. Scias nec gratius quidquam decore, nec*
bre-

„ *brevius.*" Frequenter etiam radiato capite in numis exhibetur; atque jam vidimus, vivente quoque fratre Tito, coronam radiatam gestasse. Peculiarem coronam auream ornatam numinum effigie, quam gessit, quum ludis præsideret, ita describit Suetonius c. 4. *In stadio vero cursu etiam Virginum certamini præsedit crepidatus, purpuratusque, amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis, ac Junonis Minervæque, adsidentibus Diali Sacerdote, & Collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago.* Perlubet etiam, (quandoque in his capitibus recensendis tam moleste occupamur,) haud prætermittere quæ idem Suetonius c. 18. adnotat de ejus vultu, & oris dignitate. *Statura fuit procera, vultu modesto, ruborisque pleno, grandibus oculis; verum acie hebetiore: præterea pulcer ac decens, maxime in juventa, & quidem toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat.* In numo adlato num. 73. tituli CENS. PER. P. P. prætermittuntur, licet idem Consulatus XIII. numeretur.

NUM. 74. 75.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERMancius COnSul XIIII. CENSor PERpetuus Pater Patriæ. Caput Domitiani ad lævam respiciens, in altero vero radiatum.

Ludos Sæculares edidit Domitianus, de quibus infra sermo, anno ab. V. C. 841. C. N. 88. quo Consul XIV. fuit cum L. Minucio Rufo; tunc Tribunitia Potestate VIII. fulgebat.

NUM. 76. 77. 78.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XVII. CENSor PERpetuus Pater Patriae. Caput Domitiani laureatum in 76. & 78. in altero 77. radiatum, & ad pectus cum paludamento.

Prætermittuntur, nec suo loco in hac Tabula exponuntur, numismata Imperatoris Domitiani, quæ insculpta sunt cum Consulatu ejus XV. & XVI. & multa etiam Capita optata serie & ordine non procedunt. Numismata hæc a Comite Mediobarbo recensentur, qui adnotat in Consulatu XVI. de Dacis & Germanis iterum triumphasse anno V. C. 845. C. N. 92. Sed hi qui adferuntur numi ejus Consulatu XVII. insigniti, postremi sunt in censu eorum, in quibus Domitiani Consulatus recensentur. Si quidem, quod nemini ante se contigit, totidem Consulatus gessit; qua vero ratione, audiamus ex Suetonio c. 13. *CONSULATUS XVII. cepit, quot ante eum nemo: ex quibus septem medios continuavit; Omnes autem pæne titulo tenus gessit; nec quemquam ultra Kalendas Majas, plures ad Idus usque Januarias.* In obeundis Imperii ministeriis varium fuisse, scribit idem Suetonius c. 3. *Circa administrationem Imperii aliquando se varium præstitit, mistura quoque inæquabili vitiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit (quantum conjectare licet) super ingenii naturam inopia rapax, metu sævus.*

NUM. 79.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. Caput ejusdem Domitiani laureatum, ad lævam conversum.

Percussus est hic numus eo anno, ut supra diximus, ab V. C. 841. C. N. 88. quo Domitianus Ludos Seculares edidit, insignitus Tribunitia Potestate VIII. & Consul erat XIIII.

NUM. 80.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IIII. Caput Dotiani laureatum, ut supra.

Exordio facto ab hoc numo usque ad 103. recensentur Tribunitiæ Potestates Domitiani, a IV. usque ad XVI. In his Consulatus non numerantur, & in aliquot numis tituli CENSOR PERPETUUS, & *Pater Patriae* prætermittuntur.

NUM. 81. 82.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate V. (In altero DOM. scribitur, & titulus Pontifex Maximus omittitur.) Caput ejusdem laureatum, ut supra.

NUM. 83.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRIbunicia Potestate VI. Caput Domitiani laureatum, ut supra.

In omnibus hisce numis, in quibus Tribuniciæ Potestates recensentur, GERMANICI titulus exprimitur. Siquidem quum Tribuniciam Potestatem quartam obtineret Domitianus, de Cattis Dacisque & Germanis populis triumphavit. Suetonius c. 13. *Post autem duos triumphos GERMANICI cognomine assumto.* Sed & ante hoc tempus hanc adpellationem usurpasse, tum supra adnotatum, tum infra.

NUM. 84. 85.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VII. Caput Domitiani laureatum ad dexteram conversum.

NUM. 86.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. CENSor PERpetuus Pater Patriae. Caput Domitiani laureatum ad laevam conversum.

NUM.

NUM. 87.

Eadem epigraphe, sed in hoc Domitiani caput radiatum est, ad laevam respiciens.

NUM. 88. 89. 90.

IMPerator CAESar DOMITIANus. (DOMITianus.) AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. (In aliis duobus: TRibunicia Potestate VIII CENSor PERpetuus Pater Patriæ.) Caput Domitiani in primis duobus laureatum, in tertio radiatum, ad dexteram versum.

NUM. 91. 92.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIIII. (In altero TR. P. X.) Caput Domitiani laureatum ad laevam respiciens.

NUM. 93.

Eadem epigraphe TR. P. X. Caput Domitiani lævorsum respiciens, radiata corona ornatum.

NUM. 94. 95.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XI. Caput Domitiani in primo laureatum, in secundo radiatum; in utroque ad laevam conversum.

NUM. 96.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XII. Caput Domitiani laureatum ad laevam versum.

NUM. 97. 98.

Eadem epigraphe, & TR. P. XIII. Domitiani caput in primo laureatum, in altero radiatum; in utroque ad lævam conversum.

NUM. 99. 100.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XIIII. Caput Domitiani in priore numo laureatum, in altero radiatum; in utroque ad lævam conversum.

NUM. 101. 102.

Eadem epigraphe, sed in his numis notatur ejus TRibunicia Potestate XV. Caput Domitiani in primo radiatum, in altero laureatum, ad laevam conversum.

NUM. 103.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XVI. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum ad laevam versum.

NUM. 104. 105.

Vacant.

TABULA IV.
QUAE PERSEQUITUR
CAPITUM IN NUMIS
IMP. CAESAR DOMITIANI
GRAECAS INSCRIPTIONES.

NUM. 106. 107. 108.

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ. *(CAESAR DOMITIANUS.) Caput Domitiani laurea corona cinctum, ad laevam versum.*

In altero numo Σ ita C sculpta conspicitur. In numo 108. Domitiani vultum aliquantulum occupat impressa nota monetarii, quæ Deam refert hastam in dextra gerentem: circa collum vero Cæsaris Domitiani caput nudum cernitur, altera monetarii nota, quæ occupat postremæ litteræ C nominis ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC locum.

NUM. 109. 110.

ΔΟΜΙΤΙΑΝὸς (*In altero integrum cognomen* ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC.) ΚΑΙCΑΡ. (*DOMITIANUS CAESAR.*) *Caput Domitiani ad dexteram conversum, laurea redimitum.*

NUM. 111. 112. 113. 114.

ΚΑΙCΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. (*CAESAR DOMITIANUS.*) *Caput ejusdem laureatum ad laevam conversum.*

NUM. 115.

ΚΑΙCΑΡΟC ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΥ. (*CAESARIS DOMITIANI.*) *Caput ejusdem laureatum ad dextram versum.*

NUM. 116.

ΚΑΙCΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. (*CAESAR DOMITIANUS.*) *Caput ejusdem laureatum, ad lævam respiciens.*

NUM. 117. 118.

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙτιανὸς ΣΕΒΑστȣ̃ ΥΙΟΣ. (*CAESAR DOMITIANUS AUGUSTI FILIUS.*) *Caput ejusdem Domitiani laurea ornatum, ad lævam conversum.*

Cusa videntur hæc numismata Græca in honorem Domitiani, postquam innotuit ipsum cum fratre Tito a patre designatum fuisse Cæsarem. Ipse vero, absente patre in Aegypto, una cum Muciano, ita omnia nutu suo Romæ gerebant, quasi ipsi Imperatores essent: quapropter Vespasianus ad Domitianum hæc scripsit: Χάριν ἔχω σοι, τέκνον, ὅτι με ἐᾷς ἄρχειν, καὶ οὐδέπω με καταλέλυκας: *Ago tibi gratias, fili, quod me finas principatum tenere, quodque me ex eo nondum expuleris.* Domitianus dum interim nil laude dignum moliretur, patrem metuens, in Albano monte morabatur. Ex Dione Lib. LXVI. hæc, quæ apud eum fusius describuntur, delibata.

NUM. 119.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΣΕΒαστȣ̃ ΥΙΟΣ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικὸς. (*IMPERATOR CAESAR AUGUSTI FILIUS DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Domitiani laureatum, ad laevam versum.*

Numismata hæc, in quibus Domitianus *Imperator* & *Augustus* adpellatur, cusa sunt in ejus honorem, post discessum Vespasiani patris, adeoque quum ipse Romani imperii particeps a Tito fratre Imperatore factus esset; vivente vero patre ea numismata percussa sunt in quibus *Cæsar* & *Augustus* scribitur.

NUM. 120.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟΥ ΥΙΟC. (*DOMITIANUS CAESAR AUGUSTI FILIUS.*) *Caput Domitiani laureatum ad laevum versum.*

NUM. 121.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙCαρ ΘΕΟΥ ΥΙΟC ΔΟΜΙΤιανὸς CΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικὸς. (*IMPERATOR CAESAR DIVI FILIUS DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Domitiani ad laevam respiciens, laurea corona redimitum.*

Perspicuum est hunc numum Domitiano dedicatum fuisse post mortem Vespasiani, qui ΘΕΟC, *Divus* adpellatur.

NUM. 122. 123.

ΔΟΜΕΤΙΑΝΟC CΕΒΑCτὸς. (*DOMITIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Domitiani laureatum ad laevam.*

Prætermittitur in his numis titulus ΚΑΙCΑΡ, CAESAR; & solus tribuitur CΕΒΑCΤΟC, AUGUSTUS; in priore dimidiatus, in altero integer. Notanda non insolens tum in numis, tum in marmoribus scriptis commutatio I in E. ut in hoc ΔΟΜΕΤΙΑΝΟC. pro ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. & in alio numo num. 125.

NUM. 124.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαστὸς. (*IMPERATOR CAESAR DOMITIANUS AUGUSTUS.*) *Caput Domitiani laureatum, ad lævam versum.*

NUM. 125. 126. 127.

ΔΟΜΕΤιανὸς ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC. (*DOMITIANUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Domitiani laureatum, ad pectus thorace squamato ornatum.*

In sequentibus duobus numis 126. & 127. eadem epigraphe occurrit, consueto frequentiore stilo scripta, deest vero ad pectus thorax.

NUM. 128.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙσαρ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*IMPERATOR DOMITIANUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Domitiani laurea cinctum, conversum ad laevam.*

Adnotanda est in hoc numismate figura quadrata litteræ E pro Σ, sive ut in aliis C.

NUM.

NUM. 129. 130. 131.

ΑΥΤοκράτωρ ΔΟΜΙΤιανὸς (*sive* KAICαρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC.) KAICAP. (*sive* KAICAP CEBACTὸς.) *IMPERATOR DOMITIANUS CAESAR hinc CAESAR AUGUSTUS. Caput Domitiani ad laevam respiciens, laurea redimitum.*

NUM. 132.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ KAICAP ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. (*IMPERATOR CAESAR DOMITIANUS.*) *Caput Domitiani, ut supra.*

NUM. 133.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*DOMITIANUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Domitiani, ut supra.*

NUM. 134.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. (*IMPERATOR DOMITIANUS CAESAR.*) *Caput Domitiani, ut supra.*

NUM. 135.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑστὸς. (*IMPERATOR CAESAR DOMITIANUS AUGUSTUS.*) *Caput laureatum Domitiani ad laevam versum.*

NUM. 136. 137.

ΑΥΤοκράτωρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. (*IMPERATOR DOMITIANUS CAESAR AUGUSTUS.*) *Caput Domitiani laureatum, ut supra.*

NUM. 138. 139.

Vacant.

NUM. 140.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΩ KAICAPI CEBACTΩ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ. (*DOMITIANO CAESARI AUGUSTO GERMANICO.*) *Caput laureatum Domitiani ad dexteram conversum. Prope eum in area sigla* ΒΑΡ. i. e. anno. 132.

TABULA V.
QUAE PERSEQUITUR CAPITUM IN NUMIS
IMP. CAESARIS DOMITIANI
RELIQUAS GRAECAS INSCRIPTIONES.

NUM. 141. 142. 143.

ΑΥΤοκράτωρ KAICAP ΔΟΜΙΤιανὸς CEBAστὸς ΓΕΡμανικὸς. (*IMPERATOR CAESAR DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Domitiani caput ad laevam conversum, laurea corona ornatum.*

Inscriptiones horum numismatum inter se conveniunt; at in 143. integra scriptura sculptum non ΔΟΜΙΤ. sed ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ.

NUM. 144.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικὸς. (*DOMITIANUS IMPERATOR AUGUSTUS GERmanicus.*) *Caput Domitiani, ut supra.*

NUM. 145. 146.

ΑΥΤοκράτωρ KAICAP ΔΟΜΙΤιανὸς CEBαστὸς ΓΕΡΜανικὸς. (*IMPERATOR CAESAR DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Domitiani in altero numo ad dexteram, in altero ad laevam conversum, in utroque laureatum.*

In numo 146. singularis prima littera Σ, indicat ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Augustus.*

NUM. 147. 148. 149. 150.

ΚΑΙΣΑΡ. (*aliis praecedit* ΑΥΤΟΚ. *sive* ΑΥΤ.) ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικὸς *CAESAR. (in aliis IMPERATOR CAESAR.) DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS. Caput Domitiani in singulis numis laureatum, & ad laevam versum.*

NUM. 151. 152. 153.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. (*in reliquis sequitur* ΚΑΙΣΑΡ.) ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. (*DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS. In reliquis DOMITIANUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS.) Caput laureatum Domitiani in singulis ad laevam conversum.*

NUM. 154. 155.

Vacant.

NUM. 156. 157. 158.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟϹ. (*DOMITIANUS CAESAR AUGUSTUS GERMANICUS.) In singulis numis caput Domitiani laurea cinctum, & ad laevam conversum.*

NUM. 159. 160.

Cum reliquis vacant.

TABULA VI.

IN QUA TYPI NUMISMATUM AUREORUM

IMP. CAESAR DOMITIANI

EXHIBENTUR.

NUM. 1.

CAESAR AUGustus Filius DOMITIANUS. Domitiani caput.

PRINCipi JUVENTutis. Domitianus togatus eques, dextra elata, sinistra hastam tenet.

Perspicuum est Domitianum non tenere dextra scipionem insigne Consularis potestatis, sed hastam Vaillantius Tom. II. Num. Praest. p. 104. ad alium numum censet non indicari hoc typo erectam Domitiano equestrem statuam; nam figurae equestres togatae in equo repraesentari non solebant; sed Domitianus forsitan in hoc numo ita exhibetur, ut in pompa triumphi Judaici processit, teste Suetonio c. 2. *Triumphum utriusque* (Vespasiani & Titi,) *Judaicum equo albo comitatus est.* Verum quum epigraphe PRINCIPI JUVENTUTIS declaret, Domitianum hoc titulo a patre decoratum destinatumque sibi in Imperio successorem una cum fratre, verosimilius videtur, hunc numum designare Domitianum, deposita praetexta, togaque virili sumta, equo vectum ad aedem Jovis Capitolini progressum, quod a Principibus Juventutis fieri solebat.

NUM. 2.

CAESar AUGusti Filius DOMITianus COnSul III. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTis. Spes dextra florem tenens, sinistra vestem adtollens.

Mire & ipsum Domitianum simulasse modestiam adnotat Suetonius c. 2. *Circa administrationem imperii aliquandiu se varium praestitit, mistura quoque inaequabili vitiorum atque virtutum, donec virtutes quoque in vitia deflexit.* Ob spem felicis imperii, cusus est hic aureus numus.

NUM. 3.

CAESAR DIVI AUGusti VESPasiani DOMITIANUS COnSul V. Caput Domitiani laurea cinctum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Minerva stans armata clypeo & jaculo, quod vibrat.

Domitiani tutelare numen, summa religione cultum, fuit Minerva, teste Suetonio c. 15. *Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario, negantem ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Jove.* Ostendit igitur numus Domitianum valde gloriari tutela Minervae auxiliatricis, cujus simulacrum in sacrario sui palatii tenebat. Constat enim Sacrarium Caesares habuisse, in quo Deorum simulacra servabantur, quod ex adlato Suetonii loco, atque ex hoc antiquo lapide perspicuum est, qui exstat Romae in Museo Kirckeriano,

no, in quo exscripsit, & vulgavit Cl. Joannes Vignolius inter descriptiones selectas pag. 278.

DIS MANIBUS
CLAUDIAE
ANTONIAE
LIB. LACHNE
PHILIPPUS RUSTIAN.
PUBLICUS AB
SACRARIO
DIVI AUGUSTI
CONJUGI CARISSIMAE
FECIT ET SIBI

NUM. 4.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul VI. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Dea salus columellæ innixa dextro cubito ac manu pateram tenet, qua pabulum præbet serpenti, quem sinistra præfert.

Typus hic, vota pro ejus incolumitate soluta, dum iniret Consulatum sextum anno V. C. 830. C. N. 77. ni fallor, designat. Idem typus repetitur in numis Domitiani tum argenteis tum æreis, cum Consulatu ejus sexto, ut mox suo loco videbimus; in quo collegam habuit Cn. Julium Agricolam.

NUM. 5.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laurea redimitum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Vesta dextrorsum respiciens sedet, dextra Palladium offert, sive ostentat, læva hastam transversam gerit.

Ad stabilitatem, & æternitatem imperii declarandam, cusus est hic numus in honorem Domitiani; nam servato Palladio, quod fatale Imperii pignus habebatur, felix Romanum imperium, stabile atque æternum spondebant fata. Exstat hic numus in Cimeliarchio Christianissimi Galliarum Regis, & in Museo Theupolo.

NUM. 6.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Capra Amalthea in corona.

Capra Jovis symbolum pro optimis imperii auspiciis adhibetur in honorem Domitiani; quemadmodum enim Jupiter ab ea enutritus in Creta, ad imperium crevit: ita Domitiano in spem futuræ successionis in imperio idem symbolum tribuitur, cum titulo PRINCIPIS JUVENTUTIS conjunctum, quam dignitatem his Imperatores donabant, quos sibi successores destinabant.

NUM. 7.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Titi laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Duæ dextræ junctæ, intermedio Legionis signo, vittis ornato, cujus vertici insistit aquila, pone vero inhaeret rostro navis.

Gloriæ navalis pugnæ & victoriæ, quam Titus consecutus est ad lacum Genesar, hoc typo particeps Domitianus ni fallor designatur. Domitianus in septimo Consulatu collegam habuit Titum Consulem VIII. anno V. C. 833. C. N. 80. quo & eidem Tito dedicatus numus, cum prora navis rostrata & stella, quem vide apud Mediobarbum pag. 125. Victoriarum, & titulorum honores quum Cæsares Consulatum inirent; in gratulationibus & adclamationibus repetebantur.

NUM. 8.

CAESAR DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Sella, cui galea imposita.

Sella cum galea superposita Principis Juventutis dignitatem designat. Cusum subspicor hunc perrarum numum aureum occasione expeditionis Germanicæ, quam inchoavit, teste Suetonio c. 2. *Expeditionem quoque in Galliam, Germaniamque, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amis, inchoavit, tantum ut fratri se & operibus & dignatione adæquaret.*

NUM. 9.

CAESAR DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laurea redimitum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Ara cum igne adcenso, vittis & encarpis ornata.

Haec ara sacro igne calens eam denotare videtur, quam Domitianus posuit, eo in loco ubi servatus est, dum Capitolium arsit in bello Vitelliano, uti memorat Tacitus Histor. Lib. III. c. *A potiente rerum patre, disjecto Aeditui contubernio, modicum sacellum Jovi Conservatori ARAMQUE posuit.* Rem ita exponit Suetonius in ejus vita c. 1. *Bello Vitelliano confugit in Capitolium cum patruo Sabino, ac parte præsentium copiarum. Sed irrumpentibus adversariis, & ardente templo, apud æditum clam pernoctavit, ac mane, Isiaci celatus habitu, interque sacrificulos vanæ superstitionis, quum se trans Tiberim ad condiscipuli matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit.*

NUM. 10.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani.

PONtifex COnSul IIII. DESignatus V. PRINCeps JUVENTutis. Ara ignita, festiva fronde & tæniis ornata.

Eandem facile exprimit dedicationem aræ in Capitolio; vel ad Pontificatum, quem consecutus est hoc anno, ab V. C. 828. C. N. 75. in Consulatu suo quarto, adludit.

NUM. 11.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum.

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit. Minerva dextrorsum gradiens, dextra sceptrum, sinistra scutum, in quo caput galeatum.

Mediobarbus inter argenteos numos alterum cum hoc ipso typo recenset p. 136. Creberrime in numis, hoc Consulatu Domitiani XIIII. percussis, occurrit Pallas cum suis adtributis, interdum cum fulmine in dextra, vel duobus spiculis, & cum norma ad pedes; nam peculiare ejus Numen fuit; quin etiam se ejus filium credi voluit. Hoc anno qui fuit ab V. C. 841. C. N. 88. Ludos Sæculares fecit. Suetonius c. 4. *Fecit & LUDOS SAECULARES, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat.* Horum exstat memoria in hoc aureo numismate rarissimo. Sed de his sæcularibus Ludis infra redibit sermo.

NUM. 12.

Vacat.

NUM. 13.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Titi.

CERES AUGUST. Ceres Dea velato capite stans, dextrorsum versa, dextra spicas & papavera, læva hastae, seu tædæ innititur.

Quo tempore Domitianus consalutatus Cæsar sit, profligato nimirum Vitellio, narrat Tacitus Histor. Lib. III. c. 86. *Domitianum, postquam nihil hostile metuebatur, ad duces partium progressum, & CAESAREM consalutatum, miles frequens, utque erat in armis, in paternos penates deduxit.* Ceres frugum Dea in hoc numismate sculpta frumentarias largitiones forsitan indicat, hac occasione factas. Suetonius c. 1. *Post victorias demum* (favente memorato Taciti loco, legerem *Domum*) *progressus, & CÆSAR consalutatus, honorem Præturæ urbanae cum Consulari Potestate suscepit titulo tenus.* In aliis numis Titus & Domitianus, Cæsares adpellati, congiaria in suggestis sedentes distribuunt. Hic numus exstat in Thesauro Christianissimi Regis.

NUM. 14.

IMPerator CAESAR DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. (In alio TRibunicia Potestate COnSul VII.)

JUPPITER CONSERVATOR. Aquila alis expansis insistens fulmini.

Bello Vitelliano Domitianus in Capitolium confugit, & irrumpentibus adversariis, incenso templo, apud æditurum pernoctavit, & mox abiens deprehendi non potuit. Propter hoc beneficium sacellum *Jovi Conservatori* eodem in loco & aram posuit. Quod incolumis evasisset & in manus adversariorum non incidisset, ut perenne exstaret tanti beneficii monumentum, aureum hunc numum cudendum curavit Domitianus, & Jovi Conservatori inscripsit. Pro typo aquilam Jovis ministram fulmini insistentem expressit, ut tutelam suam Jovis ope susceptam testaretur; ea enim & Jovi, quum adversus Titanas proficisceretur, & sacra faceret, auspicato adparuit, & fulmina, quibus se adversus hostes tueretur, ministravit. Vaillantius hunc ipsum numum describit & illustrat Tom. II. Numism. Præst. pag. 106.

NUM. 15.

DOMITIANus CAESar AUGusti Filius. Caput Domitiani laureatum.

VESTA. Templum rotundum columnis & gradibus ornatum, in cujus aditu Vestæ Deæ simulacrum; hinc inde statuae in basibus collocatae.

Domitianus *Caesar* tantum adpellatur in hoc numo, cujus typus est templum Deæ Vestae; quod etiam spectatur in æreis numis ejusdem Principis, in quibus Consul iterum designatus, & Consul etiam VIII. inscribitur. Quae in hoc aureum numisma adnotat Antiquariorum Princeps Vaillantius haud prætermittam ex Tom. II. Num. Præst. pag. 108. „ Vestæ templum in Nummis Domitiani cælatum, non „ tanquam ab illo exstructum repræsentatur; in „ eo enim tantum ille *Caesaris* nomen habet; „ sed quum id a Nerone inchoatum perfecisset „ Vespasianus, ipsi, & filiis hujus templi icon „ dedicata est: porro dum esset Domitianus Cos. „ II. anno 826. illud videtur absolutum.

NUM. 16.

CAESar AUGusti Filius DOMITianus COnSul II. Caput Domitiani laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria gradiens elatis alis dextrorsum respiciens, dextra manu clypeum tenet, in quo Senatus Populusque Romanus sculptum.

Bello Judaico, parta victoria summam nominis gloriam consecuti sunt Vespasianus & Titus, quos triumphantes albo equo nobilis comitatus est ad Capitolium Domitianus. Ea occasione idem Domitianus vovit clypeum, quem postea

postea in æde Jovis Capitolini suspendit. Id testatur perrarus hic numus aureus, e Thesauro Galliarum Regis depromtus; nam Victoria clypeum tenet. Alium aureum numum describit Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 106. & supra clypeum, sub quo duo spicula decussatim posita conspiciuntur, scriptum adnotat: IMP. T. CAES. Victorias Vespasiani & Titi aliis honoribus Domitianum prosecutum esse, testantur complura alia numismata, inscripta: VICTORIA AUGUST. & VICTORIA NAVALIS.

NUM. 17.

CAESar AUGusti Filius DOMITianus COnSul II. Caput Domitiani laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. Victoria gradiens, ad lævam respiciens, dextra lauream coronam offert, læva palmam praefert.

Quum idem typus Victoriæ in sequenti aureo numo Domitiani exhibeatur, cujus epigraphe VICTORIA GERMANICA, probabile est & hunc eadem occasione percussum fuisse, etsi non constet; nam & in memoriam partæ a Vespasiano & Tito victoriæ de Germanis, Britannis, & Judæis, Domitianus potuit hunc dedicare.

NUM. 18.

Epigraphe hujus rarissimi numi Numographis incogniti, me quoque latet.

VICTORIA GERMANICA. Victoria gradiens, ad laevam respiciens, dextra offert lauream coronam, laeva palmam gerit.

Hunc numum insignem cælatum arbitror Consulatu Domitiani octavo, anno V. C. 835. C. N. 82. quo in Germaniam cum exercitu profectus, & hoste nunquam viso, Romam ut victor rediit; vel anno sequenti, aut altero, quibus GERMANICUS in numis inscribitur, ut mox observabimus.

NUM. 19. 20.

Vacant.

NUM. 21.

Epigraphe anticæ partis mihi & Mediobarbo ignota.

DE GER. (DE GERMANIS.) Clypei, quorum symbolum fulmen, labarum, tubæ, & cetera spoliorum genera.

Victoriam, quam de Germanis se retulisse sibi aliisque persuasit Domitianus, falsam fuisse testatur Dio Lib. LXVII. *Domitianus profectus in Germaniam cum exercitu, hoste nunquam viso, reversus est.* De Germanis tamen Victoriam & opima spolia retulisse testantur numi, eamque Jovi acceptam tribuisse; nam in altero ex his scriptum: JOVI DOMITORI ORBIS TERRARUM CENS. P. P. in altero: JOVI JUVENI TRIUMPHATORI. Germanici quoque adpellationem adsumsit. In aureo numo, cujus adversæ partis epigraphe ita se habet: IMP. CAES. DIVI VESP. F. DOMITIAN. AUG. in aversa vero: COS. X. spectatur pro typo Germania, quæ moesta sedet inter peltas & scuta oblonga Germanica, quæ & in hoc numo armorum acervum componunt. Hunc numum describit Oiselius Tab. XXIV. num. XII. p. 109.

NUM. 22.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani.

Sine epigraphe. Domitianus togatus eques, dextra manu elata, sinistra scipionem, seu sceptrum tenet, cujus vertici impositum humanum caput.

Idem typus cernitur in aureo numo in hac Tabula adlato num. I. cum epigraphe: PRINC. JUVENT. Sed in eo hastam gerit, in hoc scipionem in cujus vertice caput; quod, ut subspicor, insigne fuit Cæsarum, qui Principes Juventutis constituebantur. Siquidem Princeps Juventutis tamquam caput præerat Equitibus Romanis Juvenibus, ex sex turmis in tres dispertitis, in quibus totus equester ordo militabat. In alio numo aureo, quem Vaillantius describit Tom. II. Num. Præst. pag. 104. adnotatur COS. II. in aliis COS. III.

NUM. 23. 24.

Vacant.

NUM. 25.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS AUGUR PONTifex. Caput Domitiani laureatum.

COnSul IIII. Cornu copiae.

Insignis hic numus declarat Domitianum in Consulatu suo quarto AUGUREM & PONTIFICEM creatum fuisse a Vespasiano; exemplo petito ab Augusto, qui Cajum & Lucium a se adoptatos, illum inter Pontifices, & hunc inter Augures cooptavit. In numo argenteo, in quo Domitianus similiter AUGUR. PONT. scribitur, non, ut in hoc, cornu frugum copia dives; sed Pegasus alatus caelatus est. Sed quoniam hic Consulatus Domitiani hisce insignibus sacrisque muneribus decoratur, lubet adnotare novum alterum, aliis numquam antea concessum honorem ei a Senatu decretum, quoties Consulatum iniret, etsi illum, quod pavidus, semperque anxius, nec sine formidine esset, recusarit; teste Suetonio c. 14. qui hæc scribit: *Eadem formidine oblatum a Senatu novum, & inexcogitatum honorem, quamquam omnium talium adpetentissimus, recusavit; quo decretum erat, ut quoties gereret Consulatum, Equites Romani, quibus sors obtigisset, trabeati, & cum hastis militaribus præcederent eum inter lictores adparitoresque.* Pæne eadem habet & Dio Lib. LXVII.

NUM.

NUM. 26.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Titi.

COnSul V. Lupa cum Romulo & Remo.

Lupa cum Romulo & Remo Romanæ gentis & inclytæ virtutis symbolum est, quod & Domitianus in hoc numo expressit, ut vires suas ad hostes profligandos, nec Tito fratre, ac patre se degenerem esse ostenderet. Hunc Consulatum V. Domitianus suffectus gessit, de quo vide Cl. Pagium, ad annum V. C. 829. C. N. 76.

NUM. 27.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS.

COnSul V. Figura equestris decurrens, dextra elata, aliquid imperans.

Et hic typus Consulatu quincto editus nil aliud refert, quam Domitiani adversus Germanos profectionem, de qua hæc Suetonius c. 6. *Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario: sponte in Cattos; necessario unam in Sarmatas, legione cum legato simul cæsa, in Dacos duas, primam Oppio Sabino Consulari, oppresso; secundam Cornelio Fusco, Præfecto cohortium Prætorianorum, cui belli summam commiserat.* Eadem fere narrat Eutropius, ut supra vidimus.

NUM. 28.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS.

COnSul V. Sarmata flexo dextro genu signum militare restituens.

NUM. 29.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS.

SIGNIS A SARMATIS RESTITUTIS. Sarmata flexo dextro genu signum militare restituens.

Ea fuit veterum Imperatorum consuetudo, devictis profligatisque Romani Imperii hostibus, lauream coronam, victoriæ testem, adferre & in gremio Jovis Optimi Maximi deponere. Id factum & a Domitiano quum amissa signa, cæsa una cum legato legione, a Sarmatis recepisset; quorum ex his princeps flexo genu signum militare restituit; memorat Suetonius c. 6. *De Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit: de SARMATIS lauream modo Capitolino Jovi retulit.* Exstat alius numus aureus hac occasione a Domitiano impressus cum muliere, quæ moesta armis barbaris insidet, cum epigraphe SARMATIA DEVICTA. & alter numus argenteus cum typo Sarmatæ militis, qui flexo genu signum militare restituit, sed ejus epigraphe ita variat: SIGNIS A SARMAT. RECEPT.; quos Comes Mediobarbus describit.

NUM. 30.

DOMITIANUS AUGUSTUS. (In alio GERManicus.)

GERMANICUS. Quadriga triumphalis; Domitianus solus stat in curru dextra lauri ramusculum, læva scipionem cum aquila in vertice gerens.

Aureus hic numus a Mediobarbo describitur, & inter eos recensetur pag. 131. qui in septimo Domitiani Consulatu impressi sunt. Ast in numis argenteis, Consulatu ejus XI. excusis, idem typus occurrit, & in aversa parte eadem epigraphe legitur: GERMANICUS. De Cattis Dacis, & Germaniæ populis in hoc Consulatu suo XI. Domitianus triumphavit, teste Dione Lib. LXVII. Suetonius c. 6. *De Cattis Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit.* Quin etiam idem Suetonius narrat post duos hosce triumphos GERMANICI cognomen adsumsisse. Hunc igitur numum ad Consulatum XI. revocari posse crediderim, non ad septimum, ut habet Mediobarbus; ni subspicari velimus, quadrigas triumphales ei decretas, quum primum quasi Victor non re, sed spe tantum Romam rediit; nam & GERMANICI cognomentum sibi tribuit, in Consulatu suo septimo.

NUM. 31.

Imperator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Sella curulis duplex cum laurea corona superposita,

NUM. 32.

Eadem epigraphe ut supra in antica. Caput Domitiani laureatum.

TRibunitia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Sella curulis duplex in qua scriptum IMPerator CAESAR, cum laurea corona superposita.

Aurea Sella supremi honoris insigne fuit. Hanc Domitiano donatam, testantur hæc numismata, quando a Tito imperii sui consors & particeps factus est, & in eodem successor; quod contigit anno ab V. C. 834. C. N. 81. nam in numis ejus, Consulatu septimo cusis, *Imperator* adpellatur; ac præterea etiam glorioso *Patris Patriæ* titulo decoratur. Nec tantum aurea Sella ei decreta & posita, sed & laurea corona. Neque in his numis una dumtaxat curulis Sella ei tribuitur, verum duæ: nam altera ei tamquam Imperatori debetur; altera vero tanquam Prætori Urbano, de quo hæc Suetonius c. 1. *Post victoriam domum progressus, & Cæsar consalutatus, honorem PRÆTURAE URBANAE cum Consulari potestate suscepit titulo tenus.*

NUM.

NUM. 33.

ImPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laurea cinctum.

TRibunicia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Pallas jaculatrix.

Idem typus Palladis, quæ Dea fuit propria ac peculiaris Domitiani, occurrit in alio numo aureo in hac Tab. VI. num. 3. Minervæ simulacrum in cubiculo suo servabat, summaque religione colebat Domitianus, cujus nutu & auspiciis omnia se gerere jactitabat, uti a Dione memoriæ proditum. Idem typus & in æreis numis Consulatu ejus VIIII. percussis observatur.

NUM. 34.

IMPerator CAESar DOMIT. (in alio DOMITIANUS) AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia POTestate COnSul VIII. Pater Patriæ. Ara ignita, vittis & coronamento insignis.

Quoniam Domitianus hoc anno ab. V. C. 835. C. N. 82. quum esset Consul VIII. in Germaniam cum exercitu profectus est; hæc ara pro typo hujus numi, indicat vota & sacra Romæ pro felici ejus itu reditque & victoria soluta ac facta.

NUM. 35.

Epigraphe anticæ partis mihi ignota; (In aliis numis: IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus Pontifex Maximus. (In alio CENsor.)

TRibunicia POTestate IMPerator II. (forte IMP. III.) COnSul VIII. DESignatus IX. Pater Patriæ. Minerva pectore tenus galeata dextrorsum respiciens, jaculum fert in dextro humero.

Minerva in hunc modum sculpta cum jaculo, quod impositum humero dextro defert, Domitianum cum exercitu suo contra Germanos ac Dacos profectum designat; ita enim, ut mox videbimus, & ipsi Imperatores in numis pinguntur, quum adversus hostes proficiscuntur. Caput vero hujus Deæ cum suo conjungit Domitianus, ut ostendat ea favente, & auspice, se de Germanis victoriam reportaturum. Aliqui censent sub specie Bellatricis Deæ Domitiam ejus uxorem expressam; sed tanto honore minime decoratam a Domitiano eam fuisse arbitror. Servatur hic numus in Thesauro Galliarum Regis.

NUM. 36.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul X. Germania, seu Germanus inermis, cum subligaculis tantum, corpore nudus passis capillis, moerens insidet scutis oblongis, fractis hastis, & lævo cubito caput suum sustinet.

Percussum est hoc numisma, uti & alterum quod sequitur num. 40. in memoriam relatæ de Germanis victoriæ, qua etiam *Germanici* cognomen sibi usurpavit Domitianus.

NUM. 37.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus Domitiani caput laureatum.

Pontifex Maximus TRibunicia POTestate III. IMPerator V. COnSul X. Pater Patriæ. Aquila expansis alis fulmini insistit.

NUM. 38.

Epigraphe adversæ partis eadem quæ supra num. 37. Caput Domitiani laureatum.

Pontifex Maximus TRibunicia Potestate IIII. IMPerator VIII. COnSul XI. Pater Patriæ.

In mimico de Germanis triumpho Domitianus imitatus est Cajum Cæsarem de quo hæc Suetonius c. 47. *Conversus hinc ad curam triumphi, præter captivos & transfugas barbaros, Galliarum quoque procerissimum quemque, & ut ipse dicebat, ἀξιοθριάμβευτον, ac nonnullos ex principibus legit ac seposuit ad pompam, coëgitque non tantum rutilare, ac submittere comam, sed sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre.* Tamen ob hanc simulatam de Germanis victoriam permultis honoribus adfectum fuisse docet Xiphilinus ex Dione Cassio Lib. LXVII. *Postquam suscepisset in Germaniam expeditionem, rediit ne viso quidem hoste. Et quid narrem, quibus honoribus ob eam caussam adfectus sit, postque eum alii Imperatores ei similes, ne subspectantes vilius sua censeri ob exiguos, qui haberentur honores, indignarentur.* Igitur aquilam Jovis alitem, cujus auspiciis Jupiter ad bellum contra Titanas feliciter profectus est, exhibetur in his aureis numis, qui hac ipsa occasione cælati sunt, ut ostenderet in hoc facinore Domitianum Jovis tutela victorem. Hoc siquidem anno quum Consulatum gereret undecimum, de Cattis Dacisque ac de Germanis triumphavit.

NUM. 39.

Vacat.

NUM. 40.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate V. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XII. COnSul XII. CENSor Pater Patriæ. Germania, seu Germanus inermis, corpore nudus, tantum cum subligaculis, passis capillis moerens insidet scutis oblongis & fractis hastis, & laevo cubito caput subfulcit suum.

Consulatus Domitiani duodecimus incidit in annum V. C. 839. C. N. 86. quo hic quoque numus in memoriam tum Victoriæ, tum triumphi Germanici cælatus est.

TABULA VII.

QUAE TYPOS NUMISMATUM AUREORUM

IMP. CAESAR. DOMITIANI

ADHUC EXHIBET.

NUM. 1.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate V. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator VIIII. COnSul XI. CENSORIA POTESTATe Pater Patriae. Figura, ut supra, nudo corpore, inferioribus subligaculo velatis, moerens insidet armis.

Falsum adpellat Domitiani triumphum Cornelius Tacitus in vita Julii Agricolæ c. 39. *Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum jactantia epistolis Agricolæ auctum, ut Domitiano moris erat, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam, tot millibus hostium cæsis, ingenti fama celebrari.* Attamen in memoriam devictæ Germaniæ mirum videtur quot monumenta Domitianus per orbem transmiserit, hisce numis ex omni metallo percussis. Quibus armis Germani in bello uterentur describit Tacitus Annal. Lib. II. c. 14. De Censoria Domitiani Potestate superius nonnulla adnotavi ad numum 62. Tab. II. & quo anno eam a Senatu decretam susceperit.

NUM. 2.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate III. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator VIIII. COnSul XI. CENSor PERpetuus, Pater Patriæ. Minerva stans, dextra innixa hastæ, laeva manu lateri admota.

Primum constat numismatum auctoritate Domitianum *Censoria Potestate* insignitum fuisse, & paullo post CENSOREM PERPETUUM creatum; quod præclarissimum munus solus atque omnium primus obtinuit. Fuerunt enim Vespasianus & Titus Romanæ Reipublicæ Censores, sed non decreti *Censores Perpetui.*

NUM. 3.

Epigraphe hujus numi, quem Numographi non describunt, mihi incognita.

GERMANICUS. Quadriga triumphalis, qua vectus Domitianus dextra lauri ramum, sinistra scipionem tenet. In exergo: COnSul XII.

Quoties Imperatores ad ineundum Consulatum procedebant, quadrigis triumphalibus uti solebant; qua celebritate, ad Capitolium euntes, eorum tituli, quos devictis hostibus sibi comparaverant, repetebantur, & lætis gratulationibus & adclamationibus renovabantur. Hunc morem & numus hic aureus, & alii jam in superiore Tab. VI. editi declarant; in quibus expressæ quadrigæ triumphales, cum titulo adscripto GERMANICUS. Constat enim quadrigas sæpe absque triumpho Imperatoribus decretas. Consulatu duodecimo Domitianus collegam suscepit Servium Cornelium Dolabellam anno V. C. 839. C. N. 86. Quum antea Domitianus Imperator tantum IX. esset, in hoc Consulatu XII. Imperator X. XI. XII. & XIII. salutatus est.

NUM.

NUM. 4. 5.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XII. COnSul XII. CENSor PERpetuus Pater Patriæ. Minerva stans, dextra innixa hastæ, seu sceptro, læva manu lateri admota.

Auspicem vitæ suæ rerumque a se gestarum auxiliatricem Minervam impense coluit Domitianus; nam in ejus honorem quotannis celebravit & in Albano Quinquatria; teste Suetonio c. 4. qui hæc quoque subjicit: *Cui Collegium instituerat, ex quo sorte ducti Magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes & Scenicos ludos, superque Oratorum, ac Poëtarum certamina.* Nil mirum igitur si creberrime in his numis sculpta Minerva spectatur, ac præsertim in omni fere Consulatu prodit in numis ejus imago. Numus adlatus num 4. exstat in regio Galliarum Regis Thesauro; alter qui sequitur eodem typo, eodem tempore impressus est.

NUM. 6. 7.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. (In aliis VII.) Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XIIII. COnSul XIII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Minerva stans, ut supra; in altero numo 7. gradiens sculpta, jaculum dextra vibrat, sinistra scutum gerit.

Numismata hæc, quæ in singulis Domitiani Consulatibus ex omni metallo cælata prostant, conjicere haud absurde, ut opinor, possumus, eo potissimum tempore publicata, quum Domitianus cum Romæ tum in Albano Minervæ Quinquatria celebraret. Quinquatria, sive Quinquatrua fuere dies festi quinque Palladi dedicati. Varro Lib. II. de Ling. Lat. ita dicta ait, quod erant post diem quinctum Idus Martii, de quibus plura Gellius Noct. Attic. Lib. II. Cap. 21. Solemnes erant hi dies festi: Suetonius de Nerone c. 34. *Atque ita reconciliatione simulata, jucundissimis litteris* (matrem Agrippinam) *ad solemnia QUINQUATRIUM simul celebranda Bajas evocavit.* Augustus ita scripsit Tiberio c. 71. *Nos, mi Tiberi, Quinquatriis satis jucunde egimus: lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calfecimus.* Læti hi dies pueris virisque erant. De pueris Horatius Epist. II. 2. 197.

——— *Puer ut festis Quinquatribus, olim*
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.

Quum Horatius dicat ut *festis Quinquatribus olim*, facile conjici potest hæc Quinquatrium solemnia a Domitiano restituta, & ad pristinam lætitiam revocata fuisse, Feriis igitur pueri gaudebant ac lætabantur, & alearum ludo indulgebant; viri vero ludis & spectaculis gladiatorum se oblectabant. De hisce quinque festis diebus hæc Ovidius Fast. Lib. III.

Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro;
Caussa, quod est illa nata Minerva die.
Altera, tresque super rasa celebrantur arena,
Ensibus exsertis bellica læta Dea est.

Prima igitur Quinquatrium dies incruenta erat, & natalis Dies Minervæ colebatur; reliqui ludis, & spectaculis gladiatoriis destinati, quod bellis præsit Minerva, quæ *Martialis* adpellatur. Notandum, quod in his numis Minerva interdum in quiete, interdum bellare parata jaculum torquet, aut fulmen dextra gerit; ut etiam uterque Deæ status ad eosdem Dies Quinquatrium indicandos non sine consilio sculptus mihi videatur; prima siquidem dies lætis pueris virisque celebrabatur, reliqui vero fuso in arena sanguine transigebantur.

NUM. 8.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XIIII. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Germanus miles maestus insidet armis, ut supra.

Domitianum docent hi numi toties renovasse gloriam devictæ Germaniæ, quoties titulos Imperatoris, & Consulatus renovavit. In hoc Consulatu XIIII. Domitianus Ludos Sæculares celebravit.

NUM. 9.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VII.

IMPerator XIIII. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Minerva gradiens, læva scutum tenet, dextra jaculum vibrat.

Minerva in his numis quando graditur, & jaculum vibrat, succinctam habet tunicam.

NUM. 10.

Eadem epigraphe, ut supra num. 9. tum in adversa, tum in aversa numi parte. Caput Domitiani laureatum.

Victoria gradiens, dextra lauream coronam, sinistra palmam gestat, lævorsum respiciens.

Gradiens sculpta Victoria est, ut celeritatem, qua bellum contra Germanos confecit Domitianus, ut opinor, declaret; nam hoste numquam viso, Romam tanquam victor rediit.

NUM. 11.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VII.

COnSul XIIII. CENSor Pater Patriae. Minerva jaculatrix roſtris inſiſtit ad pedes adſtante noctua.

In nummis Veſpaſiani & Titi ſpectatur pro emblemate Victoria, quæ uni roſtro, vel duplici navis inſiſtit, & VICTORIA NAVALIS inſcribitur; nunquam tamen, ut in hiſce Domitiani numis, Pallas armata & Bellatrix roſtris navium inſiſtit. Non memorant, quod ſciam, veteres ſcriptores Domitianum præter terreſtres, aliquas & maritimas Victorias adſequutum. Quid igitur ſibi vult Pallas roſtris inſiſtens, cujus pedibus honoris gratia ſtragulum, ſive aulæum poſitum eſt? Conjiciet aliquis, forſitan Domitianum valde elatum inflatumque hac ficta de Germanis Victoria, ſuperare voluiſſe Veſpaſiani & Titi gloriam, eumque honorem, quem iidem Senatus conſulto conſecuti ſunt, ut in numis Victoriam roſtris inſiſtentem teſtem victoriæ navalis, quam ad ſtagnum Geneſar contra Judæos obtinuerunt, non ſolum æquare, ſed & ſuperare conatum fuiſſe. Huc facit id quod de Domitiano narrat Suetonius c. 12. *Expeditionem quoque in Galliam, Germaniamque, neque neceſſariam, & diſſuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantum ut fratri ſe & operibus & dignatione adaequaret.* Cauſam igitur alii feliciore Minerva adſignabunt, cur Domitianus Palladem roſtris inſiſtentem in his nummis inſculpendam præceperit. Conjicio, ſi id in re tam dubia mihi licet, Domitianum Bellatricis Minervæ ſtatuam cum titulo Germanicæ Victoriæ, quam ductui & auſpiciis ejuſdem Deæ ſibi faventis tribuebat, in roſtris, forte Juliis, poſuiſſe, quo in loco fortiſſimorum Imperatorum res geſtæ de more laudari ſolebant. De ſtatuis & imaginibus, quæ Domitiano poſitæ ſunt & dedicatæ, hæc Dio e Xiphilino Lib. LXVII. *Tot autem ei, & tanta decreta ſunt; ut in omni fere orbe terrarum ſub ejus ditione, imagines ejusdem & ſtatuæ tam argenteæ quam aureæ poſitæ ſint.* Hae poſt ejus obitum ſublatæ ac diſſipatæ ſunt, ex quibus ingens pecuniarum vis congeſta. Sed &, ut mox videbimus, in ejus numis illud emblema ſive typus ſpectatur, nempe Legionis ſignum, quod duæ dexteræ complectuntur, cujus ima pars roſtro navis infixa eſt, cum epigraphe CONCORDIA EXERCITUUM; quo ſignificatur terra marique ad tuendum Principem exercituum concordia. In hoc vero Minerva duplici roſtro incumbit, fortean ut Domitianum oſtendat adverſus hoſtes exercitu utroque mari infero & ſupero & terreſtri etiam inſtructo, ad alias expeditiones paratiſſimum atque inſtructiſſimum eſſe.

NUM. 12.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul XIIII. Idem typus. Germanus lugens, ut ſupra num. 1. 8.

NUM. 13.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS. in exergo: COnSul XIIII. Currus triumphalis quadrijugus, quo vectus Domitianus, dextra lauri ramum, læva ſcipionem tenet.

Sunt, qui hos numos, in quibus triumphales quadrigæ ſculptæ ſpectantur, ad triumphum duplicem referunt, quem de Cattis Daciſque retulit Domitianus. Sed in hiſce typis quum Domitianus ſculptus ſit cum inſignibus Conſularis Poteſtatis, nec adſit, aut per aëra volitet Victoria, ejus capiti coronam imponens; pronius referuntur ad Conſularem Domitiani proceſſum, quem egit in capiendis inſignibus Conſularibus, quum jam Conſul XIIII. eſſet, in quo collegam habuit L. Minucium Rufum, quo Conſulatu durante, Roma non abfuit. In hoc quoque adeptum ob celeberrimam Germanicam Victoriam GERMANICI cognomen, fauſtis adclamationibus repetitum numus teſtatur; quod etiam qui ſequitur confirmat. Ambo exſtant in Theſauro Chriſtianiſſimi Galliarum Regis.

NUM. 14.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Poteſtate VII. (In alio DOMITIANUS AUGUSTUS.) Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul XIIII. Minerva gradiens, ſpiculum intorquet dextera, ſiniſtra clypeo ſe protegit.

NUM. 15.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul XIIII. Minerva ſtans dextrorſum reſpiciens, manu dextra fulmen, læva haſtam gerit, cum ſcuto ad pedes.

Minerva in hoc numo aliiſque ſequentibus fulmen dextra tenet; nam inter ea numina connumeratur, quibus Etruſci Fulguralis diſciplinæ auctores peritiſſimi, fulminum manubias, hoc eſt ictus adſignarunt, de quibus hæc Plinius Nat. Hiſt. Lib. II. Cap. 54. *Etruſcorum litteræ novem Deos emittere fulmina exiſtimant, eaque eſſe undecim generum. Romani duo tantum ex his ſervavere, diurna adtribuentes Jovi, nocturna Summano. Et* mox: *Saturni a ſidere proficiſci ſubtiliter iſta conſectari putant; ſicut cremantia a Martis.* Exſtat apud me antiqua gemma in qua Cybele Leoni inſidens, dextra fulmen gerit. Pallas Fulminatrix ita apud Virgilium deſcribitur ab invida Junone Aeneid. Lib. I. vers. 39.

—— Pallaſne exurere claſſem
Argivûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Unius

Unius ob noxam & furias Ajacis Oïlei?
Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

Proposita igitur in hisce numis Palladis fulminatricis imagine, se natum ad hostium Romani nominis terrorem Domitianus ostendit, ejusdemque Deæ tutela ac præsidio de suis hostibus de Cattis, Dacis, Germanisque rebellibus, vindictam sumturum; vel se jam sumsisse testatur.

NUM. 16.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul XIIII. Minerva stans, lævorsum respiciens, dextra innixa hastæ, læva lateri admota.

NUM. 17.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul XV. Germania, sive Germanus miles lugens armis insidet.

Domitianus, ut ostendit argenteus numus apud Comitem Mediobarbum cusus hoc anno ab V. C. 841. a C. N. 90. quum Consul XV. esset cum Coccejo Nerva iterum Consule, qui ei in imperio successit, Decennalia celebravit. Ejus est inscriptio hæc: VOTA PUBLICA COS. XV. Quum & hunc Consulatum XV. iniret, & de more solemni pompa procederet, hos numos edidit, qui testantur, toties decantatos, ac sæpius repetitos titulos GERMANICI, præter ceteros *Imperatoris*, *Censoris Perpetui*, *& Patris Patriæ*, & in hoc quoque Consulatu ab eo renovatos iteratosque fuisse. In sequenti numo ejus Consularis processus pompa exhibetur.

NUM. 18.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS. In exergo: COnSul XV. Quadrijugus currus triumphalis, in quo stat Domitianus dextra ramusculum lauri, laeva scipionem more Consulum tenens.

NUM. 19.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laurea redimitum corona.

GERMANICUS COnSul XV. Minerva gradiens jaculatrix, ut supra.

Minime dubitandum est in hisce Domitiani numis sculptam esse Minervam Martialem; hæc enim Dea Numen fuit tutelare ejusdem Principis. Hanc esse, non vero Bellonam, eodem gestu sculptam in Cæsarum numis, perspicue ostendit armatum ægide pectus, in cujus medio Gorgonis caput cernitur, qui cultus vestium aliter expressus in Bellona. In his vero Minerva Bellonam imitatur, dum spiculum sive hastam jaculatur in hostes, quo gestu bellum indicebatur, teste Pomponio Festo: *Bellona dicebatur Dea bellorum, ante cujus templum erat columella, quæ bellica dicebatur, supra quam hastam jaciebant, quum bellum indicebatur.* Hæc de ea Ovidius Fastor. Lib. VI.

Prospicit a templo summum brevis area circum,
Est ubi non parvæ parva columna notæ.
Hinc solet hasta manu, belli prænuncia, mitti
In Regem, & gentes quum placet arma capi.

Eodem modo Minerva dextra manu hastam belli prænunciam in hostes Domitiani mittit. Aureus hic numus in Thesauro Christianissimi Regis adservatur.

NUM. 20.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Domitiani caput laureatum.

GERMANICUS COnSul XV. Minerva dextrorsum versa dextra fulmen tenet, laeva hastae innititur, ad pedes posito clypeo.

Exstat & hic numus in Cimeliarchio Galliarum Regis Christianissimi. Fulmen potentiæ bellicæ symbolum est. Fulmini comparati bellatores strenuissimi. Virgilius

——— *duo fulmina belli*
Scipiadas. ———

Fulmen in dextra Minervæ Bellatricis posuit Domitianus, ut quantum suorum exercituum vires, quantum ipse armis & rei militaris scientia posset, ostenderet.

NUM. 21.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laurea corona ornatum.

GERMANICUS COnSul XV. Minerva jaculatrix rostris insistit, ad pedes adstante noctua.

Terra marique vires Romani exercitus potentissimas, eosque ad debellandos hostes paratissimos, hoc typo Domitianus, ni fallor, ostendit.

NUM. 22.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS COnSul XVI. Germania moerens, seminuda insidet armis.

Iterum triumphavit Domitianus de Dacis & Germanis anno ab. V. C. 845. C. N. 92. quo Consul fuit XVI. cum Q. Volusio Saturnino, quo sex alii numi, qui sequuntur cælati sunt, quibus conlatos sibi Senatus consulto titulos suos renovavit.

NUM. 23.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Domitiani caput laureatum.

GERMANICUS. In exergo COnSul XVI. Quadrijugus currus triumphalis in quo stat Domitianus dextra lauri ramum, læva scipionem gerens.

NUM. 24.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Domitianus capite laureato.

GERMANICUS COnSul XVI. Minerva stans, dextrorsum respiciens dextra hastæ innixa, læva lateri admota.

NUM. 25.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Domitianus capite laureato.

GERMANICUS COnSul XVI. Minerva jaculatrix rostris insistens, ad pedes adstante noctua.

Prolati in lucem numi aurei num. 23. 24. & 25. in regio Thesauro Galliarum Regis adservantur.

NUM. 26.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVI. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Pallas Fulminatrix, ut supra.

NUM. 27.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput laureatum Domitiani.

IMPerator XXII. COnSul XVI. CENSor Perpetuus Pater Patriæ.

NUM. 28.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVI. CENSor Perpetuus Pater Patriæ.

Præferunt hæc numismata titulos, quos rursum & in hoc Consulatu renovavit Domitianus.

NUM. 29.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Domitianus laureato capite.

GERMANICUS COnSul XVII. Figura seminuda lugens armis insidet, quæ Germaniam devictam ostendit.

Numum hunc rarissimum, postremo, ut & reliqui, qui sequuntur, Domitiani Consulatu, nempe XVII. consignatum, non recenset Mediobarbus; qui adnotat hoc anno ab. V. C. 848. & C. N. 95. viam, quæ inter Puteolos, & Sinuessam est, lapidibus stratam fuisse. Sed inter aurea numismata hoc Consulatu percussa illud describit pag. 139. cujus typus ara, in cujus extremitatibus aquila utrinque sculpta est: cum epigraphe: IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P. Domitianus, ut Germanorum a se victorum calamitates ostenderet, eos sub hac figura toto pæne corpore nudo, super arma sua jacente, expressit. Quibus vero armis in bello Germani tunc temporis uterentur describit Tacitus Annal. Lib. II. c. 14. quem vide.

NUM. 30.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS. In exergo: COnSul XVII. Quadriga triumphalis, ut supra.

Neque hunc numum inter aureos describit Mediobarbus.

NUM. 31.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XIIII. (In alio XV.)

GERMANICUS COnSul XVII. Minerva stans hastæ innixa.

Exstat hic numus in Thesauro Christianissimi Galliarum Regis.

NUM. 32.

Eadem epigraphe, ut supra num. 31. Caput Domitiani laurea cinctum.

GERMANICUS COnSul XVII. Minerva jaculatrix, ut supra.

NUM. 33. 34.

Eadem epigraphe, ut supra num. 31. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Minerva armata fulmine, quod dextra tenet; ut supra. In altero numo num. 34. Minerva hastae innixa quiescit.

NUM. 35. 36.

Eadem epigraphe, ut supra num. 31.

IMP. XXII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. In primo Minerva jaculum stans humi vibrat, in altero pedibus rostris insistit, adstante noctua.

NUM.

NUM. 37.

Eadem epigraphe, ut supra num. 31.

IMP. XXII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Victoria dextrorsum gradiens, caput habet galea ornatum; dextra lanceam verso ad terram mucrone; læva scutum rotundum undique gemmis ornatum gestat.

IMPerator XVII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ.

Non convenit cum Consulatu Domitiani XVII. titulus IMP. XVII. quare tum hic numus, tum etiam alter, qui sequitur, aliorum numismatum fide & auctoritate corrigendi sunt, ut declaretur Domitianus IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P. Confectum bellum indicat Victoria, quæ galeata graditur, & hastam obverso mucrone gerit; nam in expeditionibus contrario modo hastam gestare solebant Imperatores. Clypeus undique unionibus sive gemmis ornatus adparet, in æde forsitan Jovis Conservatoris aut templo Jovis Custodis, quod ipse Domitianus exstruxit, dedicandus, cum titulis victoriarum.

NUM. 38.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XIIII. Caput Domitiani laureatum.

IMP. XVII. (corrige XXII.) COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ, Ara in qua sculptæ duæ Victoriæ lauream coronam offerentes: hinc inde aquilæ hastis insidentes.

Devictis Sarmatis, Cattis, Dacis Germanisque, docet hic perrarus numus, Domitianum dedicasse aram, quam heic Victoriolis ornatam cernimus. Incertum cui Deo dedicaverit, facile Jovi crediderim, cujus nomine ornata sunt complura numismata, quæ Domitianus cudenda curavit; nempe JOVI CONSERVATORI --- JOVI DOMITORI ORBIS TERRARUM --- JOVI JUVENI TRIUMPHATORI --- JOVI VICTORI --- JOVI CUSTODI. & quidem a Consulatu septimo, usque ad XVII. qui postremus fuit. In aliis numis hoc ipso Domitiani Consulatu XVII. Legionaria signa pinguntur, & tanquam sacra divinis honoribus adficiuntur; ut in hoc numo, in quo hastis impositæ aquilæ juxta aram infixæ sunt. Ceterum memorare lubet hoc loco victoriæ præsagium, quod aquila Domitiano dedit, ut auctor est Suetonius c. 6. *Bellum civile motum a L. Antonio, superioris Germaniæ Præside, confecit absens felicitate mira, quum ipsa dimicationis hora, resolutus repente Rhenus, transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset. De qua victoria prius præsagiis quam nunciis comperit: siquidem ipso, quo dimicatum est, die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit; paulloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque adportatum vidisse se plerique contenderent.*

NUM. 39. 40.

Vacant.

TABULA VIII.
IN QUA
NUMISMATUM ARGENTEORUM
IMP. CAESAR. DOMITIANI
TYPI ET INSCRIPTIONES
EXHIBENTUR
ET PRIMUM
NUMISMATA ARGENTEA
MAXIMI MODULI
LATINA ET GRAECA.

NUM. 1.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCeps JUVENTUTIS. Domitianus togatus in equo dextrorsum, dextra elata, sinistra scipionem, in cujus vertice insidet aquila, tenet.

Inter

Inter aureos numos alterum eodem typo ornatum describit Comes Mediobarbus, pag. 128. cui ignota anticæ partis inscriptio; in postica vero hanc habet: PRINCIPI JUVENT. inter argenteos vero alterum describit, cum hac epigraphe in adversa parte: CAESAR AUG. F. DOMITIANUS. II. in aversa vero, in qua sculpta est figura muliebris velata, & stolata sedens, sinistra gerens parazonium, dextra statuam veluti Martis armati (ni forte sit Palladium) scriptum legitur: PRINCEPS JUVENTUTIS. Præterea Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 107. argenteum numum maximi moduli describit, cujus altera pars exhibet Domitiani caput laureatum cum hac epigraphe: CAES. DIVI F. DOMITIANUS COS. VII. altera vero repræsentat ipsum Domitianum togatum in equo dextrorsum decurrentem, dextera extensa, sinistra tenentem hastam brevem; ad quem numum hanc subjicit explicationem: „ Consulatum VII. iniit Domi„ tianus cum Tito Consule VIII. anno V. C. „ 833. Vespasiano exstincto anno præcedenti. „ Statim a morte patris Titus *Principem Juven„ tutis* cum declaravit, & successorem imperii „ *Fratrem insidiari sibi non desinentem* (inquit „ Suetonius c. 9. in Tito) *nec in minore quidem „ honore habere sustinuit*"; Sed, ut a primo imperii die, consortem, successoremque testari perseveravit. His prænotatis, adlataque numismatum horumce auctoritate, colligo Domitianum bis declaratum fuisse *Principem Juventutis*; primum a patre Vespasiano simul cum Tito; qua propter complura exstant numismata, vivente Vespasiano percussa, cum ejus imagine; in quorum postica parte iidem fratres equis insident togati, cum hac epigraphe: TITUS ET DOMITIAN. CAESARES PRINC. JUVENT., ut in duobus aureis numis in Tito editis a Mediobarbo pag. 108. atque etiam in æreis pag. 109. iterumque eandem adpellationem obtinuisse statim ac ad imperii Romani regimen evectus est Titus, cum ipse Consulatum VII. gereret. In Domitiano adferuntur numi ab eodem Mediobarbo, in quibus eandem *Principis Juventutis* dignitatem atque adpellationem retinet ab ea die, nemque Kal. Jun. qua Romæ Cæsar salutatus est anno ab. V. C. 822. a C. N. 69. quam etiam prætulit in Consulatu secundo, tertio, quo fuit suffectus, in quincto, in sexto, ac demum in septimo, quo eam renovavit, declaratus, ut dicebam, a Tito fratre *Princeps Juventutis*, & imperii consors, & particeps. Quia vero in hoc numo Domitianus eques læva gerit scipionem cum aquila in vertice, Consularis dignitatis insigne, puto jam Consulem creatum, adeoque anno ab V. C. 823. C. N. 70. percussum hunc numum, vel etiam anno V. C. 826. C. N. 73. quo iterum Consul processit collegamque habuit M. Valerium Messalinum, & Congiarium Populo Romano iterum dedit.

NUM. 2.

Epigraphe anticæ partis mihi incognita. Caput Domitiani.

Postica sine epigraphe. Tria signa militaria.

Argenteum hoc numisma in honorem Domitiani percussum, & quidem maximi moduli, illi simillimum est quod protuli e museo Medicco, Tab. X. num. I. pag. 68. & eundem typum continet, nempe tria Legionum signa terræ infixa, quæ & in hoc spectantur. Medium tenet aquila legionaria; dexteram signum militare cum manu extensa ac porrecta, lævam alterum signum cum vexillo; sed in hoc a Mediceo differt, quod aquila non præfert rostro suo lauream coronam. Exercituum concordiam & virtutem hoc schema declarat, quam præmiis honestare Domitianus meditatus est, teste Suetonio c. 2. *Patre defuncto, diu cunctatus an duplum donativum militi donaret, nunquam jactare dubitavit relictum se participem Imperii; sed fraudem testamento adhibitam, neque cessavit ex eo insidias struere fratri clam palamque.* Ad numum Mediceum de cultu signorum militarium nonnulla adnotavi. Ea enim festis diebus unguentis ungebantur, coronis coronabantur, &, quasi divinitatem quandam haberent, colebantur. Auspicia ex eorum acuminibus, si facile e terra, in qua infixa, eruerentur, fausta; sin difficulter, mala omina, & clades, captabantur, de quibus Cicero Lib. I. de Divin. & Lib. II. de natura Deorum, & Arnobius Lib. II. adversus Gentes.

NUM. 3.

Vacat.

NUM. 4.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικὸς. (*IMPERATOR CAESAR DOMITIANUS AUGUSTUS GERMANICUS.*) *Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *ANNO NOVO SACRO VIII. Aquila alis expansis clavæ insistens, rostro lauream coronam præfert; in area dextrorsum palmæ ramus.*

Aquila Imperii Romani insigne est, in variis Syriæ & Phoeniciæ urbibus obvium, quæ, ut proprium symbolum indicarent, aquilæ pedibus vel fulmen, vel clavam posuere. In hoc clava aquilæ pedibus subjecta, Tyrum denotat, ob Herculem in ea cultum. Syriæ & Phoeniciæ urbes primum numos argenteos, omnes tetradrachmos, cuderunt, addita anni novi sacri nota, quam ab anno primo imperii Vespasiani auspicati sunt, indicato annorum numero, & primo quidem, æra computata non a reparato eo imperante Jovis Capitolini templo, uti opinatus est doctissimus Seguinus, qui in sententiam suam traxit & eximium Spanhemium; sed ab anno, quo Imperator salutatus, a Senatu electus est. Quum enim Vespasianus post tres Principes, sub quibus adflicta nutansque Respublica fuerat, Imperator fuisset ab omnibus adpellatus, in omen, & augurium fausti optimique ejus imperii, quod omnes sperarent eum Romanam rem renovaturum atque instauraturum, hi populi novam epocham sibi constituerunt, & annos, quos *sacros & novos* adpellarunt, a primo ejus optatissimi imperii anno numerandos, & in publicis hisce monumentis incidendos censuerunt. Hanc ipsam enumerationem, ut rem Vespasiano pergratam facerent, iidem populi secuti sunt in numis, quos Domitiano dedicarunt. Igitur *annus novus sacer octavus* Epochæ Vespasianeæ, ille est

est quo Domitianus jam Cæsar, Augustus, & Germanicus adpellabatur; ita enim annos in numis harum Urbium, qui Tito & Domitiano consecrati sunt, numerandos esse censet Doctissimus Vaillantius Tom. II. Num. Præst. p. 109. Igitur, ut cernimus, Tyrii clava pro insigne utuntur, quam aquilæ, hoc est Romano imperio subjiciunt, quod Hercules, cujus insigne clava, patrium ac tutelare eorum Numen esset. In area numi dextrorsum adjectus est palmæ ramusculus, quia palma Phoeniciæ, cujus Tyrus metropolis, est symbolum. Cur vero Tyrii aquilæ symbolo utantur, si quis ad declarandum Romanum imperium sculptam esse non censeat, ex Nonno discat Dionysiac. Lib. XL. quem citat Doctissimus Norisius in Differt. IV. Cap. III. pag. 327. & 328. de Epochis Syromacedonum.

NUM. 5.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒαςὸς ΓΕΡΜανικὸς. (*IMPerator CAESAR DOMITIANUS AUGustus GERManicus.*) *Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *ANNO NOVO SACRO VIII. Aquila pedibus fulmen tenens.*

Seleucia Syriæ urbs nobilis, quod multa speraret a Domitiano jam consorte imperii cum Tito, ejusque successore, hunc numum eximiæ raritatis excudit, quem adfert & illustrat Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 109. similem enim eum sperabat Vespasiano optimo patri, qui Syriæ urbes multis maximisque beneficiis adfecerat. Igitur & hæc inclyta urbs, quæ & Tito dedicaverat numum cum epigraphe ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Β. *novo sacro secundo* (anno) quem exhibet prælaudatus Vaillantius ibidem pag. 100. & hunc Domitiano dedicavit anno octavo, (initio ducto ab anno imperii Vespasiani,) qui Domitiano primus erat, quo a Tito declaratus est Imperator, & in imperio socius & successor. Fulmen proprium videtur ejus urbis Vaillantio, *ob fulmen Seleuciæ* ad Orontis ostia symbolum; quamquam & in numis Antiochensium aquila sculpta sit fulmini insistens, ut videre est in numo argenteo maximi moduli, quem protuli e Museo Mediceo in Tab. VIII. num. 11. Huc faciunt, quæ Suetonius de ejus ambitione memorat c. 2. *Nec tamen eo secius quum Vologesus Parthorum Rex auxilia adversus Alanos, ducemque alterum ex Vespasiani liberis depoposcisset, omni ope contendit, ut ipse potissimum mitteretur: & quia discussa res est, alios Orientis Reges, ut idem postularent, donis ac pollicitationibus solicitare tentavit.*

NUM. 6.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙΣΑΡ (*DOMITIANUS CAESAR.*) *Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *ANNO NOVO SACRO VIII. Jupiter stans, dextra pateram, sinistra sceptrum sive hastam brevem tenet, cui aquila insidet.*

Eodem typo insculptus numus argenteus dedicatus est a Salaminiis Vespasiano, & quidem maximi moduli, quem protuli e Museo Mediceo in Tab. VIII. num. 111. sed, ut video ex accurata Cl. Morellii pictura, Jupiter capillatus est, nec habet velatum caput, ut in Mediceo exhibetur. Eadem quoque in aversa parte, quæ legitur in Mediceo numismate, & in hoc occurrit inscriptio nempe ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Η. *Anno novo sacro octavo.* Igitur Salaminii eodem tempore eodem honoris genere adfecerunt Vespasianum, & filium ejus Domitianum, neque etiam dubito, Titum, & quidem potiori jure. Anno octavo imperii Vespasiani, quo Domitianus Consul VI. erat, & bellorum gloria se clarum reddere satagebat, hic perrarus numus in ejus honorem signatus est apud Salaminem Cypri urbem; quæ quum eodem terræ motu, quo Paphus, vexata esset, ut splendide vel ipsa, vel potius celeberrimum Jovis Salaminii templum instauraretur, aliquid tum a Vespasiano, tum etiam a Domitiano ac Tito accepisse videtur; vel saltem rogatu eorum privilegia ac beneficia obtinuisse; quare horum memores Salaminii, Jovem suum Salaminium, quem summa religione colebant, in numo hoc & in sequenti expresserunt. Censuit Seguinus in Select. Num. Imperat. Num. XVIII. pag. 144. qui hunc ipsum numum tetradrachmum adfert, in eo exhiberi Jovem Capitolinum, cujus templum restituit Vespasianus, & Titus & Domitianus perfecerunt; sed contra sentit Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 47. 48. nec alium repræsentari, quam Jovem Salaminium, docte existimavit; quæ etiam antea fuit opinio Henrici Valesii, quam Norisius & Pagius amplexati sunt, quem vide in Titi annum tertium Chr. 83. §. III. & IV. in Crit. ad Annales Baronii.

NUM. 7.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ (*DOMITIANUS CAESAR.*) *Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Θ. *ANNO NOVO SACRO VIIII. Jupiter stans, dextra pateram, sinistra sceptrum, sive hastam brevem tenet, cui insistit aquila.*

Templum Jovis Salaminii vetustissimum ac celeberrimum fuisse apud Cyprios memorat Tacitus Annal. Lib. III. c. 62. & 63. qui etiam a Teucro Telamonis filio positum narrat. *Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri, auctor Aerias; post ejus filius Amathus Veneri Amathusiæ, & JOVI SALAMINIO Teucer, Telamonis patris ira profugus posuissent. Salaminius* adpellatus est Jupiter a Salamine Cypri urbe. Igitur Cyprii & anno sequenti, nempe nono Vespasiani, quo ipse mortuus est, hunc numum argenteum eximiæ raritatis Domitiano dedicarunt, ut audierunt Titum statim a primo imperii sui die imperii eum participem & successorem pronunciavisse, quo honoris monumento ejus benevolum animum sibi conciliare studuerunt.

NUM. 8.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ (*DOMITIANUS CAESAR.*) *Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Θ. *ANNO NOVO SACRO VIIII. Templum Veneris Paphiæ, in cujus penetrali deae simulacrum, metæ forma.*

Cyprum quum adiisset Titus, & templum Paphiæ Veneris invisisset, & oraculum ejus consuluisset, multis argumentis Cypriorum animos sibi devinxit. Rem omnem accurate ita exponit Tacitus Lib. II. Histor. c. 2. 3. & 4. *Igitur oram Achajæ & Asiæ, & læva maris prætervectus, Rhodum & Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit adeundi visendique TEMPLUM PAPHIAE VENERIS, inclytum per indigenas advenasque. Haud fuerit longum initia religionis, templi situm, formam Deæ, neque enim alibi sic habetur, paucis disserere.* „ Conditorem templi „ regem Aeriam *vetus memoria, quidam* ipsius „ Deæ nomen id *perhibent. Fama recentior tra-* „ *dit*, a Cinyra sacratum templum, Deamque „ ipsam conceptam mari, huc adpulsam. Sed „ scientiam artemque haruspicum adcitam; & „ Cilicem Tamyram intulisse: atque ita pactum, „ ut familiæ utriusque posteri cærimoniis præsi- „ derent." *Mox ne honore nullo regium genus peregrinam stirpem antecelleret, ipsa, quam intulerant, scientia hospites cessere; tantum Cinyrades sacerdos consulitur. Hostiæ, ut quisque vovit; sed mares deliguntur. Certissima fides hadorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum; precibus & igne puro altaria adolentur: nec ullis imbribus, quamquam in aperto, madescunt. Simulacrum Deæ non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exsurgens: & ratio in obscuro. Titus spectata opulentia donisque regum, quæque alia lætum antiquitatibus Græcorum genus incertæ vetustati adfingit, de navigatione primum consuluit. Postquam pandi viam, & mare prosperum accepit, de se per ambages interrogat, cæsis compluribus hostiis.* Sostratus (sacerdotis id nomen erat) *ubi læta & congruentia exta, magnisque consultis adnuere Deam videt, pauca in præsens & solita respondens, petito secreto futura aperit. Titus aucto animo ad patrem provectus, suspensis provinciarum & exercituum mentibus, ingens rerum fiducia adcessit.* Nil mirum si Cyprii numos argenteos excuderunt in honorem Vespasiani & Titi signatos nova epocha anno nempe H *octavo*; præsertim, quum ab eis pecuniam ad reparandas urbes terræ motu eodem anno adflictas accepissent, de quo Eusebius: *Tres civitates Cypri terræ motu conciderunt:* & terræ motum Sibyllina Carmina ex inundatione sequuturum innuebant. Exstincto Vespasiano, novam Epocham iterum exemplo antecedentis, Vespasiano imperante, suscepisse in Tito, numismata hujusmodi argentea ostendunt; nam, in Titi numis, quos excuderunt, legitur scriptum ΕΤΟΥϹ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ Β. *anno novo sacro secundo.* At in Vespasiano signatur epocha usque ad annum Θ *nonum*, nec ultra procedit, ut videre est in numis apud Vaillantium, & in aliis a me prolatis e Museo Mediceo Tab. VIII. & Tab. IX. Numum hunc in honorem Domitiani percusserunt eodem anno Θ *nono* Imperii Vespasiani, quo quidem fato functus est; idque eos fecisse conjicimus, ut ejus benevolentia ac patrocinio digni haberentur, & nova beneficia facilius obtinerent. Patet igitur ex hoc numo rarissimo, quæ fuerit famosi Paphiæ Veneris templi apud Cyprios forma, & quæ figura simulacri Deæ, quæ convenit cum Taciti descriptione superius adlata. Maximus Tyrius Serm. XXXVIII. candidæ pyramidi Deæ simulacrum persimile fuisse scribit, & hoc ipsum numisma clare ostendit.

NUMISMATA ARGENTEA CONSUETI MODULI.

NUM. 9.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul V. (in alio VII.) Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Minerva lævorsum respiciens, dextra spiculum jaculatur, læva scuto armata.

Minerva Jaculatrix, ut vidimus in aureis Domitiani numis, creberrime sculpta est, quod ejus tutelare numen fuerit, & sine ejus consilio nil se gerere Domitianus jactitarit. Hunc titulum Principis Juventutis, quem a patre adhuc vivente acceperat, eo mortuo, a Tito susceptum renovavit, ac retinuit initio Consulatus sui septimi, dimisit vero jam Consul designatus VIII. quod ejus numismata testantur.

NUM. 10.

CAESAR DIVI AUGusti VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul V. (in alio VII.)

PRINCEPS JUVENTUTIS. Salus dea lævorsum versa stans, columnæ innixa, dextra serpentem tenet, cui pabulum sinistra cum patera præbet.

Vota & sacra pro Domitiano facta, quum Princeps Juventutis esset, indicat typus. Eadem a Fratribus Arvalibus, pro ejus salute nuncupata, jam vidimus.

NUM. 11.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Vesta sedens dextrorsum versa, velato capite, dextra Palladium, sinistra hastam tenet.

Idem typus occurrit & in aliis argenteis numis Domitiani, in quibus Consul iterum, & quartum & septimum inscribitur.

NUM. 12.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRIN-

PRINCEPS JUVENTUTIS. Capra Amalthæa in laurea corona.

Capra Amalthæa educatus Jupiter ad imperium crevit. Hoc typo, quid de se promitteret Domitianus adhuc Princeps Juventutis, declaratur. Idem typus & in numo aureo, in quo ejus Consulatus septimus consignatur, supra editus est in Tab. VI. num. 6.

NUM. 13.

CAESar DIVI AUGusti VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Duae dextræ tenentes signum Legionis, cujus hasta infixa rostro, hinc inde vittis seu tæniis ornatur.

Militum fides, virtus & concordia hoc emblemate declaratur, quod & in numo aureo adlato in Tab. VI. num. 7. superius observatum est. Occurrit etiam in numo argenteo apud Com. Mediobarbum pag. 129. in quo Domitiani Consulatus V. notatur. Defuncto patre duplum Donativum militi dare voluit Domitianus, teste Suetonio in ejus vita c. 2.

NUM. 14.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatnm.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Sella stragulo ornata, in qua posita galea cristata.

Conjicere hinc licet, galeam inter ornamenta militaria recensendam esse, quæ Imperatorum filiis, ad successionem in imperio destinatis, donabatur, ut ad bella gerenda proficiscentes nominis claritatem sibi pararent. Numus argenteus Caji & Lucii Agrippæ filiorum, quos Augustus adoptavit, eorum imagines præfert, cum clypeis & hastis puris; quare & his militaribus armis donatos Principes Juventutis, si viri docti non repugnant, crediderim. In numo æreo, quem describit Comes Mediobarbus cum epigraphe: IMP. DOMIT. AUG. GERM. idem Domitianus cum capite ornato galea repræsentatur; cujus typus, præter ceteros, clypeum cum hasta transversum exhibet. Huc pertinent, quæ Suetonius de Domitiano adhuc Principe Juventutis memorat c. 2. *Expeditionem quoque in Galliam, Germaniasque, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amicis, inchoavit, tantum ut fratri se & operibus, & dignatione adæquaret. Ob hæc correptus, quo magis ætatis, & conditionis admoneretur, habitabat cum patre una, SELLAMQUE ejus & fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur, ac triumphum utriusque Judaicum equo albo comitatus est.* Spectatur idem typus & in aureo numo superius edito in Tab. VI. num. 8.

NUM. 15.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Ara coronis & vittis ornata sacro fragrans igne.

Hunc typum in aureo numismate superius edito in Tab. VI, num. 9. & 34 observavimus.

NUM. 16.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS. Spes gradiens, dextra florem ostentat, laeva vestem adtollit.

Spei typus cum titulo Principis Juventutis frequenter cernitur in Domitiani numis ex omni metallo, in quibus Consul tertium, quartum, sextum, & septimum inscribitur. Post ejus Consulatum septimum cessat hic titulus, & Imperator Cæsar Augustus in numis inscribitur, defuncto Tito Idibus Septembris anni ab V. C. 833. C. N. 80. Ocurrit idem typus in aureo numismate, quod vide in superiore Tab. VI. num. 2.

NUM. 17.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum laevorsum versum.

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit. Figura veste succincta, nudis pedibus gradiens, capite galea armato, dextra sceptrum, sinistra scutum tenet.

Variæ sunt in hoc numismatis argentei typo explicando Antiquariorum opiniones. Vaillantius, qui adfert & describit numum argenteum, qui infra sequitur in hac Tabula VIII. num. 19. in quo adsimilis figura cernitur, putat esse Salium, inquiens Tom. II. Num. Præst. p. 107. *Salius adest, ob saltationem militarem, quam in his* (Secularibus ludis) *agebant Salii sacerdotes, a Numa instituti: hi apicibus ornati, & puniceas tunicas induti clypeum gerebant.* In nova quoque Vaillantii Romana editione a Cl. Baldinio facta, ita scribitur pag. 104. *Salius huic nummulo* (argenteo) *insculptus non caduceum, ut Vaillantius describit, sed bacillum spissis nodis, seu globulis interdistinctum dextra gerit. Galea suis apicibus est ornata; & scutum caput Palladis præfert, quam præ ceteris Numinibus Domitianus colebat.* Sequitur Doctissimus Pagius Antiquariorum in his numis descriptionem, & Salium repræsentari scribit, dextra baculum tenentem in modum columnæ striatæ; sinistra vero clypeum, quo pectus tegit, ubi de ludis saecularibus Domitiani disserit in Critic. ad Annales Baronii ad annum Ch. 88. §. X. Laur. Begerus profert & explicat hunc ipsum numum argenteum Thes. Brand. Tom. II. pag. 639. & hujusmodi figuram ita pingit, ut caput videatur contectum hoedina pelle cum cornubus, quemadmodum Juno So-

pita Lanuvina in numis exprimitur, præsertim in numo Prociliæ gentis apud eundem Begerum pag. 580. in quo eadem Juno expressa est pedibus nudis, tunicata, dextra hastam vibrans, læva peltam tenens; ad cujus pedes elato capite repetat serpens. Igitur utroque Schemate conlato, quum maxima inter utramque figuram intercedat similitudo, potius in Domitiani numis dicendum esset repræsentari Junonem Lanuvinam, relata ad Lanuviorum urbem Sæcularium Ludorum, quorum celebritas ex ipsis facile accepta est, origine. Sed his animadversionibus prætermissis, eruditissimus Begerus, quid de hoc numo sentiat, ita breviter exponit: „Figura primi „ numismatis Salius credebatur; sed rectius alii „ Præconem arbitrantur, qui populum convo- „ cabat. Meminit ejus Suetonius sub Claudio:" *Vox PRAECONIS*, inquit, *irrisa est invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectaret quisquam, nec spectaturus esset.* Siquidem Claudius Sæculares ludos, ad quos Præco invitabat, celebravit. Suetonii c. 21. locum opportune adduco, ut cum altero in vita Domitiani conferatur. *Fecit & SAECULARES, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reservatos; quamvis ipse in Historiis suis prodat, intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegisse.* At quibus rebus observatis Sæculares Ludos fecerit Domitianus, ita idem Suetonius exponit c. 4. *Fecit & LUDOS SAECULARES, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed olim Augustus ediderat.* Igitur Vaillantii opinione Salius, Begeri vero Præco in hisce numis exhibetur. Sed si fides adhibenda est rei antiquariæ consultissimo Morellio, qui hæc numismata diligentissime pinxit, nec Salius, nec Præco sculptus videtur, sed ipsa Minerva, quæ capite galeam gerit utrinque alis sursum expansis instructam; clypeum vero gerit ornatum imagine Deæ Romæ. In aureo quoque numismate superius prolato in Tab. VI. num. 11. Minervæ imaginem conspexi. Erit aliquis, qui Romam sculptam potius judicabit; cujus caput hoc fere modo galeatum, & alis instructum, observatur in numis argenteis Romanarum Familiarum. In clypeo vero, quem tenet forsitan sculptam censebit imaginem Palladis, quam Domitianus superstitiose colebat, eique omnia a se gesta tribuebat. Huic quoque opinioni, quæ absurda minime videtur, non repugno; haud vero probo Salium, aut Præconem sculptum esse, quibus nec galea alata (nullum enim apicem habet) nec vestium cultus, nec nudi pedes, nec sceptrum conveniunt. Hæc a me adnotata, uti & omnia quæ scribo, doctorum æquorumque hominum judicio subjecta sunto. Pronius crediderim, Domitianum in his numis, quibus Ludos Sæculares se fecisse testatur, repræsentasse Minervam, quasi Ludorum hujusmodi consiliatricem & arbitram, cui etiam ante celebrationem sacra fecit, quod colligo ex sequenti numismate in hac Tabula expresso num. 19. nam & in ludis præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Jovis & Junonis, ac Deæ suæ tutelaris Minervæ. Porro non pauci in Domitiano adferuntur numi, in quibus sculpta Minerva cernitur, quæ ei coram templo ad aram ignitam sacrificanti adsistit, vel adstat, dum a Victoria coronatur; quibus intelligimus quanto in honore hanc Deam habuerit: nec mirum si & in iis sculptam agnoscamus.

N U M. 18.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum.

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit. Figura gradiens, succincta tunica, capite galea cum alis ornato, dextra sceptrum, sinistra clypeum tenet, in quo caput muliebre galeatum insculptum.

Sæcularium Ludorum, quos Domitianus celebravit Consul XIV. cum L. Minucio Felice honorificam mentionem facit Tacitus Annal. Lib. XI. ubi scribit de Claudio Imperatore c. 11. *Iisdem Consulibus LUDI SAECULARES octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt. Utriusque Principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res Imperatoris Domitiani composui; nam is quoque edidit LUDOS SAECULARES; iisque intentius adfui sacerdotio Quindecemvirali præditus, ac tum Prætor, quod non jactantia refero; sed quia Quindecemvirum antiquitus ea cura, & Magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum.* Forsitan Minerva in his numis eo modo sculpta est gradiens, quo Præcones Romam circumeuntes Ludos sæculares indicebant, & ad eos invitabant.

N U M. 19.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum.

COnSul XIIII. AUGustus (in alio LUDos) SAECulares Fieri Curavit (in alio FECit.) Figura gradiens, succincta tunica, capite galea cum alis ornato, dextra sceptrum, sinistra clypeum purum tenens ad arulam tripodem adcedit; juxta quam Cippus adlata epigraphe inscriptus.

Hunc numum ita describit Comes Mediobarbus pag. 136. In postica: COS. XIIII. LUD. SAEC. FEC. *In Cippo, prope quem species tripodis, ante quem Salius Sacerdos galeatus, dextra caduceum, sinistra scutum, ex Patini Thesauro.* Igitur & Mediobarbus censet eam figuram gradientem referre Salium sacerdotem galeatum. Quæ opinio ut accuratius expendatur, perpendendum erit eruendumque ex priscis scriptoribus, qui fuerit Saliorum habitus, & officium. Profecto patet ex hoc numo eam figuram, quam Salium sacerdotem esse censet, non gerere dextra caduceum, sed perbrevem bacillum sive sceptrum. Saliorum Sacerdotium omnium antiquissimum esse constat, & ante Romam conditam institutum, & valde celebre apud priscos Etruscos & Latinos. Quibus vestibus Salii uterentur, ostendunt e marmore anaglypha opera antiqua Capitolinum & Mediceum inter *Admi-*

xanda

randa Antiquitatis Tab. 35. & 42. a quibus longe distat vestium cultus, quo ornatur figura in his numis expressa, quam prælaudati scriptores *Salium* esse existimant. Sed nec etiam idem vestium cultus convenit Salio, si veterum scriptorum loca, in quibus Salii describuntur, expendere diligenter velimus. Si quidem Dionysius Antiq. Lib. II. eos describit indutos tunicas varii coloris, æneis baltheis succinctos, togasque adnectentes fibulis circumdistinctas purpura, quas trabeas vocant, & apices in capite gestantes: Livius Lib. I. c. 20. eis tunicam pictam tribuit, Plutarchus purpuream. Baltheis vero succinctos non solum Dionysius, sed & Plutarchus in Numæ vita memorarit, qui etiam æreum pectori tegumen iisdem adsignat. Sed Virgilius ubi Picum Regem habitu Saliorum vestitum describit Aeneid. Lib. VII. v. 187. brevem trabeam tribuit

——————— *parvaque sedebat*
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat.

Sed non solum vestis, verum etiam capitis tegmen hujus figuræ in numis expressæ differt a Saliorum pileo, cujus imaginem ex antiquis sculpturis adfert Phil. Rubenius in Elect. Lib. II. Cap. XXV. & Fabrettus Inscript. ant. Cap. II. p. 115. nam ad instar cassidis est, & superne capulus, sive titulus & manubrium adsurgit. Salii ancilia gerebant; & saltantes Deorum laudes & carmina canebant. Longe vero distat anciliorum figura, a scuto sive rotundo clypeo, quem in his numis gerit sculpta figura. Prope cippum, in quo indicuntur Ludi Sæculares, adest arula tripes, qua arbitror suffimenta in honorem Deorum adolevisse tum Domitianum tum Sacerdotes, quod argui potest ex aliis numis cum epigraphe in postica parte: PON. MAX. TR. P. VIII. LUD. SAEC. S. P. Q. R. SUF (hoc est SUFFIMENTA) P. D. S. C. quibus constat, Domitianum in celebritate Ludorum Sæcularium dedisse Senatui Populoque Romano suffitus sive suffimenta, quæ diis offerrentur; & in eorum honorem incenderentur. Quoniam vero ex Suetonio constat, Domitianum varia certamina diu noctuque edidisse, si quis candelabrum esse opinetur, ad hæc nocturna certamina significanda positum, non absurde conjiciet. *Spectacula* (inquit Suetonius c. 4.) *magnifica adsidue & sumtuosa edidit non in Amphitheatro modo, verum & in Circo: ubi, præter solemnes bigarum quadrigarumque cursus, duplex etiam equestre ac pedestre commisit, atque in Amphitheatro navale quoque; Nam venationes, gladiatoresque & noctibus AD LYCHNUCHOS, nec virorum modo pugnas, sed & feminarum.* Sed in hisce numis non Salium, ut Vaillantius, & Baldinius; non Præconem, ut Begerus censet, sculptum esse, verum ipsam Domitiani Auxiliatricem Minervam, si quis in re tam clara caligat, adeat Mediobarbum, qui numum similem argenteum ex Museo Mauroceno ita describit pag. 137. COS. XIIII. *Cippus, in quo LUD. SAEC. pone quem Candelabrum, cujus in conspectu Pallas umbone & lorica armata;* quare de hoc typo nulla apud me in tanta luce hæsitatio locum habet. Exstat hic numus eximius in Thesauro Christianissimi Regis.

NUM. 20.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum.

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit: scriptum in Cippo intra lauream coronam.

Illud in more positum ex antiquis scriptoribus, & sculpturis didicimus, quoties spectacula magnifica ederentur, ea indicari Populo Romano per præcones, vel per tabulas positas publicis in locis, in quibus eædem innotescerent. Id forsitan & a Domitiano factum, declarant hujusmodi cippi, qui & ararum formam præferunt; solebant enim hisce in ludis sæcularibus vota pro Imperatoris salute, pro incolumitate atque æternitate Romani Imperii præmitti, & sacra celebrari, quibus Dii Senatui Populoque Romano propitii essent, quæ omnia docent alia numismata mox proferenda. Cippus inscriptus cingitur laurea corona, quæ inter præmia victorum principem locum obtinebat. Hunc numum describit Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 107. Sed non adnotat Cippum illum inscriptum positum esse intra coronam querceam, quam forsitan non accurate observavit. Sed horum Ludorum sæcularium memoriam non solum in cippis inscriptam adnotare possumus horum numismatum exemplo, verum etiam in votivis clypeis, qui in templo, ut arbitror, Jovis Capitolini hisce ornati titulis suspendebantur, & aliis quoque Diis dedicabantur: quam consuetudinem & ritum, meo judicio, haud obscure declarat argenteus numus in hac ipsa Tabula VIII. expositus num. 18. qui votivum clypeum repræsentat, ornatum Minervæ imagine, & epigraphe: COS. XIII. LUD. SAEC. FEC. Horum ludorum Sæcularium celebratio a Domitiano facta contigit anno ab V. C. 841. a C. N. 88. quum ageret Tribunitiam Potestatem VIII. & Consul esset XIIII. cum L. Minucio Rufo, quo anno idem Domitianus Nasamones & Dacos iterum vicit. Sed quæ circa tempus editorum Sæcularium Ludorum a Domitiano adnotavit doctissimus Pagius, mox ad alios numos adducam. His prænotatis, verosimilior videtur Vaillantii summi viri opinio, qui censet hos cippos seu bases denotare statuas Domitiano consecratas ob ludorum sæcularium celebrationem, in quibus eorum inscriptio ponebatur, quod exemplo confirmat argentei numismatis Augusto dedicati, in quo ut habet p. 23. hæc inscriptio legitur: IMP. CÆS. AUG. LUD. SAEC.

NUM. 21.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani.

AETERNITAS. Figura muliebris stans ante aram velato capite; una manu Solis caput, altera Lunæ sustinet.

Hic typus, qui occurrit in numis Vespasiani, renovatur & in numis Titi & Domitiani; quum enim duo sidera Sol & Luna æternitatis symbola habeantur, per duos filios Titum & Domitianum æternitati Romani imperii prospexisse Vespasianum significatur. Perrarus hic numus neque a Vaillantio, neque a Mediobarbo describitur.

NUM. 22.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

ANNONA AUGusti. Mulier sedens dextrorsum versa, fruges in gremio panno collectas ostendens.

Si qua in re laudandus est Domitianus, in cura quam habuit annonæ & frugum, maxime præstitisse dicendum est; quod ex aliis numis ex aere inferius adducendis, clarius ostendam. Hunc numum inter argenteos non recensent nec Mediobarbus, nec Vaillantius.

NUM. 23.

DOMITIANUS CAESAR AUGustus Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

AUGustus scriptum in corona quercea.

Augustus adpellatus est Domitianus a Tito, mortuo Vespasiano patre Idibus Septembris, anno ab V. C. 833. C. N. 80. quo statim consortem Imperii fecit, teste Suetonio c. 9. *A primo imperii die consortem successoremque testari perseveravit.* Hoc quoque anno reliquos titulos suscepit, & *Imperator* salutatus est, & *Pater Patriæ* dictus, suscepta etiam *Tribunicia Potestate*, & honoris & dignitatis causa sella curuli. Quum in numis intra coronas vel laureas vel querceas sculpti tituli legantur, nempe AUG. *Augustus*, sive *Augur* & COS. Consul; credibile est hujusmodi titulos in clypeis scriptos in Templis Deorum, ac maxime in Capitolio, dedicatos, & suspensos fuisse. Ita & Domitianus ob bellum Judaicum a Tito fratre susceptum, clypeum, quem vovit ita, inscripsitque IMP. T. CAES. postea in ædibus Jovis Capitolini appendit, quod ex aureo numo collegit Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 106.

NUM. 24.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

CERES AUGUST. Ceres velato capite stans, dextrorsum respiciens, dextra papavera & spicas, læva tædam præfert.

Annonæ frugumque curam, quam gessit Domitianus, testatur & hic numus argenteus Mediobarbo incognitus, qui alterum aureum describit pag. 128. eadem inscriptione & typo in aversa parte insignem; in adversa vero inscriptum: CAESAR AUG. F. DOMITIANUS.

NUM. 25. 26.

DOMITIANUS CAESAR AUGustus. Domitianus nudo capite usque ad pectus ornatum chlamyde & thorace, in cujus medio Gorgonis caput.

CONCORDIA AUGusti. Mulier stolata velato capite sedens, dextrorsum respiciens, dextra spicas & papavera, sinistra cornu copiæ gerit. In exergo scriptum EPE. hoc est EPHEsi.

Spectatur & hic inter numos Titi argenteos eodem typo insignes, quem describit Comes Mediobarbus, & in medium adfert e Museo Daviæ; ad quem hanc subjicit explicationem pag. 120. „*Nummum hunc cusum existimo Ephesi* „ *Tito, quum in Italiam hoc anno* (nempe ab V. „ C. 284. a C. N. 71.) rediit, ut suspicionem „ Orientalis imperii adfectati a se dimoneret. „ Concordiam enim cum patre eo testatam vo„ luit, quam & repentino adventu firmavit his „ verbis: *Veni*, inquit, *Pater, veni*, arguens ru„ morum de se temeritatem." Eodem consilio & hic numus cælatus est, ut Domitianus cum fratre suo concordiam testaretur, etsi ei insidias pararet; & odio eum prosequeretur, potius quam fraterno amore. Siquidem, ut scribit Suetonius c. 13. *Principatum adeptus neque in Senatu jactare dubitavit & patri se, & fratri Imperium dedisse, illos sibi reddidisse.* Cusus est hic numus initio Imperii Domitiani, cujus mortuo Vespasiano a Tito particeps factus est. Alterum argenteum numum exhibet Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 103. ita in antica inscriptum: CAES. DIVI VESP. F. DOMITIAN. COS. VII. cujus postica eumdem typum præfert, cum epigraphe CONCORDIA AUG. ad quem hæc adnotat: „ Cusus est post Vespasiani mortem nummus, „ quum Titus fratri Domitiano Consulatum „ contulisset anno 833. quem hic gessit VII. „ In eo nummo expressa est Concordia, ad il„ lam inter fratres denotandam: unde per spi„ cas annona populo abundans demonstratur, „ quod nihil optabilius ab eo requiratur.

NUM. 27.

DOMITIANUS CAESAR AUGustus. Caput Domitiani.

CONCORDIA AUGUSTi. Pavo oblique sculptus, capite ad lævam converso.

Quid pavo in hoc numo Domitiani significet, ab aliis discere cupio. Peculiaris est hic typus. Suspicio mihi oborta, num potius sculpta phoenix, quam in numis Imperatores tenent, ad declarandam imperii & gloriæ suæ æternitatem. Quia Pavo Junoni sacer est, forsitan ad denotandam generis nobilitatem, meritoque in imperio collatum ei consortium a Tito, heic proponitur.

NUM. 28.

CAESar AUGusti Filius DOMITianus COnSul III. Caput Domitiani.

FIDES PUBLica. Caduceum medium inter quatuor spicas, quas stringunt duæ dexteræ.

Communis est hic typus & frequens non solum in numis Domitiani, verum etiam Vespasiani & Titi ex omni metallo. Frumenti copia

copia annonaque Cæsarum imperia florere feliciter ostenditur, & populos his bonis mirifice delectari, quorum bonorum auspex & servatrix concordia.

NUM. 29.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

FORTUNA AUGUSTi. Dea Fortuna stans, dextrorsum conversa, dextra temonem, sinistra cornu copiæ tenet.

Triumphum egit Domitianus de Cattis, Dacisque & Germanis, quum gereret Consulatum XI. cum T. Aurelio Fulvo anno V. C. 838. C. N. 85. Quum hoc ipso tempore cusus sit hic numus, ut auguror, Domitianus Fortunæ adscripsit felicem rerum a se gestarum exitum, quem ei commendaverat. Siquidem Fortunam Prænestinam religiose coluit, eique novum annum commendavit imperii sui, & faustam sortem obtinuit, auctore Suetonio c. 15. *Prænestina Fortuna toto Imperii spatio annum novum commendanti lætam eandemque semper sortem dare adsueta, extremo tristissimam reddidit, nec sine sanguinis mentione.* Complures numi etiam Senatus Consulto percussi exstant Domitianoque dedicati cum typo Fortunæ, quam semper propitiam habuit, præter quam in extremo vitæ.

NUM. 30.

IMPerator CAESAR DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. (In alio TR. P. COS. VII.) Caput Domitiani laureatum.

JUPPITER CONSERVATOR. Aquila expansis alis fulmini insistens.

Explicavi hunc ipsum typum superius in aureis numis Domitiani, prolatis in Tab. VI. num. 14. 27. & 28. Idem & in hoc argenteo repetitur, qui in Thesauro Galliarum Regis adservatur. Domitis devictisque Germanis, adeptas victorias Jovi Conservatori adscribit Domitianus, qui & in aliis numis Consulatu suo X. cælatis idipsum fecit; complures enim numi ab eo percussi sunt cum epigraphe JOVI CONSERVATORI — JOVI DOMITORI ORBIS TERRARUM.

NUM. 31.

Epigraphe mihi ignota. Caput Domitiani.

PIETAS AUGUSTa. Mulier velato capite sedens, dextram manum ponit supra caput pueri prætextati, qui ante eam stat, sinistra hastam tenet.

Hunc numum explicat Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 107. „ *Mater illa sedens Domitia est sub Pietatis figura, ad denotandam illam,* quam mater in puero Domitiano educando adhibet; sed ille novennis „ obiit; ita ut ostensus, raptusque simul, ut herba solstitialis. Domitianus pater in filium etiam „ pius inter Deos consecravit, de quo vide Statium Lib. I." Adsimilis typus in numis Juliæ Titi filiæ supra expositis in Tab. XV. num. 14.

NUM. 32.

IMPerator DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

SALUS AUGUSTi. Dea salus sedens, pedibus throno impositis, dextra duas spicas tenet.

Emblemata Salutis Deæ sedentis, cum spicis in dextra, denotare videntur, Domitiano incolumi, rerum frugumque copiam mirifice votis populorum facturam satis.

NUM. 33.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani.

Sine epigraphe. Domitianus eques toga amictus, dextra manu elata, sinistra scipionem tenet, cujus vertici caput humanum impositum.

Typus iste in aureo numismate impressus, quod supra adtulimus in Tab. VI. num. 22. in hoc argenteo repetitur. Insigne illud, quod dextra gerit, denotat Principis Juventutis conlatum ei Decus, præfecturam nempe, quam Imperatorum filii obtinebant supra nobiles Juvenes ex Equestri ordine.

NUM. 34. 35.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laurea coronatum.

VICTORIA AUGUSTi. Victoria sinistrorsum gradiens, dextra lauream coronam offert, sinistra palmam gestat.

Pertinent hi numi ad Victoriam de Germanis Cattis Dacisque, qua mirum in modum Domitianus gloriatum fuisse jam vidimus. In aliis numis Victoria fert in humeris tropæum, quandoque etiam dextra Palladium; & fere in omni Consulatu Victoriæ typus occurrit. Sed hi numi referunt clypeos in honorem Domitiani dedicatos ac suspensos in æde Jovis Capitolini, cui Imperatores omnem, quam virtute rebusque gestis gloriam consecuti fuerant, referebant. In his clypeis Victoriarum tituli describebantur.

NUM. 36.

IMPerator CAESar DOMITIANUS. (In alio DOMIT.) AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

VICTO-

VICTORIA AUGUSTi. Victoria dextrorsum versa sedens, dextra lauream coronam, sinistra palmam gerit.

Ad Germanicam victoriam pertinet hic numus. Quod vero Victoria in quiete stans ac sedens exprimitur, eam feliciter confectam, & mox secutam Romani orbis quietem designat.

NUM. 37.

CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTis. Sella cum anacliterio, valde ornata, & stragulo instrata.

Imperatorum filiis, qui *Principis Juventutis* titulo decorati essent, sella donabatur, honoris gratia. Ornatior adsignatur Domitiano, qui tunc erat Consul VII. nempe eo tempore, quo mortuo patre, a Tito Imperatore imperii consors, & successor declaratus fuerat. Quod vero sella inter ornamenta censeretur, qua Imperatorum filii donabantur, statim ac *Cæsares* dicebantur, colligi potest ex Tacito Hist. Lib. IV. c. 1. qui hæc de Domitiano: *Nomen SEDEMQUE CAESARIS Domitianus acceperat*; quare nil mirum si ei toties in his numis adsignatur.

NUM. 38.

Vacat.

TABULA IX.

IN QUA

NUMISMATA ARGENTEA

IMP. CAESAR. DOMITIANI

ADHUC PROFERUNTUR.

NUM. 1.

IMPerator DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laurea corona ornatum.

IMP. CAESAR. Scriptum in fronte Templi hexastyli pulcherrimi, in conum desinentis; in cujus medio Jupiter sedet cum hasta, a dextris Minerva, a sinistris Junone hinc inde stantibus.

Hujusmodi templum in numis Vespasiani & Titi compluribus statuis in tympano & in fastigio ornatum vidimus Tab. VI. num. 9. inter numismata Titi ex ære magno; & Tab. VIII. num. 25. in numis ex ære medio aliis ornamentis nobilitatum conspeximus, nempe quadriga in summitate ac fastigio templi posita, & in utroque latere etiam præter majores cellas, adjectis duabus ædiculis; quare tum in Vespasiano, tum in Tito templum hoc non omnino simile adparet. Aliam quoque habet faciem in numis Domitiani, quos nunc primum cum hoc Templi iconismo proferimus. Hoc vero, quod in hoc numo expressum cernimus, illud ipsum est Jovis Optimi Maximi, quod incendio Vitellianorum absumtum, Vespasianus restituit teste Suetonio c. 8. Titus vero perfecit & absolvit. Quod vero Templum, quod in hoc numo pingitur, illud sit sacratum Jovi in Capitolio, perspicue declarant simulacra in duabus cellis posita Minervæ & Junonis, adeoque aliter sculptum esse oportet tum modicum sacellum Jovi Conservatori, tum ingens templum Jovi Custodi dedicatum a Domitiano, cujus iconismum mox observabimus. Quia vero in hoc Jovis Capitolini inscriptum legimus IMP. CAESAR qua epigraphe Domitianus indicatur, & hanc non præferunt Vespasiani & Titi numismata; fas videtur credere, Domitianum hoc ipsum templum iterum restituisse, & titulo suo ornasse, quod his verbis, quæ miram huic numismati lucem conferunt, confirmat Suetonius c. 5. *Plurima & amplissima opera incendio absumta restituit, in queis & CAPITOLIUM, QUOD RURSUS ARSERAT; sed omnia sub TITULO tantum SUO, ac sine ulla pristini auctoris memoria.* Numi Schema cum Suetonii testimonio convenit; nam & ejusdem Capitolini templi variatam aliquantulum faciem cernimus, & titulo nominis Domitiani, qui rursus restituit, insignem. Exstat hic perelegans numus in Thesauro locupletissimo Christianissimi Galliarum Regis.

NUM. 2.

IMPerator DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

IMPe-

IMPerator CAESAR. Templum tetrastylum, in cujus tympano laurea corona, in fastigio quadriga triumphalis, in utroque angulo metæ spectantur; in medio vero simulacrum Jovis, qui dextra pateram, sinistra hastam tenet, pone ejus pedes adstante aquila.

Vitellianis Capitolium incendentibus Domitianus ubi Domus erat Aeditui delituit, & incolumis inde evasit. Eo in loco, quod ab Jove servatus esset, & hostium insidias evasisset, sacellum Jovi Conservatori & aram posuit. Hujusmodi templum in hoc numismate expressum mihi videtur. Sed quum Tacitus huic numo lucem adferat, ejus verba silentio minime prætereunda sunt ex Histor. Lib. III. cap. 74. *Domitianus, prima irruptione apud æditum occultatus solertia liberti, lineo amictu turbæ sacricolarum immixtus ignoratusque, apud Cornelium Primum paternum clientem, juxta Velabrum, delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditui contubernio, modicum sacellum JOVI CONSERVATORI, aramque posuit, casus suos in marmore expressit.* Censet Vaillantius in hoc numo exhiberi templum Jovis Custodis Tom. II. Num. Præst. pag. 105. Sed de hoc paullo infra. Exstat & hic numus in Regio Thesauro.

NUM. 3.

IMPerator DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator CAESar. Templum quatuor columnis subfultum, superne ornatum, in cujus medio Minerva dextram adtollens, sinistra clypeum & hastam gerens.

Perspicuum, hoc Templum rotunda forma exstructum esse, & Minervæ, cujus in medio simulacrum positum est, a Domitiano dedicatum indicat titulus. Dictum est Templum *Minervæ Flavianæ*; siquidem Domitianus se ejus filium jactabat, & credi volebat. Hoc igitur Templum Domitianus Deæ suorum consiliorum præsidi ac fautrici excitavit in Regione Urbis septima, atque in eo ejusdem Numinis simulacrum posuit. Hunc rarissimum numum describit Vaillantius T. II. Num. Præst. p. 105. Exstat & hic numus in Thesauro Christianissimi Regis.

NUM. 4.

IMPerator DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

Templum hexastylon ornatum statuis, gradibus & epistylio, in quo scriptum IMPerator CAESAR. in medio cernitur vir togatus.

Videtur in hoc numo eximiæ raritatis expressum Templum *Flaviæ Gentis*, quod indicat statua illa viri togati, fortsitan Vespasiani, quæ in medio ejus posita est. In epistylio præfert titulum Imperatoris Cæsaris, qui illud exstruxit ac dedicavit, qui fuit Domitianus, teste Suetonio c. 1. *Domitianus natus est IX Kal. Novembris, patre Consule designato, inituroque mense insequenti honorem, regione Urbis sexta, ad malum Punicum, Domo, quam postea in TEMPLUM FLAVIAE GENTIS convertit.* Et infra c. 5. Item (excitavit) FLAVIAE TEMPLUM GENTIS, *& stadium & Odeum & Naumachiam.* Haud improbabile est Domitianum patri fratrique adversum in eodem templo sibi potius statuam dedicasse, qui vivens tanta elatus est superbia, ut *Dominum* & *Deum* se esse dixerit. Exstat & hic numus in Thesauro Christianissimi Regis.

NUM. 5.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGUSTUS Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator CAESAR scriptum in epistylio templi pulcherrimi octastyli statuis, & bigis Circensibus in fastigio ornati, in cujus medio sedentis habitu simulacrum Jovis.

Fuisse in Capitolio plurima & amplissima opera constat, quæ incendio Vitellianorum absumta restituit Vespasianus, & nondum probe absoluta perfecit Titus, novisque ornamentis locupletavit. Quum autem rursum Capitolium arsisset, eadem nobilissima opera Domitianus restituit, & sui nominis titulo posito, sine ulla pristini auctoris memoria, renovavit. Modicum Sacellum JOVI CONSERVATORI & aram posuit, quo loco erat Aeditui contubernium, apud quem latens vitaverat Vitellianorum insidias, cujus sacelli schema in numo I. hujus Tabulæ VIIII. protulimus. Novam in eodem Capitolio excitavit ædem JOVI CUSTODI, teste Suetonio c. 5. de qua, quam magnifica esset, ostendit hic numus, & testatur his verbis Tacitus Histor. Lib. III. c. 24. qui narrat, jam adepto imperio sacrasse: *Mox imperium adeptus, JOVI CUSTODI templum ingens, seque in sinu Dei sacravit.*

NUM. 6. 7.

DOMITIANUS CAESAR AUGustus. Caput Domitiani laurea redimitum, ad lævam conversum.

TRibunicia Potestate VIIII. IMPerator XV. COnSul VII. Pater Patriæ. Columna rostrata, cui impositum simulacrum sive statua Apollinis nudo corpore, qui caput habet radiatum, & dextra hastae innititur.

Memorabilem, multisque hominibus gloriosam fuisse victoriam, quam in lacu Genaiar contra Judæos reportavit, pugnante Tito, Vespasianus, docet columna rostrata, quæ, ut narrat Suetonius, ei posita est in fori parte, loco illius, quæ in honorem Galbæ posita fuerat; de qua victoria Josephus Bell. Jud. Lib. III. Cap. 19. qui etiam meminit triumphi ejusdem Prin-

Principis Lib. VII. Cap. 17. multaſque naves ſequutas teſtatur. Monumentum hoc virtutis & gloriæ ſuæ Titus in numis renovavit, ut in aureo, quem deſcribit Vaillantius Tom. II. Num. Præſt. p. 99. & ſupra eandem roſtratam columnam ſtantem deſcribit figuram paludatam, parazonio & haſta inſignem. At Domitianum, uti ex hoc numo rariſſimo diſcimus, ſublata parentis ſtatua eidem roſtratæ columnæ ſuperpoſita, in ejus locum Apollinis ſive Solis ſtatuam ſubrogaſſe ex hoc numo intelligimus, & facile etiam eſt ſe ipſum ſpecie Solis, ſive Apollinis exhibuiſſe; nam, quæ in hoc numo repræſentatur, ſtatua, radiatum habet caput, & nudo corpore ſtat haſtæ innixa. Tantum Domitiani facinus, & ſuperbiam ſilentio premunt ſcriptores; neque id mirum videri poteſt, quum totam urbem ſtatuis ſibi dedicatis aliiſque honoris & divinitatis monumentis impleri mirifice ſuperbierit. Quæ in hanc rem narrat Suetonius c. 13. haud prætermittenda videntur: *Pari arrogantia quum Procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit:* DOMINUS & DEUS NOSTER ſic fieri jubet. *Unde inſtitutum poſthac ut ne ſcripto quidem, ac ſermone cujuſquam adpellaretur aliter. Statuas ſibi in Capitolio nonniſi aureas, & argenteas poni permiſit, ac ponderis certi. Janos, Arcuſque cum quadrigis, & inſignibus triumphorum per regiones Urbis tantos ac tot exſtruxit, ut cuidam Græce inſcriptum Arcui ſit,* Aream & Calvitium. Singularis hic numus in ditiſſimo Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Theſauro adſervatur.

Num. 8.

CAESAR AUGuſti Filius Domitianus. Caput Domitiani laureatum.

COnSul IIII. Pallas dextra elata jaculum vibrat, ſiniſtra ſcuto armata, inſiſtit navium roſtris ſtragulo pedibus ſubpoſito.

Minime abſurdum credere, alterius gloriæ monumentum, nempe navalis victoriæ, quam Veſpaſianus per Titum conſecutus eſt, & ſibi quoque tribuiſſe Domitianum, quamvis conſtat, nullum navale prælium commiſiſſe. Teſtantur numi, ejus nomine inſcripti, cum epigraphe VICTORIA NAVALIS, vel adblanditum gloriæ patris ac fratris ſui, vel in eam & ipſum aliquid contuliſſe. Sed eo tempore, quo Conſulatum quartum geſſit, cum collega ſuo M. Licinio Craſſo Muciano tertium Conſule, anno V. C. 828. C. N. 75. nil memoratu dignum geſſit; dumtaxat peritus muſcas captare, ac ſtilo præacuto configere. Frequens hic typus in aureis numis jam ſupra editis occurrit.

Num. 9.

CAESAR AUGuſti Filius DOMITIANUS AUGUR PONTifex. Caput Domitiani laureatum.

COnSul IIII. Pegaſus alatus.

Domitianus, quemadmodum numiſmata aurea, & hæc argentea docent, Conſulatu ſuo quarto eo honore inclaruit, quia creatus eſt a Veſpaſiano Augur & Pontifex, ut in rerum divinarum cura verſaretur. Nulla hujuſmodi dignitatum ac munerum ſymbola in hoc & ſequenti numo ſculpta, nec, ut in aliis numis, pontificalia inſtrumenta, nec lituus Auguratus inſigne, ſed Pegaſus alatus, qui forſitan ad gentis ſuæ nobilitatem declarandam pro Symbolo pictus eſt.

Num. 10.

CAESAR AUGuſti Filius DOMITIANUS AUGUR PONTifex.

COnSul IIII. Cornu copiæ.

En alterum ſymbolum, quo ornatur hic numus, in quo Domitianus *Augur* & *Pontifex* adpellatur. Quid cornu copiæ adludat ad hæc præclara munia, alii explicabunt. Illud notandum, quod hujuſmodi cornu frugum copia dives, in ima parte deſinit in caput canis; qui in antiqua lucerna Jovi Cuſtodi adpingitur, quam vide in Romano Muſeo apud Canſeum. Ceterum pocula hujuſmodi in ſpeciem cornu, quæ ornatus gratia in caput alicujus animalis e quadrupedum genere deſinit, frequenter gerunt imagines tum virorum, tum mulierum, quæ in ſepulcris Etruſcorum Deorum ac Dearum ſpecie ſculptæ ſunt; quapropter poculum inter inſignia divinitatis, ſacrarumque perſonarum habendum eſſe obſervavi in Tomo III. mei muſei Etruſci, ubi complura Etruſcorum nuper eruta ſepulcra e nobiliſſimo Guarnæciorum Muſeo nunquam antea nec viſa, nec edita, profero, & ea qua par eſt diligentia illuſtro.

Num. 11.

CAESAR AUGuſti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani laureatum.

COnSul V. in exergo numi ſcriptum, in quo Sarmata flexo dextro genu ſignum militare reſtituit.

De hoc typo ſupra ad numos aureos Domitiani dictum eſt. Sarmata flexo genu ſignum militare reſtituit, quia ſacra omnia Exercitus ſigna, haſtæ, vexilla, labari habebantur; vel potius, quia genu flectere proprium eſt eorum qui ſupplicant; quare & in hunc modum victæ Provinciæ ad genua Imperatorum flexis genibus proſtratæ frequenter in numis pinguntur.

Num. 12. 13.

CAESAR AUGuſti Filius DOMITIANUS. Caput idem.

COnSul V. Domitianus galea & armis inſignis eques, dextera elata, aliquid præcipit.

Obvius eſt hic typus tum in numis argenteis, tum in aureis ſupra editis. De Sarmatis lauream Jovi Capitolino retuliſſe Domitianum memorat Suetonius.

Num.

NUM. 14.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput idem.

COnSul V. Romulus & Remus sub lupa lactentes, infra scapha posita est.

Hoc symbolum in Domitiano ponitur hoc anno ab V. C. 829. a C. N. 76. quo Consul V. fuit, ad testandam non degenerem a Romæ conditoribus ac parentibus ejus animi virtutem ac fortitudinem; siquidem agere & pati fortia, Romanum est.

NUM. 15.

Vacat.

NUM. 16.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunitia Potestate COnSul VII. Tripus pendentibus utrinque vittis, cui insistunt aviculæ, in medio vero laurea corona, cui superpositus delphinus.

Consulatu septimo inscripti quatuor numi argentei proferuntur in hac Tabula, qui varia symbola continent, quæ adludunt ad titulos, quos mortuo Vespasiano, imperante Tito, consecutus est Domitianus; nam in his Tribunicia ejus Potestas, & Imperatoris ac Pontificis maximi tituli, & in aliis *Germanici* adpellatio adnotatur. Tripos, cui imposita est Laurea corona cum delphine superposito, imperium ejus terra marique felicissimum, adjectis auguralibus aviculis, designat.

NUM. 17.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus Pontifex Maximus. Caput ejusdem laureatum.

TRibunicia Potestate COnSul VII. Sella strata cum anacliterio.

Supremi honoris insigne fuit aurea sella, quæ quum omni fere Consulatu Domitiani in ejus numis occurrat, ei tributa videtur tamquam Romanum imperium cum fratre Tito moderanti, & successori destinato.

NUM. 18.

Epigraphe eadem, ut supra. Caput idem.

TRibunicia Potestate COnSul VII. Sella curulis duplex, in qua scriptum IMPerator CAESar; cum laurea corona superposita.

Sella duplex curulis eburnea Domitiano tribuitur tum in adlatis numis aureis, tum argenteis, quia Prætor, & Consul fuit. Suetonius c. 1. *Cæsar consalutatus, honorem Præturæ Urbanæ cum Consulari potestate suscepit titulo tenus.* Titulus inscribitur IMP. CAESAR quod pari majestatis honore Romano Orbi cum fratre præesset. Hi honores repetebantur, & tituli dignitatum renovabantur, quoties Consulares fasces sumebant, aut quinquennalia aut decennalia celebrabant; qua propter hæc emblemata in hoc & in reliquis quoque Consulatibus repetuntur.

NUM. 19.

Epigraphe eadem, ut supra. Caput idem.

TRibunicia Potestate COnSul VII. Ara sacro igne accensa encarpis & vittis ornata.

Quoties etiam Imperatores Consulatum inibant, vel pro sequenti designabantur, tituli non solum repetebantur renovabanturque lætas inter adclamationes; verum etiam vota & sacrificia pro eorum incolumitate & salute, pro felici itu redituque in expeditionibus, pro diuturnitate imperii, proque ejus tranquillitate & totius Domus Augustæ fiebant.

NUM. 20.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laurea corona cinctum.

TRibunicia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Sella stragulo & anacliterio ornata.

NUM. 21.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus PONTifex (in alio Pontifex Maximus.)

TRibunicia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Pallas lævorsum versa jaculo & clypeo armata.

Titulum Patris Patriæ, quo anno adsumserit Domitianus, indicat hic numus.

NUM. 22.

Epigraphe eadem, ut supra. Caput idem.

TRibunicia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Pallas stans, ad dextram versa, dextra Victoriolam gestat, sinistra hastam deposito ad pedes clypeo.

Dea Bellatrix ac Victrix, sapientiæ præses, sculpta in omni Consulatu Domitiani cernitur, vel etiam quum Designatus Consul inscribitur, cui quotannis in ejus honorem Quinquatria in Albano celebrabat; & credibile est vota & sacra eidem nuncupata toties fuisse.

NUM. 23.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus (in alio GERManicus.) Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia Poteſtate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Ara coronata ſacro igne accenſa.

NUM. 24.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGuſtus GERManicus Pontifex Maximus. Caput idem.

TRibunicia Poteſtate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Sella ſtragulo & anacliterio inſignis.

NUM. 25.

Epigraphe eadem, ut ſupra n. 24. Caput idem.

Eadem epigraphe. Anchora & delphin ei implicitus.

NUM. 26.

Eadem epigraphe tum in antica tum in poſtica. Caput idem.

Tripus tæniis ornatus cum delphine ſuperpoſito.

Apollini ſacer eſt tripus, & Delphin, in quem tranſmutatus eſt ex Homero, ut obſervat Spanhemius. In numo Vitellii apud Vaillantium Tom. II. Num. Præſt. pag. 83. hic typus denotat eum ex Quindecemviris fuiſſe, qui curam habebant Sibyllinorum carminum, & ſacra vatum præſidi Apollini faciebant. Edidit Domitianus ſæculares Ludos in Conſulatu ſuo XIV. quorum, ut etiam aliorum, cura ad Quindecemviros pertinebat. Sed hic numus in Conſulatu VII. Domitiani percuſſus, quum Conſul VIII. deſignatus eſſet ad ejus Auguralem dignitatem pertinet, eamque indicat, vel Poëtices ſtudium. Suetonius c. 2. *Simulavit & ipſe mire modeſtiam, inprimiſque Poëticæ ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quam poſtea ſpretum & abjectum, recitavitque etiam publice.* Valerius Flaccus Domitiano ſcriptum iri auguratur Carmine Judaicum Bellum, illis verſibus quos adfert, & caſtigat Lævinus Torrentius in Comment. ad Suetonium in Domitiani vita c. 2. De liberalibus ſtudiis Domitiani hæc memorat idem Suetonius c. 20. *Liberalia ſtudia initio imperii neglexit: quanquam Bibliothecas incendio abſumtas impenſiſſime reparare curaſſet, exemplaribus undique petitis, miſſiſque Alexandriam qui deſcriberent, emendarentque; nunquam tamen aut hiſtoriæ, carminibuſve cognoſcendis operam ullam, aut ſtilo vel neceſſario dedit. Præter commentarios, & acta Tiberii Cæſaris nihil lectitabat. Epiſtolas orationeſque, & edicta alieno formabat ingenio, ſermonis tamen neque inelegantis, dictorum interdum etiam notabilium.* Sed Poëticæ ſtudiiſque liberalibus addictum Domitianum adulatione celebrant Plinius in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ, Tacitus, Quinctilianus; Martialis vero eo nomine pæne in cælum fert cum alibi, tum Lib. VIII. Epigr. ult. item Papinius, Silius Italicus, & Valerius Flaccus paullo ante memoratus Argonaut. Lib. I.

NUM. 27.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGuſtus Pontifex Maximus (in alio PONT.) Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia Poteſtate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Tripus cum auguralibus pullis cum corona in medio, cui incumbit delphinus.

Corona tripodi impoſita forte adludit ad præmia, quæ Domitianus conſecutus eſt, vel dedit in muſicis certaminibus, de quibus hæc ad rem noſtram Suetonius. c. 4. *Inſtituit & quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, muſicum, equeſtre & gymnicum, & aliquanto plurium quam nunc eſt CORONATORUM. Certabat etiam & proſa Oratione Græce Latineque, ac præter citharœdos chorocithariſtæ quoque, & pſilocithariſtæ.* Præterea & hi typi adludere poſſunt ad præmia, quæ Domitianus in Quinquatriis donabat quotannis in Albano in honorem Minervæ celebratis; de quibus idem Suetonius c. 4. *Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ; cui Collegium inſtituerat, ex quo ſorte ducti magiſterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & ſcenicos ludos, ſuperque Oratorum ac Poëtarum certamina.*

NUM. 28.

Eadem epigraphe, idem caput.

TRibunicia Poteſtate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Sella ſtragulis ornata, cui impoſitum fulmen alatum.

Pervulgatum eſt, ſellam ſemper delatam ab his, qui ſequebantur Imperatorem quoties in publicum prodibat, vel congiaria, & frumentarias largitiones donabat, vel adibat circos, theatra, ut ſpectaculis præſideret. Id etiam teſtatur Suetonius de Domitiano c. 12. qui patrem & fratrem Imperatores lectica tantum ſequebatur. Imperatorum dumtaxat proprium erat hujuſmodi ſellæ decus, quæ eos in publicum prodeuntes ſequebatur. *Habitabat cum patre una, SELLAMQUE ejus, ac fratris, quoties prodirent, lectica ſequebatur.* At hoc ipſo anno ab V. C. 834. a C. N. 81. quum Domitianus imperii Romani conſors & in eodem ſucceſſor a Tito factus eſſet, jam deſignatus Conſul VIII. ſella hujuſmodi omni cultu ornata ei tribuitur; additurque imperii inſigne ac ſymbolum fulmen alatum, ad Imperatoriæ majeſtatis decus declarandum; cui erectæ deſuper alæ adpinguntur, ut ſolicita ejus in regendo Romano orbe providentia & cura ubique parata oſtendatur. Idem typus & in numis aureis atque argenteis Titi occurrit, ut ſupra adnotatum eſt.

NUM. 29.

Eadem, ut ſupra epigraphe in utraque numi parte.

IMPerator CAESar ſcriptum in duplici ſella curuli, cui laurea corona impoſita eſt.

Di-

Dictum de hoc ipso typo non semel, & paullo supra in hac ipsa Tab. VIIII. ad num. 18.

NUM. 30.

Vacat.

NUM. 31.

Eadem epigraphe, ut supra in utraque numi facie.

Ara coronata, sacro calens igne.

NUM. 32.

Eadem epigraphe, ut supra in utraque numi facie. Caput idem.

Pallas dextrorsum respiciens dextra Victoriolam gerit, clypeum humi positum læva sustinet, defixa seorsim hasta.

Proponitur Palladis imago in omnibus numis, quoties Domitiani Consulatus adnotantur. Pallas Victrix devictos Dacos, & Germanos indicare videtur. Hanc Deam quotannis per quinque dies editis in Albano certaminibus honorabat.

NUM. 33.

Eadem, ut supra epigraphe in antica & postica numi. Caput idem.

Fulmen alatum sellæ aureæ, stragulis ornatae impositum.

NUM. 34.

Eadem epigraphe, in utraque numi facie. Caput idem.

Pallas, ut supra, jaculatrix.

NUM. 35.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Sella stragulis ornata, & anacliterio munita, ut supra n. 17. 20.

NUM. 36.

Eadem epigraphe, ut supra tum in antica tum in postica numi. Caput idem.

Anchora cui implicitus delphin, ut supra num. 25.

NUM. 37.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Fulmen alatum sellæ ornatissimæ aureæ impositum.

NUM. 38.

Vacat.

NUM. 39.

Eadem epigraphe, ut supra, cum in antica, tum in postica numi. Delphinus anchoræ implicitus.

NUM. 40.

Vacat.

TABULA X.
ADHUC CONTINET
NUMISMATUM ARGENTEORUM
IMP. CAESAR. DOMITIANI
TYPOS ET
INSCRIPTIONES.

NUM. I.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus Pontifex Maximus (In alio DOMITIANUS.) Caput Domitiani laurea corona insigne.

TRibunicia POTestate COnSul VIII. Ara sacro igne calens encarpò coronata vittis pendentibus.

Prosequitur hæc quoque Tabula X. reliquos argenteos numos Domitiani, quorum epigraphe in postica parte ostendit cusos tribus ejus

Consulatibus, nempe octavo, decimo, & undecimo, qui ex eorum numero sunt quos ipse continuavit teste Suetonio c. 3. *Consulatus XVII. cepit, quot ante eum nemo: ex quibus SEPTEM MEDIOS continuavit; omnes autem pæne titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kalendas Maji, plures ad Idus usque Januarias.* Medii vero Consulatus ex XVII. sunt VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. Igitur, ut in superioribus numis tum aureis tum argenteis, jam expensis, & in hoc numo, qui ejus Consulatu VIII. cusus est, rursum occurrit ara ignita, festiva fronde & pendentibus Lemniscis, sive vittis ornata. Ara divini honoris, & consecrationis indicium est, consensu omnium Numismatographorum. Frequenter & in singulis Consulatibus Domitiani pingitur, & forsitan vel sacra ab eo facta in Capitolio denotat quum fasces susciperet, vel populorum vota pro ejus imperio & incolumitate. Sed his conjecturis posthabitis, aræ divinæ decus, cum his in numis tam frequenter occurrat, perpendenti mihi, non aliam ob causam exhiberi cognovi, nisi ad denotandam susceptam Tribunitiam potestatem, cujus origo ab Augusto manavit, quare Tiberius missis ad Senatum litteris, potestatem tribuniciam Druso petiit, teste Tacito Annal. Lib. III. c. 56. *Tiberius fama moderationis parta, quod ingruenteis accusatores repressisset, mittit litteras ad Senatum, queis potestatem Tribuniciam Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus repperit, ne Regis, aut Dictatoris nomen adsumeret, ac tamen adpellatione aliqua cetera imperia præmineret. M. deinde Agrippam socium ejus potestatis, quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret: sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur: simul modestiæ Neronis, & suæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo, Tiberius Drusum summæ rei admovet: cum incolumi Germanico integrum inter duos judicium tenuisset. Sed principio litterarum veneratus Deos, ut consilia reipublicæ prosperarent, modica de moribus adolescentis, neque in falsum aucta rettulit: esse illi conjugem & tres liberos, eamque ætatem, qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem & bis Consulem, noti laboris participem sumi. Præceperant animis orationem Patres: quo quæsitior adulatio fuit: nec tamen repertum, nisi ut effigies Principum, ARAS DEUM, templa & arcus aliaque solita censerent.* Igitur perspicuum est ex hoc Taciti loco, inter cetera, quæ a Senatu censebantur in honorem Principum, qui summæ rei admoti, Tribunicia potestate ornabantur, *aras Deum* fuisse; quare hinc colligimus cur ara succensa tam frequenter in hisce numis Domitiani adpareat, qui omnes testantur, mortuo Vespasiano, quum gereret Consulatum VII. & cum Tito particeps esset regendi Romani imperii, eum Tribunitia potestate donatum fuisse.

NUM. 2.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus (In alio DOMIT.) Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia Potestate COnSul VIII. Tripus cum delphino superposito.

Deest in his numis adpellatio *Pater Patriæ*, quæ in sequentibus non prætermittitur.

NUM. 3.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus Pontifex Maximus. (In alio DOMITIANUS.)

TRibunicia POTestate COnSul VIII. Pater Patriæ. Minerva Victrix dextra Victoriolam, sinistra hastam gerit, deposito ad pedes clypeo.

NUM. 4.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Idem caput.

Tripus cum delphino superposito.

NUM. 5.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Anchora cum delphino adplicito.

NUM. 6.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Curulis sella duplex cum laurea corona in medio Lemniscis ornata.

Coronæ Lemniscis ornatæ majus decus præferebant, adeoque Imperatoribus conveniebant. Hae lemniscatæ coronæ apud Servium dicuntur Aeneid. Lib. V. Has colore infectas fasciolas docet Festus: *Lemnisci, id est fasciolæ coloriæ pendentes ex coronis, propterea dicuntur, quod antiquissimarum genus coronarum Lanearum.* Quoniam vero hae donari athletis, aliisque ludionibus solebant, quibus decorati prodibant, & laureis coronis adligari consueverunt, tali decore ab Etruscis accepto, teste Plinio Hist. Nat. Lib. XXI. Cap. IV. *Crassus dives primus argento auroque folia imitatus ludis suis dedit. Adcesseruntque Lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat propter Etruscas, quibus jungi, nisi aurei, non debebant. Puri diu fuere ii: eos cælare primus instituit P. Claudius Pulcher.*

NUM. 7.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Sella aurea stragulis ornata, cui superpositum est fulmen alatum.

Exstat hic numus in ditissimo Christianissimi Regis Thesauro.

NUM. 8.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Sella

Sella altior stragulo & anacliterio ornata.

NUM. 9.

Eadem epigraphe, ut supra, in utraque numi facie. Caput idem.

Ara ignita, encarpo & vittis ornata.

NUM. 10.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Domitianus capite laureato.

TRibunicia POTestate COnSul VIII. DESignatus VIIII. Pater Patriæ. Pallas gradiens lævam versus jaculum dextra vibrat, clypeo læva armata.

NUM. 11.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia POTestate IMPerator II. COnSul VIII. DESignatus VIIII. Pater Patriæ.

Fortunam religiosissime coluit Domitianus, cui consuevit toto Imperii sui spatio annum novum commendare, & ab ea lætam eandemque semper sortem accipere, teste Suetonio c. 15.

NUM. 12.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia POTestate IMPerator II. COnSul DESignatus VIIII. Pater Patriæ. Pallas galeata pube tenus cum hasta in humeris.

Prætermittitur in hoc numo nota COS. VIII. quem iniit cum T. Flavio Sabino, anno V. C. 835. C. N. 82. Pallas eo modo pingitur, ut Domitianum in expeditione Germanica comitari se ostendat; fert enim in humero dextro hastam, quemadmodum exprimi solent in numis Imperatores ad bellum proficiscentes. Hoc anno aliis bellis gerendis Domitianus se adcinxit, quæ Dio describit Lib. LXVI. & maximum illud fuisse memorat contra Dacos susceptum, apud quos Decebalus regnum obtinebat. In eos ducto exercitu, ipse bellum nulla ex parte adtigit; sed missis ducibus, magna parte militum turpiter amissa, ut Victor Romam litteras misit. Contra Quados & Marcomannos ulciscendi animo, quod sibi contra Dacos pugnanti nulla subsidia misissent, in Pannoniam venit bellum eis illaturus; sed ab his victus fugatusque Decebalum, celeriter missis legatis, ad pacem incundam invitavit, & Romam rediens fictum egit triumphum, emtis per commercia captivis & barbaricis spoliis, quibus fercula ornaret, ut etiam scribit Tacitus in Julii Agricolæ vita; & Germanici titulum usurpavit. Censent aliqui Palladis specie sculptam esse Domitiam Domitiani uxorem, sed nullam hujusmodi honoris rationem aut causam adferunt. Exstat hic numus perrarus in Thesauro Galliarum Regis.

NUM. 13.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia POTestate COnSul VIIII. Pater Patriæ. Pallas stans dextra hastæ innixa, laeva ad femur admota.

Hoc anno ab V. C. 836. a C. N. 83. in quo Domitianus Tribuniciam Potestatem II. obtinuit, & Imperator VII. adpellatus est, & Consulatum gessit IX. cum Ap. Junio Sabino, præter hunc, alium numum non recenset Mediobarbus.

NUM. 14.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia POTestate COnSul VIIII. Pater Patriæ. Caduceus alatus.

Caduceus alatus pacis & felicitatis insigne est, in hoc Domitiani numo expressus, ut de Germanis Victoriam celeriter & feliciter partam ostendat. Hunc ita explicat eximius Vaillantius Tom. II. Num. Præst. pag. 108. „ Bellum civile „ a L. Antonio superioris Germaniæ præside motum confecit Domitianus, quamvis absens, „ mira felicitate, juxta Suetonium c. 6. Caduceus „ insigne est pacis; additæque alæ celeritatis sunt „ indices, quia bellum civile exstinctum fuit. „ Non exstat hic numus in Mediobarbo." At Mediobarbus rebellionem L. Antonii Saturnini Germaniæ Præsidis, & de eo partam victoriam a L. Maximo refert ad Consulatum XIIII. Domitiani. Suetonius eam memorat post actum a Domitiano duplicem triumphum de Cattis Dacisque, & postquam de Sarmatis lauream coronam Jovi Capitolino retulit. Audiendus Suetonius c. 6. *Bellum civile motum a L. Antonio, superioris Germaniæ Præside, confecit absens felicitate mira, quum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset. De qua victoria prius præsagiis quam nunciis comperit: siquidem ipso quo dimicatum est die statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit; paulloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque adportatum vidisse se plerique contenderent.* Consonat his Cassius Dio Lib. LXVII. qui post relatam de Dacis victoriam a Domitiano, hæc statim subdit. *Per id tempus Antonius qui Germaniæ præerat, insurgere contra Domitianum est ausus. Hunc Lucius Maximus devicit, & bello cepit: qui, etsi propter victoriam non est magna laude dignus; tamen quia litteras omnes inventas in arculis Antonii combussit, neglecto proprio periculo, ut ceteri calumniam effugerent, laudari digne nunquam a me po-*

potest. Post hanc, nulla alia Victoria a scriptoribus, quam Domitianus vel per se, vel per alios adsecutus sit, memoratur. Quare potius Mediobarbi, quam Vaillantii judicium mihi adridet, qui hanc de L. Antonio Saturnino a L. Maximo confectam victoriam ad Consulatum potius XIIII. Domitiani, quam ad VIIII. quo hic argenteus numus cusus est, revocat; postquam in Consulatu suo XVI. de Dacis, & Germanis iterum triumphasse scribit; quod etiam Suetonius confirmat c. 13. qui Domitianum iterum de Germanis triumphasse commemorat. Servatur hic numus in Thesauro Galliarum Regis.

Num. 15.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus. Caput Domitiani ornatum laurea.

TRibunicia POTestate II. COnSul VIIII. DESignatus X. Pater Patriæ. Pallas stans ad dextram respiciens, dextra hastæ innixa, læva ad femur admota.

Hic quoque numus in descriptione Mediobarbiana desideratur, neque eum recenset Vaillantius.

Num. 16. 17.

Eadem epigraphe, ut supra num. 15. in antica numi parte. Caput idem.

Eadem quoque epigraphe in postica, ut supra.

Typus 16. Pallas insistens rostris, stragulo pedibus subposito, dextra intorquet jaculum, læva scuto armata.

Typus 17. Eadem Pallas, sed gradiens, telo, quod vibrat, & clypeo armata.

Hi quoque Numi Antiquariis incogniti.

Num. 18.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus. Caput Domitiani laureatum.

TRibunicia POTestate III. IMPerator V. COnSul VIIII. Pater Patriæ. Elephas.

Singularis omnino est hic numus argenteus e regio Cimeliarchio Christianissimi Regis depromtus; quo discimus, Domitianum in Consulatu suo nono obtinuisse Tribunitiam Potestatem III. & Imperatorem V. adpellatum fuisse. Elephas æternitatis symbolum est, & tribui solet pro emblemate Imperatoribus, qui apotheosin post mortem consecuti sunt. Sed quia etiam elephantes in numis Romanorum Principum adpinguntur, cum epigraphe MUNIFICENTIA AUG. ut declaretur, eos ludos magnificentissimos edidisse; idcirco a veritate minime alienum est subspicari, Domitianum ob novos hosce titulos spectacula Populo Romano præbuisse, & ob devictos Germanos lætitiam, & populorum adclamationes & vota celebratis ludis multiplicasse. Testatur Suetonius c. 6. Domitianum Spectacula magnifica ADSIDUE, & sumtuosa edidisse non in Amphitheatro modo, verum & in Circo; præterea venationes gladiatoresque, & noctibus quidem ad lychnuchos dedisse. Sed quod subjicit idem Suetonius c. 19. ad hunc numum eximiæ raritatis illustrandum mirifice facit. *Centenas varii generis feras sæpe in Albano secessu conficientem spectavere plerique, atque etiam ex industria ita quarumdam capita figentem, ut duobus ictibus quasi cornua effingeret.* De his numis elephantinis Gisbertus Cuperus vir præstantissimus. Nulla fit in hoc numo designati Consulatus X. memoria.

Num. 19. 20.

Epigraphe anticæ partis in utroque numo eadem, ut supra. Caput idem.

TRibunicia POTestate II. COnSul VIIII. DESignatus X. Pater Patriæ. In priore: Pallas jaculatrix rostris insistens; in altero stans, dextra fulmen gerit, læva hastæ innititur, deposito ad pedes clypeo.

Numus num. 19. adlatus in Thesauro Christianissimi Galliarum Regis adservatur.

Num. 21. 22. 23. 24.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUG. GERMANIC. Eadem epigraphe in antica reliquorum numorum. Caput idem in singulis laureatum.

Pontifex Maximus TRibunicia POTestate III. IMPerator V. COnSul X. Pater Patriæ. In singulis numis: Pallas jaculatrix stans, vel armata fulmine, vel innixa hastæ quiescens, vel rostris insistens.

Minerva, quæ toties in hisce numis in medium prodit contorquens in hostes jaculum, in mentem revocat, quæ de jaculandi studio ac peritia Domitiani memorat Suetonius c. 19. *Armorum nullo, sagittarum vel præcipuo studio tenebatur. Nonnunquam in pueri procul stantis, præbentisque pro scopulo dispansam dextræ manus palmam; sagittas tanta arte direxit, ut omnes intervalla digitorum innocue evaderent.* In his numis primo loco ejus Pontificatus maximi dignitas recensetur. Posteriores duo numi 23. & 24. in Thesauro Galliarum Regis adservantur.

Num. 25.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERMANIC. Caput Domitiani laurea cinctum.

Pontifex Maximus TRibunicia POTestate III. IMPerator V. COnSul X. Pater Patriæ. Aquila expansis alis fulmini insistit.

Aqui-

Aquilam fulmini insistentem Domitianus pro emblemate adhibet, ut hostes Romani imperii intelligerent, ad arma strenue paratum, & fulmina in eos sibi ab Jove ministrari, quemadmodum eidem Jovi aquila adversus Gigantes in bello arma suppeditavit.

NUM. 26.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGUSTUS GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

Pontifex Maximus TRibunitia POTestate III. IMPerator VI. COnSul X. Pater Patriæ. Pallas stans dextra fulmen, læva hastæ innixa.

Ex hoc & sequentibus numis liquet Domitianum in Consulatu X. Imperatoris V. VI. & VII. festivas salutationes, adclamationes & titulos suscepisse.

NUM. 27.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator VII. COnSul X. CENSoria POTestate Pater Patriæ. Minerva Bellatrix.

In hoc numo omissa est nomenclatura Pontificatus maximi, & Tribuniciæ Potestatis; sed pro his mentio fit ei a Senatu conlatæ Censoriæ Potestatis. Quamvis Dio scribat Lib. LXVI. Domitianum in Censura nil memoratu dignum egisse; Suetonius tamen non pauca fuisse suscepta morum correctione edocet c. 8. ac præcipue, quæ ad castimoniam Virginum Vestalium pertinebant: *Incesta Virginum Vestalium, a patre suo quoque & fratre neglecta, varie & severe coërcuit, priora capitali supplicio, posteriora more veteri.* Et mox: *Ac ne quid religio Deûm impune contaminaretur, monumentum, quod libertus ejus e lapidibus templo Capitolini Jovis destinatis filio construxerat, diruit per milites, ossaque & reliquias, quæ inerant, mari mersit.* Domitianus Cæsaris Dictatoris exemplo Consulatus in annos decem, & Censuram perpetuam adsumsit, quare a Martiale adulationis gratia vocatur,

Censor Maxime, Principumque Princeps.

cum vero irridet Juvenalis Sat. IV. quum ait:

——— caderet sub judice morum.

NUM. 28. 29.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

Pontifex Maximus TRibunitia Potestate IIII. IMPerator VII. COnSul XI. Pater Patriæ. Minerva Bellatrix, ut supra.

Domitianus Consularem dignitatem gerens cum T. Aurelio Fulvo XI. anno V. C. 838. C. N. 85. de Cattis, Dacis, & Germanis populis triumphavit. Bellorum consiliatrix & fautrix Minerva comes eidem adsistit, & in numis pro emblemate inservit. Perspicuum quoque est in hoc Consulatu suo XI. titulos prætulisse IMP. VII. & Tribuniciam Potestatem IV. nec non & sibi continuasse Patris Patriæ præcellentissimam adpellationem. In aliquot ex his numis Palladi stanti, ac velut post tot bella quiescenti, clypeus non adpingitur.

NUM. 30.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus. Domitiani caput laureatum.

Pontifex Maximus TRibunitia Potestate IIII. IMPerator VII. COnSul XI. Pater Patriæ. Aquila expansis alis fulmini insistens.

NUM. 31. 32.

Eadem epigraphe, ut supra, in antica utriusque numi. Caput idem.

Pontifex Maximus TRibunitia POTestate IIII. IMPerator VIII. COnSul XI. Pater Patriæ. In utroque numo Pallas, in primo hastæ innixa, in altero telum dextra jaculatur rostris insistens cum noctua ad pedes.

Superbit in his numis Domitianus variis titulis, & in his, & aliquot sequentibus Imperator VIII. adpellatur.

NUM. 33.

Vacat.

NUM. 34.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

In numi exergo: IMPerator VIII. Taurus sinistrorsum conversus.

NUM. 35.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus. Domitianus capite laureato.

Pontifex Maximus TRibunitia POTestate IIII. IMPerator VIII. COnSul XI. Pater Patriæ. Victoria gradiens lævorsum conversa, dextra coronam offert, læva gerit palmam.

Præferunt numi Consulatu XI. Domitiani consignati titulum GERMANIA CAPTA. &

& titulum pariter GERMANICUS. hoc enim anno de Cattis, Dacis, deque Germanis triumphavit.

NUM. 36. 37.

Eadem epigraphe, ut supra, in antica utriusque numi. Idem caput.

IMPerator VIIII. COnSul XI. CENSor PERpetuus Pater Patriæ. Pallas Martialis in utroque numo; in primo fulmen dextra gerit, hastæ innixa, deposito ad pedes clypeo; in altero telum jaculatur, clypeo armata læva.

Ostendunt numismata hæc Domitianum *Censorem Perpetuum* tunc adpellatum creatumque a Senatu, quum Consulatum XI. gereret, & Imperator VIIII. salutatus est.

NUM. 38. 39.

Eadem epigraphe, ut supra, tum in antica tum in postica horum numorum. Caput idem.

Germanus captivus, lugens, super arma sedet.

NUM. 40.

Eadem epigraphe, ut supra. Caput idem.

IMPerator VIIII. COnSul XI. CENSoria POTestate, Pater Patriæ. Pallas Fulminatrix.

TABULA XI.
QUAE
NUMISMATUM ARGENTEORUM
IMP. CAES. DOMITIANI
TYPOS ET INSCRIPTIONES
ADHUC CONTINET.

NUM. 1. 2.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate V. Caput Domitiani laureatum lævorsum respiciens.

IMP. XI. COnSul XI. (in altero XII.) CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Victoria gradiens ad lævam, dextra coronam offert, læva palmam gerit.

Domitianus Consulatu suo XII. quem iniit anno ab V. C. 838. C. N. 85. alterum bellum Dacicum inchoavit, uti Pagius ad hunc annum ostendit. Sed duo hæc numismata argentea, quæ in Regio Gall. Cimeliarchio adservantur, votivos clypeos referunt, in ejus honorem decretos à Senatu, in Templo Jovis Capitolini, in memoriam partæ de Germanis victoriæ suspensos.

NUM. 3.

Eadem epigraphe, ut supra num. I. & II. Caput idem.

IMPerator XI. COnSul XII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas lævorsum gradiens dextra telum vibrat, læva clypeum gestat.

NUM. 4.

Eadem epigraphe, ut supra. Caput idem.

IMP. COnSul XII. CENSor P. P. Pallas stans dextra fulmen ostentat, læva hastæ innititur, deposito ad pedes clypeo.

Adpellatur Domitianus dumtaxat IMP. in hoc numo, & CENSor tantum scribitur, ut arbitror, consueta epigraphe integra prætermissa monetarii culpa.

NUM. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VI. Caput Domitiani laureatum.

IM-

IMPerator XII. COnSul XII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas Jaculatrix rostris navium insistens, ad cujus pedes adstat noctua: in reliquis humi stat vel graditur armis instructa.

Bellum adversus Germanos & Dacos per Legatos gessit Domitianus, teste Dione Xiphilini Lib. LXVII. Numismata ob hanc causam cælata in Consulatu Domitiani XII. titulum Imperatoris X. XI. XII. & XIII. multiplicatum testantur, propter victorias per Duces suos reportatas. Eusebius in Chronico, qui bella eo anno quo coepta sunt, absoluta consignat, tum secundum editionem Pontacenam, quam Scaligerianam, ad annum Abrahami 2102. mense Octobri anni Christi LXXXV. inchoatum, hæc habet: *Nasamones & Daci dimicantes contra Romanos victi.* Erant autem Nasamones populi Libyæ, qui adversus Domitianum rebellarant, ut docet Scaliger in Notis Eusebianis ex Zonara Lib. II. Aristide in Smyrnaico, & Dionysio in Descriptione totius Orbis num. 210. & adnotat eximius Pagius.

NUM. 12.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, TRibunitia Potestate VI. in aliis VII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XIII. COnSul XIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Victoria dextrorsum versa sedens, dextra coronam offert, læva palmam gerit.

Præfert & hoc numisma votivi clypei formam, & quidem Victoria quietem indicante, quum sedeat. In hoc Consulatu XIII. Domitianus Imperatoris XIII. & XIIII. titulos obtinuit. Iniit vero Consulatum XIII. cum A. Volusio Saturnino anno V. C. 840. C. N. 87. quo etiam, ut adnotat Pagius Imperii Cæsarei vicennalia dedit.

NUM. 13.

Eadem epigraphe, ut in superiore numo 12. Caput idem.

Eadem & in postica epigraphe. Pallas in quiete stans dextra hastæ innixa, sinistra ad femur admota, sine clypeo.

NUM. 14.

Eadem epigraphe, ut in superiore numo 12. Caput idem.

Eadem & in postica epigraphe. Germania nudo corpore, inferius tantum subligaculo velata armorum acervo mæsta insidet.

NUM. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Eadem epigraphe in antica parte horum numorum, ut supra. Caput idem.

IMPerator XIII. COnSul XIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas vel Jaculatrix, vel Fulgeratrix gradiens, vel stans, vel rostris navium insistens.

Singula hæc numismata Domitiani bellum adversus Germanos & Dacos reliquosque populos per Legatos gerentis virtutem ostendunt.

NUM. 21. 22.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate VII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XIIII. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Victoria laevorsum versa gradiens coronam dextra protendit, laeva palmam gestat.

In Consulatu XIV. Domitianus Imperatoris titulos XIV. XV. XVI. XVII. & XVIII. meruit, uti numismata argentea in hac Tabula adlata testantur, quæ ad Germanicam Dacicamque ejus victoriam pertinent. Inscribitur in his numis GERMANICUS; nunquam vero DACICUS; quamvis & hoc cognomentum sive adpellationem a Poëtis qui ei mirifice adsentabantur, consecutus sit, nempe a Martiali, qui, ut habet antiquus Codex Præfationem Lib. VIII. Epigrammatum ad Domitianum inscripsit. IMP. DOMIT. C. AUG. GER. DACICO. Ad Dacicam Victoriam adludit priore bello sibi partam idem Martialis, Lib. II. Epigr. 2. ubi GERMANICI cognomen supra cætera extollit.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod Victor, quodque Metellus habet:
Nobilius domito tribuit GERMANIA Rheno,
Ut puer hoc dignus NOMINE, Cæsar, eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos,
Quæ datur ex DACIS laurea, tota tua est.

Memorabilis est Domitiani Consulatus XIIII. quem gessit cum L. Minucio Rufo anno V. C. 841. C. N. 88. quo edidit Sæculares Ludos. Indicant hi numi & in Consulatu ejus XIIII. positos dedicatosque ejus virtuti votivos clypeos cum Victoriarum imaginibus, ut etiam videre est in sequenti numo 27. in quo Victoria de hostibus domitis secura quiescit.

NUM. 23. 24. 25. 26. 27.

Eadem epigraphe, quae ad numos 21. & 22. adlata est, in antica numorum facie scripta.

Eadem quoque epigraphe, ut supra sculpta in postica horum numismatum facie. Pallas vel gradiens, vel stans, jaculum sive fulmen ostentans, vel rostris navium insistens.

NUM. 28. 29. 30. 31. 32.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERMANICUS. Caput Domitiani laureatum. (In aliis: DOMITIANUS CAESAR AUG. P. P.)

COS. XIIII. (In altero CENS. P.P.P.) Pallas sine clypeo hastæ innixa, vel clypeo armata jaculum contorquens, vel fulmen ostentans.

NUM. 33. 34.

Eadem epigraphe in antica numorum facie, ut supra num. 28. Caput idem.

IMPerator XV. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas hastæ innixa, in altero vero, deposito clypeo hastæ innixa læva manu, dextra fulmen ostentat.

NUM. 35. 36. 37. 38.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate VIII. Caput Titi laureatum.

IMPerator XVI. (In alio XVII. in alio XVIII.) COnSul XIIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas in altero Fulminatrix, in altero Jaculatrix, ut supra.

NUM. 39.

Vacat.

NUM. 40.

Eadem epigraphe anticæ partis numi, ut supra num. 35. Caput idem.

IMPerator XVIII. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas gradiens clypeo armata, telum jaculatur.

In Consulatu XIV. meruit Domitianus obtinuitque IMP. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. titulos item etiam XVIIII. XIX. XX. & XXI. ut ex sequenti Tabula patebit. Hic numus & alii superius editi num. 1. 2. 7. 21. & 37. in hac Tabula in regio Galliarum Thesauro adservantur.

TABULA XII.

ADHUC EXHIBENS NUMISMATUM ARGENTEORUM

IMP. CAES. DOMITIANI

TYPOS ET INSCRIPTIONES.

NUM. 1. 2. 3. 4.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate VIII. Caput Titi laurea corona redimitum.

IMPerator XIX. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Pallas Jaculatrix in 1. Stans hastæ innixa, in 2. Fulminatrix, in 3. Jaculatrix, in 4. quae rostro navis cum noctua ad pedes insistit.

Sequitur, ut in præcedentibus numis, & in his, familiaris Domitiani typus, Minerva *Martialis*, *Bellatrix*, *Jaculatrix*, ac *Fulminatrix*, ut eo suum in hostes terrorem declararet, & felicitatis suæ fiduciam in hac Dea se reposuisse omnes intelligerent, quasi bella ejus consilio movisset, & victoriæ laudem ei adscriberet. Eo enim devenit dementiæ, ut *Palladem veluti genitricem, & se Palladis filium per Sacrificulos in primis jusserit advocari*, ut adnotat Alexander ab Alexandro Genial. Dier. Lib. IV. cap. 17.

NUM. 5.

Non videtur hic numus argenteus suo in loco relatus: quod cuinam vitio vertendum sit, nescio. Præfert enim Consulatum Domitiani XV. quum numi, qui præcedunt, & qui hunc sequuntur plane octo, Consulatum ejus XIIII. continuent. Forsitan numus hic substituendus est in sequenti vacuo, loco numi, num. 22. Sed & docti viderint, num prætermissa sit nota unitatis inter X & V. ita ut legendum sit COS. XIV. sed dissimilitudo hæc scribendi, a consueta Consulatuum numerandi nota, nempe COS. XIIII. recedit in his præsertim numis Domitiani argenteis. Aureus numus a Comite Mediobarbo describitur cum epigraphe in antica parte: DOMITIANUS AUGUSTUS, & hac in postica: GERMANICUS COS. XIIII. nec dubito eumdem typum & in numis argenteis repetitum; quamvis non videam ab eodem Mediobarbo recensitum ac descriptum pag. 136. Oriri etiam subspicio potest, referendusne sit numus ad Domitiani Consulatum XVI. nam in numo aureo, quem idem Mediobarbus describit pag. 138. scriptum est: GERMANICUS COS. XVI. & ejus typus, ut in hoc, sunt quadrigæ triumphales; nam Domitianus anno ab V. C. 845. Chr. 92. quum Consul esset XVI. de Dacis, & Germanis iterum triumphavit, uti etiam ex Eusebio constat. Sed doctissimus Tillemontius observat hunc triumphum facile egisse ante hoc tempus uno aut altero anno. In re igitur tam obscura, quum de genuina numi lectione, nec de ipso numo, quem observare mihi non contigit, non constet, nihil adfirmo. Extat hic numus in Cimeliarchio Christianissimi Galliarum Regis.

NUM. 6. 7. 8. 9.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XX. COnSul XIIII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Minerva Bellatrix, Dea stans; in aliis jaculum intorquens; in alio armata dextra fulmine, vel hastæ innixa; in alio rostro navis insistens cum noctua ad pedes.

Aegis non tantum est munimentum pectoris æneum, habens in medio Gorgonis caput; sed etiam scutum Jovis & Palladis. Argenteum Minervæ simulacrum describit Martialis, quod ideo carere ægide scribit, quod illam haberet Cæsar Domitianus, ut & in numis hisce non paucis exhibetur. Ita igitur Lib. XIV. Epigr. 177.

Dic mihi Virgo ferox, cum sit tibi cuspis & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Comes Mediobarbus unum dumtaxat numum argenteum cum titulo IMP. XX. describit pag. 138. quatuor vero diverso typo insignes Præstantissimus Morellius.

NUM. 10. 11. 12. 13.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate VIII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXI. COnSul XIIII. CENSor (deesse videtur in numo primo P. ut indicet haec sigla Perpetuus) Pater Patriæ. Minerva Jaculatrix, sive Fulminatrix, in aliis stans, in aliis gradiens, ut supra.

Hujusmodi adpellatio *Germanici* occurrit in compluribus antiquis saxis, & minime quidem per compendiarias notas; cujus rei gratia marmor adferre lubet, quod ad ipsum Domitianum pertinet, ex Fabretto inscr. ant. Cap. X. num. 83. depromtum, quod erutum adnotat in fundamentis S. Andreæ in Quirinali.

HAEC. AREA. INTRA. HANCCE DEFINITIONEM. CIPPORUM. CLAUSA. VERIBUS. ET. AREA. QUAE EST. INFERIUS. DEDICATA. EST. AB IMP. CAESARE. DOMITIANO. AUG. GERMANICO. EX. VOTO. SUSCEPTO QUOD. DIU. ERAT. NEGLECTUM. NEC REDDITUM. INCENDIORUM ARCENDORUM. CAUSA

In linea tertia legendum VERUBUS, uti colligo ex antiquo meo Codice MS. & ex adsimili lapide penes Gruterum pag. LXI. 3. & Sponium in Miscell. erud. Ant. pag. 292.

NUM. 14. 15. 16.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate VIIII. (in aliis X.) Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXI. COnSul XV. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Minerva aegide & clypeo armata, jaculum intorquet, gradienti similis: in altero stans, hastæ innititur, sine clypeo: in altero fulmina dextra manu ostentat.

Præferunt hæc tria numismata titulum Imperatoris XXI. cum Consulatu XV. conjunctum, quem gessit Domitianus anno V. C. 842. Christi vero 90. quo M. Coccejum Nervam iterum Consulem collegam habuit. Typus in singulis cum jam editis concordat, eo excepto, in quo rostro navis insistens exhibetur. Hoc anno Decennalia Domitiani celebrata.

NUM. 17. 18. 19. 20. 21.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate XI. (in aliis XII.) Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXI. COnSul XVI. CENSor Perpetuus, Pater Patriae. Minervae Jaculatricis, & Fulminatricis typus ut in superioribus.

Numismata hæc quinque (nam in numo num. 21. mendum inrepsisse adparet, scriptumque COS. XV. pro COS. XVI.) Consulatum XVI. Domitiani præferunt, quem gessit cum L. Volusio Saturnino anno ab V. C. 845. Christi vero 92. uti in Fastis habetur. Golzius Aulum Volusium Saturninum iterum Consulem scribit. Hoc anno de Dacis & Germanis iterum triumphavit Domitianus, uti ex numis observat Comes Mediobarbus pag. 138.

NUM. 22.

Vacat.

Sed hoc loci substituendum forsitan numisma superius editum in hac Tabula num. 5. in quo in quadrijugo triumphali curru vectus cernitur Domitianus, triumphantis specie, uti paullo ante monebam, emendata epigraphe, in qua subspicor scriptum GERMANICUS COS. XVI.

NUM. 23.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus. (TRibunitia Potestate XII.) Caput Domitiani laureatum.

TRibunitia Potestate COnSul XVI. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Minerva gradiens, dextra spiculum jacit, læva armata clypeo.

NUM. 24. 25. 26. 27.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate XII. in aliis XIII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVI. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Minerva ut in superioribus typis sculpta.

Perbelle convenit cum his numis insignis Tabula ex ære, quæ honestam missionem continet, quam dedit Domitianus Imperator Peditibus & Equitibus militibus Cohortis Tertiæ Alpinorum & Octavæ Voluntariorum civium Romanorum, & his qui peregrinæ conditionis erant in Dalmatia sub L. Pomponio Rufo, anno nimirum ab V. C. 845. Christi 92. quo Consules suffecti fuere, hi qui in eadem Tabula recensentur M. Lollius Paullinus, Valerius Asiaticus Saturninus, & C. Antius Julius Quadratus. Pro C. Antio Cl. Muratorius in Classe V. pag. CCCXIV. reponit C. Antistium, qui recedit a fide hujus Tabulæ a me editæ in Part. I. Inscriptionum antiquarum Etruriæ, & exstat in Museo Mediceo, relata p. 69. num. CXCII. Priores tantum quatuor lineas huc adferre non abs re est, quod, ut dicebam, cum hisce numis probe conveniant:

IMP. CAESAR. DIVI. VESPASIANI F. DOMITIANUS. AUGUSTUS GERMANICUS, PONTIFEX. MAXIMUS. TRIBUNIC. POTEST. XII. IMP. XXII. COS. XVI. CENSOR. PERPETUUS P. P

Partem hujus Tabulæ edidit Gruterus p. CLXXXIX. num. 12. & plane perturbatam; integram vero, sed multis cum mendis pag. DLXXIV. num. 5. & 6. quam vide. Tanto religionis cultu Minervam prosecutus est Domitianus, quemadmodum & hæc numismata testantur, ut eam non solum tanquam parentem suam veneratus sit, & consiliorum auspicem, tutelarem & servatricem, propugnatricemque Romani imperii; sed & Legionem Primam ab ejus nomine & tutela *Minerviam* adpellandam conscripserit, teste Xiphilino ex Dione, & pro insigni ejusdem Deæ simulacrum habere voluerit.

Tam frequenter in hisce Domitiani numis, præsertim in aureis & argenteis, occurrit Minerva *Martialis*, ut nefas sit præterire, quæ ad hunc numum observat eximius Tristanus Tom. I. pag. 333. cujus numi aversam partem exhibet. Qua in re sequor Cl. Havercampi exemplum. „Pallas navi insistit, quæ duas habet proras, & ad „pedes noctuam, quasi jamjam prælium commissura. Ostendit hic numus quantopere huic „Deæ confideret Domitianus, initis terra marique proeliis. Illud etiam confirmat, quod „Hyginus ad calcem suarum Tabularum narrat; „Minervam scilicet navem duabus proris instructam excogitasse: *Minerva* (inquit ille) „*prima navem biproram Danao ædificavit, in qua ad Aegyptum fratrem profugit.* Addit „etiam ejus Interpres, Minervam cæleste signum „constituisse priorem illam navem, quam ad „nauticum usum fabricaverat. *Post canis igitur magni caudam* (inquit) *secundum stellarum ordinem navis constituta est, quam beneficio Minervæ inter astra conlocatam dicunt, quæque prima ab ea fabricata est; & mare, quod antea invium fuerat, hominibus pervium navali ingenio fecit.* Id & Aristides testatur Orat. I. „& Tertullianus docet Tract. de Corona Mil. „Ethruscos id credidisse. Puto enim quod hæc „navis sine remis eam significet, qua mollis hic „Imperator utebatur trajecturus Rheni, & Danubii flumina, eosque maris sinus, a quibus cavere non poterat. Omni enim vel „minimo labori, & vitæ incommodis adeo „impar erat, ut neque navis agitationem, „neque remorum strepitum sustinere posset. Funibus enim non remis trahi jubebat „navem suam, quæ ad formam labri, ut opinor, erat efformata; adeo erat compacta, & „undique devincta, ut nutare nulla ex parte „posset, aut exilire; natabat enim quam citissime hujusmodi genus navis per aquas. Vectabatur itaque immobilis, tanquam simulacrum aliquod, raptatus ipse unus ab omnibus triremibus, quasi aliqua esset victima, quæ immolanda esset expiandis illius populi sceleribus, qui „non audebat adcedere. Hæc plane ea fuit species quum in barbarorum prospectum prodiret, qui prope ripas horum fluminum stabant, „Germanica expeditione, non sine Romani „nominis labe, a quo trahebatur suus Imperator ceu captivus in capta nave. Sic quodammodo Plinius Secundus eleganter describit „hanc spectaculi pompam in Panegyrico Trajani;

„ jani; de cujus virtute & magnanimitate verba „ faciens, ita loquitur: *Quantum dissimilis illi,* „ *qui non Albani lacus ocium, Bajanique torpo-* „ *rem, & silentium ferre; non pulsum saltem fra-* „ *goremque remorum perpeti poterat; qui ad sin-* „ *gulos ictus turpi formidine horresceret. Itaque* „ *procul ab omni sono inconcussus ipse & immo-* „ *tus, religato revinctoque navigio, non secus ac* „ *piaculum aliquod, trahebatur; fœda facies,* „ *cum populi Romani Imperator alienum cursum,* „ *alienumque rectorem velut capta nave sequere-* „ *tur, &c.*

Tanto cum luxu quum navigaret Domitianus nil mirum si navis cui insistit Minerva aulæis pulcherrimis sit instrata; quæ omnia otio potius, quam bello aptissimum Imperatorem ostendunt.

NUM. 28. 29. 30. 31.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, TRibunitia Potestate XIIII. in aliis XV. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Minerva sculpta, ut in superioribus typis.

Percussi sunt hi numi anno V. C. 848. Christi 95. quo Domitianus in Consulatu suo XVII. collegam habuit T. Flavium Clementem patruelem suum, quem morte adfecit, quod Christianam religionem sanctissime profiteretur, ejus conjuge Flavia Domitilla, pariter Christiana, in insulam Pandatariam relegata, teste Dione Hist. Rom. Lib. LXVII. Hoc ferme tempore Domitianus viam, quæ inter Sinuessam est & Puteolos, lapidibus stravit, ut idem Dio testatur. Typus numi adlatus num. 31. ipsam Minervam, ni fallor, præfert, sed alis instructam, facile, ut celeritatem gesti Germanici belli, relatarumque victoriarum gloriam declararet.

NUM. 33.

IMPerator CAESar DOMITIanus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, TRibunitia Potestate XIIII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus, Pater Patriæ. Ara, in qua in metopis sculptæ duæ Victoriæ, cum palmis coronam offerentes: hinc inde aquilae legionariae.

Idem typus occurrit in numo aureo cuso eodem Consulatu Domitiani XVII. in quo ex hoc liquet emendandum esse Imperatoris titulum, & pro XVII. scribendum XXII. Vide Tab. VII. num. 38.

NUM. 35.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, TRibunitia Potestate X. Caput Domitiani laurea revinctum.

IMPerator XXII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus, Pater Patriae. Minerva gradienti similis, clypeo armata, jaculum intorquet.

In adnotata Tribunicia Potestate X. mendum cubare non dubito; nam in numis tum aureis, tum argenteis Domitiani postremo ejus Consulatu XVII. percussis, Tribunitia ejus Potestas XIIII. & XV. non vero X. adnotatur.

NUM. 36. & 37.

Vacant.

NUM. 38.

In honorem Domitiani evectam columnam cum ejus statua, docet hic numus, cujus fides sit penes Cl. Morellium. Dio Lib. LXVIII. tale decus non memorat; sed plerasque tantum statuas argenteas & aureas, quæ, ad imperium evecto Nerva Coccejo, disjectæ sunt, conflatæ, & in pecuniam redactæ: itemque eversos scribit plurimos arcus triumphales. De tam raro Domitiani numismate silent ceteri Numographi, fideque laborat ejus titulus: *Senatus Populusque Romanus Optimo Principi.*

NUM. 39. 40.

Vacant.

NUMISMATA GRAECA DOMITIANI.

NUM. 41. & 42.

ΚΑΙσαρ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΣΕΒΑϹΤΟΥ ΥΙΟϹ. *Caesar Domitianus Augusti Filius. Domitianus laureato capite ad laevam versum.*

ΟΜΟΝΟΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ. *Concordia Augusta. Dea sedens cum hasta & patera.*

Adhuc vivente Vespasiano percussus est hic numus, quo alicujus urbis in Græcia populi concordiam inter Titum & Domitianum fratres bene precati sunt, & perpetuo monumento testatam voluerunt.

NUM. 43.

ΔΟΜΙΤ. ΚΑΙϹ. ϹΕΒΑϹ. *Domitianus Caesar Augustus. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥϹ. ΙΔ. ΥΠΑΤΟΥ ΙΖ. *Anno decimo quarto: Consule decimum-septimum. Lyra, pone quam lauri ramus.*

Epigraphe posticæ partis hujus numi adfertur a Joanne Petro Bellorio inter numismata Domitiani argentea num. 7. sed inemendata, quæ ad genuinam scripturam hoc numo auspice revocanda est. Hunc a Lappacis in Creta percussum conjicit Vaillantius Tom. II. pag. 110. ex adjectis Symbolis Apollinis.

NUM.

NUM. 44.

Cum in antica, tum in postica eadem epigraphe, ut in superiore numo num. 43. Caput Domitiani laureatum.

Noctua media inter duas Lyras.

Athenis forte numus cusus; Minervam Musarum designare hæc emblemata videntur. Et hic numus productus a Bellorio num. II. sed pro ΤΠΑΤΟΤ habet ΤΠΑΤΟC.

NUM. 45.

Eadem epigraphe, ut supra num. 43. & 44. cum in antica, tum in postica numi parte. Caput Domitiani laureatum.

Caduceus in medio inter duas Lyras.

Hunc numum non habet idem Bellorius. Caduceus insigne est pacis; forsitan sculptus, ut declaret bellum civile a L. Antonio superioris Germaniæ Præside motum, mira felicitate confectum a Domitiano, quamvis absente, ex Suetonio in ejus vita cap. 6. Exstant tria hæc numismata in Thesauro regio Christianissimi Galliarum Regis. Vaillantius subspicatur a Cyttiis Cretæ cusum Tom. II. pag. 110.

NUM. 46. 47. 48.

Vacant.

TABULA XIII.
EXHIBENS
NUMISMATA
EX AERE MAXIMI MODULI
IMP. CAESAR. DOMITIANI.

NUM. I.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus Germanicus COnSul XII. CENSor PERPetuus (in alio CENSor PERpetuus, Pater Patriae.) Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Victoria alata, sinistro pede galeam calcans, manibus arbori adpendens scutum, in quo scriptum indicat DE GERManis: juxta arborem Germania moerens sedet.

Percussus est hic numus anno V. C. 839. Christi 86. postquam Domitianus primum egit de Germanis triumphum; neque improbabile est ea occasione a Senatu dedicatum, qua Domitianus Agonem Capitolinum instituit, & Victoriæ suæ monumenta renovavit. Ex Indice Musei Canotortæ descripsit Comes Mediobarbus pag. 135.

NUM. 2. 3.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. CENSor PERpetuus, Pater Patriae. Caput Domitiani laureatum laevorsum conversum.

Senatus Consulto. Domitianus militari habitu, parazonio & hasta pura armatus, ad cujus pedes Rhenus jacens, ab eo quasi proculcatus, hydria & arundine insignis.

Adfertur adsimilis numi typus & illustratur ab Oiselio Tab. XXIV. num. VII. in cujus exergo scriptum RHENUS pag. 108. Huc facit Martialis Epigramma II. Lib. II. quo Cæsari Domitiano adulatur Victori Germanorum:

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.
Nobilius domito tribuit GERMANIA RHENO,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos:
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Exstat hic numus magnitudine insignis in Regio Cimeliarchio Galliarum Regis.

NUMI CONTORNIATI.

NUM. 4.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani ad laevam conversum, laurea corona revinctum.

Si-

Sine epigraphe. Domitianus militaribus armis, chlamyde & thorace insignis, dextra jaculum intorquet in figuram viri ad pedes jacentis, cujus manus post terga revinctae; circa ipsum milite, & ad dextrum latus Imperatoris viro togato adstantibus.

Clarissimo Havercampo, qui anno MDCCXXII. edidit Lugduni Batavorum singularem Librum *de Nummis Contorniatis*, (qui & multis aliis adhuc ineditis locupletari potest) ignotus fuit hic numus, qui egregio Morellio, antiquitatis indagatori præstantissimo debetur. Captivus ille, qui ad pedes Imperatoris sedet, manibus post terga revinctis, facile Rhenus est; & quum Domitianus in eum telum intorqueat, bellum indicere videtur, cujus gratia expeditionem in Galliam, & Germanias inchoavit. Ramusculus prope vultum Cæsaris Domitiani in antica parte, ludorum certorum institutum, & ea occasione donatum hoc numisma, subindicat.

NUM. 6.

Epigraphe superiori facile similis, sive ut in aliis numis eodem typo insignitis : CAESAR DIVI AUG. VESP. F. DOMITIANUS COS. VII.

S. C. Senatus Consulto. Pallas galeata, dextra jaculum, sinistra clypeum tenet.

Sculpta est Minerva Jaculatrix armis instructa, ut auctor ejus sobolem ostenderet Domitianum, ejusque consilio ab eo susceptum in Germanos bellum. Somniavit tamen aliquando Minervam a se abire armis spoliatam, teste Suetonio c. 16. *Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario; negantem ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset a Jove.*

NUM. 7.

Vacat.

NUMISMATA EX AERE MAGNO.

NUM. 8.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, TRibunitia Potestate VIII. CENSor PERPetuus, Pater Patriæ. (In alio scriptum PER. in alio deest P. P.) Domitiani caput laureatum.

COnSul XIIII. LUDis SAECularibus A POPulo FRUGes ACceptæ Senatus-Consulto. Imperator Domitianus togatus ante porticum, sive templum, sedens in suggestu, in quo posita vascula frugibus plena; dextera cum patera dat fruges, quas duo togati viri suscipiunt.

Numismata ex ære magno accuratissime delineata in hac Tabula, a Cl. Morellio, exordium insigne capiunt a Sæcularibus Ludis, quos Domitianus rite ac solemniter celebravit, de quibus Suetonius c. 4. hæc inquit: *Fecit & LUDOS SAECULARES, computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius, sed quo olim Augustus ediderat.* Fruges distribuebantur ante dies festos Sæcularium Ludorum ad templum Dianæ conditum in Aventino; ubi cuique libero hordeum, triticum fabæque prisco more dabantur, quæ Parcis offerebantur. Has fruges Domitianus populo distribuit anno V. C. 841. Christi 88. quum ageret Consulatum XIV. cum conlega L. Minucio Rufo, quo Sæculares Ludos ab origine septimos celebravit.

NUM. 9.

In antica numi parte eadem epigraphe, ut supra num. 8.

COnSul XIIII. LUDis SAECularibus A POPulo FRUGes ACceptæ. S. C. Domitianus prope templum sedens in suggestu, dextra indicat fruges, quas e vasculo in terram effundit vir togatus, alio togato viro adstante.

Quibus ritibus celebrari solerent Seculares Ludi, colligi potest ex his numis, qui conferri possunt cum his, quæ a priscis Scriptoribus memorantur. Ea celebritas, quia obvia est, & magnopere illustrata ab eruditis hominibus, quos recenset Pitiscus, supervacaneum est ut hæc tam nota crambes recoquatur. Quia vero in his sacra Plutoni, Proserpinæ & Fatis fiebant, idcirco, ut videtur, fruges in terram projiciuntur e vasculo.

NUM. 10.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, COnSul XIIII. CENSor PERPetuus, Pater Patriæ (in alio PERpetuus.) Caput Domitiani laureatum.

PONTifex MAXimus, TRibunicia Potestate VII. (Corrige TR. P. VIII.) LUDis SAECularibus SUFfimenta Populo Data. Senatus-Consulto: Domitianus dextrorsum versus sedens in suggestu ante templum aliquid porrigit viro togato stanti, sub quo alia pueri figura, quæ dextram extendit, hinc inde positis duobus vasculis.

IN Belloriano Syntagmate inter æreos numos Domitiani num. 41. accurate hic ipse typus exhibetur, & epigraphe ita se habet: PONT MAX. TR. P. VIII. LUD. SAEC. SUF. P.D. S. C. quem describit & explicat pag. 78. Comes Mediobarbus pag. 137. in numo suo eodem typo ornato, hæc præterea adnotata profert: PON. MAX. TR. P. VIII. LUD. SAEC. S. P. Q. R. SUF.

SUF. P. D. S. C. Suffimenta, quæ dabantur paucis diebus, antequam Sæculares Ludi celebrarentur, ex sulphure, bitumine, & aliis ad tædas constabant, quibus populi expiarentur, ac lustrarentur. Pitiscus adnotat hæc suffimenta, piamina, ac februa dari solita sive ab ipsis Imperatoribus, sive a Consulibus ac Decemviris sacris faciundis in Capitolio & Palatio, ante Apollinis Palatini, & Jovis Capitolini templa. Bellorius addit thura, & alia hujus generis odoramenta, quæ a populo adhiberentur in sacris lustrationibus. Sed plura de his nuper egit V. C. F. Thomas Vincentius Monelia ex O. P. in Dissertatione utriusque Philippi Aug.

NUM. 11.

Eadem epigraphe, ut supra num. 10. *Caput Domitiani laureatum.*

COnSul XIIII. LUDis SAECularibus SUFfimenta Populo Data. Senatus-Consulto. Idem typus, ut in superiore numo num. 10.

NUM. 12.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, Pontifex Maximus, TRibunicia Potestate VIII. CENSor PERPetuus, Pater Patriae. Caput Domitiani laureatum.

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit. Senatus-Consulto. Porticus quatuor columnarum, prope quam plures figuræ flexis genibus manus levant, adstante Imperatore, qui eas adloquitur.

Domitianus non anno V. C. 847. ut oportuit, sed paullo ante, Sæcularem pompam spectandam curavit, videlicet, ut supra diximus anno V. C. 841. Christi 88. tametsi tempus rite constitutum cadebat in annum V. C. 847. Christi 94. decimum supra centesimum ab Augusteis Ludis. Quia vero Claudius Augustus non legitimo tempore Sæculares Ludos celebravit, tempus rite a Domitiano servatum probat Zosimus Lib. II. qui ita inquit: *Post Augustum Claudius ludos celebravit, numero præstitutorum annorum neglecto. Post eum Domitianus, Claudio valere jusso, numeratoque ambitu annorum, ex quo ludos Augustus fecisset, traditam ab initio Legem servare visus est.* Porro adnotandus priscus votorum nuncupandorum ritus, nempe flexis genibus, & ad Cælum sublatis manibus. quem alia monumenta ostendunt, & testatur Macrobius Sat Lib. III. Cap. IX. *Quum Jovem dicit, manus ad cælum tollit.*

NUM. 13.

Epigraphe anticæ partis hujus numi eadem, ut supra num. 12. *sed in altero deest P. P. hoc est Pater Patriæ.*

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit. Senatus-Consulto. Domitianus togatus in parvo suggestu stans cum altero togato viro, sinistra volumen tenet: ante eum procedunt tres figurae dextris elatis palmas praeferentes.

Patinus adfert ad Suetonium pag. 241. hunc ipsum numum, in quo in antica parte deest *Patris Patriæ* adpellatio; in postica vero exhibet Imperatorem capite laureato, & ita ex eo describit Comes Mediobarbus pag. 137. At egregius Morellius in hoc numismate e regio Galliarum Cimeliarchio depromto, nudum ejusdem Imperatoris caput expressit. Discimus ex his numis hymnos & pæanas cantantes processisse pueros, & puellas, palmas in manibus tenentes; has enim referunt, non vero arborum ramos. Hymnos canebant in honorem deorum, præsertim Solis, Dianæ, Cereris, Ilithyiæ, Lucinæ, Parcarum, ut ostendit Horatius, Sæculari Carmine in id composito, pueri puellæque ex clarissimo genere, quorum parentes superstites essent, quos patrimos & matrimos dicebant, eo sacro tempore, nimirum ludorum die tertio, & quidem cum Græca tum Romana Lingua scriptos in Palatina Apollinis æde, quibus canticis petebant orabantque Deos, ut noxia fata ac mala ab Urbe æterna & a Cæsare averruncarent, Romanum imperium tuerentur & amplificarent, populumque beneficiis locupletarent. Delecti pueri puellæque, qui pæanas canebant, arcano numero ter novem erant; sed in numis hisce, ob loci angustias, tres tantum, & quidem mares interdum, interdum feminæ exhibentur.

NUM. 14.

Epigraphe eadem, ut in superioribus numis 12. *&* 13. *in antica parte.*

Eadem quoque in postica, ut supra. Imperator togatus stans ante aram coronatam, & sacro igne accensam, supra quam sacros latices e patera fundit, ad cujus pedes Fluvius Tiberis copiae cornu gestans decumbit, adstante popa cum sue; in medio fidicine & tibicine canentibus.

Quo ritu, quibusve cærimoniis sacrificia Diis propitiandis fierent Sæcularium Ludorum prævio tempore perspicue ostendit hic numus perrarus, statuta nimirum in Campo Martio ara sacro igne calente propter ripam Tiberis, & ad eam adducta porca, quæ immolaretur, canentibus fidicine & tibicine, dum Imperator victimarum cruore non unam tantum aram, sed tres respergeret, teste Zosimo, cujus testimonium silentio non est prætereundum; ita enim memorato superius loco inquit: *Modus ludorum hujusmodi relatus est in litteras. Circumeuntes præcones, universos ludorum causa convenire jubebant ad spectaculum, quod neque vidissent antea, neque visuri posthac essent. Ipso autem messis tempore, perpaucis diebus antequam ludi*

ludi peragerentur, in Capitolio temploque Palatino, XV. Viri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant. Ea sunt faces, & sulphur, & bitumen: nec participes horum servi sunt, sed liberi dumtaxat homines. Posteaquam populus universus, & in locis iis, quæ diximus, & in templo Dianæ, quod est in Aventino colle, convenit, triticum, & hordeum, & fabas quisque secum fert, ac Parcis nocturnos ludos caste pudiceque faciunt. Ubi Ludorum tempus adpetiit, quod tribus diebus totidemque noctibus in campo Martio faciunt, hostiæ propter ripam Tiberis ad Tarentum Diis consecrantur. His autem Diis rem sacram faciunt, videlicet Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ: tum præter hos Parcis & Lucinis, & Cereri, & Diti Patri, & Proserpinæ. Prima nocte Spectaculorum, ad horam secundam, tribus aris in ripa fluminis constructis, Imperator cum XV Viris tres agnos cædit, & aris sanguine respersis solidas victimas adolet. Suis, aut porcæ nulla fit mentio a Zosimo hoc in loco, in quo sacrorum adparatum & ritum ex antiquioribus scriptis monumentis ob oculos posuit. At hujusmodi quoque hostiam locum habuisse perspicue testatur hic singularis numus e regio Galliarum Thesauro egregie delineatus a Cl. Morellio; cujus adsimilem typum describit Comes Mediobarbus pag. 137. in tribus numis, servatosque scribit in museo suo, nulla tamen porcæ aut suis facta in his mentione. Idem numus cum hoc ipso adfertur a P. Pedrusio S. J. in Tom. XI. Musei Farnesii Tab. XX. num. IV. Herodianus Lib. III. ubi de anno sæculari celebrato ab Imperatore Severo agit, præter ludos omnis generis cunctis editos theatris, memorat etiam supplicationes sacras, & pervigilia ad formam Cereris initiorum celebratas; quibus adde sacrificia, hymnos, expiationes, lectisternia, quæ tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante, celebrabantur, uti etiam testatur Horatius in Sæculari Hymno:

Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totidemque grata
Nocte frequentes.

NUM. 15.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul VI. Caput Domitiani.

S. C. Senatus-Consulto. Spei typus.

Parente Vespasiano adhuc superstite, cujus est hic numus, descriptus a Comite Mediobarbo pag. 130. anno V. C. 829. Christi vero 77. quo quum Consulatu se abdicassent iidem Vespasianus & Titus, iisdem subfecti sunt Domitianus, & Cneus Julius Agricola, vir celeberrimus, cujus vitam a Tacito scriptam habemus. Vide Thesaurum Muratorianum Class. V. pag. cccx. Multa quum promitteret Domitianus, consummata nuper in Sarmatas expeditione, mox susceptis in Gallias & Germanias expeditionibus, probabile est Senatum ei hunc numum ob spem victoriarum & felicissimi eventus decrevisse. En Suetonii testimonium in ejus vita c. 2. *Domitianus expeditionem in Galliam, Germaniasque, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amicis, inchoavit tantum ut fratri se & operibus & dignatione adæquaret.* Idem typus occurrit in aureis & argenteis numis Domitiani, in quibus scribitur PRINCEPS JUVENTUTIS, item in numis Consulatu II. signatis.

NUM. 16.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul IIII. Caput Domitiani.

ANNONA AUGUSTi S. C. Senatus-Consulto. Dea dextrorsum versa sedens in sella, collectas in gremio fruges ostentat.

Idem typus occurrit in numis quoque Vespasiani & Titi, quos in superius editis Tabulis, si otium est, vide.

NUM. 17.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus, CENSor, TRibunicia Potestate, Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

ANNONA AUGUSTi. In exergo: S. C. Senatus-Consulto. Ceres stolata, velato capite sedens, dextra spicas, læva facem gestat: coram ea stat Annona cum cornu copiae; non longe navis adparet.

Describitur hic numus a Vaillantio Tom. I. pag. 39. qui stantem Deam Fortunam esse censet, ut in Nerone, & in Vitellio. Cum epigraphe ANNONA AUGUST. alii numi occurrunt a Senatu decreti in honorem Domitiani, qui inter præcipuas imperii curas eam maximam esse censuit, ne populus Romanus frumenti inopia laboraret. Culturæ agrorum magnopere prospexit, sublato insano vitium novellandarum studio, uti memorat Suetonius cap. 7. *Ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret, utque in provinciis vineta succiderentur, relicta, ut plurimum, dimidia parte.* Verum etiam aliunde convectum frumentum, cura Domitiani, non obscure declarat navis inter Cererem & Abundantiam, quæ Annonæ typus est. Idem typus occurrit in alio numismate ex ære, quod adfert Bellorius num. 23. cujus antica pars hanc epigraphen præfert: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. COS. XI. CENS. PERP. P. P. Ast in numo ejusdem magnitudinis ex Museo Farnesiano, qui eandem epigraphen habet, navis non conspicitur.

NUM. 18.

IMPerator DOMITIANus CAESar DIVI VESPasiani AUGusti Filius, Pontifex Maximus, TRibunitia Potestate COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PAX AUGUSTi. Hinc inde in area siglæ S. C. Senatus-Consulto. Pax Dea stans, dextra ramusculum oleæ, sinistra copiæ cornu tenet.

Idem typus occurrit & in alio numo, quem describit Mediobarbus pag. 133. & percussus est Domitiani Consulatu VIII. quem memorat idem numus.

N U M. 19.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. CENSor TRibunicia POTestate, Pater Patriae. Caput Domitiani laurea ornatum.

In numi area S. C. Senatus-Consulto. Mulier stolata stans, sinistra cornu copiæ, dextra facem, qua arma comburit.

In alio numo primæ magnitudinis, depromto ex Museo Farnesio Tom. VI. Tab. XIX. num. 111. epigraphe sculpta cernitur: PACI AUGUST. & in exergo S. C. quæ in hoc desideratur. Frequens est in numis Vespasiani & Titi hic idem typus, de quo nonnulla superius adnotavimus, quæ iteranda minime sunt.

TABULA XIV.

EX AERE MEDIO

NUMISMATA

IMP. CAESAR. DOMITIANI

COMPLECTITUR.

N U M. 1.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANus COnSul II. Caput Domitiani.

Senatus-Consulto. Domitianus togatus in equo dextrorsum decurrens, dextra elata, sinistra hastam, cui imminet aquila, tenet.

N U M. 2. 3. 4.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul II. sive: CAESar DIVI Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCipi JUVENTutis Senatus-Consulto. Domitianus togatus in equo, dextrorsum decurrens, dextra elata, sinistra brevem hastam tenet, in cujus vertice aquila.

Hunc ipsum typum vidimus in numo argenteo maximi moduli, quem illustravimus Tab. VIII. num. 1. pag. 424. sed in eo deest nota S. C. quem ita illustrat Cl. Vaillantius Tom. II. pag. 107. „ Consulatum VII. „ iniit Domitianus cum Tito Consule VIII. an- „ no V. C. 833. Vespasiano exstincto anno præ- „ cedenti. Statim a morte patris Titus PRINCI- „ PEM JUVENTUTIS eum declaravit, & „ successorem imperii. *Fratrem* (inquit Sueto- „ nius c. 9. in Tito) *insidiari sibi non desinen-* „ *tem, ne in minore quidem honore habere susti-* „ *nuit; sed ut a primo imperii die consortem, suc-* „ *cessoremque testari perseveravit.*" Verum, quum idem Domitianus in aliis numis *Princeps Juventutis* dicatur, & quidem perennis cum Consulatu ejus secundo & tertio, quincto, sexto & septimo, ut patet ex descriptione Occoniana & Mediobarbana pag. 128. 129. & seqq. perspicuum est adhuc vivente patre hoc decus consecutum esse. Angelonius multa comminiscitur in hunc numum, quem adfert num. 3. pag. 80. & censet ei decreto Senatus percussum, quum adhuc juvenis expeditionem in Galliam & Germanias suscepit, eamque non semel in his numis & hoc typo memoratam; quæ non bene cohærent, quum & Titus una cum Domitiano eodem titulo insignitus a Vespasiano, eques toga amictus decurrens sculptus sit in editis numis, atque ex his constet uno eodemque tempore & Titum, & Domitianum a Vespasiano *Principes Juventutis* declaratos fuisse: quam adpellationem renovatam fuisse, quoties iidem Principes vel designati vel Consules essent, non est dubium, & ipsa numismata luculenter testantur: atque hinc est, quod togati, & cum scipione eburneo, cui aquila imposita est, sculpti exhibentur. Hoc igitur decus Cæsares Imperatorum filii servabant, iterabantque; nec dimittebant nisi quum imperium Romani orbis adepti essent. Prior numus a Bellorio adfertur num. 29.

N U M. 5.

Epigraphe anticæ partis hujus numi mihi ignota: forsitan haec: IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XIIII. CENSor PERPetuus (in alio PER.) Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

JUPPITER CUSTOS. Senatus-Consulto. Jupiter dextrorsum versus sedens, sinistra hastam, sive sceptrum, cui innititur; dextra fulmen tenet, nuda superiore corporis parte.

Bel-

Bello Vitelliano Domitianus confugit in Capitolium cum patruo Sabino, & parte copiarum. Sed inrumpentibus adversariis, & ardente templo, quum apud ædituum nocte pernoctasset, ac mane Isiaci celatus habitu periculum incolumis evasisset, memor beneficii, ut auctor est Suetonius c. 5. in ejus vita; *novam excitavit ædem in Capitolio CUSTODI JOVI*; in qua ei aram erexit; mox vero imperium adeptus eodem in loco ingens templum sacravit, teste Tacito. Hic igitur numus, & sequentes, hujus primum sacelli & aræ, mox magnifici templi a Domitiano sacrati Jovi Custodi clarissimum nobis exhibent monumentum.

NUM. 6.

In antica parte eadem epigraphe, ut supra num. 15. *Caput Domitiani laureatum.*

JOVI CUSTODI. Senatus-Consulto. Jupiter in sella sedens, dextra victoriolam, sinistra hastam tenet.

Domitianus Jovi tribuit non vitam solum & incolumitatem suam; verum etiam devictis Germanis Sarmatisque, victorias; quare Jovi Victoriolam tenenti dextra manu adposita est epigraphe JOVI CUSTODI. Impense Jovem coluit Domitianus, quum id uberrime testentur ejus numi, in quibus Jupiter, sive ejus aquila sculpta est, cum hisce titulis: JUPITER CONSERVATOR -- JOVI CONSERVATORI. -- JOVI DOMITORI ORBIS TERRARUM. -- JOVI JUVENI TRIUMPHATORI -- JOVI VICTORI, ut in sequentibus.

NUM. 7.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. (in alio COS. XII.) CENSoria POTestate (in alio CENS. P. Censor Perpetuus) Pater Patriæ. Caput Domitiani laurea corona redimitum.

JOVI VICTORI. Senatus-Consulto. Jupiter ad dextram versus, dextra Victoriolam, sinistra hastam, sive sceptrum tenet.

Exhibetur idem numus a Bellorio num. 9. inter aereos. & pag. 76. describitur; in quo quidem, quod notandum est, Victoria illa duplices offert coronas, nec palmam tenet. Sed Angelonius, qui eundem numum profert, pro Victoriæ sigillo, Palladium esse adfirmat, & halucinatur. Censet percussum esse in memoriam devictorum Sarmatiæ & Daciæ populorum; sed devictis Sarmatis unam tantum coronam Jovi Capitolino obtulit. Post duos triumphos de Germanis susceptos, *Germanici* cognomen sibi assumpsit.

Hujus numi typus in mentem revocat alterum superius editum ex numo tum aureo Tab. VI. num. 6. tum argenteo Tab. VIII. num 12. His enim quantum adulatione captus sit Domitianus, qui Jovi similis reputatus est, perspicue adparet. In his ei tanquam Jovi hostium Victori, in reliquis divinam originem sortito blandiuntur. Nec vacat præterire, quæ ab eximio Tristano observata ad numos illos pag. 322. num. I. jam fuerant suo loco exponenda. Agitur enim de capra intra lauream coronam sculpta, cum epigraphe PRINCEPS JUVENTUTIS. „ Qui de„ dit (inquit Tristanus) hujusmodi emblema in „ Domitiani numo, eidem Principi velificari „ voluit, cum Jove eum comparans, dum Ca„ pram adtribuit; quasi cum Numine illo in e„ ducatione commune aliquid habuerit; sive „ potius arbitratus est illum esse Jovem ipsum, „ qui mortali tectus corpore, nomine Domitia„ ni, Romanum Imperium administraret. Ad „ ejus itaque significandam Juventutem, adsi„ gnat ei Amaltheæ Capram, quæ Jovem, jux„ ta Poëtarum fabulas, lactavit, uti præsertim „ edisserit, qui commentatus est Arateani Poë„ ma de Germanico, qui torvum adspectum „ huic capræ esse dicit. Quando igitur Jovi fuit „ cum Titanis pugnandum, ad eos edomandos, „ pelle & spolio hujus capræ usus est tanquam „ scuto. Uno enim tantum motu ejus adeo Gi„ gantas perterrefecit; ut ejus adspectum susti„ nere nequaquam potuerint. Nonnus Lib. I. „ eum exhibet hoc uno tantum scuto armatum, „ ut etiam Auctor hujus versus, dum Typhoei „ interfectorem facit:

Ἠερόθεν πεφόρητο μετάρσιος Αἰγίοχος Ζεύς.

„ Id ipsum clarius adserit Didymus ad hunc ver„ sum secundi Libri Iliados:

Ὦ πόποι αἰγιόχοιο Διὸς τέκος ἀτρυτώνη;

„ quem consulere oportet. Eustathius ad Lib. V. „ aperte testatur ægida fuisse scutum cum hujusce „ animalis emblemate, quæ a verbo αἴξ capram „ significante denominatur. Hinc est, quod post „ Jovem Minerva quoque contra Gigantas uti„ tur ægide, ut ostendit Horatius Lib. III. O„ de IV.

Quid Rhoecus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? ———

„ Quo in loco Torrentius Horatium arguit, quod „ Palladem inducit pugnantem adversus Gigan„ tes, scuto, quod solus Jupiter juxta suam opi„ nionem adhibebat in hujusmodi certamine. „ Nonnus præterea dixit eam una cum Jove Ti„ tanum conatus irritos reddidisse Lib. XX. hisce „ versibus:

Αἰγίδα κουφίζουσα πύλας ἔσκεπεν Ὀλύμπου
Τιτήνων σκεδάσασα θυελλήεσσαν Ἐνύω;

„ eam scilicet alias cum ægide auxiliatam esse „ Olympum, bellicoso Titanum impetu repres„ so. Quod itaque ægide una cum Jove Pallas „ utatur, satis evincitur ex verbis hujus Poëtæ, „ quæ modo citavimus; qui Lib. I. inducit Jo„ vem ægida præ manibus habentem, & exci„ tantem ad certamen Typhoeum.

„ Aegidi vero Pallas adjunxit etiam caput Me„ dusæ, sive Gorgonis. Quum vero Pallas ea es„ set Dea, quam sibi Præsidem Domitianus „ cooptaverat, mihi videtur hæc capra ægidam „ designare. Ita vero ejus scuto insculpta fuit,

 „ quasi

„ quaſi virtus, & Victoria a Jove & Pallade in „ illud tranſlatæ fuiſſent ad rebelles Germaniæ „ populos debellandos, cujus populi, quaſi Titanes alteri, ſive Gigantes adſidue Romanum „ Imperium laceſſebant, ejus poſſeſſionem adfectantes.

„ Hic numus eſt argenteus; ſed rariorem hoc „ æreum exhibeo minimi moduli; in cujus poſtica parte cum eadem epigraphe, ſed ſine corona, aries repræſentatur, qui heic ſummo „ judicio deſignat Cæſarem PRINCIPEM JUVENTUTIS: quum inter zodiaci ſigna principem obtineat locum *Aries.*

—— Aries caput eſt ante omnia princeps
Sortitus. —— —— ——

„ teſte Manilio Lib. II. Anonymus Auctor refert; *Nigidium dicere, ducem & principem eſſe* „ *Signorum Zodiaci circuli.* Germanicus vero in „ ſuis Phænomenis;

Sed princeps Aries toto fulgebit in orbe.

„ Siquidem Aries verni temporis principium & „ ſignum eſt. Hinc verno tempore Mundus unanimi conſenſu conditus credebatur, quum „ in medio cæli Aries ſit. Macrobius Lib. I. de „ ſomnio Scipionis Cap. XXI. Aiunt (ſcribit) „ incipiente die illo, qui primus omnium inluxit, id eſt, quo in hunc fulgorem cælum, *&* „ *elementa purgata ſunt, qui ideo MUNDI* „ *NATALIS jure vocatur, Arietem in medio* „ *cæli fuiſſe.* Et paullo inferius ſubdit: Aiunt „ enim, in hac ipſa genitura mundi, Ariete „ medium cælum tenente, horam fuiſſe mundi „ naſcentis. Manilius Lib. IV.

Laniger in medio ſortitus ſidera mundo
Caurum per gelidum tepidi per tempora veris
Adſerit in vires Pontum. ——

„ Apud antiquiores Græcos etiam Princeps, ſive „ Heros adpellatur κριὸς, dicebantque τὸ κρείειν *imperare*, uti ad Artemidorum adnotavi Lib. „ XII. in Etymologetico, quod explicat κρείων & „ κρείουσα, βασιλεὺς βασιλεύουσα; *Rex, Regina.* Ex „ hoc etiam loco ſumſit Suidas, qui id confirmat. Achmetes etiam Cap. 242. teſtatur: *A-* „ *rietem*, ſymbolum ſemper fuiſſe Poteſtatis, & „ Imperii. Ea propter Hieremias Cap. I. Threnorum, comparat Principes & Duces Iſraelitici Populi arietibus; ait enim: *Egreſſus eſt a* „ *filia Sion omnis decor ejus: ejus facti ſunt Principes ejus velut arietes, non invenientes paſcua: abierunt abſque fortitudine ante faciem* „ *ſubſequentis.*

„ Optime igitur Aries heic exhibetur ſub hac „ epigraphe: PRINCEPS JUVENTUTIS, „ ſignificatur enim Domitianus filius Imperatoris, hilaris vividuſque Juvenis, merito Princeps Romanæ Juventutis adpellatus una cum „ Tito, In poſtica enim parte numi Veſpaſiani „ legitur: TITUS ET DOMITIANUS CAESARES PRIN. JUVENT. & inito mox imperio, Romanorum gloriam renovaturus crebatur ſuis victoriis, partis præſenti numine „ Palladis ſuæ, quam ut tutelare numen colebat, ut etiam cæleſti huic Arietis ſigno præerat, oſtendente Manilio Lib. II. dum ait:

Lanigerum Pallas, Taurum Cytherea tuetur.

NUM. 8.

DOMITIANUS AUGUSTUS. *Caput Domitiani laureatum.*

MARS VICTOR Senatus-Conſulto. Mars Gradivus, dextra Victoriolam, ſiniſtra tropæum geſtat.

Monumentum Germanicæ Victoriæ refert hic numus decreto Senatus percuſſus, & inter Deos, quibus Domitianus Victoriam de hoſtibus tribuit, non Jupiter tantum, & Minerva, ſed & Mars Victor declaratur.

NUM. 9. 10.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGuſtus GERManicus COnSul XVII. CENSor PERPetuus, Pater Patriæ. Domitiani caput laureatum.

S. C. Senatus-Conſulto. Arcus triumphalis cum quadrigis elephantorum, Domitiano erectus, qui inſtat in ipſis, ſcipionem cum aquila in vertice, & lauri ramuſculum tenens.

Numiſmata hæc teſtantur triumphales arcus Domitiani duabus quadrigis ornatos fuiſſe, queis juncti Elephanti, & Imperatoris in his ſtatuas aureas, vel ex ære inauratas fuiſſe.

Egregie illuſtratur hic numus a Cl. Triſtano Tom. I. pag. 333. cujus obſervationes perlubet adjicere. „ Cernitur Arcus triumphalis, ſuper „ quem duo poſiti ſunt currus triumphales ab elephantis tracti. Cernitur Imperator gerens lauream coronam. Erectus eſt hic Arcus triumphalis Domitiano, ultimo imperii ejus anno & „ Conſulatum, qui fuit XVII. Alienis enim triumphis & gloriæ adeo invidebat, ut toties oportuerit eum creare Conſulem, ut perpetuam „ obtineret dignitatem. Id animadvertens Auſonius, ejus aviditatem, ambitionem, & invidiam accuſat in Panegyrico, quem habuit coram Gratiano, pro Conſulatu gratias acturus. „ *Scis inquam* (ait) *ſeptem & decem Domitiani* „ *Conſulatus, quos ille invidia alteros provehendi, continuando conſeruit; ita ejus aviditate deriſos, ut hoc eum pagina faſtorum ſuorum, imo* „ *faſtidiorum, fecerit inſolentem, nec potuerit* „ *præſtare felicem.* Videatur etiam Poëma illud, „ quod Statius de hoc XVII. Domitiani Conſulatu ſcripſit.

Sed de triumphali Arcu, pauca dicam, ſpectare licet hic duas Victorias, quas Domitianus ſibi perſuaſit ſe retuliſſe ex Gallis, Germanis, Sermatis, Dacis & Cattis, de quibus triumphavit. Ad poſterorum memoriam hic Arcus eſt conſtitutus; ad quem hæc inſcripſit Martialis Lib. VIII. Epigr. 65.

Grande loci meritum teſtantur & altera dona,
Stat ſacer edomitis gentibus ARCUS OVANS.
Hic GEMINI CURRUS numerant elephanta frequenter,
Sufficit immenſis AUREUS ipſe jugis.
Hæc eſt digna tuis, Germanice, porta triumphis.
Hos aditus Urbem Martis habere decet.

„ Hu-

„ Hujusmodi Porta triumphalibus curribus undi-
„ que passim ornata, in area erat, quæ porti-
„ cus quasi & ipsa erat Templorum *Fortunæ Re-*
„ *ducis*; in quibus Senatus Populusque saluta-
„ tionibus excipiebant Vespasianum, Titum &
„ Domitianum, ab expeditionibus, ut arbitror,
„ redeuntes. Sic enim adnotat Martialis hujus E-
„ pigrammatis initio:

Hic ubi FORTUNAE REDUCIS fulgentia late
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hic auro redimita comas, & candida cultu
Roma salutavit voce manuque Ducem.

NUM. 11. 12.

Sine epigraphe: Arcus triumphalis duabus quadrigis ornatus, quibus juncti quatuor elephanti, ut supra num. 9. 10. ornatus.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XV. CENSor PERpetuus, Pater Patriæ. In medio areae: S. C. Senatus-Consulto.

Domitianus post victoriam Sarmaticam multos arcus cum quadrigis & insignibus triumphorum per regiones Urbis sibi erexit; maximum vero hunc sibi constituit insigni in loco, quem Martialis, ut vidimus, *Arcum ovantem* adpellat, prope Templum *Fortunæ Reducis*, in ipso aditu Urbis. Duplices vero spectantur quadrigæ; quia de Dacis & Germanis duplicem retulit triumphum.

NUM. 13.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XVII. CENSor PERpetuus, Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

S. C. Senatus-Consulto. Templum quatuor columnarum, in cujus meditullio Imperator togatus sedet: ad gradus vero hinc inde stat miles, dextra hastam, læva clypeum.

Vivo sibi templa dedicari passus est, & jussit Domitianus, ad Dei seu Numinis loco statuam in his poni, quæ eum referret. In hoc togatus, seu verius tunicatus, velut Jupiter, sedet. Huc facit Suetonii locus in ejus vita c. 13. *Pari arrogantia cum Procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic coepit, Dominus & Deus noster sic fieri jubet: unde institutum posthac, ut ne scripto quidem, ac sermone cujusquam adpellaretur aliter.* Martialis Lib. V. Epigr. 8.
Edictum DOMINI DEIQUE nostri, ac pluribus in locis *Deum Cæsarem* & *Dominum* vocat.

NUM. 14.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani.

S. C. Senatus-Consulto. Templum sex columnis subfultum, in cujus aditu in medio, basi impositum Jovis simulacrum sedentis habitu, hinc inde a dextris simulacrum Palladis, a sinistris Junonis stantis: prope gradus in tympano & fastigio compluribus signis ornatum.

Mediobarbus describit hunc numum pag. 132. ex Vaillantio, a quo censetur referre templum Pacis; sed quum scribat conspici tres figuras in ejus aditu cippis impositas, non parum ab hoc typo differre numus ille mihi videtur. Verosimilius crediderim in hoc exhiberi Jovis Capitolini templum, in quo in proximis cellis erant Minervæ & Junonis simulacra: & convenienter quidem Senatus hujus templi monumentum publicum exstare voluit; nam ipsum Domitianus incendio absumtum restituit, uti a Suetonio memoriæ proditum c. 5. *Plurima, & amplissima opera incendio absumta restituit, in queis & Capitolium, quod rursus arserat; sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. Novam autem excitavit ædem in Capitolio Custodi Jovi &c.* Hinc adparet, quam insignibus ornamentis ejusdem templi frontem ornaverit, in cujus fastigio duas quoque Victorias cum palmis & coronis posuit, quæ Dacicam & Germanicam referrent. Memorat Suetonius c. 13. Statuarum decus, quas sibi dedicari voluit Domitianus: *Statuas sibi in Capitolio, nonnisi aureas, & argenteas poni permisit, ac ponderis certi.*

NUM. 15.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANUS AUGustus GERManicus COnSul X. Domitiani caput laureatum.

VICTORIA AUGUSTI. S. C. Senatus-Consulto. Victoria stans, dextrorsum versa; dextra copiæ cornu, sinistra columnæ innixa palmam tenet.

Ab Oiselio describitur hic Domitiani numus Tab. LXVIII. num. VI. pag. 375. sed non sine mendis, ita apud eum variat epigraphe: VICTORIA AUGUS. S. C. Sed etiam Victoriam adnotat sinistro cubito trunco arboris palmæ innixam; quum perspicue columna marmorea adpareat, ad declarandam Victoriæ Germanicæ optime stabilitam perpetuitatem, e qua rerum omnium & bonorum adfluentiam promanare indicat copiæ cornu, quod dextra tenet.

NUM. 16.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANus COnSul II. Caput Domitiani.

COngiarium II. COnSul II. S. C. Domitianus togatus in substructione sellæ curuli insidens congiarium largitur, quod accipit effuso sinu figura stans: altera prope eum adstante, quæ dextra tesseram frumentariam, sinistra copiæ cornu tenet.

Quæ

Quæ lateri Domitiani adhæret, & tesseram frumentariam, & copiæ cornu ostentat, Dea Annona est, vel Abundantia. Studuit Domitianus congiariis & largitionibus, nec non etiam militaribus stipendiis animos Romanorum magnopere devincire, ac sibi benevolos reddere. Id etiam adnotavit Suetonius in ejus vita c. 9. *Inter initia usque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut absente adhuc patre, recordatus Virgilii versum,*

Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,

edicere destinaverit, ne boves immolarentur. Cupiditatis quoque atque avaritiæ vix subspicionem ullam aut privatus unquam, aut Princeps aliquandiu dedit; immo e diverso magnæ sæpe non abstinentiæ modo, sed etiam liberalitatis experimenta. Omnes circa se largissime prosecutus, nihil prius, aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent.

NUM. 17.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANUS AUGustus GERManicus COnSul X. Caput Domitiani laureatum.

FIDES EXERCITUUM. Senatus-Consulto. Imperator togatus stans ante aram ignitam, dextram porrigit Legato Legionis; ad cujus latus Primipilus.

Militare sacramentum exhibetur in hoc numo, & in sequentibus, de more ad aram ignitam, peractum, Imperatore & Legato Legionis dextras jungentibus, cui adstant alii Legionarii milites. Huc referenda censeo, quæ ex hoc numo lucem mutuantur, Dionis verba, qui Lib. LXVII. narrat Dacico bello inter memoratu digna id accidisse, quod Domitianus curam belli gerendi Juliano demandarit; & quod, ceteris rebus bene constitutis, jusserit militibus, ut sua & Centurionum nomina in clypeis inscriberent, quo facilius ii, qui præclare aliquid aut turpiter egissent, agnoscerentur. Igitur miles ille, qui cum Domitiano dextram conjungit, facile esse potest hic Julianus Dacico bello Præfectus, vel etiam, si probabili conjecturæ indulgere licet, Dionis auctoritate subfultæ, facile esse potest Lucius Maximus, qui devicit & bello cepit per id tempus Antonium, qui Germaniæ præerat, & contra Domitianum adsurgere ausus fuerat. Id adstruere videtur numismatis hujusce, quod etiam Mediobarbus describit pag. 134. ex numis Arscotanis Tab. 68. n. 6. & Vaillantius Tom. I. pag. 40. inscriptio: FIDES EXERCITUUM. Convenit etiam tempus, nempe Consulatus Domitiani decimus; anno videlicet V. C. 837. Chr. 84. quo contra Germaniæ populos pugnatum est, & de iisdem relata victoria; post quam etiam hic numus & sequentes cusi videri possunt.

NUM. 18. 19.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

Senatus-Consulto. Posticæ partis idem typus, ut in superiore numo, nisi quod in 18. quatuor tantum figuræ, in 19. quinque; in priore unicum militare signum, in altero duo.

Hoc ipso anno ab V. C. 838. Chr. 85. Domitianus de Cattis, Dacisque, & Germanis populis triumphavit. Audiendus Suetonius c. 6. *Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessario: sponte in Cattos, necessario unam in Sarmatas, Legione cum Legato simul cæsa: in Dacos duas, primam Oppio Sabino, Consulari, oppresso; secundam Cornelio Fusio, Præfecto Cohortium Prætorianorum, cui belli summam commiserat. De Cattis, Dacisque post varia prælia duplicem triumphum egit: de Sarmatis lauream modo Capitolino Jovi retulit.*

NUM. 20.

CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani.

Senatus-Consulto. Amphitheatrum cum meta sudante a dextris, & a sinistris ædificio.

Defuncto Vespasiano, Titus quum Consul esset VIII. & Domitianus VII. Amphitheatrum a patre inchoatum, omnibus operibus perfectum, dedicarunt, anno V. C. 833. Christi 80. quod in eorum numis exhibetur. De hoc nonnulla superius in numis Titi adnotavimus. Aedificium illud, quod læva conspicitur, a nonnullis censetur Domus Aurea Neronis.

NUM. 21.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus Pontifex Maximus. Caput Domitiani laureatum.

PIETAS AUGusta DOMITIANi. S.C. Domitianus togatus, alio togato ad dextrum latus adstante, dona distribuit militibus manus dextras protendentibus.

Alio cum typo, sed adsimili inscriptione, Mediobarbus pag. 131. describit numum, in quo figura muliebris sedens, ante quam puerulus prætextatus stans, cum epigraphe: PIETATi AUGUSTæ. Numus hic profecto rarus est. Primum Domitianus, defuncto patre diu cunctatus est an duplum donativum militi daret, teste Suetonio c. 2. Idem auctor memorat c. 4. congiarium ab eo ter populo datum trecentorum numûm; item epulum, opsonium in Quinquatribus; & proximo die omne genus rerum missilium sparsisse scribit. Quia vero major tesserarum pars intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris ac Senatorii ordinis mittendas præcepit. Verum, quum in Germania L. Antonius ei adversaretur, constat, auctore eodem Suetonio c. 7. eum *addidisse & quartum stipendium militi, aureos ternos:* quod in hoc ipso numo repræsentari non obscure videtur.

NUM. 22.

Vacat.

NUM.

N U M. 23.

Eadem forte epigraphe, ut supra num. 15. idemque typus.

Devictis Dacis Germanisque complures numi decreto Senatus Domitiano dedicati adparent apud Mediobarbum, & Victoria variis emblematis sculpta est.

N U M. 24.

DOMITIANUS CAESAR. Caput Domitiani.

Senatus-Consulto. Laurea corona.

T A B U L A XV.
P R A E F E R T
N U M I S M A T A
IMP. CAESAR. DOMITIANI
EX AERE MAGNO.

N U M. 1.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus PONTifex (in alio MAXimus.) Caput Domitiani laureatum.

TRibunitia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Senatus-Consulto. Domitianus togatus stans dextrorsum versus, Palladium dextra ostentat.

Palladium præfert Domitianus, æternum atque auspicatissimum Romani imperii pignus, quo stante Urbem crediderunt, ut, consors imperii a Tito factus, perennem fore Romanorum felicitatem ostenderet. Adepti in imperio consortii signatur in hoc numo rarissimo, qui a Mediobarbo non recensetur, tempus; nempe quum Domitianus Consul esset VII. & designatus VIII. scilicet anno V. C. 834. Chr. 81. quo etiam *Germanici* cognomentum accepit.

N U M. 2. 3. 4. 5.

Epigraphe anticæ partis eadem fere in singulis, ut superior num. 1. Caput Domitiani laureatum.

In postica eadem pariter inscriptio in singulis præter num. 3. ut supra. Pallas stans jaculo, vel fulmine armata, vel hastæ innixa.

Palladem tutelare Numen suum in numis, ut vidimus, aureis & argenteis expressit Domitianus, ut ejus consilio Germanicum bellum suscepisse ostenderet, atque ejus ope & præsidio de iisdem victoriam & triumphum reportaturum: quapropter ad Germanorum terrorem & exscidium ipsam Deam jaculo & fulmine armatam sculpsit; eamque velut genitricem, & se ejus filium, per sacrificulos inprimis advocari jussit.

Quandoquidem tam frequenter in Domitiani numis ex omni metallo occurrit typus Minervæ Jaculatricis, quæ etiam humi pedibus insistit, non abs re erit eruditas observationes Celeberrimi Tristani adjicere, quas proponit ad numum cum eodem typo pag. 324. Tom. I. quamvis in eo epigraphe occurrat: PRINCEPS JUVENTUTIS.

,, Pallas hastam suam scutumque tenet, quasi
,, jam jam pugnatura, veluti eam describit Ma-
,, ximus Tyrius sermone suo XXVI. ad exem-
,, plum quidem ejus simulacri, quod Phidias fe-
,, cit, & Homericæ fictionis: Παρθένον κόρην γλαυ-
,, κῶπιν ὑψηλὴν, αἰγίδα ἀνεζωσμένην, κόρυν φέρουσαν, δόρυ
,, ἔχουσαν, ἀσπίδα ἔχουσαν. Virgo formosissima, de-
,, coro adspectu, glaucis oculis, ægida præfe-
,, rens, galeato capite, hastam & scutum te-
,, nens in manibus. Ea insuper est, qualem in
,, templo Thebarum adparere fecit Epaminon-
,, das, cohortaturus ad pugnam cives suos, ut
,, testatur in Lib. II. Polyænus. Narrat enim,
,, Epaminondam jussisse secreto inferi brachio
,, Palladis scutum, quod ipsa ad pedes habebat;
,, mox vero aperiri templum, in quo vix scuto
,, freta visa est hæc statua, quasi pro illis pugna-
,, tura esset Pallas, tantaque virtute & alacritate
,, excitatos fuisse cives, scribit Auctor, ut cum
,, hostibus congressi, absolutam de illis victo-
,, riam reportarint. Eodem habitu & forma sta-
,, re heic Pallas pro Domitiano designatur; qua-
,, si pro eo adversus Germanos bellatura. Quod
,, ad epigraphen spectat (quæ in aliis numis cum
,, hoc typo occurrit PRINCEPS JUVENTU-
,, TIS) hæc non modo ad hoc emblema refer-
,, tur; sed ad nomina, & titulos, qui Domitia-
,, ni effigiem circumstant. Titulus vero *Princeps*
,, *Juventutis* non modo Cæsaribus Juvenibus
,, tribuebatur; sed ei etiam, qui dux esset, &
,, Auspex Juventutis exercendæ. Epictetus in
,, Arriano Lib. III. Cap. I. Τοιοῦτόν σε θῶμεν πολί-
,, την Κορινθίων, κἂν οὕτω τύχῃ, ἢ ἐφήβαρχον, ἢ στρατηγὸν,
,, ἢ ἀγωνοθέτην: scilicet: Quum tu sis tantus vir,
,, putaresne Corinthi civem te esse habendum?

„ Quid si Præfectus urbi, aut *Princeps Juventutis* nominareris, aut Ludorum præfecturam & „ munus obtineres?

NUM. 6. 7. 8.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus Pontifex Maximus. (in alio CENSor.) Caput Domitiani laureatum. Idem typus, ut supra.

Percussa sunt hæc numismata vel tunc quum in Germaniam cum exercitu profectus est Domitianus, &, hoste nunquam viso, ut victor rediit, anno nimirum V. C. 835. Chr. 82. Minerva ex Etruscorum libris inter ea certa Numina recensetur, quibus jactus fulminum, (manubias ipsi dicunt) tribuuntur; quam fulmina jaculantem ita describit Virgilius Aeneid. Lib. I. vers. 43. ubi Junonem iratam ita loquentem inducit:

——— Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei?
Ipsa, Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum exspirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.

In hunc locum vide Servii Commentarium.

NUM. 9.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

Senatus-Consulto. Domitianus velato capite stans, pateram dextra tenens super aram sacro igne accensam & coronatam, Minervæ sacra faciens, cujus simulacrum cernitur in ædicula columnis instructa.

Singulis annis Quinquatria in Albano monte celebrare consuevit Domitianus, quæ in honorem Minervæ instituit, instituto etiam Collegio, ut narrat Suetonius c. 4. *Celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria Minervæ: cui Collegium instituerat; ex quo forte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes, & scenicos ludos, superque Oratorum ac Poëtarum certamina.* Verosimile est in hoc numo sculptum esse Domitianum, qui Quinquatribus Ludis Minervæ sacrificat in Albano monte; quod etiam adnotat Bellorius num. 14. qui hunc ipsum numum producit, eidemque etiam expressa videtur cella Capitolina Minervæ a Domitiano restituta. Apollonius sacrificantem Palladi Domitianum invenit, ut Philostratus refert de vita ejusdem Apollonii Lib. VII. Cap. 14. *Forte autem Rex, quum Palladi sacrificasset, viridi ramo coronatus, in Adonidis aula constiterat.* Idem numus inter ceteros Musei Farnesiani adfertur a Cl. Pedrusio S. J. in Tab. XIX. num. VII. & illustratur pag. 165. & 166. Vol. VI. qui etiam percussum censet in honorem Domitiani, ea celebritate, qua Minervæ Quinquatria celebrabat; quare quum Domitiani Consulatus XI. in numo notatus incidat in annum V. C. 838. Chr. 85. & Quinquatria XIV. Kalendas Aprilis inciperent; ea occasione percussum fuisse credendum est. Memorantur eadem Quinquatria certamina a Xiphilino ex Dione Histor. Rom. Lib. LXVII. initio, a Juvenale Sat. XI. quibus adcedunt Statius & Martialis. Mediobarbus, qui hunc numum describit pag. 134. Domitianum sacra facientem Gabino cinctu amictum autumat.

NUM. 10.

IMPerator CAESar DIVI AUGusti Filius DOMITIANus COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

Senatus-Consulto. Imperator militaribus armis & paludamento insignis in medio stans, globum accipit a Minerva, & a Victoria coronatur.

Testatur perspicue satis, ni fallor, hic perrarus numus, Domitianum non solum se filium Minervæ jactavisse; verum etiam ea auspice & favente Romani orbis imperium suscepisse, cujus symbolum est globus, quem ei tradit Minerva, dum a Victoria ob res Germanico bello gestas coronatur.

NUM. 11. 12.

Epigraphe eadem, ut in antecedenti num. 10. *Caput Domitiani laureatum.*

Senatus-Consulto. Mars Gradivus dextra hastam, sinistra tropæum in humeris ferens.

Hi quoque numi monumentum sunt relatæ de Germanis victoriæ a Domitiano, ut supra monuimus. Occurrunt etiam numi Domitiani ornati Martis Victoris imagine, qui opima spolia in humeris gestat, victorum more, ut supra videre est in Tab. XIIII. num. 8.

NUM. 13.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. CENSor PERPetuus (in alio Pater Patriæ.) Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Imperator militari veste insignis, sinistra hastam gerens, ad quem Germanus victus procedit, clypeum utraque manu tenens erectum.

NUM. 14.

In antica parte eadem epigraphe, ut in superiore num. 13. *Caput Domitiani laureatum.*

Senatus Consulto: In exergo GERMANIA. Idem typus ut in antecedenti.

Figura illa in genu dextrum prolapsa ad pedes Domitiani (qui nudo capite sculptus est, non

non laureato, ut alii scripsere) captivum Germanum refert, quamvis Germaniam ipsam repræsentet, ut docet epigraphe GERMANIA. Neque vero uti visum est Angelonio Tab. xcvii. n. 25. supplicem dextram manum extendit; sed utraque manu erectum scutum substinet. Ex his numis aliisque Oiselius colligit, quæ propria Germanorum essent arma, quæ scutorum forma, quæ spicula, tubæ, cornua, & militaria vexilla. Vestis vero Germanorum, ut ex his adparet, adstricta fuit, utroque brachio, & cruribus fere nudis. Vide Oiselium in Tab. XXIV. num. IX. X. XI. & XII. Neque solum Germani usi sunt scutis oblongis, sed & rotundis ut ex aliis numis observat idem Oiselius Tab. XXV. num. V.

NUM. 15. 16.

Eadem in antica parte epigraphe, ut in ancedentibus num. 13. & 14. Caput Domitiani laurea cinctum.

In numi area: Senatus Consulto: In altero numo in exergo: RHENUS. Imperator Domitianus habitu militari insignis, armatusque hasta pura, & parazonio, Rhenum fluvium hydriæ innixum dextro cubito, laeva arundinem tenentem, proculcat.

Quamvis Domitianus Germanos vicisse videri voluerit (nam teste Xiphilino ex Dione *profectus in Germaniam cum exercitu, hoste numquam viso reversus est*) & falsum & deridiculum de Germanis triumphum egerit, emtis per commercia hominibus, quorum habitus & crines in captivorum speciem formarentur, ut narrat Tacitus in Vita Agricolæ; numismata Senatus Consulto percussa ei tanquam Victori blandiuntur. Ipse etiam Germanici cognomentum suscepit. In his numis sculptus est Domitorum more, proculcans Rhenum humi decumbentem. Hac laude celebratur a Martiale Lib. IX. Epigramm. 7.

Tibi summe RHENI DOMITOR, & parens orbis,
Pudice Princeps gratias agent urbes.

Nec silentio prætereundum est alterum Epigramma 12. Lib. II.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodque Metellus habet.
Nobilius DOMITO tribuit Germania RHENO,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar eras.
Frater Idumæos meruit cum patre triumphos;
Quæ datur ex Dacis laurea, tota tua est.

Sed Rheno, quem proculcat, quantum obnoxius sit Domitianus, ex Suetonio intelligi potest. c. 6. *Bellum civile motum a L. Antonio, superioris Germaniæ Præside, confecit absens felicitate mira; quum ipsa dimicationis hora resolutus repente RHENUS transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset. De qua victoria prius præsagiis, quam nunciis comperit: Si quidem ipso quo dimicatum est die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit; paulloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque adportatum vidisse se plerique contenderent.*

NUM. 17.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XII. CENSor PERPetuus (in alio CENS. PER. Pater Patriæ.) Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Victoria alata, sinistro pede galeam calcans, manibusque adpendens scutum, in quo scriptum DE GERmanis, tropæo erecto, sub quo mulier captiva Germaniam referens mœrens sedet.

NUM. 18.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. (in alio COS. XIIII.) CENSor PERPetuus Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

GERMANIA CAPTA. Senatus Consulto. Tropæum Germanorum armis onustum, sub quo hinc figura muliebris sedens & gemebunda; hinc virilis nuda amiculo ab humeris pendente velata; ad cujus pedes scutum oblongum.

Quemadmodum Titus in suis numis JUDAEA CAPTA inscripsit; ita Domitianus, Germania domita, in suis sculpsit GERMANIA CAPTA; quam æmulationem animadvertit Suetonius in ejus vita c. 2. *Expeditionem quoque in Galliam Germaniasque, neque necessariam, & dissuadentibus paternis amicis, incohavit, tantum ut fratri se & operibus, & dignatione adæquaret.*

NUM. 19. 20.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XII. (in alio COS. XIIII.) CENSor PERPetuus (in alio Pater Patriæ.) Caput Domitiani laurea revinctum.

Senatus Consulto. Domitianus in numo 19. equo insidens dextra indicat aliquid; sub pedibus equi caput virile barbatum: in altero num. 20. equo decurrens jacit jaculum in Germanum sub pedibus equi prolapsum.

Recondita eruditione multa depromit Celeb. Tristanus in hunc ipsum numum, ut ea Lectorem latere minime velim, Latina interpretatione donata ex Tom. I. pag. 326. num. 3. „ Domitiani effigies est, habetque in pectore „ Medusæ caput. In postica parte scriptum S. „ C. Domitianus insistens equo, chlamyde dumtaxat tectus, & Imperatoris pallio, quod ad „ sinistrum brachium rejectum adspicitur. Dex- „ tram

„ tram elatam tenet, extensa manu, qua pacem videtur adnunciare, Germanico proelio partam; eoque esse corporis habitu, quo cum hisce Barbaris subactis, pacem mox firmavit. Sinistra moderatur equi habenas, qui recto pede premit caput fluminis, sive galeam aliquam. Hic numus alteri similis est apud Aeneam Vicum, in quo arbitror exhiberi hanc equestrem statuam, sive colossum Domitiani, quam eleganter non minus quam absolute descripsit Papinius Statius, qui Politianum, Parrhasium, veteresque Interpretes, licet eruditissimos, diu torsit, quum Domitiani numis illis opus essent, ut eo loci clarius Statium interpretarentur. Ex his enim Poëtæ versibus facile est judicare, hoc numo equestrem Domitiani statuam repræsentari.

Dextra vetat pugnas, lævam Tritonia Virgo
Non gravat, & sectæ prætendit colla Medusæ,
Ceu stimulis accendat equum: nec dulcior unquam
Lecta Deæ sedes, nec si pater ipse teneres
Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas:
Et quis se totis Temese dedit hausta metallis,
It tergo demissa chlamys. Latus ense quieto
Securum. ——— ——— ———

„ mox adjicit:

——— *vacuæ pro cespite terræ*
Aenea captivi crinem tegit ungula Rheni. "

„ quo in loco legendum esse adfirmo:

——— *nec si patris ipsa teneres*
Pectora. ——— ——— ——— ———

„ sic enim arbitror esse intelligendam Poëtæ mentem. Ejus dextera, ait ille, *vetat pugnas*; scilicet, tollit signum aliquod Pacis ad bene sperandum non Barbaris tantum, sed & toti mundo. Pallas vero, quæ solida est tota in ejus scuto, & caput Medusæ præfert, non gravat sinistram; nimirum, non utitur in hoc Pacis monumento, sive equestri statua, scuto, quod ornat Pallas ejus tutelare numen, æque ac esset in medio belli ardore. Adeoque, inquit Poëta, non prætendit horrenda colla sectæ Medusæ; sed id facit, ut stimulis accendat equum: aut, ut sedem in suo pectore Deæ huic suæ gratiorem constituat, quam si ipsa pectus parentis sui Jovis incoleret. Hoc modo clarius intelligitur, quo consilio pectori Domitiani, ut videmus in numis, Medusæ effigies adpingatur. Hinc etiam Poëta adjungit, chlamydem a Domitiani tergo esse demissam; non vero prætervolare vento distentam, veluti quum Imperatores in equo, citato cursu, hostes suos insequuntur: quod in postica hujus numi parte notatu maxime dignum est: ut etiam quod addit in fine, Domitiani equum crines tegere captivi Rheni, capillatam scilicet Rheni effigiem, quem subegerat. Hæc horum versuum germana est explicatio, quæ tota hoc numo nititur, in quo Domitianus spectatur sine scuto, sive clypeo, elata manu dextera, pacifico habitu, demissa chlamyde, & insidens equo, qui pede proterit capillatum fluminis caput; non vero galeam, qualis est in altero numo apud Vicum, qui utrum caput capillatum, sive barbatum esset, an vero galea sub equi pede, non est, arbitror, adsequutus. Omnem doctorum hominum controversiam de medio tollit hic numus, ostenditque quam longe Gevartius præ ceteris aberraverit in cognoscendis habitu, signis, ceterisque hujus Statuæ Domitiani characteribus, ad quam explicandam male usus est Trajani numo, & altero Domitiani, ut conjecturas suas comprobaret contra opinionem Politiani, qui illud, *dextra vetat pugnas*, designare dicebat gesta Imperatoris pacem firmantis, qualem describit Quinctilianus Lib. XI. Cap. III. *Fit & ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui, inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit: qui quidem maxime placet iis, qui se dicere sublata manu jactant.* Hic enim revera est habitus, & forma, qua designatum videmus Antoninum equo insidentem, & Marcum Aurelium, ceterosque in diversis numis, (ut etiam in numismate maximi moduli, quod inferius illustrabo) qui Romam ingrediebantur pacifico vultu, delicato gressu, habitu pacificatorum, brachio protenso, aperta ad populum manu; quare quod Quinctilianus dicit, *manum infesto pollice extendere*, (non vero *inflexo pollice*, ut male Gevartius emendat) idem est ac pollex rectus, sejunctus a ceteris digitis simul conpactis. Simili, eodemque prorsus modo videtur Persius in IV. Sat. Neronem describere:

Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus. ——— ———

„ Virgilius quoque similem habitum, nimirum demtam galeam, nudatum caput (uti heic in Domitiano factum videmus) dat Aeneæ in Lib. XII. quem cohibere fingit agminum iras & rixas;

At pius Aeneas dextram tendebat inermem,
Nudato capite, atque suos clamore vocabat,
Quo ruitis? quæve ista repens discordia surgit
O cohibete iras. ——— ——— ———

„ Elegantissimus pariter Heliodorus eodem pacificatoris habitu describit Lib. X. Cap. 28. Regem Hydaspem, sedantem populares tumultus, & motus. Τὴν χεῖρα προτείνας καὶ κατασείων πρὸς ἡσυχίαν· τὸ κλυδώνιον τοῦ δήμου κατέστελλε. Scilicet: *manus protensa erga populum significabat, ut ad eum accederent; sicque omnis commota seditio adquievit.* Suidas de Justiniano loquens, adnotat, eum equestrem statuam jussisse sibi erigi in Sanctæ Sophiæ Templo, in qua spectabatur dextro brachio manuque ad Orientem extensa; quasi Persis otium & quietem, & illuc mansionem indicaret. Ceterum hæc statua equestris, sive hic colossus Domitiani situs erat inter templa Juliæ Familiæ, & Paulli Palatium, ita ut Concordiæ Templum huic immineret, & cerneretur a fronte Capitolii, & Palatii, quod rursum ipse jusserat ædificari, una cum Vestæ templo. Quapropter in hoc ipso Poëmate Statius cecinit:

Ipse autem puro celsum caput aere septus
Templa super fulges, & prospectare videris,
An nova contemtis surgant palatia flammis
Pulchrius, an tacitus vigilet face Troicus ignis.

NUM.

NUM. 21.

IMPerator DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS: In exergo COnSul VII. Senatus-Consulto. Domitianus equo decurrens spiculo armatus.

Celeberrimus Vaillantius Tom. II. pag. 106. quinarium argenteum adfert rarum & elegantem, cujus antica ita inscripta: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. P. M. TR. P. VIII. postica vero, in qua sculpta Victoria cum corona & palma: IMP. XIIII. COS. XIIII. CENS. P. P. P. & hæc adnotat: „ Notæ istæ numerales, quibus indicantur anni Tribunitiæ potestatis, tituli Imperatoris, & Consulatus Domitiani, cum cognomine GERMANICI, hunc integerrimum nummulum Mediobarbo ignotum, maxime notabilem reddunt, quo imperii Domitiani epocha illustratur, & quando *Germanici* cognomen sumpserit, certius determinatur." Verum quidem est, quod & Suetonius adfirmat, Domitianum post duos triumphos *Germanici* cognomen assumpsisse: ita enim inquit c. 13. *Post autem duos triumphos GERMANICI cognomine assumto, Septembrem mensem, & Octobrem ex adpellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit; quod altero suscepisset imperium, altero natus esset.* Sed & hic numus, & alii, testantur, *Germanici* cognomen usurpasse Consulatu septimo, initio imperii sui, mortuo parente Vespasiano; anno nempe V. C. 834. Chr. 81. uti complura alia numismata a Mediobarbo adlata pag. 131. & 132. ostendunt. *Germanici* nomen semel & primo acquisitum a Druso, continuo tributum est ejus Filio Germanico, & deinde Claudius, Nero, Galba, Otho, Vespasianus, Titus, & tandem Domitianus adhuc juvenis hoc cognomentum assumpserunt. Laurentius Ramirez de Prado in Martialis Epigr. 12. Lib. II. credit Germanos, ferocem gentem, passim insurrexisse adversus Romana præsidia; præbuisseque his omnibus Imperatoribus victoriæ occasionem, unde *Germanici* nomen adsumerent. Superest, ut observemus in numo relato num. 19. equestrem Domitiani statuam, auro superfuso insignem, quæ ei dedicata est prope Miliarium Aureum, quod erat in medio Foro: cujus sub altero pede erat Rheni simulacrum, Germaniam indicans, de qua Domitianus triumphaverat; quam describit Papinius:

Aenea captivi crinem tegit ungula Rheni.

Vide Cl. Patinum in numism. Imper. Rom. p. 157. qui & hoc ipsum illustrat.

NUM. 22.

Anticæ partis epigraphe mihi ignota. Caput Domitiani.

Senatus Consulto. Domitianus in quadrijugo curru, in quo sculpta victoria coronam offerens, stans, sceptrum, cui imminet aquila sinistra, dextra equorum lora tenet.

Aureum numum Domitiani, in quo quadrigæ triumphales sculptæ sunt, exhibet superius adlata Tab. VI. num. 30 in quo scriptum GERMANICUS. Domitianus dextra lauri ramusculum, sinistra scipionem cum aquila in vertice, tenet. Hunc vero inter æreos apud Mediobarbum non reperio. Quadrigas triumphales a Senatu decretas Domitiano Germanorum Domitori, testatur hic numus, facile ejus Consulatu septimo percussus. Vide Mediobarbum pag. 131. Quam insana æstuarit ambitione Domitianus, ut ubique Germanicæ Victoriæ suæ exstarent monumenta, declarat Suetonius c. 13. *Janos, arcusque cum quadrigis, & insignibus triumphorum per Regiones Urbis tantos, ac tot exstruxit, ut cuidam Graece inscriptum arcui sit* Aream *&* Calvitium.

NUM. 23. 24.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XIIII. CENSor PERPetuus Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Imperator Domitianus dextrorsum versus, stans, militaribus armis & paludamento conspicuus, sinistra hastam puram, dextra fulmen ostentans, a Victoria coronatur.

Domitianus Minervam ipsam, cujus se filium credi voluit, æmulatur, & quum eam armatam fulmine in numis expresserit, in hoc se quoque ad ejus exemplum jactu fulminis gaudentem ostendit, ut augustiorem reddat Germanicæ Victoriæ imaginem, totoque orbe prædicandum devictis hostibus ferocissimis hoc monumentum. Idem typus, sed non eadem inscriptio occurrit in sequente numo num 24. in quo consignatur Domitiani COS. VIII. sed hujus numi nulla apud Mediobarbum mentio.



TABULA XVI.
COMPLECTENS
NUMISMATA
EX AERE MAGNO
IMP. CAES. DOMITIANI
IN COLONIIS CUSA.

Num. 1.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGuſtus GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

CORinthus PERMiſſu IMPeratoris, intra querneam coronam.

Colonia Corinthus, quæ ex Julio Cæſare *Julia* dicta eſt, atque ob eximia, quæ a Veſpaſiano beneficia accepit, FLAVIA AUGUSTA, ut ex numis colligimus, coronas aureas & argenteas obtulit Domitiano Germanorum Victori, cujus coronæ decus, tum in hoc numo, tum in ſequenti obſervatur.

Num. 2.

Eadem epigraphe in antica parte. Caput Domitiani laurea redimitum.

PERMiſſu IMPeratoris GERManici. Corona laurea.

Imaginem coronarum vel ex auro vel ex argento Corinthus expreſſit in his numis Domitiano permittente cuſis. Qua vero de cauſa eæ dedicatæ ſint, & obviam de Germanis triumphanti miſſæ, indicare videtur hic numus, in quo Domitianus ornatur GERMANICI cognomento. Vide Illuſtr. Spanhemium pag. 555. qui adfert numum Mediceum. Nulla de his numis mentio apud Mediobarbum, nec in Muſeo Theupoliano deſcribuntur.

Num. 3.

Eadem forſitan epigraphe in antica parte, ut ſupra num. 1.

PERMiſſu IMPeratoris CORinthus. Neptunus ſedens in ſcopulo, ſub quo delphinus: juxa eum femina, quæ puerum, cujus caput cernitur, præferre in ulnis videtur.

Corinthii Neptunum ſumma religione coluere, teſte Pauſania in Corinthiacis Cap. 45. qui Neptuni fana & ſigna prope Corinthum deſcribit. Femina illa, quæ furere quodammodo, Baccharum more, videtur, forte Pirenen repræſentat, quæ apud Corinthios, ut fabulis pervulgatum, quum filium Cenchriam lugeret, quem Diana per imprudentiam occiderat, tantam profudit lacrymarum vim, ut in fontem converſa ſit, ut memorat idem Pauſanias in Corinthiacis Cap. 46.

Num. 4. 5. 6.

Inſcriptio anticæ partis eadem facile ut ſupra. Caput Domitiani laureatum.

Colonia Julia Laus CORinthus. In exergo: PERMiſſu IMPeratoris. Currus quadrijugus triumphalis in quo ſculpta Victoria coronam offerens, & in eo ſtat Domitianus dextra lauri ramum, ſiniſtra ſceptrum gerens.

Domitianus de Cattis, Dacisque & Germanis populis triumphavit, & quidem duplici pompa primum Conſulatu ſuo XI. anno ab V. C. 838. Chr. 85. iterum vero Conſulatu XVI. anno nimirum V. C. 845. Chr. 92. Corinthii quem audiſſent Domitianum laudis & gloriæ flagrantiſſimum, & de Victoria Germanica ſupra modum ſuperbire, hæc numiſmatata, perennia ejus duplicis triumphi de Germanis monumenta, pervulgarunt. Non uno eodemque tempore ea percuſſa indicat epigraphe quæ in iiſdem variat tranſpoſitis verbis, ut in 5. & 6. quod exſtat in Regio Galliarum Regis Theſauro.

Num. 7.

Eadem in utraque parte numiſmatis inſcriptio. Caput Domitiani laureatum.

Arcus triumphalis, in cujus medio Domitianus in quadriga, hinc & inde tropæa.

In numis Corinthiorum ad Othonem uſque duumviri ſcribuntur, qui in Municipiis Coloniisque ea auctoritate pollebant, qua Romæ Con-

Consules: & ipsi Senatum cogebant. Iidem vero Duumviri non memorantur in numis Vespasiani, a quo Corinthus *Flavia Augusta* cognominata est, Titi etiam & Domitiani. Quia vero ipsi Domitianum ad insaniam usque sciebant superbire Janis, arcubus, statuis, quadrigis, & tropæis, quæ eum Victorem Germanorum, & jure quidem optimo, non, ut alii falso putabant, Germanici adpellationem meruisse, testarentur; idcirco & ipsi triumphalem arcum tropæis ornatum cum eo vecto in triumphali quadriga ad memoriam ejus nominis sempiternam erexerunt. Hujus numi inscriptio in posteriore parte, ex Patino in Suetonium, ita instauratur: *PERMissu IMPeratoris* Colonia Laus *Julia CORinthus.* Corinthus Colonia etiam sub Domitiano nunc se *Juliam*, nunc se *Flaviam* adpellavit, ut ostendunt complura alia numismata e Museo Theupoliano descripta.

NUM. 8.

Vacat.

Num. 8. fortassis Cl. Morellius pingere volebat numum Ephesiorum e Regio Galliarum Cimelio depromtum, cum Victoriæ stantis effigie, & epigraphe: ΕΦΕ. ΝΕΙΚΗ ΔΟΜΕΤΙΑΝΟΥ, quem describit & illustrat Jo. Harduinus S. J. P. in numis antiquis Populor. & Urb. pag. 161. quem consule.

NUM. 9.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Domitianus Cæsar Germanicus. Caput Domitiani laureotum.*

ΑΡΤΕΜΙC ΕΦΕCΙΑ. *Diana Ephesia. Diana mammosa cum calatho in capite, expansis manibus, quæ adminiculis fulciuntur, hinc & inde cervus.*

Ephesii percussis his numis gratulati sunt Domitiano ob relatas de Germanis victorias, & susceptum Germanici cognomentum, quo cum exornant.

NUM. 10.

Eadem epigraphe, ut in anteccdenti.

ΕΦΕCΙΑ ΑΡΤΕΜΙC. *Ephesia Diana. Templum quatuor columnis suffultum, in cujus aditu simulacrum Dianæ Ephesiæ manibus verubus substentatis.*

Probe exploratum est, ex numis, qui sculpta templa præferunt, argui plenissime non posse, quæ fuerit veterum templorum elegantia, & magnificentia. Profecto quam insigne, & quam magnificum fuerit Dianæ Ephesiæ templum, testantur veteres scriptores, & nuper locupletissimo Commentario adlatata Ichnographia, aliisque monumentis longe accuratissimis, ostendit peculiari dissertatione vir Præstantissimus Joannes Marchio Polenus, mihi amicissimus, quæ prima est in Tom. I. Part. I. Speciminum dissertat. nobilis Academiæ Etruscæ Urbis Cortonæ, cujus & ipse membrum sum.

NUM. 11.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ CΕΒΑCΤΟC ΓΕΡΜανικὸς. *Domitianus Cæsar Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

. . . . ΟΜΟΝΟΙΑ. . . . . CΜΥΡναίων. . . . . . . *Concordia. . . . . . . Smyrnæorum. Simulacrum Dianæ Ephesiæ, hinc inde manibus veru sufultis, & in medio duarum feminarum stantium.*

Initio epigraphis aversæ partis fugientes litteræ, ea de causa non bene expressæ, ut puto, fortassis indicant nomen Prætoris Ephesiorum, sub quo hic numus in honorem Domitiani signatus est. Numus Ephesiorum ab illustri Vaillantio descriptus easdem figuras continet, quæ in postica hujus spectantur, nempe Dianam, quam circumstant Nemeses: quare crediderim Legendum: ΕΠΙ CΤΡ. ΟΨΕΩΝΟC ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΦΕCΙΩΝ CΜΥΡναίων. *Sub Prætore Opseone Concordia Ephesiorum Smyrnæorum.* Alius numus, in quo Concordia Smyrnæorum & Ephesiorum legitur, in honorem Domitiani, impressus est Ephesi sub Cæsennio Pæto Proconsule Asiæ, qui describitur a Vaillantio, & adfertur in Nummophylacio Reginæ Christinæ, illustraturque a Cl. Havercampo Tab. LIII. num. XXVIII. & XXIX. pag. 341. qui & in hac Tabula Thesauri Morelliani numero sequenti producitur. Vaillantius censet alteram esse Iridem, alteram vero Nemesin; sed in aliis numis ambæ figuræ Nemeses referre censentur. Siquidem Smyrnenses non unam, sed plures Nemeses summa religione colebant, quod eruditis Numographis est exploratissimum.

NUM. 12.

Anticæ partis eadem inscriptio, ut in antecedonti. Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΑΝΘΥπάτου ΚΑΙCΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ ΟΜΟΝΟΙΑ CΜΥΡναίων ΕΦΕσίων. *Sub Proconsule Cæsennio Pæto Concordia Smyrnæorum Ephesiorum. Diana cum Amazone dextram jungit.*

Typus aversæ partis hujus numi, quem e Regio Galliarum Cimeliarchio protulit Morellius, non convenit cum altero adlato in numophylacio Reginæ Christinæ, loco superius memorato. Nam in eo Diana solitaria sculpta est verubus insistens; in hoc vero Diana stans dextram cum Amazone conjungit. Vaillantius quoque solam Dianam eodem modo expressam in numo adnotat, & exstare ait in Thesauro Regio.

NUM. 13.

Epigraphe eadem, ut supra in anteriore facie. Caput Domitiani laureatum.

Epi-

Epigraphe posticæ partis ita instauratur ex Patino & Vaillantio : ΕΠΙ ΣΤΡΑτηγȣ ΔΙΟΔΩΡΟΥ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ ΕΦΕσίων. *(Concordia) sub Prætore Diodoro Pergamenorum Ephesiorum. Jupiter, sinistra sceptrum sive hastam tenens, dextram porrigit Dianæ Ephesiæ Venatricis habitu, post quam cervus.*

Præterire nefas arbitror, quæ in hunc præclarum numum Antiquariorum Coryphaeus Vaillantius adnotat, ubi de urbibus concordia junctis disserit. „ Pergamus, una ex celeberri„ mis Asiæ urbibus, de primatu provinciæ po„ stea contendens, cum Epheso Asiæ primaria „ societatem hoc nummo denotat. Suum Jo„ vem, quem modo in nummis ΖΕΥΣ ΠΕΡΓΑΜΗ„ ΝΟΣ, modo ΖΕΥΣ ΦΙΛΙΟΣ adpellat, a dextris „ exhibet. Supra autem omnes civitates Jo„ vem, ut numen præcipuum, venerari, sed „ peculiari nomine ab aliis distinctum diximus. „ Hîc Jupiter ΦΙΛΙΟΣ, id est *Amans veritatis*, „ nominatur; quem ΣΩΤΗΡΑ urbs aliquando „ vocat. Pro Epheso Diana a sinistris repræsen„ tatur Venatricis habitu, & non Polymammæ „ forma: nam utroque modo illa in hac urbe „ exhibetur apud Pausaniam.

NUM. 14.

Inscriptio mihi non nota. Caput Domitiani: Vide supra Tab. IV. & V.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum, Fortuna stans ad arulam ignitam, dextra pateram, sinistra copiæ cornu tenet.*

Fortunam a Perinthiis cultam expressam dixi in altera numi facie; nam in aliis numis copiæ cornu, & temonem dextra tenet. In hoc vero habitu sacrificantis inducitur; quia facile Perinthii vota & sacra fecerunt pro Domitiano pro ejus victoriis, vel dum expeditionem in Cattos, Dacos & Germanos susciperet; vel eum tamquam Deum divinis honoribus sacrisque adfecerunt. Tres numi Domitiani describuntur, inter quos & iste Regius recensetur.

NUM. 15. 16.

Sine epigraphe. Caput, radiatum & corona hederacea redimitum.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΡΟΔΙΩΝ. *Domitianus Cæsar Rhodiorum. Victoria stans sinistra palmam, dextra extensa coronam lauream offert, sive ostentat.*

Rhodii proni in adulationem, sub specie Solis, Domitiani vultum in hoc numo expresserunt. Fuit enim Rhodus insula mediterranei maris, Soli sacra, quam Manilius Astronom. Lib. IV. vers: 763. *Domum Solis* eidemque *sacratam* adpellat; in qua etiam celebris fuit ille Solis colossus ex ære, altitudine LXX. cubitorum. Epigraphe, in aversa tantum numi hujus parte sculpta est; eo plane consilio, ut Domitianus Cæsar, tanquam alter Deus Rhodiorum, intelligatur. Victoria, ominis gratia, lauream coronam offerens, optima in Germanica expeditione auspicia portendit Domitiano.

NUM. 17.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ. *Domitianus Cæsar. Caput Domitiani nudum.*

ΣΙΔΗΤΩΝ. *Sidetum. Mulier, sive Urbs ipsa Side, capite turrito sedens, dextra Victoriolam, læva copiæ cornu tenet, & pone eam vexillum humi fixum.*

Side, Pamphiliæ urbs, Cumæorum colonia, de qua Strabo Lib. XIV. gratulatur Domitiano Victori Germanorum, & lætitiam civium suorum hoc numo, in ejus honorem cuso, testatur. Ne quis dubitet de occasione victoriarum, Genius ipse urbis sculptus est, Victoriæ simulacrum in dextra gerens, & pone eum erectum spectatur vexillum. Vitio laborat Vaillantii descriptio hujus numi pag. 24. qui mulierem stantem, atque ejus caput loto ornatum scribit, adnotatque numum servari in Thesauro Christinæ Reginæ. P. Erasmus Froelich S. J. Vir Præstantissimus, in Append. ad Vaillant. num. XIII. pag. 168. numum adfert Sidetum, eidem Domitiano dedicatum, cujus in aversa parte sculpta est Pallas gradiens, quæ pedibus serpenti insistit. Fuit enim in ea urbe Palladis templum; quare nil gratius hoc typo esse Domitiano censuerunt, qui præ omnibus Diis Palladem maxima religione & ambitione coluit.

NUM. 18.

Epigraphe adversæ partis facile, uti superior. Caput Domitiani.

ΕΠΙ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. . . . . *sub Metrodoro.* . . . . *Hercules clavæ innixus quiescens ante deam in sella sedentem, quae dextra pateram, sinistra hastam sive sceptrum tenet.*

Quæ temporis injuria corrupta est inscriptio in aversa numi parte, restituenda est fide alterius numi, cum eodem typo, quem describit Vaillantius pag. 24. ex Museo Cardinalis de Maximis, etsi ita apud eum variet descriptio: *Hercules stans aliquid porrigit Jovi sedenti, sinistra hastam gerenti.* Ita enim in eo se habet: ΕΠΙ ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ ΤΟ Β. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ *sub Metrodoro iterum Sardianorum.* Igitur hic numus a Sardianis cusus est. Dea quæ sedet, fortassis Juno est, seu potius Diana Coloëne; quæ in aliis Sardianorum numis non solum velata, sed etiam tutulata spectatur, quæ apud Sardianos templum habuit magna cum sanctimonia cultum, ut auctor est Strabo Lib. XIII. p. 626. scriptorum loca, brevitati studens, quæ a viris doctis videri possunt, prætermitto, ne hic luxuriantem eruditionem, ut apud plerosque, damnent.

NUM. 19.

Vacat.

NUM. 20.

ΚΑΙϹΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. *Cæsar Domitianus. Caput ejusdem.*

L. B. *Anno secundo. Templum duabus columnis subfultum, in cujus aditu Jupiter Serapis tutulatus, sinistra hastam, læva parvum templum in vertice sustinens.*

Sequuntur in hac Tabula numismata Alexandriæ percussa in honorem Domitiani. Serapis lævam manum imponens parvo templo in aditu templi stans, forsitan ædem Domitiano sacram indicat, pervulgata jam ubique gentium ejus insana ambitione, qua tamquam Deus coli & adpellari præcepit. Exstat hic numus & in Museo Theupoliano descriptus in serie VII. pag. 1110. Sed longe ab archetypi fide; nam adnotatur: *templum duarum columnarum, in quo Imperator ad aram, sinistra hastam tenens*; manifeste enim est Serapis, non Imperator Domitianus, ni forte sub ejus imagine lateat, cujus imperii anno secundo numus cusus est.

NUM. 21.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικὸς. *Imperator Cæsar Divi Filius Domitianus Augustus Germanicus. Domitiani caput laureatum.*

L. IE. *Anno XV. Domitianus laureato capite sinistra sceptrum cum aquila in vertice, dextra lauri ramusculum gerit, in triumphali curru vectus ab elephantis, quorum dorso insistit Victoriola lauream coronam offerens.*

Pervulgato altero Domitiani triumpho de Dacis & Germanis, quem duxit anno V. C. 845. Chr. 92. quum in Consulatu suo XVI. Collegam haberet Q. Volusium Saturninum, Alexandrini ejus memoriam in suis numis renovarunt, & quadrigam triumphalem ab elephantis ductam exhibuere, Victoria iisdem insistente. Triumphales Arcus Romæ positos Domitiano cum quadrigis triumphalibus, tractis ab elephantibus, in numis superius editis & illustratis in Tab. XIIII. num. 9. 10. & 11. conspeximus.

NUM. 22.

In antica eadem inscriptio, ut in antecedenti. Caput Domitiani laureatum.

L. B. *Anno secundo. Currus a duobus Centauris tractus, in quo vir &c.*

Videtur hic ipse numus descriptus etiam in Museo Theupoliano in Serie VII. in serie numorum Alexandriæ percussorum pag. 1113. sed in hoc variat epocha; scriptum est enim LB. non vero L. IE. anno XV. ut in Theupoliano.

NUM. 23.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΘΕΟΥ ΥΙΟϹ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæsar Divi F. Domitianus. Caput Domitiani laureatum.*

L. H. *Anno VIII. Victoria bigam agitans, dextra lauream coronam, sinistra palmam præfert.*

Alius numus eodem anno Domitiani imperii octavo exhibetur in Museo Theupoliano in Serie VII. pag. 1111. cujus tamen typus ab hoc diversus; nam in eo sculpta Victoria gradiens cum palma & corona. Et hic monumentum est Victoriæ Germanicæ, quam Domitianus obtinuit.

NUM. 24.

ΑΝΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΘΕΟΥ ΥΙΟϹ ΔΟΜΙΤιανὸς ϹΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικὸς. *Imperator Cæsar Divi F. Domitianus Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

L. IΔ. *Anno decimo quarto. Arcus ornatus triumphali quadriga, in qua stat Domitianus Imperator & hinc inde tropæa erecta.*

Singularis hic numus est, qui deest in sylloge numorum Musei Theupoliani, perenne monumentum Alexandrinorum Germanici triumphi Domitiani.

TABULA XVII.
EXHIBENS
IMP. CAES. DOMITIANI
NUMISMATA EX AERE MEDIO
SENATUS CONSULTO PERCUSSA.

NUM. 1. 2. 3. 4. 5.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate VIII. CENSor PERPetuus, Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

COnSul XIIII. LUDos SAECulares FECit. Senatus Consulto. Imperator togatus ad aram sacro igne lucentem, & festa fronde coronatam, sacra peragit aperto capite, pateram dextra tenens, Citharoedo & Tibicine adstantibus.

Die decimatertia mensis Septembris anno V. C. 841. Chr. 88. Domitianus iniit Tribunitiam Potestatem octavam, ut adnotat Cl. Pagius in Critic. in Baronium ad hunc annum n. X. Quum autem describat numum argenteum, quem descriptum a Cl. Toinardo accepit, in quo cum Vaillantio legit: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GER. P. M. TR. P. VII. visitur Caput Domitiani laureatum: & in aversa parte: COS. XIIII. LUD. SAEC. FEC. & censet, repræsentari *Salium* gradientem, dextera baculum, sinistra clypeum, quo pectus tegit; hinc colligit Domitianum æstate ejusdem currentis anni Ludos sæculares celebrasse, quos etiam autumno continuavit. Tum hic numus, tum sequentes, ostendunt sacra facta fuisse a Domitiano pluribus Diis; nam in singulis hisce numis variat templorum ornatus, atque in 3. numo victima ad immolandum adducta est aries & hircus, in quarto taurus; in quincto vero sculpta est Tiberis imago. Sed etiam in 3. & 4. Domitianus prætextatus sacrificat; in reliquis vero togatus, sive cinctu Gabino amictus. In singulis tum in adversa tum in aversa parte eadem inscriptio occurrit.

NUM. 6. 7. 8. 9. 10.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani F. DOMITIANus AUGustus Pontifex Maximus (alii IMP. alii GERM.) Caput Domitiani laureatum.

S. C. Senatus Consulto. In sequentibus: TRibunicia Potestate COnSul VII. DESignatus VIII. Pater Patriæ. Pallas stans armata vel hasta, vel jaculis & scuto, vel fulmine.

NUM. 11. 12. 13.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus Pontifex Maximus (in alio CENSor.)

TRibunicia Potestate CONSul VIII. DESignatus VIIII. Pater Patriæ. Senatus Consulto.

NUM. 14.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate XII. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXII. COnSul XVI. CENSor Perpetuus Pater Patriæ: Senatus Consulto. Pallas cum fulmine.

Signatus est hic numus anno V. C. 845. Chr. 92. quo Domitianus de Dacis & Germanis iterum triumphavit.

NUM. 15. 16.

CAESar DIVI AUGusti VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

S. C. Senatus Consulto. ROMA insidens spoliis dextra coronam lauream porrigit. In altero Victoriolam.

Alter Domitiani numus, in quo idem typus exhibetur, in adversa hæc leguntur: IMP. CAES. DIVI VESP. F. AUG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. Roma plaudit Domitiano Victori, & præmia virtutis ostentat lauream coronam, & Victoriolæ simulacrum.

NUM. 17.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANus COnSul II. Caput Domitiani.

Senatus Consulto. Domitianus eques togatus, dextram adtollens, sinistra scipionem eburneum, cui imminet aquila, tenens.

Idem typus occurrit in editis numis aureis Tab. VI. num. I. ex argento maximi moduli Tab. VIII. num. I. ex ære medio Tab. XIIII. num. 1. 2. 3. 4. in quos nonnulla adnotavimus.

NUM. 18. 19.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANus COnSul III. (in alii COS. V. sive COS. VI.) Caput Domitiani.

PRINCEPS JUVENTUTIS. In altero PRINCIPi JUVENTutis Senatus Consulto. Idem typus, ut supra.

Quum in numis ex omni metallo tam frequens hic typus occurrat, conjicere non abs re quis facile poterit, equestres statuas Domitiano dedicatas fuisse. Exploratum est, Domitianum honoris statuarum flagrantissimum fuisse: ut toto orbe decreto ei ponerentur, teste Dione Hist. Rom. Lib. LXVII.

NUM. 20.

CAESAR DIVI AUGusti VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

PRINCEPS JUVENTUTIS Senatus Consulto. Duæ dextræ tenentes signum militare proræ navis infixum.

Occurrit idem typus eademque epigraphe in numo argenteo, in quo tamen Domitianus Consul V. scribitur; in hoc vero æreo COnSul VII. Legionis insignia sunt aquila, & Jovis fulmen. Ceterum cum titulo *Principis Juventutis* in numis expressa est non solum ejusdem Domitiani equestris statua; verum etiam Vesta sedens cum Palladio, Roma Palladium gerens, Spes, Venus, Salus, Minerva, & alia emblemata, quæ longum esset recensere.

NUM. 21.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANus COnSul II. (in alio COS. DES. II.) Caput Domitiani.

Se-

Senatus Consulto. Quadriga triumphalis, in qua Domitianus, sinistra eburneum scipionem, in cujus vertice aquila, dextra lauri ramusculum.

De hoc ipso typo superius diximus ad Tab. XV. num. 22.

NUM. 22.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

GERMANICUS. In exergo: COnSul XVI. Quadriga triumphalis, cujus currus imaginem Victoriæ habet; in eo Domitianus dextra lauri ramum, sinistra scipionem cum aquila in vertice gerit.

Perrarus hic numus anno V. C. 845. Chr. 92. cusus est, in quo Domitianus de Dacis & Germanis iterum triumphavit.

NUM. 23.

CAESAR DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

VESTA Senatus Consulto. Dea Vesta sedens velato capite, dextra Palladium ostentat, sinistra hastam.

Declarat hic numus, Romanum Imperium fore æternum, quum Domitianus, a Tito fratre consors factus, initio spem optimam faceret, teste Suetonio c. 9. *Omnes circa se largissime prosecutus: nihil prius, aut acrius monuit, quam ne quid sordide facerent.*

NUM. 24.

IMPerator DOMITIANus AUGustus GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

VESTA Senatus Consulto. Templum rotundum, columnis ornatum, in cujus medio icuncula basi insistens, dextra pateram, sinistra hastam tenet.

Numum hunc describit Vaillantius Tom. I. pag. 43. & inter rariores recensendum esse decernit. Idem typus tum in aureis tum in argenteis numis Domitiani, ut supra vidimus, occurrit.

NUM. 25.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Templum Jovis Capitolini, qui in medio sedet, hinc inde in cellis Minerva & Juno; supra in fastigio compluribus statuis ornatum.

Mediobarbus pag. 132. censet esse Templum Pacis. Idem typus supra editus Tab. XIIII. num. 14. de quo, si otium est, vide quæ adnotavimus.

NUM. 26.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. CENSoria POTestate Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Tropæum de Germanis. Vexillum in medio, scuta oblonga, hastæ, tubæ, litui.

De Cattis, Dacis Germanisque Consulatu suo XI. quo collegam habuit T. Aurelium Fulvum, priorem duxit triumphum Domitianus, anno nimirum V. C. 838. Chr. 85. quo etiam in aliis numis scriptum est GERMANIA CAPTA; idemque GERMANICUS adpellatur.

NUM. 27.

IMPerator CAESar DOMITIANus COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Tria signa Legionaria. In medio insigne Legionis Fulminatricis, cujus vertici subvolitat aquila.

Idem typus observatur in numo argenteo maximi moduli, quem exhibet Tab. VIII. num. 2. superius editum.

NUM. 28.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Tropæum hostium armis insigne, sub quo Dacus & Germanus captivi lugentes sedent.

Implevit Domitianus totam fere urbem Janis, arcubus, quadrigis & insignibus triumphorum, auctore Suetonio c. 13. quorum testis hic numus.



TABULA XVIII.
QUA
IMP. CAESAR. DOMITIANI
NUMISMATA
EX AERE MEDIO
SENATUS CONSULTO PERCUSSA
CONTINUANTUR.

NUM. I.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul X. Caput Domitiani laureatum.

AEQUITAS AUGUSTi. Senatus Consulto. Mulier stans dextra lances æquatas, sinistra hastæ innixa.

Alius numus cum eodem typo habetur, cum epigraphe in adversa CAES. AUG. F. DOMITIAN. COS. II. qui etiam in Vespasiano & Tito occurrit.

NUM. 2. 3.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XIII. Caput Domitiani laureatum.

AETERNITATI AUGusti (in alio AUGUSTi.) Senatus Consulto. Mulier stolata capite velato ad aram stans, dextra caput Solis, læva Lunæ tenet. (In altero deest ara ignita.)

Adsimilis typus in numis Titi recensetur, de quo superius diximus.

Sed præstat ad elegantissimum hunc numum curas adjicere Doctissimi Tristani, qui Tom. I. num. 4. pag. 329. ita explicat. AETERNITATI AUG*ustæ* S. C. „ Cernitur Dea stans „ ante aram, altera manu Solis effigiem, altera „ Lunæ typum tenens. Symbolum est consue„ tum Aeternitatis. Statius, & ipse optans aeter„ nam una cum Domitiano urbem Romam, in „ societatem venit illorum, qui ostentationis er„ go hunc ei numum cuderunt. Primo enim „ Thebaidos libro ita loquitur:

——— — Tuque ô Latiæ decus addite famæ,
Quem nova maturi subeuntem exorsa parentis
Aeternum sibi Roma cupit ——— ———

„ Et primo Poëmate Lib. IV. Silvarum:

—— Longamque tibi, Rex magne, juventam
Annuit, atque suos promisit Juppiter annos.

„ Et in eodem Libro Poëmate III.

Vidi quam seriem morantis ævi
Pronectant tibi candidæ sorores.
Magnus te manet ordo sæculorum,
Natis longior, abnepotibusque,
Annos perpetuâ geres juventâ.

„ Quinctilianus, etsi, ut Orator, non tam ex„ quisitus esse Laudator deberet, Libro III. Cap. „ VII. ait, Pietatem saltem & virtutem Domi„ tianum esse reddituras æternum: *Laudandum „ in quibusdam, quod geniti immortales, in qui„ busdam, quod immortalitatem virtute sunt con„ secuti, quod pietas Principis nostri præsentium „ quoque temporum decus fecit.* Ex quibus ver„ bis constat, Aeternitatem apud Gentes non „ sine principio, & fine sumi, qualis esse debe„ ret, ut Dei Aeternitas est: *Aeternum proprie „ dicitur, quod neque initium, ut esset, habuit; „ neque cessare unquam potest esse:* Origene teste, „ Lib. I. περὶ ἀρχῶν. Verum apud illos Aeterni„ tas ea erat, quæ non modo principium, ve„ rum etiam finem habere debebat post longis„ simam annorum, sive sæculorum seriem: qua „ significatione utuntur sacræ Litteræ; in Psal„ mis enim legitur: *declina a malo & fac bonum, „ & inhabita in sæculum sæculi.* Mox vero: *Et „ non derelinquet Dominus Sanctos suos, in æ„ ternum conservabuntur:* uti adnotat ipsemet O„ rigenes Homilia V. in Psalmum 36.

NUM. 4.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. (in alio CENSor PERPetuus.) Caput Domitiani laureatum.

ANNONA AUGusti Senatus Consulto. Dea sedens sinistra velum in gremio expandens, in quo fruges, quas accipit puerulus: in conspectu navis.

Testa-

Testatur hic quoque numus, ut & alii duo ex aere magno, ut vidimus in Tab. XIII. num. 16. & 17. Domitiani, cum curam suscepisse ne res frumentaria Populo Romano deesset: & navis in conspectu in numis hisce expressa, frumentum advectum indicat. Idem typus & in numis Titi occurrit. Idem exprimere videtur sequens numus cum typo Cereris, qui in numis quoque aureis & argenteis Domitiani frequens est.

NUM. 5.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANus COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

CERES AUGUSTi, sive AUGUSTa. Senatus Consulto. Ceres stans, dextra spicas, sinistra hastam gerens.

NUM. 6.

CAESar DIVI AUGusti VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

CONCORDIA AUGusti Senatus Consulto. Dea sedens dextra pateram, sinistra cornu copiae.

Sacra & vota Diis facta pro concordia mutuoque fraterno amore Domitiani & Titi a Senatu, non obscure declarat hic numus. Suetonius in ejus vita c. 2. *Habitabat cum patre una, sellamque ejus, ac fratris, quoties prodirent, lectica sequebatur.* Haec vero in Tito c. 9. *Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pane ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, neque occidere, neque seponere, ac ne in minore quidem honore habere sustinuit; sed, ut a primo imperii die, consortem, successoremque testari perseveravit, nonnunquam secreto lacrymis & precibus orans, ut tandem mutuo erga se animo vellet esse.*

NUM. 7. 8.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul X. Caput Domitiani laureatum.

Sive,

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XII. (vel COnSul XIIII.) CENSor PERPetuus Pater Patriae (in alio CENSoria POTestate.)

FIDEI PUBLICAE Senatus Consulto. Figura muliebris stolata stans, dextra spicas, laeva discum frugibus refertum tenens.

Idem numi typus cum Consulatu X. Domitiani, item XII. & XIII. cusus Senatus Consulto habetur.

NUM. 9.

CAESAR DIVI AUGusti VESPasiani DOMITIANUS COnSul V. Caput Domitiani laureatum.

FELICITAS PUBLICA Senatus Consulto. Figura muliebris stans, dextra caduceum, sinistra copiae cornu tenet.

NUM. 10.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XVI. CENSor PERpetuus Pater Patriae. Caput Domitiani laureatum.

FORTUNA AUGUSTi Senatus Consulto. Mulier stolata stans, dextra temonem globo impositum, sinistra praeferens copiae cornu.

NUM. 11. 12.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul XI. (In alio COS. XII. CENS. POT. P. P.) Caput Domitiani laureatum.

FORTUNAE AUGUSTi sive AUGUSTI. Senatus Consulto. Mulier stolata stans, dextra temonem, sinistra copiae cornu tenet.

NUM. 13.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul X. Caput Domitiani laureatum.

JOVI CONSERVATori Senatus Consulto. Jupiter stans dextra armata fulmine, laeva hasta.

Domitianus memor beneficii, quod ab Jove accepit, evitato Vitellianorum periculo, & nece sua, eidem Servatori suo sacellum in Capitolio & aram constituit, teste Tacito Historiar. Lib. III. 74. *Potiente rerum patre, disjecto Aeditui contubernio, modicum sacellum JOVI CONSERVATORI, aramque posuit, casusque suos in marmore expressit. Mox imperium adeptus, JOVI CUSTODI templum ingens, seque in sinu Dei sacravit.*

NUM. 14. 15.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul X. Caput Domitiani laureatum.

MONETA AUGUSTi. Senatus Consulto. Moneta stans aequatas lances dextra, sinistra copiae cornu tenens.

Numismata, quæ deæ Monetæ imaginem præferunt, cum epigraphe MONETA AUGUSTI, primum occurrunt in Domitiano, quæ eum in moneta restituenda curam adhibuisse testantur. In alio numo, quem profert Bellorius num. 18. in adversa scriptum legitur: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. COS. XV. CENS. PERP. P. P.

NUM. 16.

CAESAR DIVI VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Domitiani caput laureatum.

PAX AUGusti Senatus Consulto. Figura muliebris stans, oleæ ramum dextra, cornu copiæ sinistra gerens.

NUM. 17.

CAESar AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul IIII. Caput Domitiani.

PAX AUGUSTi Senatus Consulto. Mulier stolata stans, dextra caduceum, sinistra oleæ ramum gestat.

Alia Domitiani numismata ex ære eumdem typum præferunt, adnotato ejus Consulatu VI. VII. & VIII. quæ a Mediobarbo describuntur pag. 130. 132. 133.

NUM. 18.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul DESignatus II. (in alio DOMITIAN. COS. II.) Caput Domitiani.

PROVIDENtia Senatus Consulto. Templum Jani clausum.

Aliis Numographis ara Providentiæ expressa videtur, a quibus non dissentio. Ea in Inscriptionibus Fratrum Arvalium memoratur.

NUM. 19. 20.

IMPerator CAESar DIVI VESPasiani Filius DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul X. Caput Domitiani laureatum.

SALUTI AUGUSTi, in alio AUGUSTI Senatus Consulto. Templum clausum, columnis & foribus ornatum.

Apud Mediobarbum pag. 135. describitur quoque numus argenteus eodem typo insignis, sed Consulatu Domitiani XII. percussus; in quo præterea *Censor Perpetuus*, & *Pater Patriæ* adpellatur. Inter Numographos aliqui sunt, qui non templum, sed aram in aversa parte agnoscunt; sed columnæ, & in utroque angulo acrostolia, valvæ ornatæ capitibus leonum, aliisque ornamentis, templum quadrata forma in his expressum suadere videntur. Crediderim sculptum Jani templum, clausum a Domitiano, qui hoc tempore Romæ erat; quo vota pro ejus salute tunc facta videntur. Martialis Lib. II. Epigr. 63. ad ipsum Domitianum:

Rerum certa salus, terrarum gloria, Cæsar;
Sospite quo magnos credimus esse Deos.

NUM. 21.

CAESAR DIVI VESPasiani Filius DOMITIANus COnSul VII. (In alio DOMITIAN.) Senatus Consulto. Caput Domitiani laureatum.

SECURITAS AUGUSTI. Mulier stolata sedens, dextram capiti admovet, sinistra hastam, ante aram foculo succensam.

Habetur idem typus in numo Titi, cum Consulatu VIII. adeoque hoc ipso, quo Domitiani numus cusus est, signato.

NUM. 22.

CAESAR DIVI VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto, Spes Dea, dextra florem ostentat, læva pallam adtollit.

Spei typus frequens est in numis Domitiani; & fere singulis Consulatibus idem typus repetebatur, quum vota fierent pro incolumitate, & diuturnitate Imperii ejusdem Domitiani; quam meam opinionem & sequens numus confirmat Consulatu ejus quincto percussus, quum *Princeps Juventutis* adpellaretur.

NUM. 23.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS. Caput Domitiani.

COnSul V. PRINCEPS JUVENTutis. Spei typus, ut in præcedenti.

Perrarus hic numus est, a Mediobarbo prætermissus; apud quem in aliquot numis Domitianus, quum in Consulatu V. scribatur *Divi Augusti Filius*, quo tempore Vespasianus adhuc vivebat, non cohaerere videntur.

NUM. 24.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. CENSoria POTestate Pater Patriæ. (In alio CENSor PERPetuus) Caput Domitiani laureatum.

VICTORIAE AUGUSTI Senatus Consulto. Victoria stans, sinistra palmam, dextra coronam imponit tropæo armis hostium ornato.

Cusus

Cusus hic numus est anno V. C. 838. Chr. 85. quo Domitianus de Cattis Dacisque & Germanis populis priorem triumphum duxit.

NUM. 25.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XII. CENSor PERpetuus (in alio CENSor PERpetuus Pater Patriæ.) Caput Domitiani laureatum.

VICTORIA AUGUSTI Senatus Consulto. Victoria cum palma in sinistra, coronam dextra imponit vexillo Legionis.

NUM. 26. 27.

CAESAR AUGusti Filius DOMITIANUS COnSul. al. PRINCEPS JUVENTUTIS. (In al. CAES. AUG. F. DOMITIAN. CON. V.) Caput Domitiani.

VICTORIA AUGUSTI. in al. AUGUSTi. Senatus Consulto. Victoria cum palma & corona proræ navis insistens.

NUM. 28.

Eadem in adversa parte epigraphe, ut in præcedentibus, caput Domitiani.

VICTORIA NAVALIS. Senatus Consulto. Idem typus, ut supra.

Testantur hi numi Titum & Domitianum participes gloriæ factos ob victoriam contra Judæos a Vespasiano relatam ad lacum Genasar, de qua supra nonnulla adnotavimus; unde in patris & filiorum numis VICTORIA NAVALIS.

TABULA XIX.
QUA
IMP. CAESAR. DOMITIANI
NUMISMATA
EX AERE MEDIO
SENATUS CONSULTO PERCUSSA
CONTINUANTUR.

NUM. 1.

DOMITIANUS AUGUSTUS. Domitiani caput laurea corona cinctum.

Senatus Consulto. Victoria gradiens, militare signum cum aquila in vertice in humero defert, & dextra adprehendit.

Idem typus cernitur in alio Domitiani numismate, cujus antica ita inscripta: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. COS. X. CENS. PERP. P. P.

NUM. 2.

Eadem epigraphe, ut in præcedenti. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Victoria dextrorsum versa, dextro pede globo insistens, dextra lauream coronam, læva tropæum sustinet.

Occurrit adsimilis typus in alio æreo Domitiani numo, cujus epigraphe anticæ partis hæc est: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. COS. XVII. CENS. PERP. P. P. (In alio CENS. PERP.)

NUM. 3.

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto. Victoria volanti similis gradiens, sinistra clypeum tenet in quo scriptum Senatus Populus Que Romanus.

Percussus est hic numus occasione Germanici triumphi, quo clypeos in honorem Domitiani, testes victoriæ Germanicæ, vel Victoriarum simulacra in Templo Jovis Capitolini dedicata sunt, vel etiam eidem a Senatu ac Populo Romano donata; numus aureus cum eodem typo a Vaillantio describitur Tom. II. pag. 108.

NUM.

NUM. 4.

Titulus mihi ignotus: forsitan hic:

IMPerator CAESar DOMITIANus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunitia POTestate XVI. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXIII. COnSul XVII. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Victoria stans, dextra lauream coronam, sinistra gerit tropaeum.

Tituli Imperatoris in numis a Mediobarbo descriptis non excedunt numerum XXII. Quum autem in hoc numo scribatur IMP. XXIII. rarissimus censendus est, & accuratissime a Morellio depictus. In alio numo adsimili, in quo tamen titulus Imperatoris XXII. adnotatur apud Mediobarbum pag. 140. Victoria coronat Imperatorem Domitianum.

NUM. 5.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XVI. CENSor PERpetuus Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

VICToria AUGUSTI Senatus Consulto Mars Gradivus, dextra hastam, sinistra in humeris defert tropaeum, & clypeum.

Quamvis hujusmodi typus in Cæsarum numis frequens, & obvius sit; non obvia tamen est eruditionum seges, & adparatus, quo ornatur ab insigni viro Tristano in Tom. I. num. 5. pag. 339. ubi adfertur, & ita illustratur: VICT. AUGUSTI S. C. „ Mars, „ sive potius Domitianus est sub Martis figura, „ qui tropæo onustus, & hasta, triumphator revertitur ab expeditione Germanica, Sarmatica, Dacica, ut epigraphe & typus hujus modi significant. Occo hunc numum ita describit. Ego vero puto hanc esse posticam partem minoris numi Domitiani, hac una tantum consueta nota S. C. Ut ut tamen res se se habeat, Poëta Domitianum eodem ferme modo tertio Thebaidos describit his versibus, quibus hujus Victoriæ Sarmaticæ meminit; Martem scilicet curru suo vectum; quasi Domitianus idem esset ac Mars.

Gradivum acciri propere jubet; ille furentes
Bistonas & Geticas populatus cædibus urbes,
Turbidus ætherias currus urgebat ad arces.
Fulmine cristatum galeæ jubar, armaque in auro
Tristia, terrificis monstrorum animata figuris
Incutiens: tonat axe polus, clypeique cruenta
Lux rubet, & Solem longe ferit æmulus orbis.
Hunc ubi Sarmaticos etiamnum efflare labores
Juppiter, & tota perfusum pectora belli
Tempestate videt —— ——

Ut igitur heic Domitianus, ceu Mars designatur; ita Silius Italicus eadem adulatione fingit Martem, sive Romulum cessisse ei locum in cælis, postquam in terris moratus fuerit:

—— —— *tarda senectam*
Hospitia excipiens cæli, solioque Quirinus
Concedet, mediumque parens, fraterque locabit

„ Ante vero idem Poeta hanc Victoriam hisce „ versibus descripserat:

Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum.

„ Sed hæc non victoria, sed opinio victoriæ fuit. „ Coactus est enim iniquis conditionibus, & „ argento pacem a Barbaris redimere, non sine „ sui summo dedecore: quod Vibius Crispus „ nobilis ac perurbanus homo significavit, quum „ quærenti, quisnam cum Domitiano esset, „ respondit: *non solas secum habere muscas.* Id „ enim eruitur ex versibus Martialis Epigramm. „ 32. Lib. IX. quo constat, Crispum Domitiano illudere, specie tamen pietatis, & amoris. „ Ait enim, Vibium Marti avem sacrificasse, quo „ a tam impedito, periculosoque bello abstineret, quod ipse temere gerendum susceperat, „ nulla habita ratione Legionum, & veteranorum, quos in manifestum discrimen adduxerat, nullam ipse habebat scientiam rei militaris, & belli incommodis erat & laboribus „ longe impar. Litat igitur, inquit Martialis, „ hanc avem Marti pro Domitiano ejusque exercitu, uti votum decebat, post octo menses „ hujus jam susceptæ expeditionis. Ut igitur „ constaret, quod bellum ingenti pretio conficeretur, inventæ sunt in extis avis octo partes „ numismatis, quæ inter se junctæ, subspensæ „ sunt rostro avis. Concludit itaque, hanc victimam, quæ pro sanguine argentum fundebat, in ara Martis, a quo belli exitus precabatur Vibius, significare, Domitiano non amplius opus esse ferro ad hoc bellum conficiendum. Legatur Epigramma:

Dum comes Arctois haereret Cæsaris armis
Vibius, hanc Marti pro Duce vovit avem.
Luna quater binos non tota peregerat orbes,
Debita poscebat jam sibi vota Deus.
Ipse suas anser lætus properavit ad aras,
Et cecidit sanctis hostia parva focis.
Octo vides patulo pendere numismata rostro
Alitis? hæc extis condita nuper erant.
Quæ litat argento pro te, non sanguine, cæsa
Victima, jam ferro non opus esse docet.

„ Vibius fortasse has octo numismatis partes in „ gulam hujus avis conjecit, & quinarii forte erant, quales reperiuntur in pluribus numis „ Vespasiani, Titi, Domitiani, Trajani; aut etiam has argenti partes fuisse repertas in extis „ avis effinxit: dicaci hoc commento, cujus tunc „ temporis dissimulatio magna fuit, carpens Domitiani mollitiem, & otium, quo coactus est, „ timore ne funditus imperitia rei militaris perderet omnia, Sarmaticam pacem accipere; significavit enim eum timidam esse avem, quum „ avis minis, & volatu obstrepat; non virtute „ & armis consistat. Videsis Xiphilinum; & „ Theodosium.

NUM. 6.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput Domitiani laureatum.

Senatus Consulto, Mars Gradivus, dextra Victoriolam, sinistra elatum tropæum gestat.

NUM.

NUM. 7.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XII. CENSor Perpetuus. Pater Patriæ. Caput Domitiani laurea cinctum.

VIRTUTI AUGUSTI Senatus Consulto. Dea Virtus stans, sinistro pede globo imposito, altera manu parazonium, altera hastæ innititur.

Mediobarbus hunc numum describit, pag. 135. & pro virtute Dea, militem sculptum agnoscit. Cernitur idem typus in aliis numis Domitiani, cum epigraphe: IMP. CAES. DOMIT. AUG. GERM. COS. XIIII. CENS. PERP. P. P. pag. 136. & 137. apud eumdem Mediobarbum, & cum COS. XVI. pag. 139. His cum symbolis Virtus in numis Cæsarum sculpta est, de qua plura Oiselius in Tab. LXIV. num. VIII. & IX. ad quem lectorem mitto.

NUM. 8.

Vacat.

NUM. 9.

CAESAR AUGUSTUS. Caput Domitiani laureatum.

DOMITIANUS COnSul II. Duo copiae cornua cum caduceo in medio.

Ita quoque hunc numum describit Mediobarbus, quem, ut subspicor, non vidit, sed ex Indice Polatio pag. 129. *Augusti* cognomen non adsumsit Domitianus, nisi post mortem Vespasiani, quod Vaillantius observat Tom. II. pag. 85. & ubi scriptum AUG. interpretandum censet AUGUR. Fides sit penes Cl. Morellium. In Consulatu VII. Domitianus *Augustus* & *Pontifex Maximus* scribitur. Clare vero in numis AUGUR. PONTIFEX adpellatur in numis, in quibus COS. IIII. scribitur.

NUM. 10.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate XI. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXI. COnSul XVI. CENSor Perpetuus Pater Patriæ. Palma pulcherrima.

Mediobarbus argenteum numum cum eadem epigraphe & typo describit p. 138. at numum hunc ex ære silentio præterit, quem forte non vidit; plane rarissimum.

NUM. 11.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate X. Caput Domitiani laureatum.

IMPerator XXI. COnSul XV. Infra: AUGUSTUS. Capricornus, cujus dorso impositum copiæ cornu.

Singularis est hic numus, quem nec Vaillantius, nec Mediobarbus describunt. Domitianus, ut se Augusto parem ostenderet, idem thema pervulgavit de quo Suetonius c. 94. *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, numumque argenteum nota sideris CAPRICORNI, quo natus est, percusserit.* Natus est Domitianus eadem die, qua Augustus, non vero eodem mense; nam Augustus natus est IX. Kal. Octobris; Domitianus vero IX. Kal. Novembris. Sed & Vespasianus similem numum, ut vidimus, cum eadem nota, sive horoscopo percussit. Cornucopiæ additum est ad declarandam imperii sui felicitatem, rerumque omnium ubertatem & copiam. Hic ipse numus & in syntagmate Theupoliano desideratur, qui quum careat notis S. C. alium locum subire debebat.

NUM. 12.

Vacat.

NUM. 13. 14.

IMPerator Cæsar DOMITianus AUGustus TRibunitia Potestate COnSul XV. CENSor Pater Patriæ Caput Domitiani laureatum dextrorsum versum.

IMPerator CAESar VESPASIANus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia POTestate COnSul II. Caput Vespasiani laureatum dextrorsum versum.

In epigraphe adversæ partis variat nonnihil descriptio Mediobarbi pag. 138. qui eam e Patini indice exscripsit. Vespasiani jam fato functi memoriam, & res gestas ejus Consulatu secundo renovavit Domitianus; nam tunc, Judæa capta a Tito, & Hierosolyma subversa, Romam rediit; eidemque Domitiano honorem Præturæ urbanæ, & Proconsulare Imperium decrevit. Numus hic perrarus est.

NUM. 15. 16.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XIIII. CENSor PERpetuus Pater Patriae. Caput Domitiani laureatum ad laevam versum.

IMPerator Titus CAESar VESPasianus AUGustus Pontifex Maximus TRibunitia Potestate COnSul VIII. Caput Titi radiata corona ornatum.

Ex schedis Pedrusianis hic numus describitur pag. 137. a Mediobarbo. Hunc Domitianus publicavit in honorem Titi fratris sui, quem defunctum, ut a Suetonio memoriæ proditum, nullo præterquam consecrationis honore dignatus est. Publicavit autem ea maxime tempestate, qua sæculares Ludos celebravit; quæ celebritas contigit anno V. C. 841. Chr. 88. quum Consulatum XIIII. gereret, ut supra adnotavimus.

NUM. 17.

CAESAR DIVI VESPasiani Filius DOMITIANUS COnSul VII. Domitiani caput laureatum.

Senatus Consulto. Pallas galeata dextra elata jaculum, sinistra clypeum tenet.

NUM. 18.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. CENSor PERPetuus. Caput Domitiani laureatum.

JUPPITER CONSERVator Senatus-Consulto. Jupiter stans, amiculo infra velatus, dextra fulmen, sinistra hastam sive sceptrum tenet.

Hic numus ex ære medio inter rariores censendus, qui in Mediobarbana descriptione desideratur.

NUM. 19. & 20.

Vacant.

NUMISMATA

IMP. CAES. DOMITIANI

EX AERE MEDIO

IN COLONIIS CUSA.

NUM. 21.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus. Domitiani caput laureatum.

COLonia JULia BERytus. Vir togatus velato capite agens boves dextra, sinistra radium.

NUM. 22.

Eadem epigraphe in antica. Caput idem.

COLonia JULia AUGusta FELix BERytus. Idem typus.

De his numis luculenter Vaillantius in Coloniis.

NUM. 23.

Eadem facile epigraphe, ut in antica antecedentis. Caput Domitiani laureatum.

COLonia PRIMA FLavia AUGusta CAESARea. Caput Serapidis calatho ornatum.

Caesaream Palaestinæ, quam Herodes Rex nomine Cæsaris condidit, Vespasianus Imperator primum deduxit Coloniam, ut memorat Plinius Hist. Nat. Lib. V. Cap. XIV. *Cæsarea, ab Herode rege condita: nunc colonia Prima Flavia, a Vespasiano Imperatore deducta.* Nomen gentis *Flaviæ* ab eodem Vespasiano accepit, & *primæ* titulum, quod, ut Cl. Harduinus observat, primæ Legionis milites colonos haberet. Serapidem Deum coluisse præcipuo religionis honore docet hic numus.

NUM. 24.

IMPerator CAESar DOMITIANUS AUGustus GERManicus. Caput Domitiani laureatum.

COLonia JULia AUGusta CORinthus. Pegasus.

Corinthiorum in numis insigne est Pegasus & Chimæra, & frequenter Bellerophontem Pegaso insidentem, & Chimæram interficientem præferunt. Exstat in museo Theupoliano numus in honorem Domitiani percussus, in cujus postica Corinthus COLonia JULia FLavia AUGusta vocatur; ut in sequenti num. 27. & idem ipse Pegasum pro insigni habet. *Flaviæ* cognomentum honoris causa a Vespasiano suscepit.

NUM. 25.

In antica eadem epigraphe, ut in antecedenti. Caput Domitiani laureatum.

COLonia JULia AUGusta CORinthus. Chimaera.

NUM. 26.

Eadem epigraphe, ut in præcedenti num. 24. Caput Domitiani radiatum.

Colonia Laus Julia CORinthus PERmissu IMPeratoris. Domitianus in quadrijugo curru triumphali stans, dextra lauri ramusculum, sinistra sceptrum tenet.

Corinthii Domitiano gratulati sunt hoc numismate, quo ejus de Germaniæ populis, Cattis Dacisque triumphum, & acceptum Germanici cognomentum perenni monumento concelebrarunt.

NUM. 27.

IMPerator CAESar DOMITianus AUGustus GERManicus. Caput Domitiani radiatum.

COLonia JULia FLAVia AUGusta CORinthus. Neptunus in sella sedens dextra delphinum, læva tridentem gestat.

Quam celebris fuerit Corinthiorum cultus & religio erga Neptunum, memorat Pausanias in Corinthiacis, Lib. II. Cap. I. & II. qui templum Neptuni, & elegantissima ejus ornamenta, signa, & anaglypha describit; nolo au-

res Lectorum, quod nonnulli facillime faciunt, supervacaneo labore onerare, adlato Pausaniae textu, quem eruditi facile consulere possunt. Idem numus exstat in Museo Theupoliano & describitur in serie IV. pag. 675. Item alter numus Domitiani describitur cum eodem typo, sed in hoc Domitianus laureato capite sculptus est, & Corinthus *Flaviæ* cognomentum non habet. Emendandus Mediobarbus, qui pag. 140. in Theupoliano numo pro Neptuno, Jovem sculptum agnoscit.

NUM. 28.

Eadem epigraphe in antica parte ut in præcedenti; sed in hoc DOMIT. legitur. Caput Domitiani laureatum.

In aversa eadem pariter epigraphe ut in præcedenti numo num. 27. Bellerophon galeatus, cum jaculo in dextra Pegaso insidens, Chimæram interfecturus.

Habetur & hic numus in Collectione Theupoliana, & describitur loco superius memorato. Hi numi a Corinthiis dedicati Domitiano ab Jo. Harduino non recensentur. Numus Corinthiorum πῶλος vocabatur, auctore Julio Polluce Lib. X. Cap. VI. quod Pegasum haberet insculptum.

TABULA XX.
QUA CONTINUANTUR
IMP. CAES. DOMITIANI
NUMISMATA
EX ÆRE MEDIO CUSA
IN COLONIIS ET GRAECIS URBIBUS.

NUM. 1.

Epigraphe hujus numi mihi ignota. Forte hic numus idem est ac ille in præcedenti Tab. XIX. num. 21. editus, & spectat ad Berytenses. Deest in exergo posticæ partis BER, hoc est *Berytus*; ceterum eumdem typum præfert, nempe virum coloniæ fundatorem sive deductorem. Radium, quem dextra tenet vir ille capite velato, Gabino cinctu ornatus, is erat, quo augurato spatium terræ designabatur, antequam aratrum duceretur.

NUM. 2.

IMPerator CAESar DOMitianus AUGustus GERManicus TRibunicia Potestate. Caput Domitiani laureatum.

COLonia Aroe Augusta PATRENSis. Vir velato capite togatus agens boves dextrorsum, sinistra præferens vexillum.

Patræ, civitas Achaiæ caput, de qua Plinius Lib. IV. Sec. V. *Patræ colonia, in longissimo promontorio Peloponnesi condita, ex adverso Aetoliæ & fluminis Eueni, minus mill. pass. (ut dictum est) intervallo ipsis faucibus, sinum Corinthiacum LXXXV. millia pass. in longitudinem usque ad Isthmon transmittunt.* Primum *Aroën* vocatam, adpellatione a terræ cultu petita; mox a Patreo Agenoris nepote *Patras*, auctor est Pausanias in Achaicis. Augustus Coloniam deduxit, ut memorat Strabo Lib. VIII. p. 387. ex eo denominata Augusta. Eadem colonia quasi alterum deductorem suum & Conditorem Domitianum hoc numismate agnoscit; vel quia Domitianus ad eam novos colonos misit, quod indicare videtur vexillum, & signa tria Legionum in sequenti numo.

NUM. 3.

Epigraphe anticæ partis præcedenti similis. Caput Domitiani laureatum.

COLonia Aroë Augusta PATRensis XXII. (supple Legio.) Aquila Legionaria inter duo signa militaria.

NUM. 4.

IMPerator CAESar DOMitianus AUGustus GERManicus TRibunitia Potestate V. Censor Perpetuus. Caput Domitiani laureatum.

COLonia Aroë Augusta PATRensis. Columna cum titulo, supra quam Imperator paludatus, dextera demissa scipionem, sinistra hastam tenet.

Ostendit hic numus Patrenses statuam pedestrem Domitiano dedicasse, subjecto rerum ab eo gestarum elogio, atque in conspicuo urbis loco erexisse. Describitur idem numus in Museo

Museo Theupoliano Ser. IV. pag. 676. Percussus est numus in fine anni 838. ab V. C. vel initio sequentis, Christi vero 85. sive 86. quo Domitianus Tribunitia Potestate V. potiebatur. Alium numum antea ineditum profert Vir Celeberrimus P. Erasmus Froelich num. pag. 91. signatum Domitiani Tribunitia Potestate V. cum epigraphe COL. PATRAE, in quo Domitianus coronat Romam rupi insidentem, quæ dextra Victoriolam gestat. Adfertur hic numus in Nummophylacio Reginæ Christinæ Tab. LIII. num. XXIV. & illustratur a Cl. Havercampo his observationibus, quas ipse hic non prætermisisset; quare operæ pretium visum est eas iterum heic recudere: „ PATRENSES in Achaia plures numos in honorem Domitiani signarunt. „ Inscribuntur passim, uti in hisce legitur: COLonia Augusta Aroë PATRensis, vel PATRENSis. Colonus agens boves simplex coloniæ solet esse symbolum. Verum columna, „ quæ super basim erecta colosseam Imperatoris „ Romani effigiem, in summa parte positam exhibet, ad aliquod insigne beneficium respicit, „ ab illo Imperatore, cui dedicata eadem fuerit „ columna, acceptum. Ad Augustum Antiquarii „ nonnulli referunt; sed non sine ratione statuit „ *Jo. Vaillantius* ad Domitianum potius pertinuisse, ejusque bellica facinora in expeditionibus contra Germanos atque Dacos, in eadem „ efficta atque celebrata fuisse. Quoniam enim „ nulli a Patrensibus cusi nummi sub Tito atque „ Vespasiano inveniuntur, eo quod Achaja inter „ illas regiones recensetur apud *Suetonium* in Vespasiani Vita Cap. VIII. quibus libertatem ademit Vespasianus; plurimi vero occurrant signati „ in honorem Domitiani; restituisse is Achajæ atque Patrensibus videtur jura a patre Vespasiano „ ademta. Quare grati Patrenses, ejusmodi Columnam, historia belli Germanici & Dacici (ut „ videtur) inscriptam, in Domitiani honorem „ erexerunt, ejusque figuram in nummis suis consecrarunt. Quod si ad Augustum illa spectaret „ Columna, atque inposita eidem statua; vel in „ ipsius Augusti, vel successorum nummis a Patrensibus cusis reperiretur honos tam insignis „ atque historiæ argumentum celeberrimum. „ Confer laudatum Vaillantium Tom. I. p. 142.

Num. 5.

IMPerator CAESar DOMItianus AUGustus GERmanicus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate. Caput Domitiani laureatum.

GENio COLoniæ Aroës Augustæ PATRENSis. Genius nudus stans, dextra pateram super arulam ignitam, sinistra cornucopiae tenet.

Describitur & hic numus in Ser. IV. pag. 676. Musei Theupoliani. De Genio Coloniæ plura adnotare possem, quæ quum obvia sint, & non parum pervulgata, nolo Lectoris aures supervacaneo eruditionis adparatu onerare.

Num. 6.

IMPerator CAESar DOMitianus AUGustus GERManicus . . : . . . Caput Domitiani laureatum.

NEPTUNO COLonia PATRensis. Neptunus stans nudus, dextro pede scopulo imposito, dextra delphinum, sinistra tridentem sustinet.

Patrensium Dii Præstites, Custodes & Servatores, uti ex eorum numis colligimus, Apollo *Patareus*, qui apud eos nobile delubrum habuit, Jupiter, quem *Liberatorem* dixere in numo Neronis, Hercules, Mercurius, Diana Laphria, &, uti hic numus ostendit, Neptunus, quorum imagines in his numis in honorem Domitiani cusis signarunt. His adde Minervam, cujus ædes celebris, cognomento *Panachaidem*, cujus signum ex ebore, & auro. Adsimilis numus describitur inter Theupolianos; sed aversæ partis epigraphe ita variat: COL. PATR. NEPT. AUG. quasi Colonia ipsa Patrensis Neptunialis Augusta adpelletur; quod est disquirendum.

Num. 7.

Epigraphe eadem ut in superioribus numis. Caput Domitiani laureatum.

DEANA LAPHRia. Fortassis: Deana Virgo Laphria. Diana Venatricis habitu stans, sinistra arcum; hinc ad pedes canis, inde ara coronata cum foculo.

Arula sacro igno calens ad pedes Dianæ indicare videtur sacra Deae facta a Patrensibus vel pro felici itu redituque Domitiani in Germanicam expeditionem, vel pro ejus victoria, & incolumitate. In numo Musei Theupoliani p. 677. ita variat posterior inscriptio DEANAE PATRensi. De cultu Dianæ Laphriæ apud Patrenses, complura adfert Pausanias in Achaicis, quæ adnotavit Cl. Harduinus, quem vide etiam pag. 161.

Num. 8.

IMPerator CAESar DOMitianus AUGustus GERManicus Pontifex Maximus TRibunicia Potestate V. Pater Patriæ. Caput Domitiani laureatum.

COLonia Aroë Augusta PATRensis. Mulier sedens super arma, dextra innititur sceptro, ab juvene retro stante coronatur.

Quamvis galeata non sit ea mulier, quæ armis insidet; tamen Romam referre crediderim, hostium armis, quibus insidet, victricem, quam Genius ipse Coloniæ Patrensis coronat, seu potius is est Patreus Heros, oppidi conditor, de quo Pausanias, qui idcirco radium sinistra gerit.

Num. 9.

Epigraphe adversæ partis mihi ignota. Caput Domitiani.

COLo-

COLonia AUGusta JULia PHILIPpi: in basi DIVUS AUGustus. Imperator Domitianus paludatus stans super basim, dextra elata, sinistra parazonio admota, coronam ejus capiti imponit mulier superne dumtaxat nuda eidem basi insistens: hinc inde ara, seu basis.

Renovatur a Philippensibus in Domitiano hic ipse typus, quem præfert Claudii Imperatoris numus, qui a Mediobarbo sine epigraphe anticæ partis pag. 140. & in Serie IV. Theupolianorum describitur pag. 669. Mulier illa videtur exprimere Philippensem Coloniam in Thracia, de qua Plinius Lib. IV. Sect. XVIII. Joh. Harduinus in numis ant. Populor. & urbium præter Claudii numum, quem adfert Patinus pag. 99. alterum Tiberii, & hunc Domitiani extare in Regia Gaza testatur pag. 404.

NUM. 10.

. . . . . Caput Domitiani..

MUNICIPI STOBENSIUM. Vir armatus cum hasta stans in aditu templi tetrastyli.

Harduinus complures Stobensium in Macedonia numos recenset, & autores Numographos, qui eos adferunt; sed hunc in honorem Domitiani cusum, non memorat. In numo Stobensium, Trajano dedicato, cernitur templum; sed in eo Pallas hastata conspicitur: in hoc ipse Domitianus veluti Deus exhibetur; quod facile Stobenses ei templum erexerunt.

NUM. 11. 12.

Vacant.

NUM. 13.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ΓΕΡΜανικός. *Domitianus Cæsar Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤους ΚΔ ΒΑσιλέως ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXIIII. Regis Agrippæ Victoria gradiens, sinistra palmam gestat, dextra coronam offert.*

NUM. 14.

Eadem epigraphe in antica parte, ut in præcedenti numo. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤους Κϛ ΒΑσιλέως ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXVI. Regis Agrippæ. Idem typus, ut in præcedenti numo.*

Quatuor numi Musei Theupoliani præferunt, ut in his, easdem inscriptiones; sed typus in illis diversus; siquidem in Theupolianis sculpta est Victoria stans, scribens in clypeo, pede sinistro galeam calcans: in altero vero palma arbor. Hunc Agrippam Judææ Regem, fratrem Berenicis esse arbitror, quæ cum eo Romam venit, ex Dione Lib. LXVI. quam Titus ejus amore captus, ex Urbe invitus invitam dimisit, uti Suetonius memorat in Tito c. 7.

NUM. 15. 16.

IMPerator CAESar VESPasiani Filius DOMITIANus AUGustus GERmanicus COnSul. Caput Domitiani laureatum.

SALUTI AUGUSTI Senatus Consulto Ara, seu potius templum clausis foribus. Bilinguis hic numus hanc quoque Græcam epigraphen exhibet: ΕΠΙ ΒΑσιλέως ΑΓΡίππα ΕΤους Κϛ. *Sub Rege Agrippa anno XXVI.*

Vaillantius alios numos describit, sed hic ei non videtur notus.

NUM. 17.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani.

ΕΠΙΜ. ΜΑΡΚΟΥ ΡΟΥΦΟΥ ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. *Curante Marco Rufo Proconsule. Clypeus hasta transversa.*

Laudat Cl. Harduinus in numis Populorum & Urbium pag. 421. hunc & sequentem, & e Cimelio Regio recenset. Scribit ΕΠΙ Μ. sed legendum monet forte ΕΠΙ ΠΡ. quod a numi fide alienum docet Morellius. Rhodiis tum hic, tum sequens numus adsignatur ab Harduino, Nicomediensibus a Vaillantio, qui legit: ΕΠΙ Μ. ΜΑΡΙΟΥ &c.

NUM. 18.

Epigraphe. Caput Domitiani.

ΑΝΤΟΝΙΟΥ (*Leg.* ΑΝΤΩΝΙΟΥ) ΝΑΣΩΝΟΣ. *Antonio Nasone. Clypeus cum hasta transversa.*

Memorato in loco & hunc numum e Regio Cimelio recenset Harduinus; sed in eo scriptum testatur: ΕΠ. Π. ΡΟ. ΕΜΙΛ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΝΑΣΩΝΟΣ: & interpretatur: Ἐπὶ Πρυτανέως Ῥοδίων Ἐμιλίου Ἀντωνίου Νάσωνος. Cur vero ita interpretatus sit, rationem reddit satis luculenter in sequenti pag. 422. ad quam Lectorem mittimus. Miror tam longe Morellii fidem ab Harduino distare. Vaillantius legit: ΕΠΙ ΠΡΟ. ΕΜΙΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΝΑϹΩΝΟϹ. *Sub Probo* Aemilio Nasone; & hic quoque numus Nicomediæ ei cusus videtur.

NUM. 19.

Epigraphe. Domitiani Caput.

ΕΠΙ ΤΙΤου ΠΟΜπονίου ΒΑϹϹΟΥ ΠΡΕϹΒΕΥΤου ΕΤους ΙΔ. *Sub Tito Pomponio Basso Legato, anno XIIII. Mons, in cujus vertice Dei simulacrum capite radiato, dextra globum, sinistra hastam tenet.*

Longe a numi fide hic numus describitur ab Harduino pag. 274. qui profert e Regio Cimeliarchio; & ita inscriptum perhibet: ΕΠΙ ΑΙ. ΠΟΜ. ΒΑϹϹΟΥ. ΠΡΕϹΒΕΥΤΟΥ. *Sub Aelio Pomponio Basso Legato.* Deinde ad Cyprios spectare adfirmat. Cum Morellio convenit Vaillantius, apud quem ita se habet epigraphe: ΕΠΙ ΤΙΤ. ΠΟΜΠ. ΒΑϹϹΟΥ ΠΡΕϹΒΕΥΤ. sed desunt annorum notæ. Liquet etiam ex typo hunc numum non Cypriis, sed Argivis tribuendum esse, qui in vertice Argæi montis Domitiani Statuam specie Jovis, qui Μειλίχιος hoc est *Placabilis* sive *Mansuetus* dicebatur, honoris causa posuerunt; ni mavis expressum specie Apollinis Lycæi ob radiatum caput, cujus religio, & sacellum apud eos celeberrimum erat. Ceterum Pomponii Bassi prænomen fuit *Titus*, non vero, uti apud Harduinum, *Aelius*; quod neque prænomen est, sed Familiæ nomen. Id testatur insignis Tabula Hospitalis ex ære, quam protuli in Par. I. Inscript. ant. Etruriæ Urbium pag. 65. num. CLXXXIV. in qua Titus Pomponius Bassus Vir clarissimus laudatur.

Num. 20.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΔΟΜΕΤιανὸς ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Domitiani laureatum.*

ΔΙΟΣ ΙΔΑΙΟΥ. *Jovis Idæi Aquila alis expansis fulmini insistit.*

Numus a Cretensibus percussus; nam in Creta mons Idæus ex Plinio Lib. IV. Sect. XX. a quo cognominatus Jupiter, quem in eo genitum ferunt. Vide Harduinum, qui & hunc numum describit & illustrat pag. 210.

Alterum numum profert Præstantissimus Tristanus Tom. I. pag. 336. num. 9. in quo in postica parte sculpta aquila fulmini insistens, cum mutila epigraphe hac ΔΗΜΑΡΧ. . . . . . . Sed quia, quæ crudite observat, hunc ipsum typum illustrant, consentaneum videtur ea quoque huc Latine interpretata adferre. „ Aquila fulmen „ præferens, emblema est divinitatis; quam sibi „ adserebat Domitianus; ideoque & tanquam al„ teri Jovi tribuitur aquila cum fulmine. Nescio „ utrum apotheosin meruerit Domitianus post „ mortem, quamvis Theodoretus testetur tertio „ Sermonum suorum; licet etiam Nero fuerit „ consecratus; ego tamen apud nullos Auctores „ adnotatum id invenio. Heic igitur Domi„ tianus similis Jovi opibus, & potentia ex„ hibetur, uti exhibentur etiam Titus, & „ Vespasianus in numis ad eorum gloriam cu„ sis, quorum posticæ partes eædem sunt ac hu„ jusce nostri. Innuere enim voluit, qui hunc „ numum cudit, Aquilam Latialis Jovis can„ dem esse ac Aquilam Jovis Cælestis, quæ

Fulmina missa refert, & cælo militat

„ paulloque inferius:

Immissosque refert ignes, & fulmina reddit.

„ ut Manilius ait Lib. V. Habet enim fulmen, „ quo utatur in novos barbaros Titanas. Seu, ut „ meliora proferam, significare voluit numi cu„ sor, aquilam Jovis adtulisse Domitiano cæle„ ste fulmen ad rebelles eos populos debellan„ dos, ut ille utitur ad gentium superbiam con„ terendam. Heic vero voluisse videtur Domi„ tianus uti peculiari aliquo fulmine, quod Jo„ vis fulmini junctum constituit emblema hujus „ numi, quem Occo testatur habere duas aqui„ las exstantes super extrema cornua Aræ (*Vide numos aureum Tab.* VII. *num.* 38. *& argenteum Tab.* XII. *num.* 33. *supra in hoc Opere.*) „ Sed „ significare videntur auxilium, quod auspicio „ suo hae duæ aquilæ Vespasiano & Domitiano „ præbuerunt. Hujusce enim rei meminit Sue„ tonius in Vespasiano c. 5. & in Domitiano c. „ 6. (*De qua victoria* (Germanica) *prius præsagiis, quam nunciis comperit: siquidem ipso quo dimicatum est die, statuam ejus Romæ insignis aquila circumplexa pennis, clangores lætissimos edidit; paulloque post occisum Antonium adeo vulgatum est, ut caput ejus quoque adportatum vidisse se plerique contenderint.*) Ac revera em„ blema hoc aquilæ ferentis fulmen, videtur ei „ convenire, qui cognominatus est JUPITER „ DOMITOR ORBIS TERRARUM, qualis „ vocatur in Inscriptione, quam refert Zamo„ scius in opere *Analecta Lapidum*, quod ci„ tat Occo, qui hoc elogium refert: JOVI DO„ MITORI ORBIS TERRARUM. CENS. P. „ P. P. ait enim, ad Domitiani nomen referri: „ quemadmodum & Martialis eodem vocabulo „ utitur *Domans* Lib. VII. Epigram. VI. cujus „ partem tantum heic dabo:

Hiberna quamvis Arctos, & rudis Peuce,
Et ungularum pulsibus calens Ister,
Tractusque cornu jam ter improbo Rhenus
Teneat DOMANTEM regna perfidæ gentis.
Te summe mundi rector, te parens orbis.

„ Et alibi Lib. II. Epigramm. 2.

Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et puer hoc dignus nomine Cæsar erat.

Num. 21.

ΔΟΜΕΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Domitianus Cæsar. Caput ejusdem.*

ΕΠΙ ΝΕΟΚΥΔΟΥ ΘΑσίων. *Sub Neocyde Thasiorum. Mulier stolata sedens; dextra spicas, sinistra hastam præfert.*

Mulier spicas ostentans, agri fertilitatem designat, ob quam Callistratus Orator Atheniensibus auctor fuit, ut Thasum occuparent. Hunc numum & mox sequentem illustrat Cl. Harduinus in numis Populorum & Urbium, quem vide pag. 200. & 201.

Num. 22.

ΔΟΜΕΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Domitianus Cæsar. Caput ejusdem.*

ΕΠΙ ΝΕΟΚΥΔΟΥ ΘΑσίων. *Sub Neocyde Thasiorum. Templum sex columnarum.*

Templum istud forsitan est illud Herculis, qui Θάσιος dicebatur, celebre apud Thasum insulam contra montem Athon, de quo Pausanias in Eliac. post. sive Lib. V. Cultus etiam multa cum religione a Thasiis Bacchus; hinc vinum Tha-

Thasium, de quo Athenæus Lib. I. Hi numi & Vaillantio cum sequentibus describuntur.

NUM. 23.

Epigraphe, ut supra. Caput idem.

ΕΠΙ ΑΓΑΘΩΝΟC. *Sub Agathone: Templum sex columnis & gradibus ornatum.*

Percussus & hic numus a Thasiis. Sed apud Vaillantium post nomen Agathonis, duæ litteræ sequuntur, nempe ΘΑ. quæ Thasios indicant, quæ tum in hoc numo, tum in sequenti eorumdem Thasiorum desiderantur, quas facile Morellius non vidit.

Templum sex columnarum sculptum conspicitur in postica parte numi, quem profert vir egregius Tristanus, cui adcedit insignis epigraphe: ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ (quamvis perperam scriptum sit pictoris incuria ΤΡΙΤΟΥ.) Hunc adfert Tom. I. num. 11. pag. 338. cum hisce observationibus, & videndum num Thasiis tribui possit, qui in his numis Templum exastylum insculpsere. „Impossibile arbitror posse conjici de quonam Templo hæc inscriptio sit intelligenda. (In Vespasiani & Titi numis cum eadem epigraphe adferuntur, quos jam & heic, & in Museo Florentino illustravi.) „ Sive incompertum, quænam fuerit civitas illa, quæ hunc numum cudens, annos voluit auspicari a condito templo, in ejus honorem dedicato, sive magnificentius instaurato; veluti apud Lacedæmonas illud erat Minervæ dictum Chalcioecæ, quod totum æreum erat. Hujus Templi meminit Thucydides Lib. I. ejusque pariter Scholiastes. Pausanias quoque de eo ita loquitur Lib. X. Λακεδαιμονίοις δὲ Ἀθηνᾶς ἱερὸν χαλκιοίκου καὶ ἐς ἡμᾶς ἔτι λείπεται. Plutarchus quoque in Apophth. Lac. hoc templum commemorat, & ante eum T. Livius Lib. 35. *Aetoli* (inquit) *circa Chalcioecon (Minervæ est templum æreum) congregati cæduntur.* Venit in mentem, quum legerem Paulum Diaconum Lib. IX., fortasse hoc esse Templum, quod Paulus Diaconus adserit Domitianum Minervæ ædificasse dictæ ab eo *Chalcidicæ Minervæ:* enumeratque inter cetera templa & publica monumenta *Pantheum, Capitolium, Forum Transitorium, Odeum, Porticus, Isium, ac Serapium, & Stadium, Horrea Piperata, Vespasiani Templum, MINERVAM CHALCIDICAM, Ludum Matutinum, Metam auream, Metam Sudantem.* Puto itaque heic legendum esse *Minervam Chalcidicam*, sive potius *Chalcioecam.* Quivis enim facile cognoscere potest hoc loci de Templo, non vero de simulacro verba fieri; quum credi etiam possit ejusmodi ædificia Athenis, & Lacedæmone extruxisse Domitianum; in his enim urbibus, quibus præerat Minerva, Dione teste Lib. LI. & Pausania Lib. III. & X. hæc Templa fortasse corruerant, quæ a Domitiano restituta fuerunt. Eusebius, ut arbitror, meminit hujus Templi Minervæ, quod extruxerat Domitianus in Chronico, Olympiade CCXVII. Domitianus (inquit ille) templum sine lignorum admixtione construxit. Idem testatur Chronicon Alexandrinum his verbis: Δομιτιανὸς τὸν ἄξυλον ναὸν κατεσκεύασεν: scilicet: *Domitianus erigi jussit Templum nullâ fabri lignarii operâ.* Neque vero dubitari potest, quin hoc sit Templum *Chalcidium*, sive *Chalcioecum* Minervæ, quod totum æreum erat. Chalcidica enim a veteribus dicebantur ea omnia, quæ ex ære essent, sive ex ferro, alioque metallo. Apud Chalcidem enim Euboeæ urbem, Atheniensium coloniam, adhiberi primo coeptum est aes. Hinc Aristophanes, ut Eustathius ait in Dionysium, adpellat χαλκιδικὰ ποτήρια, vasa quædam ærea in Comoedia, cui titulus ΙΠΠΕΙΣ, hoc potissimum versu:

Τουτὶ τί δρᾷ τὸ χαλκιδικὸν ποτήριον.

„ Eustathius addit, Curetes fuisse primos, qui ærea templa construere coeperint. Hoc etiam adfirmat Arnobius Lib. XIII. *Habet etiamnum atque ardet in Chalcidicis illis magnis, atque ardet in palatiis cæli, Deos Deasque conspicere intectis corporibus atque nudis.* Possumus etiam hanc numi inscriptionem interpretari ΕΤΟΥC ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. *Anno novi sacri.*

NUM. 24.

Epigraphe, ut supra. Caput idem.

ΕΠΙ ΑΓΑΘΩΝΟC. *Sub Agathone: Jupiter in sella sedens, læva hastæ innixus, dextra pateram præfert.*

Vaillantius hunc numum describit e Gaza Regia, & Iovem dextra spicas gerere adnotat, cum hac epigraphe: ΕΠΙ ΑΓΑΘΩΝΟC ΘΑ. Igitur & hic numus a Thasiis percussus.

NUM. 25. 26.

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙτιανὸς ΣΕΒαςὸς ΓΕΡΜανικὸς, *Cæsar Domitianus Augustus Germanicus. Caput ejusdem Domitiani laureatum.*

Sine epigraphe. Curetes cum scutis & gladiis consertis.

Forsitan hic numus pertinet ad Cretenses, qui apud se Jovem natum educatumque fabulati sunt. Eundem clypeis ac pugionibus armati Curetes strepitu vagientem tutati sunt. Harduinus in Gaza Regia numum Domitiani laudat pag. 160. in quo scriptum ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. *Commune Cretensium.*

NUM. 27. & 28.

Vacant.



TA-

TABULA XXI.
QUA
NUMISMATA GRAECA
IMP. CAESAR. DOMITIANI
EX AERE MEDIO
CONTINUANTUR.

NUM. I.

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαςὸς ΓΕΡΜανικὸς. *Cæsar Domitianus Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ. *Alabandorum. Juvenis nudo corpore, dextra poculum, ad pedes ejus bos.*

Alabanda urbs Cariæ, *libera* dicitur a Plinio Lib. V. Sect. XXIX. Conditam tradit Stephanus a Care, qui ex Callirhoë Mæandri filia, genuit Alabandum, qui eam suo nomine donavit. Hunc Heroem sculptum puto in aversa parte, tenentem poculum, ad cujus pedes bos, sive taurus conspicitur, quibus symbolis ejusdem urbis fertilitas, & rerum copia designatur. Hinc Ἀλάβανδα πόλις Καρίας εὐτυχεστάτη: *Alabanda urbs Cariæ fortunatissima* a Stephano adpellatur. Perrari sunt Alabandensium numi in honorem Cæsarum Augustarumque percussi. Cicero Lib. III. de Nat. Deor. Alabandum ejusdem urbis conditorem, & ab Alabandensibus eximio honore cultum scribit. *Alabandenses quidem ALABANDUM sanctius colunt, a quo urbs illa condita, quam quemquam nobilium Deorum.*

NUM. 2.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΑΜΑΣΙΑ. *Amasia. Mulier captivorum more humi sedens dextro brachio capiti subposito, post ejus humeros thorax, & clypeus.*

Domitiano Dacorum & Germanorum Victori, expressa in numis Germaniæ devictæ imagine, plaudit Amasia, Ponti urbs laudatissima; de qua Plinius Lib. VI. Sect. III. quæ in aliis numis honorifica gaudet adpellatione *Metropoleos Primæ Ponti*, de qua luculenter Cel. P. Harduinus ad numos Populorum & Urbium p. 32. & seqq. Perrarus hic numus est, nec a Vaillantio nec ab Harduino descriptus.

NUM. 3.

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤὸς. *Cæsar Domitianus Augustus. Caput Domitiani laureatum.*

ΑΡΑΔΙΩΝ ΒΝΤ. *Aradiorum. Anno* CCCLII. *Urna in medio posita cum palmis, & Sphingibus hinc inde, quorum capita pileolo Phrygio tecta.*

De Arado Phoenicum urbe insigni, quæ in Chronico Eusebii dicitur condita anno primo Olympiadis V. nempe annis septem ante urbem Romam, quidquid scire dignum est, colligit Doctissimus Henricus Noris de Epochis Syromac. Differt. IV. §. III. in qua de ejus Epocha, quam probabiliter initam censet ab Autumno A. V. 495. adeoque si numerum in hoc numo expressum BNT. ab eodem Urbis memorato anno colligas, eumdem habebis exactum A. V. 847. quo Domitianus Idibus Septembris annum Imperii XIII. complevit. Hæc quoque mox subdit idem Norisius, loco superius memorato p. 368. ubi hunc ipsum numum producit integrum, quem a Vaillantio accepit: „ Eques Patinus pag. „ 166. alium Domitiani numum recitat inscri- „ ptum: ΑΡΑΔΙΩΝ ΒΜΤ. *Aradiorum.* Anno „ CCCXLII. qui coepit A. V. 836. ac cum ter- „ tio Principatus ejusdem Augusti concurrit. Har- „ duinus pag. 67. contendit eo in nummo le- „ gendum esse ΒϚΤ, *ut sit is annus Seleucidarum,* „ *Aradiorumque* 392. *Urbis Romæ* 833. *ac Do-* „ *mitiani primus.* Sed viri Clarissimi errorem „ superius confutavi. Præterea Epocha Seleuci- „ darum iniit ab Hyperberetæo A. V. Capito- „ lino 441. Quare annus ejusdem 392. exisset „ cum Septembri A. V. Capitolino 833. cum „ Domitianus duodevicesimum initi nuper im- „ perii diem ageret; ut vix tam brevi spatio no- „ vi principatus nuntius in Phoeniciam deferri „ potuerit". Ludos ab Aradiis celebratos in honorem Domitiani designare videtur urna, e qua Athletarum nomina sortito ducebantur, & palmæ hinc inde erectæ.

NUM. 4.

. . . . CEBA. . . . . *Aug.* . . .
Caput Domitiani laureatum.

ΑΣΚΑ. . . . ϹΡ. *Ascalo. Anno CXC. Mulier stolata, turrito capite, stans, dextra hastæ innixa, læva Ascaloniam cæpam gerit: hinc columella; inde columba elatis alis.*

Huic

Huic numo Ascalonitarum consignatur annus CXC. qui iniit ab autumno A. V. Romæ, 839. ac cum sexto imperii Domitiani concurrit, ut adnotat Norisius, qui hunc ipsum numum adfert de Epoch. Syromac. Dissert. V. §. I. pag. 430. & explicat symbola retrorsum obsignata; quem operæ pretium est ut adeat Lector.

N U M. 5.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ. *Damascenorum. Mulier turrito capite insidens scopulis, dextram extendit, læva cornu copiae gerit: sub pedibus nudus fluvii Genius.*

Pedes Damasci insistunt brachio & humeris Genii fluminis, quo eadem urbs mirificam rerum ubertatem, & fecunditatem obtinet. De eo hæc Plinius Lib. V. Sect. XVI. *Damascum ex epoto riguis amne Chrysorrhoa fertilem.* Hunc numum nec Vaillantius, nec Harduinus describunt. Metropoleos titulo in aliis numis donata legitur. Consulendus Norisius, qui differit §. II. differt. II. de Epocha Seleucidarum in numis Damascenorum obsignata.

N U M. 6.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. *Domitianus Cæsar Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΦΕCΙΩΝ ΜΑΡΝΑC. *Ephesiorum Marna. Fluvii Genius jacens dextra arundinem, lævo brachio innititur hydriae aquam fundenti.*

Apud Harduinum pag. 161. e Cimelio Regio describitur numus Domitiani ab Ephesiis percussus in memoriam Victoriæ Germanicæ, quod etiam epigraphe declarat: ΕΦΕσίων ΝΕΙΚΗ ΔΟΜΕΤΙΑΝΟΥ. Hic ipse numus e Numophylacio Reginæ Christinæ adfertur Tab. LIII. num. XL. & ita ab Havercampo illustratur pag. 343. „ Fluvii, qui moenia, & urbem irrigabat, typum, „ Marnam videlicet, more multis Asiæ civitatibus usurpato, in nummo hoc depinxerunt „ Ephesii, addito suo fluviique ejus nomine. Sed nullibi invenio Marnam fluvium, eumque Ephesiorum. Potius accedo ad Harduinum, qui numum Commodi describit pag. 165. cum epigraphe adsimili ΕΦΕCΙΩΝ ΜΑΡΝΑC, censetque Jovem Marnam, Gazensium Deum, cultum ab Ephesiis, ad quos transiit, ut Veneris Paphiæ ad Pergamenos. Marnam, Syriacam vocem, significare *Dominum hominum* observat Celeb. Norisius, qui de ejus cultu apud Gazenses disserit Dissert. V. Cap. III. de Epochis Syromac. pag. 418. & seqq. Describitur idem numus in Serie VI. Græcorum Musei Theupoliani p. 854.

N U M. 7.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙΣΑΡ. *Domitianus Cæsar. Caput ejusdem laureatum.*

ΙΑΣΕΩΝ. *Jasiorum. Mercurius stans petasatus, amiculo ex humeris recidente; dextra pateram, sinistra caduceum gerit.*

Jasensium Cariæ populorum, de quibus Plinius Lib. V. Sect. XXIX. singularem numum a Thesauro Goltzii pag. 216. indicat Cl. Harduinus; nulla hujusce numi facta mentione, quem tamen e Regio Thesauro describit Vaillantius; apud quem alter eorumdem Jasensium numus recensetur in honorem Domitiani cusus, cum typo coronæ e lauro, in qua scriptum ΙΑΣΕΩΝ; quo intelligimus Domitiano eos gratulatos ob victoriam Germanicam, eidemque auream sive argenteam coronam, lauream referentem, dono misisse.

N U M. 8.

Vacat.

N U M. 9.

. . . . . ΔΟΜΙΤΙΑΝΩ ΚΑΙΣΑΡΙ. . . . . .
. . . . . . *Domitiano Caesari.* . . . . .
Caput Domitiani laureatum.

ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΓΑΡ. *Juliensium, qui & Laodicenses Anno* CXXXIII. *Caput muliebre turritum & velatum.*

In medium relinquo Epocham, qua hic Juliensium Laodicensium in Syria eximius numus consignatur, quum de ejus fide & veritate mihi non constet. Siquidem Harduinus hunc ipsum numum e Gaza Regia describens, pag. 285. ita adnotatam docet: ΒΝΡ. quo signatum dicit annum CLII. postquam Syria a Pompejo est in provinciæ formam redacta: quod quidem egit ille anno Urbis DCXC. quo Cicero Consul fuit. Itaque censet hunc numum designare Urbis annum DCCCXLI. Domitiani nonum. Sed ab Harduino discrepat Morellius, qui epocham ita adnotatam depingit ΓΑΡ. Discrepat etiam Vaillantius, qui hunc ipsum numum describit aliter, ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΒΛΡ. *Juliensium Laodicensium anno* 132. Reliquæ literæ, & siglæ in area impressæ, non sunt numerales, sed monetarii, ut Norisius observat Dissert. III. Cap. III. §. pag. 234. cujus auctoritate apud omnes maxima in statuenda Juliensium Laodicensium epocha standum esse censent docti homines. Eam enim Laodicenses iniere ab autumno A. V. Romæ 706. Sed ad ipsum Emin. Purpuratum præstat Lectorem mittere. Idem numus e Nummophylacio Reginæ Christinæ Tab. LIII. num. XXXIV. illustratur a Cl. Havercampo; sed nihil de Epocha Laodicensium, quæ in adlato numismate Domitiani hoc ipso typo prætermissa est.

N U M. 10.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ (ΚΑΙ) ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Juliensium, qui & Laodicenses. Mulier urbis Genius stans, tunica succincta, dextra pateram, sinistra forsitan corollam.*

Hunc numum nec Vaillantius nec Harduinus recensent. In Museo Theopoliano adlatus numus num. 9. exstat; sed sine epocha describitur in serie VI. Græcorum pag. 855.

NUM. 11.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Caduenorum. Juppiter tunica & pallio amictus stans cum hasta.*

Cadueni numum percusserunt in honorem quoque Domitiæ Augustæ, quem adfert Patinus pag. 169. Sed perperam Tristanum secutus legit ΚΑΛΟΗΝΩΝ; ut observat Harduinus pag. 152. quem vide. Plinius hos populos *Caduenos* adpellat Lib. V. Lect. XXX. Stephanus gentile Καδηνοὺς: Κάδοι, πόλις Μυσίας.

NUM. 12.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΑΡΤΕΜΙC ΚΛΑΡΙΩΝ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. *Diana Clariorum Colophoniorum. Diana expensis brachiis, quæ verubus fulciuntur.*

Variat posticæ partis hujus numi epigraphe apud Harduinum pag 252. qui eum describit e Regio Cimeliarchio: nam habet: ΑΡΤΕΜΙC. ΚΛΑΡΙΑ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. Sed & in numo Trajani in Regio Thesauro penes Harduinum pag. 252. ΚΛΑΡΙΩΝ ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ legitur: adeoque ex nomine tutelaris Dei sui adpellationem usurpasse clarissime liquet. Ceterum frequentius in numis ΑΡΤΕΜΙC ΚΛΑΡΙΑ habetur. Celebre fuit apud Colophonios, Joniæ in Asia minori populos, fanum Apollinis *Clarii*, a quo non longe fluvius Halesus adfluit, ut narrat Plinius Lib. V. Sec. XXXI. Apollinis Clarii imago sculpta est in numo Gordiani Pii apud Patinum pag. 475. specie sedentis, qui dextra laurum, læva citharam gerit. Sed & ei sacer lucus fraxinis condensus apud Colophonios. Eodem cognomento culta apud eos Diana *Claria*, quæ ab ipsis, uti ab Ephesiis, eadem effigie colebatur; &, ut observat Patinus pag. 165. fortassis id locorum vicinia præstabant.

NUM. 13.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΚΛΑΥΔΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Claudiopolitarum. Jupiter sedens, dextra fulmen, sinistra hastam tenet.*

Hunc numum illustrat Patinus pag. 164. describit e Regio Cimelio Harduinus p. 252. A Claudio conditore, nomen accepit, alterum ei nomen Prithynium fuit. Vide etiam Cl. P. Froelich observationes in numum Faustinæ Augustæ num. LIII. pag. 213. & 214.

NUM. 14.

Epigraphe eadem. Caput Domitiani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. *Commune Cretensium. Jupiter sedens, dextra aquilam, sinistra hastam, sive sceptrum præfert.*

Communia sacra, certaminaque in uno aliquo oppido, & fano, decreto totius Cretensium Communitatis edita in honorem Domitiani, haec vox ΚΟΙΝΟΝ sonat, ut observat Harduinus pag. 260. ubi hunc ipsum numum describit e Gaza Regia, cujus typus adsimilis in numo Hadriani occurrit pag. 511. penes Tristanum. Alter Cretensium numus, ærugine exesis litteris, exstat in Museo Theupoliano p. 854. cujus typus mulier dextra spicas gerens.

NUM. 15.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ ΤΟΝ ΚΤΙCΤΗΝ. *Cyzicenorum Conditorem. Hercules cum spolio leonino, & clava.*

Quamquam Cyzicenorum conditor, sive instaurator fuerit Hercules, cujus imaginem in hoc numo signarunt, & eum ΚΤΙCΤΗΝ adpellarunt; tamen probabile est designare voluisse Domitianum, quasi tanquam alterum Deum, urbis conditorem, & instauratorem devenerarentur. Nec dubito etiam ad Asiæ minoris urbes pervolasse Domitiani superbiam, qui se *Deum* & *Dominum* vocari, & in publicis privatisque monumentis scribi præceperat; quod etiam testatur singularis numi hæc epigraphe. Cyzicenorum alii Dii Præstites fuere Ceres, Proserpina, quorum imagines frequentius in eorum numis visuntur. Hunc numum describit P. Harduinus, sed silet Cimelium, in quo adservatur. Neque etiam in Museo Theupoliano describitur.

NUM. 16.

Epigraphe eadem. Caput Domitiani laureatum.

ΚΩΙΩΝ. *Coënsium. Clava Herculea.*

Nulla hujus numismatis mentio apud Harduinum. Fuit Hercules inter Deos Coënsium Custodes, qui in hoc numo clavam ipsam, qua toto orbe monstra perdomuit & interemit, tanquam insigne ejus virtutis insculpserunt. Alterum numum clava Herculea ornatum a Coënsibus indicat Cl. Harduinus pag. 279.

NUM. 17.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΛΑΠΠΑΙΩΝ. *Lappæorum. Pallas galeata stans, dextra spiculum intorquet, læva clypeo munita.*

Lap-

Lappæi in Creta, quibus Auguſtus Cæſar libertatem conceſſit, & moenia inſtauravit, ut ſcribit Dio Lib. LI. tres numos Domitiano dedicarunt, quibus imagines Deorum ſuorum Apollinis, Dianæ Venatricis, & Palladis, quos præcipua religione colebant, impreſſas voluerunt. Hos deſcribit Vaillantius in numis Cæſarum Græcis. Hunc vero, qui Palladem exhibet e Regio Galliarum Theſauro, adparet Lappæos inſculpſiſſe ad exemplum eorum, quos, ut vidimus, immenſa propemodum copia cudendos præcepit ipſe Domitianus, cum Pallade Jaculatrice, cujus filius credi volebat. Percrebuit apud Lappæos fama victoriarum & triumphorum Domitiani, qui Daciæ & Germaniæ populos, non re, ſed opinione ſua ſubegit; quare ei gratulati ſunt hiice monumentis. Ex his tribus Lappæorum numis nullum citat ac deſcribit Harduinus pag. 287. Iidem numum Domitiæ Auguſtæ Domitiani conjugi pariter dedicarunt.

NUM. 18.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛου. *Magnetum ad Sipylum. mulier tunica & palla amicta ſedens, dextra pateram præfert, prope ſellam poſita Lyra.*

Singularis hic numus Magnetum, ſive Magneſiorum, quorum urbs celeberrima, ad montem Sipylum, antea dictum *Ceraunium*, poſita eſt in Lydia; (ab ea ita diſcriminata, quæ eſt in Ionia,) neque a Vaillantio, neque ab Harduino recenſetur; qui tamen indicat numum ab iiſdem Magneſiis in honorem Domitiæ Longinæ Conjugis Domitiani percuſſum pag. 303. Præcipuo cultus & religionis honore Magneſii deveneranti ſunt magnam Deûm Matrem, & Apollinem, qui in numo Philippi filii apud Sponium in Itin. Athen. ſedens cum cithara ſculptus conſpicitur. Sed in hoc numo Apollinem muliebri amictu ornatum, non auſim dicere; in quo quis Muſarum forſitan unam, vel potius ejuſdem Urbis Genium, agnoſcet, adpoſita lyra, qua forſitan, quum ſeorſim collocata ſit, edita muſica certamina, & ſacra pro ſalute Domitiani, ex patera, quam manu præfert, probabili conjectura intelligenda cenſebit; de hoc numo vide quæ adnotat Patinus pag. 120. & 165. Nec repugno, ſi quis Apollinem Pythium, ob edita Pythia certamina a Magneſiis ſculptum velit; nam iiſdem veſtibus, habituque & forma expreſſus in aliis numis cernitur.

NUM. 19.

Epigraphe eadem. Caput Domitiani laureatum.

ΚΟΙΝΟΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Commune Macedonum. Clypeus.*

Clypei perſæpe titulis & elogiis inſcripti, honoris cauſa in templis Deorum dedicabantur. Domitiano tanquam Patrono & Propugnatori ſuo hujuſmodi clypeum vel dono miſiſſe, vel dedicaſſe Commune Urbium Macedoniæ, teſtatur hic numus, & fortaſſe etiam certamina ei conſecraſſe, hinc probabiliter conjicimus. Deſcribitur hic ipſe numus a Vaillantio ex Regio Galliarum Theſauro, de quo ſilet Harduinus.

NUM. 20.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΜΙΛΗΣΙΩΝ. *Mileſiorum. Apollo Didymeus nudus ſtans, dextra cervulum, ſiniſtra arcum geſtat.*

Duo numiſmata in honorem Domitiani a Mileſiis percuſſa a Vaillantio deſcribuntur, hic a Cl. Morellio depictus, alter vero a Mileſiis concordia junctis cum Epheſiis. In aliis numis Apollo Mileſiorum radiato capite exprimitur, & quandoque Dianæ Venatricis ſimulacrum manu gerit, quod apud Mileſios horum numinum ſacra conjuncta erant. At apud Vaillantium Apollo non recte in hoc numo ita deſcribitur: *Apollo nudus ſtans dextra arcum, ſiniſtra telum*; quum dextra cervum parvulum præferre perſpicuum ſit.

NUM. 21.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΝΕΙΚΑΙΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗΣ ΕΠΑΡΧΕΙΑΣ *Nicæenſes Primi Provinciæ. Ara ſacro igne accenſa, & encarpis ornata, in qua ſcriptum:* ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ. *Jovis Forenſis.*

Deſcribitur hic numus eximius e Regia Galliarum Gaza a Vaillantio, & ab Harduino pag. 346. e quo, apud Nicæenſes colligit juriſdictionem fuiſſe, contributaque vicina oppida, quæ eo diſceptarent Foro; nam in eo inſcriptum aræ ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ *Jovis Forenſis*, qui forenſium conventuum ac indiciorum præſes foret.

Integrum exhibet hunc numum Præſtantiſſimus Triſtanus Tom. I. pag. 334. num. 8. cujus adverſa pars continet caput Domitiani ad lævam converſum, & laurea cinctum, cum hac inſcriptione in ambitu: ΑΥΤ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Imperator Domitianus Cæſar Auguſtus.* averſa vero eadem ut in hoc Theſauro Morelliano; ad quem hæc adnotat eruditiſſime. „ Ara cernitur, in qua ad ſacrificandum paratus „ eſt ignis. Frons aræ ornatur epigraphe: ΔΙΟΣ „ ΑΓΟΡΑΙΟΥ. *Jovis Forenſis.* Hic numus, ni fallor, oſtendit, Domitianum in Senatu adjudicaſſe Nicæenſibus, primos eſſe præ cæteris „ omnibus Bithyniæ urbibus contra Nicomedienſes, qui ſibi adſerere hanc dignitatem audebant, lite utrinque obortâ, ut evincitur ex „ XXVIII. Dionis Chryſoſtomi Oratione, in „ qua has urbes ad concordiam revocare contendit; exinde enim belli etiam eſſe tantum ardorem demonſtrat. Siquidem eos interrogat, „ qua in re eorum diſceptatio verſaretur: reſpondentque ipſi ὑπὲρ πρωτείων ἀγωνιζόμεθα: *de primatu decertamus* ac de prælatione. Paullo vero „ inferius Nicomedienſes inducit dicentes ἡμεῖς δὲ „ οἰόμεθα ἐὰν ἐπιγράφωμεν που πρῶτοι τῶν πρωτείων ἕξειν. „ nobis primatum & præ ceteris prærogativam „ eſſe dandam contendimus, primique haberi „ volumus, ut literis, petitionibus, & inſcrip- „ tio-

„ tionibus nostris patet. Conjici itaque potest, Nicæenses fortasse frequenti Senatu, & coram Domitiano, tecto, ut ajunt, latere adjutos, adeoque primatus prærogativam obtinuisse. Igitur, grati animi monumentum, hanc ei Aram statuerunt cum epigraphe ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ. ita ei ut *Jovi Forensi* sacrificaturi, sive tanquam Præsidi judiciorum causarumque, quæ in Foro agebantur. Hoc enim Ἀγοραῖος cognomento, seu titulo Jupiter potissimum colebatur (Aristide teste in ejus elogio, sive hymno) quum in causis & publicis concionibus forensibus efficiebat numine suo, ut quis victor abiret: τοῖς μὲν ἐν ἐκκλησίαις καὶ δίκαις νίκην διδοὺς, ἀγοραῖος κέκληται. Plutarchus testatur in eo Tractatu, qui est *an Seni sit administranda Respublica*, fuisse olim ei injunctum munus circa cultum *Jovis Forensis*, & Jovis, qui dicebatur *Polieus*, sive *Custos Civitatis*. Hoc quoque titulo Jovem adpellat idem Plutarchus in eo Tractacu, qui est *de Genio Socratis*, & antiquissimus ejus erat cultus apud Athenienses; cujus templum, sive statua, ni fallor, quidam erat asylus iis, qui eo confugiebant. Jolaus enim apud Euripidem in Heracl. Tragoedia ita exclamat:

Ω τὰς Ἀθήνας δαρὸν οἰκοῦντες χρόνον
Ἀμύνεθ', ἱκέται δ' ὄντες Ἀγοραίου Διὸς
Βιαζόμεσθα, καὶ στέφη μιαίνεται.

„ *O qui Athenas longum habitatis tempus Opem ferte: Jovis enim Agoræi cum simus supplices; tamen vim patimur, & supplicum rami lanâ velati polluuntur.*

„ Forum, quo agitata est causa, fuit profecto illud, de quo Papinius in Poëmate suo loquitur, celebrans XVII. Domitiani Consulatum his versibus ad Janum:

„ ——— *Quem tu vicina pace Legatum*
„ *Omnia jussisti componere bella, novique*
„ *In Leges jurare Fori* ——— ———.

„ Pausanias hujus meminit, & ut arbitror, ære totum debebat esse tectum:" Ῥωμαίοις δὲ ἡ ἀγορὰ μεγέθους ἕνεκα καὶ κατασκευῆς τῆς ἄλλης θαῦμα οὖσα παρέχεται τὸν ὄροφον χαλκοῦν, „ Lib. II. & III. similiter etiam ea quæ erant in Foro Cæsaris, & in altero Augusti, quæ tria patebant audiendis viris, publicis rebus, & negotiis. Horum trium Fororum meminit Ovidius Lib. III. Tristium Eleg. XII. hisce versibus:

„ *Cumque tribus resonant terna theatra Foris*

„ Hujusmodi vero translatio nihil obtinuit post mortem Domitiani, ut arbitror. Dionysius enim Halicarnassensis, quem inferius citabimus, quique sub Hadriano vigebat, veteris Fori meminit, quod exornaverat, & auxerat Tarquinius, & in quo Dionysii etiam temporibus causæ agebantur: Τὴν τε ἀγορὰν, ἐν ᾗ δικάζουσι καὶ ἐκκλησιάζουσι, καὶ τὰς ἄλλας ἐπιτελοῦσι πολιτικὰς πράξεις, ἐκεῖνος ἐκόσμησεν, ἐργαστηρίοις τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις περιλαβών.

„ Quod vero spectat ad Domitianum, qui in hac Ara, dum ea ad ipsum pertineat, cognominatur Jupiter, nihil est quod admiremur. Usitata hæc enim erat Græcorum & Romano- adulatio, colendi nimirum tanquam Numina suos Imperatores, maxime vero Domitianum, qui, ut omnes norunt, volebat haberi Deus. Quod spectat ad Græcos, videmus apud Isac. Tzetzem in Lycophronem, Lacedæmonios templum dicasse Jovi Agamemnoni. En versus in Cassandra:

Ἐμὸς δ' ἀκοίτης δημωδὸς νύμφης ἄναξ,
Ζεὺς Σπαρτιάταις αἱμύλοις κληθήσεται.

„ In his enim Agamemnon a Spartiatis adpellandus est Jupiter; sive, uti Tzetzes commentatur οἱ Λακεδαιμόνιοι ἱδρύσαντες Ἀγαμέμνονος Διὸς ἱερὸν εἰς τιμὴν τοῦ ἥρωος. Alio vero loco idem adnotat habuisse Templum in Attica, in ea Urbe, quæ vocabatur *Lapersam*. Heic vero pro Ἀττικῆς arbitror legendum Λακωνικῆς. Apud Laconas enim erat hæc urbs, ut Ptolemæus, & Stephanus testantur. Sciendum enim hunc fuisse morem veterum Græcorum adpellandi Reges Δίας, veluti una cum Isaacio Joannes Tzetzes ejus frater adnotat Hist. primæ Chiliad. hisce versibus:

Τοὺς βασιλεῖς δ' ἀνέκαθε Δίας ἐκάλουν πάντας

„ Alio in loco, inquit ille, omnes Reges cognominantur Joves. Quod vero ad Domitianum spectat, Dio Chrysostomus XLV. Oratione sua de hoc queritur, quod non solum Græci, sed ipsimet Barbari vocarent eum Deum, & supremum Genium Universi, quum tamen scelestissimus esset, & iniquissimus Tyrannus, & tartareo dæmone infestior. Ἀλλὰ τὸν ἰσχυρότατον, καὶ βαρύτατον, καὶ δεσπότην ὀνομαζόμενον, καὶ Θεὸν παρὰ πᾶσιν Ἕλλησι καὶ Βαρβάροις, τὸ δὲ ἀληθὲς ὄντα δαίμονα πονηρόν. Quinctilianus vero, qui profecto non tam notæ sinceritatis & probitatis erat, quam erat Dion, non erubescit eum leviter invocare principio Lib. IV. Oratoriarum Institutionum. *Mihi quoque profecto poterit ignosci, si, quod initio, quum primum hanc materiam inchoavi, non feceram, nunc omnes in auxilium Deos, ipsumque in primis, quo neque præsentius aliud, neque studiis magis propitium Numen est, invocem.* In his enim verbis invocat eum tanquam verum *Jovem Forensem*, aut *Jovem Ausonium*; veluti Statius adpellat eum Jovem Lib. III. Poëm. IV. & ejus uxorem *Romanam Junonem*, hisce versibus:

„ ——— *Placida quem fronte ministrum*
„ *Juppiter Ausonius pariter, Romanaque Juno*
„ *Adspiciunt, & uterque probant.* ———

NUM. 22.

ΑΥΤοκράτωρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικός. *Imperator Domitianus Cæsar Augustus Germanicus. Caput ejusdem Imperatoris laureatum.*

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomediensium. Muliebre caput, (Genius urbis,) turribus & velo ornatum.*

Non describitur, cum hac tantum epigraphe ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ, hic numus a Vaillantio, & Harduino. Alterum cum eodem typo in aversa parte Vaillantius describit, in quo sub imagine Genii Urbis Nicomediensium, vultum Domitiæ uxoris Domitiani agnoscit; e Museo Fou-

Foucaultiano, cum hac epigraphe: Η ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑC. & circa ambitum ΝΕΙΚΟΜΗδέων. In numo penes Patinum pag. 164. *Metropolis* adpellatur & *Prima Ponti & Bithyniæ.*

NUM. 23.

Eadem, ut superior, epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΝΙΚΟΜΗΔεια ΜΗΤΡΟπολις. *Nicomedia Metropolis. Templum exastylum.*

Indicatur hic ipse numus tertii moduli a Vaillantio e Regio Galliarum Cimeliarchio. Non abs re videtur hinc conjicere, Nicomedienses Templum Domitiano dedicasse, & tanquam Deum, adulationis causa, eum coluisse.

NUM. 24.

Eadem, ut supra, epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ ΚΑΙ ΠΡΩΤΗ ΒΕΙΘΥΝΙΑC, *in area:* ΝΙΚΟΜΗδεια. *Metropolis & Prima Bithyniæ (civitas) Nicomedia. Navis prora, supra quam draco repens capite elato.*

Signatur in hoc numo anguis, cujus auspiciis, uti & aquilæ, Nicomedienses non eo in loco in quo sacra faciebant, sed ultra fretum commeantes, mutato consilio, urbem condiderunt. De hac Nicomediensium origine consulendus Libanius in Orat. VI. de Nicomedia terræ motu eversa; cujus testimonium adfert Harduinus, qui hunc numum describit pag. 356. Sed mendis corruptam aversæ partis epigraphen exhibet. De eo etiam nonnulla adnotat Patinus pag. 165.

NUM. 25.

Epigraphe, ut in præcedentibus. Caput Domitiani laureatum.

Μάρκε ΠΛΑΝΚΙΟΥ ΟΥΑΡΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ Β. ΤΗΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΝΙΚΟΜηδείας. *Marco Plancio Varo Proconsule iterum Metropolis Nicomediæ.*

Nexus litterarum in nomine Nicomediæ si diligenter a Morellio depictus est, fortassis Metropolim *magnam* Nicomediam Μεγάλην indicat, quod rarum, si vero prima littera ejusdem nominis sit Π, designat *Primam*, quæ honorifica adpellatio frequens est in numis Nicomediensium. Describitur hic numus a Vaillantio, sed minus accurate; at ab Harduino prætermittitur. In Museo Theupoliano eximius numus exstat, qui describitur in Serie VI. pag. 855. cujus typus est Roma galeata sedens in rupibus dextra extensa, sinistra parazonium tenens; cum epigraphe: ΡΩΜΑΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ ΝΕΙΚ. ΠΡΩΤ. ΒΙΘ. ΚΑΙ Π. *Romam Metropolim Nicomedia Prima Bithyniæ & Ponti* (colit.) *Præclara* adpellatur a Plinio Lib. V. Sect. ult. & in hoc prora navis, in aliis numis triremis sculpta est, quod in intimo Astaceno sinu sita sit, & illud gloriosum quam maxime ducebat, se veluti alteram Romam, urbem esse primam & maximam, & supra ceteras Asiaticas civitates eminere, ac præcellere.

NUM. 26.

Vacat.

NUM. 27. 28.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡΟΣ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΥ. (*Sequuntur litteræ ærugine exesæ forte* ΣΕΒαστȣ) *Imperatoris Domitiani Augusti. Caput ejusdem laurea cinctum.*

ΝΥCΑΕΩΝ. *Nysæorum. Neptunus in quadrijugo curru rapiens Nympham Amymonem.*

Singularis hic numus est, non descriptus a Vaillantio & Harduino. De Neptuno rapiente Amymonem, hæc accipe ex Propertio Lib. II. Eleg. 18. vers. 45.

Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Jovi.
Testis Amymone, latices cum ferret in arvis,
Compressa, & Lernæ pulsa tridente palus.

TABULA XXII.

PERSEQUITUR

IMP. CAESAR. DOMITIANI

NUMISMATA GRAECA

EX AERE MEDIO.

NUM. 1.

ΑΥΤοκράτωρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒαστὸς ΓΕΡμανικὸς. *Imperator Domitianus Cæsar Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum. Bacchus barbatus stans ad aram sacro igne accensam, dextra scyphum, sinistra thyrsum gestat.*

NUM. 2.

Eadem epigraphe. Caput idem laureatum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum. Jupiter ſedens in ſella, ſuperne nudus, infra velatus pallio; dextra pateram, ſiniſtra haſtam ſive ſceptrum tenet.*

NUM. 3.

Eadem epigraphe. Caput idem laureatum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum. Mulier tunicata & ſtolata, ſive Genius urbis Perinthi, ad aram ignitam ſtans, dextra pateram, ſiniſtra cornu copiæ gerit.*

Perinthus urbs Thraciæ nobiliſſima & incluta, ut Domitiani gratiam iniret, vota pro ejus ſalute, & victoriis, nec non ſacra celebravit, quæ indicant patrii Dii Bacchus, Jupiter, & Genius Urbis, pateram manibus tenentes, ad aras feſtiva fronde ornatas, & ſacro igne conlucentes. Hos tres numos indicat Vaillantius, priores duos ſecundi moduli, tertium primi eſſe adnotans. Deeſt Herculis typus, quem Cl. Morellius fortaſſis pingere volebat in num. 4. ſiquidem Perinthii præcipuo honore colebant Herculem urbis ſuæ conditorem, ut auctor eſt Ammianus Lib. XXII. unde & Heraclea Thraciæ dicta eſt.

NUM. 4.

Vacat.

NUM. 5.

Epigraphe, ut ſupra. Caput Domitiani laureatum.

ΦΛΑΟΥΙέων ΝΕΑΠΟΛιτῶν ΣΑΜΑρείας Lυκάβαντος ΑΙ *Flaviorum Neapolitanorum Samariæ Anno XI. ſive ut alii: Flavia Neapolis (nova urbs) Samaria Anno XI. Palma pulcherrima.*

NUM. 6. 7. 8.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹαρ ϹΕΒΑϹτὸς ΔΟΜΙΤΙΑ ϹΕΒΑϹΤΗ *Domitianus Cæſar Auguſtus: Domitia Auguſta. Capita Domitiani & Domitiæ.*

In poſtica parte eadem epigraphe, ut in antecedenti; eademque epocha, intra lauream coronam.

Prior numus adlatus num. 5. deſcribitur, ſed non ſatis accurate, a Vaillantio ex Regio Galliarum Theſauro; alter vero depictus num. 6. producitur a Cl. Bellorio num. 38. cum hiſce obſervationibus pag. 78. „ Flaviam Neapolin „ ſive novam urbem Samariam, ab Antipatro „ ſolo æquatam, Herodes novum oppidum condidit, ac in honorem Auguſti *Sebaſten* adpellavit ex Plinio Lib. V. Sect. XIII. & Strabone. „ *Flaviam* etiam cognominatam ex hoc numo „ diſcimus, quod Veſpaſianus eo coloniam deduxerit; nam conſpirantes bello Judaico Samaritas, Cerealis adgreſſus, occidit omnes, „ teſte Joſepho. Stephanus: Σαμάρεια, πόλις Ιουδαίας, ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις. . . . τὸ ἐθνικὸν Σαμαρεύς. . . . Σαμαρείτης. Illud præterea obſervandum, in his numis laureas coronas, quos dono miſſas a Samaritis conjicio, tanquam cultæ virtutis, & fortitudinis adverſus hoſtes monumentum, ornari non ſolum vittis, quis conligantur, ſed etiam majore gemma in medio, ubi frons ornatur, conlocata. In altero numo num. 7. variat tantum epocha, nempe BI. in ſequenti vero duo copiæ cornua decuſſata pro emblemate ſculpta conſpiciuntur, quæ imperante Domitiano populorum felicitatem, rerumque tranquillam ubertatem reſtitutam deſignant. Palmæ icon in priore numo paſſim in Syriæ numis occurrit; quem deſcribit P. Harduinus pag. 140. apud quem Antonini Pii numus citatur, apud Triſtanum Tom. I. pag. cum epigraphe ΦΛ. ΝΕΑϹ. ΠΟΛΕΩϹ. ΣΥΡΙΑϹ. ΠΑΛΑΙϹΤΙΝΗϹ.

NUM. 9. 10.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΙΤΟϹ. *Imperator Titus. Caput ejusdem Titi laureatum.*

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΑΜΙΩΝ. *Domitianus Cæſar Samiorum. Caput ejusdem Domitiani laureatum*

Samii, poſt mortem Veſpaſiani Romani orbis Imperium moderante Tito, qui conſortem ſtatim fecit Domitianum fratrem ſuum, hunc eximium numum fraterni amoris & concordiæ monumentum addiderunt, ut eorum gratiam tam lætis auſpiciis ſibi conciliarent.

NUM. 11.

Epigraphe, ut ſupra. Caput Domitiani laureatum.

ϹΑΜΙΩΝ. *Fluvius decumbens, urnæ aquam fundenti innixus lævo cubito.*

Maxima commoda, & humanæ vitæ adjumenta, & opes, quum ſuppeditent Fluvii urbibus; non eſt quod miremur, ſi tam frequenter in numis ſculpti ſpectantur, aquarum ſuarum copiam oſtentantes, urnæ, e qua aquam fundunt, innixi. In Samo tria flumina nominat Plinius Lib. V. Sect. XXXI. Imbraſum, Cheſium, Ibeſton; ſed Imbraſus celeberrimus; a quo Juno, præcipuo honore culta, & templo famigeratiſſimo, quod Ἡραῖον Strabo adpellat, culta a Samiis, *Imbraſiæ* cognomentum accepit. Sed Cheſium Scholiaſtes Callimachi, non fluvium, ſed promontorium adpellat. Samum Ionicam Apulejus 2. Floridorum eleganter deſcribit.

NUM. 12.

Epigraphe, ut ſupra. Caput Domitiani laureatum.

ϹΕΒΑϹΤΗΝΩΝ. L. ΘΡ. *Sebaſtenorum. Anno CIX. Jupiter ſtans dextra innixus haſtæ, læva Victoriolæ ſignum gerit.*

Sebaſteni in Palæſtina Domitiano Victori Dacorum Germanorumque gratulati ſunt ſculpta

pta in hoc numo Jovis Victoris imagine. Rarus hic numus præclaris numographis Vaillantio, Harduino & Patino incognitus, optatam lucem suam nunc obtinet, industria & labore Cl. Morellii, qui plurimos numos, ut vidimus, e tenebris oblivionis ad lucem revocavit. Litteræ in area OA videntur non numerales, sed monetarii notæ. Hunc numum adfert Norisius & illustrat Differt. V. pag. 444. ubi de Epocha Sebastenorum luculenter disserit.

N u m. 13.

Epigraphe eadem, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΓΑ ΒΚC. *Seleucensium sacræ & suis legibus utentis (civitatis) Anno CCII. Caput muliebre turribus coronatum, velatumque, pone palmæ ramus.*

Egregius Norisius adfert hunc numi typum, & ita illustrat de Epochis Syromac. Differt. III. Cap. VIII. §. I. pag. 230. „ Epocha BC an„ num indicat CCII. qui coepit per autumnum „ A. V. 846. ac duodecimo Imperii Domitiani „ correspondet. Aliæ litteræ sunt notæ Mone„ tarii." Seleuciæ maritimæ vel Pieriæ vulgo adpellatæ Seleucus Nicator conditor fuit. Eam libertate donavit Pompeius, quæ luculenter exponit idem Norisius. Palmæ ramus, ut videtur, sacra certamina in honorem Domitiani celebrata subindicat.

N u m. 14.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ. *Sepphoreniorum. Corona laurea, lemniscis, & gemma ornata.*

E Regio Galliarum Thesauro describit hunc numum Vaillantius; sed uberrime illustratur a Cl. Harduino pag. 449. Sepphoreni, hunc Domitiano dedicarunt, quorum oppidum in meditullio Galilææ, celeberrimum evasit providentia Vespasiani ejusque beneficiis. Quum enim cives ejus partibus addicti essent, data fide Cestio Gallo, junctis dextris, contra Judæos gentiles suos auxilia promittentes, equitum peditumque Romanorum præsidio tutati sunt, ne Judæorum incursibus peterentur, licet eorum civitas maxima, & in tutissimo loco condita esset, ut memorat Josephus Lib. III. Bell. Jud. Cap. I. cujus testimonium adfert Harduinus, quem consulat Lector antiquitatis studiosus. Coronam pretiosam ex auro vel argento Domitiano, Germanorum aliorumque ferocissimorum populorum victori, dono per Legatos misisse, testari videtur hic numus.

N u m. 15.

Eadem epigraphe. Caput laureatum Domitiani.

ΖΜΥΡναίων ΕΦΕσίων. *Smyrnæorum Ephesiorum. Duæ Nemeses stantes cum symbolis.*

Describit hunc numum Vaillantius; sed quum Morellius in ambitu complura puncta inpinxerit; videtur aliam epigraphen prætulisse, quæ injuria temporum, vel dira ærugo delevit. Exstat alius Smyrneorum numus in Regio Galliarum Cimeliarchio, quem adfert Patinus pag. 167. ita inscriptus: ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙC. CEB. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟC. ΔΟΜΙΤΙΑ. CEBACTH. In parte aversa: ΕΠΙ. ΔΗΜΟCΤΡΑΤΟΥ. CΤΡΑΤΗΓΟΥ. CΜΥΡ. *Sub Demostrato Praetore Smyrnaeorum.* In hoc vero Concordia Smyrnaeorum & Ephesiorum declaratur.

N u m. 16.

Eadem, ut supra epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΣΙΔΩΝΟΣ. *Sidonis. Figura virilis paludata, radiata corona insignis, dextra elata, sinistra flagellum tenet.*

Sidoniorum Phoeniciae numus iste, a Vaillantio descriptus, referre videtur, Solis imagine, ipsum Domitianum. Pro flagello, qui tribuitur Soli & in numis Rhodiorum, Vaillantius reponit ramum, longe a fide numismatis, ut videtur. Eo processit Populorum prona in Imperatores adulatio, ut eos in sacris festis & certaminibus Deorum specie, habitu cultuque colendos exponerent, quod & a Sidoniis factum crediderim.

N u m. 17.

ΑΥΤοκράτωρ Καῖσαρ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟC. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus. Domitiani caput laureatum.*

ΖΕΥΣ ΠΑΝΔΗΜΟΣ ΣΥΝΝΑΔΕΩΝ. *Jupiter Præses totius Conventus Synnadensium. Jupiter sedens dextra simulacrum Victoriæ, sinistra hastam tenet.*

Synnada, seu Synnas magnæ Phrygiæ urbs, de qua Stephanus & Plinius Lib. V. Sect. XXIX. clara populorum conventu, a quo Jupiter, qui præerat, cognominatus hunc numum Domitiano dedicavit, & victoriæ quam de Cattis, Dacis Germanisque reportavit quasi gratulantem Jovem suum repræsentat, adtributo ei in dextra manu signo Victoriæ. Describitur & illustratur hic numus e Regiis Cimeliis ab Harduino pag. 476. adfertur a Patino pag. 166. ad quem hæc adnotat: „ Synnada, de qua dictum est pag. 3. hunc „ numum edi curavit in honorem Domitiani cum Jovis adscripto peculiari nomine: is ΠΑΝΔΗΜΟΣ *Sospitator*, seu *Servator* dicitur: an quia Domitianus novam excitaverit ædem in Capitolio *Jovi Custodi*, ut ait Suetonius c. 5. Sed longe est quod ΠΑΝΔΗΜΟΣ idem significet ac *sospitator* seu *Servator*; quum potius universi Populi Præsidem significet, qua adpellatione insignitur Venus apud Pausaniam in Atticis. c. 20.

N u m. 18.

Epigraphe adsimilis. Caput Domitiani laureatum.

ΖΕΥΣ ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ ΤΙΑΝΩΝ. *Jupiter Syrgastes Tianorum. Jupiter stans dextra pateram, sinistra hastam gerit.*

Vail-

Vaillantius hunc numum deſcribit ex Theſauro Regio, & in eo conſtanter legi adfirmat ΖΕΤΣ ΕΤΡΓΑΣΤΗΕ, & num *Jupiter Opifex* intelligendum ſit proponit. Harduinus pag. 496. vertit *Jupiter Opifex*, ſed adlatis numis Antonini Pii, & Marci Aurelii e Cimelio Regio, in his ſcriptum docet: ΖΕΤC ΕΡΓΑCΤΗC ΤΙΑΝΩΝ: adeoque Ἐργάςης ſignificet *Operum Præſes*. Quæ quum ita ſint, in numo depicto a Morellio, initio cognominis reformanda videtur littera Σ in Ε, & Τ delenda, quæ ſupervacanea eſt, ita ut dicat ΖΕΤΣ ΕΡΓΑΣΤΗΣ. Tium civitas clara in Bithyniæ & Paphlagoniæ confinio, de qua conſulendus Stephanus, qui a cultu Jovis, *ἐκ τοῦ τιμᾷν τὸν Δία*, *Tium* adpellatam ſcribit.

NUM. 19.

Epigraphe eadem, ut ſupra. Caput Domitiani laureatum.

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΠΥΘΙΟΥ. *Pythii Trallianorum. Apollinis Pythii imago dextra lauri ramum, ſiniſtra citharam geſtantis.*

A Morellio in deſcribenda averſa numiſmatis parte, in epigraphe recedunt Vaillantius, & Harduinus, qui non ΠΥΘΙΟΥ, ſed ΠΥΘΙΟC habent, quem vide pag. 502. in qua hunc ipſum numum & a Patino depromtum pag. 165. & elucidatum, illuſtrat. Trallianos credibile eſt edidiſſe in honorem Domitiani ſacra Certamina Pythia, quæ apud eos erant celeberrima, uti liquet ex marmore Arundeliano, in quo ΤΡΑΛΛΕΙΣ ΠΥΘΙΑ. & jam editi numi in Muſeo Florentino teſtantur.

NUM. 20.

. . . . : ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. *Domitianus. Caput ejusdem laurea corona cinctum.*

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ L. ΓΜΡ. *Philadelphenſium Anno CXLIII. Caput Fortunae Philadelphenſium, (ſive eorum Urbis Genius,) turribus & velo ornatum, cum palma retro ſculpta.*

Pertinet hic præclarus numus ad Philadelphenſes in Coele Syria, qui ſacra certamina ediddiſſe in honorem Domitiani videntur. Quia vero hunc numum, & alterum Titi, e Regio Galliarum Theſauro ad Præſtantiſſimum Noriſium, qui eos adfert pag. 268. de Epoch. Syromaced. Diſſert. III. Cap. IX. §. II. Celeb. Andreas Morellius miſit, vir inſignis Doctrinæ, pariſque humanitatis, uti a Noriſio prædicatur, operæ pretium me facturum exiſtimo ſi Noriſianum integrum Commentarium heic ſubjiciam.
„ Alter nummus viſitur in Cimeliis regiis, in
„ cujus anteriori parte ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC *Domitianus*
„ legitur, deleto ejusdem titulo. In poſteriori
„ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ: *Philadelphenſium* nomen ap-
„ paret. At duæ priores literæ numerales detritæ
„ ſunt, ſola Ρ apparente, ut qui nummum videre,
„ mihi per literas ſignificarunt. Illas tamen L.
„ ΓΜΡ. ut in typo ſuppletas accepi, excudendas
„ curavi, quas pariter in eodem nummo ex in-
„ dice notavit V. C. Harduinus pag. 526. ubi
„ recte initium Aeræ Philadelphenſium accerſit
„ ab anno, *quo Cicero*, inquit, *geſſit conſulatum*,
„ quem vocat *Urbis Romæ* DCLXXXX. addit-
„ eo in nummo *ſignari annum Domitiani primum, Urbis Romæ* DCCCXXXIII. Hinc an-
„ num 143. in Domitiani nummo obſignatum
„ vocat Urbis Capitolinum 833. At hoc anno,
„ ineunte Octobri, deſinebat annus Philadel-
„ phenſium 143. Titus vero immaturo fato de-
„ ceſſerat die 13. Septembris, ut parum proba-
„ bile videatur, Philadelphenſes, qui propius
„ Arabiam tam procul Roma diſtabant, intra
„ ſeptendecim dies nuntium mortis Titi, ac initi
„ a Domitiano imperii accepiſſe, & altera ſtatim
„ die, qua ipſorum annus 143. claudebatur,
„ nummos novi Imperatoris imagine obſignatos
„ ſcalpſiſſe. Eadem difficultas apparet in Epocha
„ etiam Varroniana, ſi quidem ſi Epocha Phila-
„ delphenſium incepit initio Octobris, ſeu Ma-
„ cedonum Hyperberetæi, A. V. 691. annus
„ ejusdem Aeræ 143. exiit A. V. 834. pridie Kal.
„ Octobris, ſive poſtrema die Macedonici Gor-
„ piæi, quæ erat decima nona primum initi a Do-
„ mitiano imperii. Cum in nummo Titi lauda-
„ to palam notetur Epocha Philadelphenſium
„ ΓΜΡ. videlicet annus CXLIII. & in altero Do-
„ mitiani detritis duabus literis, Ρ nota centeſi-
„ mi tantum appareat, prior fortaſſe litera nu-
„ meralis neutiquam eſt Γ, ſed Δ aut alia ſequens
„ numeralis, qua quiſpiam annus poſt centeſi-
„ mum tertium indicatur. Si tamen ea prior no-
„ ta numeralis literæ Γ veſtigium utcunque præ-
„ ferre videatur, idem nummus Domitianum
„ Cæſarem tantum, nondum vero Imperatorem
„ Auguſtum deſignat, ita ut titulus eraſus ſup-
„ pleatur: ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ: *Domitianus Cæſar.* Quamvis vero qui Cæſares tantum erant,
„ ſine laurea in nummis ut plurimum inſpician-
„ tur, quod numiſmata M. Aurelii, ac ejusdem
„ filii Commodi, cum Cæſarea tantum dignita-
„ te ac titulo ornabantur, oſtendunt; Domitia-
„ nus tamen adhuc Cæſar in nummis laureato
„ capite ſcalptus paſſim viſitur, quod initio ſta-
„ tim imperii Veſpaſiani patris, cum hic non-
„ dum ex Syria novus Imperator in Urbem ve-
„ niſſet, expeditionem in Germaniam ac Gal-
„ liam ſuſcepit, uti ſcribunt Tacitus lib. 4. Hiſt.
„ Suetonius cap. 2. de vita ejuſdem, ac Joſephus
„ lib. 7. de Bell. Judaico capite 23. ubi narrata
„ Civilis ac Claſſici rebellione, quam in Ger-
„ mania ac proximiori Gallia conflaverant, ait:
„ *Nam ut primum defectionis eorum nuntius alla-*
„ *tus eſt Romam, Domitianus Cæſar hoc audito,*
„ *non ſicut alter in illa ætate feciſſet; nam ad-*
„ *modum adoleſcens* (undeviceſimum ætatis an-
„ num agebat) *tantam rei magnitudinem ſuſcipe-*
„ *re non detrectavit, ſed a patre habens ingeni-*
„ *tam fortitudinem, & ſupra ætatem exercitatus,*
„ *illico tendebat in barbaros: Illi autem expe-*
„ *ditionis fama perculſi, ei ſe ſubmiſerunt.* Quam-
„ vis, ut tradit Tacitus in fine libri 4. laudati,
„ Domitianus, monente Muciano, ne, adverſus
„ rebelles confecto jam prope a Petilio Cereali
„ bello, alienæ gloriæ interveniret, Lugduni
„ ſubſtiterit. Et ſane Germani permixtique eis-
„ dem Galli, advenientis cum majoribus copiis
„ Domitiani Cæſaris fama perculſi, facilius ad
„ obſequium, abjectis armis, rediere. Hinc Do-
„ mitianus, licet tantum Cæſar, cum laurea in
„ nummis ſcalptus eſt. Imo quod illam de Ger-
„ manis victoriam ſuis auſpiciis reportatam jacta-
„ bat, inito ſtatim imperio, titulum *Germanici*

„ aſſum-

„ assumpsit. Extant nummi inscripti: IMP. „ CAES. DOMITIANUS AUG. GERM. P. „ M & in postica: TR. P. COS. VII. qui per- „ cussi sunt intra primum quadrimestre initi ab „ eodem post Titi mortem imperii; siquidem „ Kalendis proximis Januariis Consul VIII. pro- „ cessit. Postea vero ob bella Germanica, quæ „ Imperator Augustus gessit, per antonomasiam, „ adulatione Senatus *Germanicus* dictus est. Hæc „ omnia egregie prodit Martialis lib. 2. Epigr. 2.

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quod victor, quodve Metellus habet.
Nobilius domito tribuit Germania Rheno,
Et PUER hoc dignus NOMINE, Cæsar, erat.

N U M. 21.

Epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Philippopolitarum (In Thracia.) Patrius Deus, seu Urbis Genius, stans nudo corpore, dextra pateram, sinistra columellæ innixus arboris ramusculum præfert.*

Producitur a Vaillantio. Vide Harduini observationes pag. 527. & 528. in numos Philippopolitarum.

N U M. 22. 23. 24.

Vacant.

Reliquos numos, qui in hac Tabula XXII. adferuntur, quia manca in iisdem epigraphe est, aliis supplendos, & illustrandos relinquo: non enim hariolationibus, & inutilibus conjecturis decet indulgere. Ad alios numos provoco, qui in Museo Theupoliano describuntur, inter quos aliqui incertarum Urbium proferuntur in Serie VI. pag. 857. & 858.

T A B U L A XXIII.
E X H I B E N S
IMP. CAES. DOMITIANI
NUMISMATA EX AERE MEDIO
ALEXANDRIAE AEGYPTI PERCUSSA.

N U M. 1.

ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ. *Cæsar Domitianus. Caput ejusdem laureatum.*

L. A. *Anno Primo. Harpocrates nudus stans, capite ornato loto flore, dextram ori admovet, sinistra cornu copiae gerens.*

Patrium numen Alexandrini in hoc numo insculpserunt, de quo luculenter doctissimus Cuperus. Annum primum imperii Domitiani Cæsaris signarunt; quod etiam in Tito fecerunt, ut supra observavimus. Idem typus repetitus in numo, quem iidem Alexandrini percussere anno decimo imperii Domitiani, qui describitur in Museo Theupoliano Serie VII. pag. 1112.

N U M. 2.

Adsimilis epigraphe. Caput idem.

L. A. *Anno Primo. Equus citissime currens, cujus dorso anguis insidet.*

N U M. 3.

ΑΥΤΟΚράτωρ ΚΑΙΣΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστός. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΔΕΥΤΕΡΟΥ. *Anno secundo. Caput Isidis cum loto flore in capite, sive Persico inter folia.*

N U M. 4.

Eadem epigraphe, ut in superiore. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio. Caput Serapidis.*

N U M. 5.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus. Caput ejusdem Domitiani laureatum.*

ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio. Caput mulieris, elephantis proboscide & exsuviis ornatum.*

Doctissimus Tristanus non bene hunc numum ad Africam revocat, quum apud Alexandrinos cusum typus ipse manifeste evincat; nec raro in aliis numis, ut in Galba, quem Vaillantius tomo II. describit scriptum est ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ. sive ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ. Sed præstat ipsam Tristani hujusce numismatis explicationem adferre, quæ in Tom. I. pag. 339. num. 12. ita se habet. „ Effigies Domitiani: in postica parte ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Tertio anno*, scilicet imperii Domitiani. „ Effigies est Aphricæ, tanquam Deæ: spicis est „ redimita; & proboscide dentibusque ele„ phantis, qui ejus fronti impositi sunt, distin„ guitur. Hoc caput Aphricæ fortasse idem e„ rat, a quo locus secundæ Regionis Romæ de„ nominabatur, de quo Sextus Rufus. Claudia„ nus vero de laudibus Stiliconis, ita de eo loco „ canit:

Tum spicis, & dente comas insignis eburno,
Et calido rubicunda die, sic Africa fatur.

„ Hæc quoque in libro de *Bello Gildonico:*

——— ——— *mediis adparet in astris*
AFRICA, rescissa vestes, & spicea sparsim
Serta jacent: Lacero crinales vertice dentes,
Et fractum pendebat ebur ——— ———

„ Sidonius pariter Apollinaris in Panegyrico suo „ ad Imperatorem Majoranum:

——— ——— *subito flens Africa nigras*
Procubuit lacerata comas, & cornua frontem,
Jam male fecundas in vertice fregit aristas.

„ Africani enim tanti regionem suam æstima„ bant, ut venerari AFRICAM, tanquam Dea„ rum primam consueverint in votis, sacris, re„ busque gestis, teste Plinio Lib. XXVIII. Cap. „ II. qui ita inquit: *In Africa nemo destinat (de„ dicat) aliquid, nisi præfatus Africam.* Nil ita„ que mirum, si in hac postica parte spicis est „ Africa redimita: ubertas enim terræ significa„ tur, ut pluribus demonstravi ad numum Le„ pidi, in cujus postica parte legitur: COL. „ CABe. Proboscis elephantum copiam declarat „ incredibilem, qua Africa abundat:

Et vastos elephantas habet, sævosque Leones
In poenas fecunda suas parit horrida Tellus.

„ ut ait Manilius Lib. IV. Genus tamen, & eo„ rum numerus valde imminutus est post bella „ Punica & Civilia Scipionis, Jubæ, & Pom„ peji. Philostratus enim, qui subsecuto sæculo „ florebat, dicit epistola quadam sua, hæc ani„ malia facta fuisse rariora; quod quidem multo „ magis evenit sub Christianis Imperatoribus. „ Anastasii enim tempore animadverto, elephan„ tem ad eum missum fuisse ex Indiis, tan„ quam singularem; propterea quod tunc tem„ poris eis omnino Africa careret, ibique eorum „ genus fuisset exstinctum. *India* (inquit *Mar„ cellinus Comes*) *Anastasio Principi Elephantem, quem Plautus Poëta noster Lucabum nomine dicit, duasque Camelopardales pro munere misit.* „ Africani itaque sub imagine Provinciæ „ suæ hunc numum Domitiano cuderunt, tan„ quam amoris, fidei & obsequii in eum notissi„ mum testimonium. Apud Papinium Statium „ animadverto, Poëtam in Eucharistico suo, „ quod Domitiano scribit, gratias acturus, quod „ ad coenam suam illum adhibuerit, inter cete„ ra Domitiano gratulari, quod selectiores co„ pias Maurorum habuerit ad sui corporis custo„ diam, quas Vates se vidisse testatur innixas e„ burneis columnis circa regalem sellam, his „ versibus:

Sed mihi non epulas, Indisque innixa columnis
Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas.

„ Hunc locum Interpretes nequaquam intelli„ gentes dixerunt: *robora Maurorum* esse *men„ sas citreas*; nulla habita ratione ad ea, quae „ sequuntur: *famulasve ex ordine turmas.* Hæc „ enim satis aperte demonstrant, Poëtam loqui „ de servorum, familiarumque diverso genere, „ & ordine. Postquam enim de Mauris cohor„ tibus Domitiani dixit, addit:

Ipsum, ipsum cupido tantum spectare vocavit
Tranquillum vultu, sed majestate serena
Mulcentem radios, &c.

„ Statii igitur, ut puto, hæc sententia est; se „ nimirum ad coenam a Domitiano vocatum, „ non curasse Proceres illos omnes, de quibus „ supra dixit, contemplari, neque Mauros ex „ procera statura, & politiori ministerio specta„ biles, qui circa mediæ domus atrium ebur„ neis columnis innitebantur; neque demum „ nobiles quosque, qui Imperatorem circumsta„ bant; verum solum in contemplando Domi„ tiano se fuisse totum; adeo ut metu & obse„ quio vox faucibus hæserit. Neque tamen ne„ gaverim *Maurorum, & Massylla robora* posse „ etiam *citreas mensas* explicari; sed incredibile „ videtur, Statium inter magnificos mensæ, e„ pularum, ceterarumque rerum adparatus, vo„ luisse tantum materiam eboris spectare, ex qua „ tabulæ constabant; ad majora enim vocabat, „ quum ait:

Tene ego regnator terrarum, orbisque subacti
Magne parens, te spes hominum, te cura Deorum
Cerno jacens? datur hæc juxta, datur ora tueri
Vina inter mensasque, & non adsurgere fas est.

„ Intelligit igitur de Mauris Cohortibus, quæ „ corpus Imperatoris servabant, & ubique eum „ euntem stipabant. Id ipsum Martialis signifi„ cavit Epigrammate VI. Lib. X. ubi de adven„ tu Trajani in Urbem canens, ad ipsos Mau„ ros convertens sermonem, ait a populo ipsos „ exspectari, ut quales essent, & Aegyptiis indu„ ti tunicis spectarentur:

Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit una, venit.

„ Consulantur Torrentius, & Raderus de his „ Mauris copiis; prior enim de iis loquitur ad „ 30. caput Vitæ Neronis in Suetonio; alter ad „ XIII. Epigramma Lib. X. Martialis. Hisce o„ mnibus adjiciam, consuevisse nobiles per viam „ euntes præmittere Cursores duos Mauros, sive „ Numidicos, qui eo anteirent, quo Domino „ erat eundum. Seneca enim Epistola CXXIII. „ ait: Omnes jam sic peregrinantur, ut illos

„ Numi-

„ Numidarum præcurrat equitatus, agmen cursorum antecedat. Hinc juxta Procopium Lib. II. intelligitur, quomodo ab his Mauris copiis pæne occisus fuerit Arebindus. Hæ Maurorum copiæ ideo ad columnas stabant, quum Imperator vescebatur, ne forte a conjuratis, sive dolo aliquo malo opprimeretur, sive ad majus loci decus. Earum enim depictæ tunicæ, niger Maurorum color, eboris candor, spectaculum visu pulcherrimum præbebant; quale illud etiam erat, statuas cernere diversas Fidei, publicæ Securitatis, Constantiæ, Pacis, Tranquillitatis, aliarumque Dearum, quæ semper, aut fere semper Pariis innixæ columnis Palatiorum ornabant coenacula & penetralia Romanorum Imperatorum, æque ac Templa." Ad hæc subjicere possem criticas Animadversiones Præstantissimi Gisberti Cuperi in Tristanum; sed quia pluribus Lectorum aures onerare supervacaneum est, & minime decet; ad ipsas amandare plura cupientem, & ad Critices regulas subacta, quæ ab eodem Cupero adferuntur Exerc. III. Cap. II. de Elephantis; quam commode videre potest recusam in Sallengriani Thesauri Tom. III. pag. 124. & 125. Quod superest, illud minime revocandum in dubium est, hunc numum, ab Alexandrinis percussum in honorem Domitiani, Alexandriam ipsam repræsentare capite, elephantis exsuviis, proboscide, & dentibus insigni: neque in hoc video spiceam coronam, de qua, ut supra vidimus, differit prælaudatus Tristanus.

Idem numus & typus ex Nummophylacio Reginæ Christinæ adfertur & illustratur a Cl. Havercampo Tab. LIII. Num. XXXVII. pag. 343. & ipse Alexandriæ percussum adfirmat; sed mulieris caput perperam Africam referre scribit:

NUM. 6. 7.

Eadem epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureaum.

ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio. Caput Isidis ornatum loto flore, ut in superiore numo num.* 3.

Idem typus in sequenti numo num. 7. sed, quod est notandum, litterae, priscarum Græcarum, & antiquarum Etruscarum more, a dextera in lævam procedunt, hoc modo, ƧΥΟΤƎ ΥΟΤΙΡΤ: pro ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio.*

NUM. 8.

Adsimilis epigraphe. Caput idem.

ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio. Aquila.*

NUM. 9.

Inscriptio eadem, ut superior. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Anno tertio. Aquila fulmini insistens.*

Frequenter & in Numis Alexandriæ percussis in honorem Imperatorum Aquila Romani imperii insigne sculpta est, atque etiam fulmini insistens, quod Jovi adversus Gigantas pugnanti ea arma ministrarit.

NUM. 10.

Eadem epigraphe, ut supra num. 5. Caput Domitiani laureatum.

ΝΕΙΚΗ CΕΒΑCΤΗ. *Victoria Augusta: in area dextrorsum:* L. Γ. *Anno tertio Victoria dextrorsum conversa, armis & spoliis insidens, dextra lauream offert coronam, læva palmam gerit.*

NUM. 11.

Eadem epigraphe, ut supra. Caput idem.

ΝΕΙΚΗ CΕΒΑCΤΗ. L. Δ. *Anno quarto. Idem typus Victoriæ super arma sedentis, ut in superiore.*

Arma, & spolia, quibus insidet Victoria, sunt Germanorum. Tanti fecit hanc Victoriam Domitianus, ut toto orbe propagari ejus monumenta jusserit, ubique percussis numis; quod & ab Alexandrinis factum, ejus imperii anno tertio & quarto, videmus.

NUM. 12.

Epigraphe eadem quæ superior. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟΥΣ ΤΕΤΑΡΤΟΥ. *Anno quarto. Isidis caput ornatum capillis triplici ordine calamistratis, & loto flore.*

Alius numus describitur ex Museo Theopoliano Serie VII. pag. 1110. cum eadem epigraphe in postica parte; sed non Isidis caput, verum ut supra num. 5. Alexandriæ, ornatum elephantis proboscide, tanquam galea. Fallitur & ipse descriptor, qui Africam sculptam censet. Aegyptiis notos fuisse elephantas, nec tantum notos, sed nec raros habuisse, pluribus monumentis adstruit prælaudatus Cuperus de Elephantis Exerc. I. Cap. II. Adstruit etiam nomen urbis *Elephantis*, vel *Elephantine*, non modo memoratum Pomponio Melæ, Stephano, Ptolemæo; verum etiam Herodoto variis libri secundi locis; patetque ex eo, non secus ac ex aliis Auctoribus, eam in confinio Aegypti & Aethiopiæ positam fuisse; sed ipsum Cuperum adeat eruditus Lector. Clarius id etiam evincitur ex numo Alexandrino inferius relato in hac Tabula num. 22.

NUM. 13.

Eadem epigraphe, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟΥC ΤΕΤΑΡΤΟΥ. *Anno quarto. Caput Serapidis Jovis, cui impositus calathus, sive columella.*

NUM. 14. 15.

Adsimilis inscriptio. Caput idem.

ΕΤΟΥC ΠΕΜΠΤΟΥ. *Anno quincto. Caput Jovis arietinis cum cornubus, & globo in vertice; in altero numo cum loto flore.*

Ad alterum numum num. 14. adlatum quoque a Celeb. Tristano Tom. I. num. 14. pag. 344. nolo præterire, quæ idem adfert pro illustratione, quamvis in errore aliis Antiquariis obvio & communi versetur, dum tribuit hos numos Africæ, qui procul dubio Alexandriæ percussi sunt, & ad eam spectant, & referuntur. „ Effigies (inquit) Jovis Hammonis: capite globum gerit, arietinis cornibus instructa. Hic „ numus congruit cum ceteris Domitiani, gerentibus Africæ & Isidis effigiem. Ex his deducitur, Africam peculiari ratione fuisse Domitiano, ejusque uxori devotam, quos Præstites „ Deos elegerat. Heic enim Jupiter Hammon, „ tanquam ipse Domitianus effingitur. Etenim „ Domitia quoque cornua, ut vulgo dicitur, „ conjugi imposuerat. Hammon enim, qui arietinis cornibus, & laneo vestimento, scilicet „ sub arietis forma ostendit Baccho gelidum fontem, qui una cum suis copiis siti premebatur. „ *Hammon adparuit cum cornibus arietinis, & vestimento lanitio ac sitientibus undam fontis exhibuit*; ut ait Martianus Capella Lib. II., docet, necessarium esse saluti, vinum aqua temperare. Ita Domitianus, quum variis in locis „ præcidi vites jussisset, ut Suetonius, Dio, ceterique prodiderunt, edocet Romanos, vinum „ esse cum aqua temperandum. Quod vero Bacchi exercitus in Africa siti premeretur, nil mirum esse debet, quum major Africæ pars arenarum cumulis constet, careatque fluminibus, „ & fontibus. Jupiter enim ibidem colebatur, „ ducto nomine ab *arenis*: siquidem *Hammon*, „ dicit Nigidius in Commentariis in Aratum, „ quæ tamen Basso tribuuntur, *ab arena est nominatus*. Idcirco Papinius Statius jure eum „ adpellat *aridum Hammona* Lib. III. Thebaid. „ vers. 477.

——— ——— licet aridus Hammon
Invideat, Lyciæque parent contendere sortes.

„ Consulatur hoc loci Lactantius, qui illustrat „ memoratum supra locum Martiani Capellae; „ ostenditque cum Statio, cum Herodoto Lib. „ II. & cum Q. Curtio Lib IV. celeberrimum „ ibi fuisse Jovis Hammonis Oraculum, cui adludit hoc versiculo D. Gregorius Nazianzenus.

Δαίμων τ' Αἰγύπτοιο Θεὸς κενεηγόρος Ἄμμων.

„ Apollinaris etiam Sidonius IX. Poëmate ad „ *Magnum Felicem* vers. 198. inridet capitis ornatum:

Non hic Cyniphius canetur Ammon
Mitratum caput elevans arenis.

„ Quod vero globum gestat, significatur Jupiter divum Pater, atque hominum Rex. Origenis verba Lib. V. contra Celsum perbelle „ heic data occasione quadrant: *Mos eis est* (inquit) *sacrificare in montibus celsissimis, Jovem adpellantes totum hoc Cæli convexum. Sciunt igitur, opinor, nominum hanc esse differentiam, Supremus sive Diespiter, sive Jupiter, aut Adoneus, Sabaothve, aut Ammus, ut Aegyptii vocant; aut, ut Scythæ, Pappæus.* Igitur *Ammus* apud Aegyptios idem est ac *Jupiter Hammon.*" Extra choream non pauca hæc adnotavit Tristanus, & plane curiosa, quæ cum numi typo non bene cohærent. Celsi locus adlatus confirmat, numos hosce cusos apud Aegyptios, non in Africa, sed Alexandriæ Aegypti; nam apud Aegyptios Jovem *Hammonem*, sive *Hammun* hoc est *Arenosum* adpellatum constat. Et ne ambigendi locus supersit, en alterum numisma, in quo idem Jovis Hammonis caput loto flore sive Persica ornatur; ut hinc oriatur subspicio, in altero numo, in quo tantum globus adparet, deesse folia illa duo, quorum medium globus sive pomum tenet; nam idem & in capite Isidis medius inter folia occurrit.

NUM. 16.

Eadem inscriptio in antica parte, ut supra. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟΥΣ ΠΕΜΠΤΟΥ. *Anno quincto. Caput Isidis ornatum loto flore, ut supra.*

NUM. 17.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΣ ΣΕΒαστός. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus. Caput ejusdem Domitiani laureatum.*

L. E. *Anno quincto. Bos stans ornato capite loto flore ante arulam sacro igne accensam.*

NUM. 18.

Eadem epigraphe, idemque typus, ut in præcedenti, excepta imperii epocha, quae notatur L. ς. *hoc est: Anno Sexto.*

Apis non tantum Isidi apud Aegyptios, verum etiam Osiridi, Oro, & Apollini sacer fuit, uti Diodorus, Plutarchus, Macrobius, & Aelianus adfirmant. Hunc Aegyptii prisca religione divinis honoribus adfecere, colueruntque sacrato ei templo, ut docet Strabo Lib. XVII. Frequenter in numis Alexandrinorum occurrit, & uti Deo, pone ipsum ara divino igne calens posita est; quæ etiam vota pro incolumitate & victoriis, itu redituque Imperatoris Domitiani ab Alexandrinis nuncupata designare potest. Adcedit ornatus capiti, qualis ceteris Diis Aegyptiorum tribuitur.

NUM. 19.

Eadem epigraphe. Idem caput.

L. ς. *Anno sexto. Triumphalis arcus tribus fornicibus, ornatus hinc inde trophæis, & in medio triumphali quadrijugo curru, in quo stat Domitianus.*

Alexandrini, ut Domitiani gratiam accuparentur, ita ejus ambitioni & flagrantissimo gloriæ studio adulati sunt, ut triumphalem arcum in ejus honorem erexerint, tanquam Victori

ctori Sarmatarum, Dacorum, Cattorum, aliorumque Germaniae populorum. De his enim triumphum priorem egit anno V. C. 838. Christi 85.

N U M. 20.

Eadem, ut in superiore, epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟΥΣ ΕΒΔΟΜΟΥ. *Anno septimo. Caput Deæ Isidis ornatum flore, ut supra.*

N U M. 21.

Eadem epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

L. Z. *Anno septimo. Bos sive Apis; ornato capite loto flore stans; ante eum arula ignita.*

N U M. 22.

Epigraphe eadem & caput, ut supra.

L. Z. *Anno septimo. Elephas gradiens.*

En alterum, ut monebam, indubitatae fidei documentum, quo constat in Aegypto elephantas non raros fuisse, adeoque Alexandriam, non Africam sculptam tanquam Deam in adlatis numis apud Alexandrinos cusis, ornato capite exuviis, & ipso elephantis capite, dentibus, & proboscide, tanquam galea. Hic numus perrarus desideratur in serie VII. Musei Theupoliani; in qua tamen superior numus adlatus num. 21. recensetur pag. 1110. Sed inter Theupolianos alius numus percussus anno Imperii Domitiani septimo describitur, cujus typus Hippogryphus cum pede supra rotam; qui etiam in alio numo ejusdem Thesauri habetur, cum epocha L. Δ. anni nempe IV. Imperii Domitiani, qui numi sequenti tabula spectantur.

N U M. 23.

Epigraphe anticæ partis mihi non occurrit. Caput Domitiani laureatum.

ΤΥΧΗ CEBACTH. *Fortuna Augusta. Mulier stans ornato capite parvo modio, sive columella, dextera navis gubernaculum, sinistra copiæ cornu gerit. In area hinc inde* L. H. *Anno Octavo.*

Typum hunc Alexandrini a Romanis didicerunt. Cum epocha ejusdem anni alius numus describitur in serie VII. Theupolianorum pag. 1111. cujus epigraphe in antica parte & huic forsitan numo inscripta: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΘΕΟΥ ΥΙΟC ΔΟΜΙΤΙΑνός. . . . . . . *Imperator Caesar Divi Filius Domitianus.* Ejus typus est Victoria gradiens, dextra coronam, sinistra palmam gerens.

N U M. 24. 25.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙCΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC CEΒαςὸς Γερμανικός. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus. Caput ejusdem laureatum.*

Λυκαβάντος ΕΝΑΤου. *Anno Nono. Bos, sive Apis, ornato capite loto flore, & collo frondea corolla, ad aram stat sacro igne succensam.*

Anno nono imperii Domitiani Alexandrini non hos tantum numos percusserunt, verum & alios; quorum unus inter Theupolianos describitur Ser. VII. pag. 1111. cujus typus Aquila Jovis fulmini insistens.

N U M. 26.

Eadem epigraphe, ut in superiore numo 24. & 25. Caput idem.

L. I. *Anno decimo. Pharus Alexandrina, in cujus vertice statua viri hastati; hinc inde præcones tubis canentes.*

Subspicor Alexandrinos in hoc perraro numismate Pharum suam ornasse statua Domitiani ejus vertici imposita, ut ejus de Germaniæ populis victoriæ, & triumpho, servili adulationis obsequio adplauderent. Additi præcones tubis canentes, vetustissimo more, iisdemque Aegyptiis usitato, populos invitantes.

N U M. 27.

Eadem epigraphe, ut in superioribus numis. Caput idem.

L. I. *Anno decimo. Turris.*

N U M. 28.

Vacat.

Alii quinque numi inscripti epocha anni Decimi Imperii Domitiani in Thesauro Theupoliano describuntur, quos videat eruditus Lector Ser. VII. pag. 1111. & 1112.



TABULA XXIV.
QUAE
NUMISMATA
EX AERE MEDIO
IMP. CAES. DOMITIANI
ALEXANDRIAE AEGYPTI PERCUSSA
PERSEQUITUR.

NUM. I.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣΑΡ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαςὸς ΓΕΡΜανικός. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΛΠΙϹ ϹΕΒΑϹΤΗ. *Spes Augusta. Dea Spes gradiens, dextra florem ostentat, sinistra pallam adtollit. In area hinc inde* L. IA. *Anno XI.*

NUM. 2.

Epigraphe eadem, ut in præcedenti. Caput Domitiani laureatum.

ΤΥΧΗ ϹΕΒΑϹΤΗ. *Fortuna Augusta. Dea Fortuna stans, dextra navis gubernaculum, sinistra cornu copiae tenet, ornato capite columella. In area hinc inde L. IA. Anno XI.*

Quod Fortunæ tribuerunt veteres Mythologi, idem Imperatoribus in adulationem proni populi adscripserunt; nempe iisdem Romani orbis imperium moderantibus, prospera omnia evenire, florere opes, tranquillitatem vigere, rerum omnium copiam perpetuam esse sibi persuadentes. Hunc Fortunæ typum in Caesarum numis pluribus erudite illustrat J. Oiselius ad Num. Sel. Tab. LIII. Class. IV. quem, si otium est, vide.

NUM. 3.

Eadem epigraphe. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Harpocrates nudus, ornato capite loto flore, stans columellæ innixus, dextram ori admovet, sinistra copiæ cornu tenet.*

Idem typus consignatus in numo cuso anno primo imperii Domitiani, ut in superiore Tabula vidimus num. I.

NUM. 4.

Eadem epigraphe. Caput idem.

Serpens erectus, cujus capiti impositus flos lotus; hinc caduceum, inde spica.

Felicitatis & abundantiæ typus in pluribus Alexandrinorum numis occurrit, ut & infra videbimus.

NUM. 5. 6.

Eadem, ut in præcedentibus, epigraphe. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Equus ocissime currens, in cujus dorso, erecto capite sinuosus serpens, in altero sinistrorsum verso, in altero vero dextrorsum.*

Numi in honorem Domitiani percussi cum epocha anni primi ejus imperii, ut vidimus in præcedenti Tabula num. 2. & hi percussi anno XI. ejus regiminis, hoc ipso typo equi ocissime decurrentis, & dorso vehentis serpentem erecto capite insigniti sunt; qui forsitan celeritatem, & mentis sagacitatem Domitiani in bellis conficiendis, & victoriis reportandis designant. V. C. Patinus hunc ipsum numum adfert pag. 168. Sed quid typus iste significet, se ignorare fatetur. Descriptor numismatum Thesauri Theupoliani censet, serpentis caput ornatum loto flore; ego vero cristatum tantum in his Morellianis agnosco. Alii numi eodem anno XI. ab Alexandrinis cusi sunt, qui inter Theupolianos exstant; duo nempe cum sphinge decumbente, alter cum cista, in qua tres spicæ impositæ, & duo papavera; & hinc inde faces positæ. Sed de his in sequenti Tabula.

NUM. 7.

Eadem, ut in præcedentibus epigraphe. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Isis ornato capite loto flore, graditur, utraque manu navis velum tenens.*

Eru-

Eruditum plane Commentarium huic numo subjicit Præstantissimus Tristanus Tom. I. num. 13. pag. 342. & seqq. quem subjicere operæ pretium me facturum censeo, e Gallico sermone, exemplo Cl. Havercampi, in Latinum conversum. „ In postica parte cernitur Isis, quæ „ supra caput florem habet, & utraque manu „ velum tenet, quod ad navigandum videtur „ extendere. In confesso est apud omnes, Isidem apud Aegyptios tanquam navigationis „ præsidem Deam haberi. Heic itaque silentio „ prætcribo, quæ de hac re alii scriptores dixere; ea dumtaxat proferam, quæ non ita pervulgata sunt, & cogitanti mihi se offerunt. Isis itaque dicebatur *Pelagia*, ut in hoc „ antiquo marmore penes Gruterum p. CCCXII. 5.

DIIS. MANIBUS. SAC.
SER. SULPICIO. AUG. L.
ALCIMO. AEDITUO.
Sic AD ISEM. PELAGIAM.
VIXIT. ANN. XXXVII. AEDITU
AVIT. ANN. X. FECIT UXOR
VENTRIA. APRODISIA. &c.

„ Tribuebant ei quoddam navigii genus, quod „ ipsi colebant solemni festo V. sive III. Nonas „ Martias, dicebaturque Isidis navigium, uti in „ Kalendario Romano (vide Gruterum pag. „ CXXXVII.) Lactantius Lib. I. Propertius Lib. „ II. Eleg. 33. & Ausonius Idyl. XXV. *de Sacris Romanis*, hoc Disticho:

„ *Adjiciam cultus, peregrinaque sacra Deorum,*
„ *Natalem Herculeum, vel ratis Isiacæ.*

„ Mense etiam Novembri eadem festa peragebantur ab iis, qui candido lino essent induti. „ Idcirco Ausonius Idyll. XX. hunc mensem nominat *carbaseo amictu indutum*. In Aegypto „ enim fiebant ex lino vela, quæ Isis invenerat. „ Consulatur Herodotus Lib. II. Hyginus vero „ Lib. II. adserit: *Velificia primum invenit Isis;* „ *nam, dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificavit.* Animadvertendum quoque est, „ quod Cassiodorus Lib. V. Epist. 17. adnotat: „ *Nunc prædictis rebus armamenta procura, vela præcipue, alas navium facientia, linum volatile, quidam spiritus currentium carinarum,* „ *prænuncia mercium, auxilia quieta nautarum;* „ *quorum beneficio conficiunt ociosi, quod a celerrimis avibus vix probatur impleri. Hoc Isis* „ *rati prima suspendit, quum per mare Arpocren* „ *filium suum audaci feminea pietate perquireret.* „ *Ita, dum materna caritate suum desiderium festinat implere, mundo visa est ignota referare.* „ Hinc factum est, ut Aegyptia vela meliora haberentur, ut testatur Hermippus apud Athenaeum Lib. I. qui excellentiora quæque singularum regionum eo loci adnotat:

——— ἐκ δ' Αἰγύπτου τὰ κρεμαστά.

„ *Ex Aegypto vela.*

„ Quod vero spectat ad florem, quem supra caput gestat hæc Dea, arbitror esse *abrotonum*, „ quo uterus mulierum confortatur, & amor „ excitatur, ut ait Plinius Lib. XXI. Cap. 10. „ & 21. sive illum potius esse, quem Latini *erucam* adpellant, sive ericem Asiaticum, quem „ nescio utrum naturæ periti bene denominaverint *myricas*; de quibus Plutarchus in suo de „ Iside & Osiride libro differit, tanquam acceptissimis huic Deæ, quæ nil aliud est quam natura ipsa, quae hisce floribus utitur, ad ea excitanda in feminis, quæ ad generationem creduntur necessaria; qua propter huic Deae ab „ Aegyptiis tribuuntur. Gestat etiam Persicum „ inter duo folia, eam ob rationem, quam eodem Tractatu reddit Plutarchus, quem quisque per se adire potest. Hoc solum insuper „ adjiciam, ea de re tantopere ab hac Dea Persica amari, quia plurima in Aegypto nascuntur secus Nilum, uti Lib. VIII. testatur Heliodorus. Verum improprie a me *Persicus* nominatur; adpellatur enim alio nomine, quod „ deest; non enim est Persicus noster, sed Persea, quam aliter describit Theophrastus Lib. „ IV. Cap. II. longeque alii sunt hi fructus a „ nostris. Hoc enim & Dioscorides docet Lib. „ I. Cap. 188. & item Galenus *de aliment. facult.* Hi namque Auctores animadvertunt „ quoque fructum *Persea* veneficium haberi apud „ Persas. Verum quum hæc arbor in Aegyptum „ fuisset translata, optimum fructum producebat „ ea crassitudine, quæ est pyri, & latitudine amygdali.

Sed ex his monumentis facilius concedam Persicam imponi capitibus Isidis, Harpocratis ac ceterorum Deorum, qui ab Aegyptiis colebantur, & consulendus Pierius Valerianus Hieroglyph. Lib. LIV. Cap. XV. & in reliquis, qui de Persica luculenter differit. Certe ejus figuræ non convenit loti floris descriptio, de quo Plinius Lib. XIII. Cap. 27. & 28. & Theophrastus Lib. IV. ad quos Lectorem mitto.

NUM. 8.

Vacat.

Alius numus hoc ipso anno XI. Domitiani ab Alexandrinis percussus adfertur in Nummophylacio Reginæ Christinæ Tab. LIII. num. XXXV. cujus typus Delphinus anchoræ implicitus, ad quem hæc adnotat Cl. Havercampus pag. „ 343. Symbolum, quod Augusti quondam „ fuit, atque in Imperatorum Familiæ Flaviæ numis argenteis cernitur, quo lenta significatur „ festinatio, in Aegyptio hoc æreo numo comparet, videlicet Delphinus anchoræ circumvolutus. Nota numeralis adjecta docet undecimo anno signatum fuisse nummulum". Fortasse egregius Morellius in hoc spatio hunc ipsum numum exponere cogitabat. Idem typus in sequentibus Tabulis occurrit.

NUM. 9. 10.

Epigraphe eadem, ut supra. Caput idem laureatum.

L. IB. *Anno XII. Domitianus in triumphali quadriga, sinistra eburneum scipionem, cujus vertici imposita aquila, dextra lauri ramusculum tenet.*

Domitianus anno imperii sui duodecimo, cujus epocha in hisce Alexandrinis numis expressa est, quum in Consulatu suo XVI. collegam haberet Q. Volusium Saturninum, anno V. C. 845. Christi 92. de Dacis, & Germanis alte-

alterum egit triumphum, quem etiam numismata Romæ obſignata apud Mediobarbum pag. 1138. teſtantur. Ad hæc vide, quæ adnotat Doctiſſimus Pagius in Critice ad Baronium hoc ipſo anno.

NUM. 11.

Eadem, ut ſupra, epigraphe. Caput idem.

L. IB. *Anno XII. Victoria gradiens, dextra lauream coronam offert, ſiniſtra palmam gerit.*

Debellatis profligatiſque Romani Imperii hoſtibus, revertentibus in urbem æternam Imperatoribus, obviam ſimulacra Victoriarum mittebantur, & a populis plaudentibus interdum dono dabantur. Ea occaſione Victoriæ Germaniæ populorum Domitiano dedicatus hic numus ab Alexandrinis.

NUM. 12.

Epigraphe, ut in præcedentibus eadem. Caput idem.

L. IB. *Anno XII. Serpens erecto capite, ſinuoſo corpore, medius inter caduceum, & frumenti ſpicam, ejus capiti flos imminet.*

NUM. 13.

Eadem egigraphe in antica parte. Caput idem.

Idem typus, ut in præcedenti, excepta anni epocha, quæ conſignatur L. IΓ. *Anno XIII.*

NUM. 14.

Ut in ſuperioribus numis, eadem inſculpta epigraphe. Caput idem.

ΑΥΤΟΚΡΑτωρ L. IΓ. *Imperator Anno XIII. Aquila.*

Protulit hunc numum & Carolus Patinus pag. 168. Sed apud eum Aquila, Romani Imperii auſpicatiſſimum ſymbolum, fulmini, tanquam Jovis miniſtra, inſiſtit. Morellius non vidit ſubjectum Aquilæ pedibus fulmen, cujus fidem plurimi facio.

NUM. 15.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙσαρ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαςὸς ΓΕΡΜανικός. *Imperator Cæſar Divi Filius Domitianus Auguſtus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

L. IΔ. *Anno XIIII. Arcus tribus fornicibus extructus, ſupra quem ſejuges equi triumphales, quibus inſtat Domitianus, dextra elata lauream coronam, ſiniſtra lauri ramum oſtentans: hinc inde poſita tropæa.*

De hoc ipſo typo in numis Alexandrinis dixi ſuperius in præcedenti Tabula XXIII. num. 19. Hinc colligimus, Alexandrinos ob memoriam quoque triumphi ſecundi de Cattis, Dacis, Germaniſque a Domitiano perdomitis, triumphales arcus, ad Romanorum ſimilitudinem, in ejus honorem erexiſſe.

NUM. 16.

Epigraphe, ut ſupra. Caput idem.

ΔΗΜ. ΕΞΟΥΣ. ΥΠΑΤ. ΙΔ. *Tribunitia Poteſtate Conſul XIIII. Rhinoceros.*

Domitiani Conſulatus XIIII. incidit in annum V. C. 841. Chr. 88. quo Sæculares Ludos fecit, & Naſamones, & Dacos iterum vicit. Rhinoceros utrumque & ludos & bellum indicat; qui etiam munificentiæ, & æternitatis Imperii eſt inſigne.

NUM. 17.

Eadem inſcriptio in antica parte, ut ſupra. Domitiani caput laureatum.

L. IΔ. *Anno XIIII. Hippopotamus.*

Non audeo conjicere ex his numis Alexandrinorum, Domitianum in Sæcularibus Ludis hoc animal expoſuiſſe. Probabilius crediderim, Alexandrinos deſignaſſe ſagacem prudentiam Domitiani, qui Germaniæ ac Daciæ populos ſe ſubegiſſe gloriabatur, falſa tamen Victoriæ ſpecie. Plinius Lib. VIII. Cap. 35. immanem hanc belluam Nili incolam luculenter deſcribit; & inter cetera hæc habet: *Major altitudine in eodem Nilo bellua Hippopotamus editur: ungulis bifidis, quales bubus, dorſo equi, & hinnitu; roſtro reſimo, cauda & dentibus aprorum, aduncis, ſed minus noxiis; tergoris ad ſcuta galeasque impenetrabilis, præter quam ſi humore madeat. Depaſcitur ſegetes, deſtinatione ante (ut ferunt) determinatus in diem, & ex agro ferentibus veſtigiis, ne quæ revertenti inſidiæ comparentur.* Et in ſequenti Cap. 126. *Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exſtitit. Adſidua namque ſatietate obeſus exit in littus, recentes harundinum cæſuras ſpeculatus: atque ubi acutiſſimum videt ſtirpem, imprimens corpus venam quandam in crure vulnerat; atque ita profluvio ſanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit.*

NUM. 18.

Adſimilis inſcriptio, ut in ſuperioribus numis. Caput Domitiani laureatum.

L. IΔ. *Anno XIIII. Canopus Aegyptiorum Deus, cujus capiti flos impoſitus.*

Habetur apud Aegyptios & colitur hic Deus, hydria clauſus, tanquam Genius humidi elementi, cujus imaginem ex ære compluribus figuris inſculptam edidi in Par. I. Inſcription. antiquar. Etruriæ urbium Tab. XVII. num. IV. pag. LXXXII. & exſtanti integra caelatura in ſigno rariſſimo, & pulcherrimo ex Achate Orientali in Vol. II. Muſei Florentini Tab. LIX. num. II. de quo etiam nonnulla adnotavi.

NUM.

NUM. 19.

Inscriptio superioribus persimilis. Caput Domitiani laureatum.

L. ΙΔ. *Anno XIIII. Pharus Alexandrina, in cujus vertice pedestris statua Domitiani imposita: hinc inde praecones tubis canentes.*

Hujus modi typus occurrit & in alio numo Alexandrinorum superius edito in Tab. XXIII. num. 26. Sed in hoc gradus & porta aliquod discrimen ostendunt. Idem typus occurrit in alio Numo Alexandrinorum in Museo Arrigonio Tom. II. Tab. V. num 68. qui percussus est anno imperii Domitiani XV. in quo Pharus duas portas habet, & ad eam adpulsa cernitur scapha, sive oneraria navis.

NUM. 20.

Vacat.

NUM. 21.

Eadem, ut supra, inscriptio. Caput idem.

L. IE. *Anno XV. Equus ocissime currens, cujus dorso, elato capite, sinuoso corpore, serpens insistit.*

Ex explicationibus Hieroglyphicorum apud Pierium Valerianum, hujusmodi typus aeternitatem Imperii Domitiani, & labentium temporum felicitatem designare potest; cujus explicationem ab aliis potius exopto; nec meas pluris facio, ut mos aliis est, conjecturas. Alius numus hac ipsa epocha anni XV. insignitus, & ab Alexandrinis Domitiano dedicatus, adfertur ex Thesauro Theupoliano, cujus typus est arcus, triumphali curru, in quo stat Domitianus, & tropaeis ornatus, ut supra num. 15. cujus epigraphe in antica haec est: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΘΕΟΥ. ΥΙΟϹ. ΔΟΜΙΤ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. quem vide pag. 1112.

NUM. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

Vacant.

Alius numus, eadem epocha inscriptus, in Serie VII. Theupolianorum recensetur p. 1113. ornatus eadem epigraphe, cujus typus *Currus a duobus Centauris tractus, in quo Vir cum hasta.* His numis alii adjungi possunt, quos nuper e Museo suo publici juris fecit V. C. Honorius Arrigonius Venetus, quos vide in Tom. II. Tab. IV. & V. Inter hos memoratu dignus ille, depictus num. 67. in quo cernitur Domitianus stans in quadrijugo curru vecto ab elephantis, quorum capiti insistit Victoria cum palma, coronam offerens. Domitianus vero dextra eburneum scipionem, aquila in vertice ornatum, tenet, & sinistra duplices lauri ramusculos, ob duplicem, quem gessit de Germaniae populis, triumphum; & numus hic rarissimus imperii Domitiani epocham praefert, nempe L. IE. *Anno XV.*

TABULA XXV.
IN QUA
NUMISMATA
EX AERE MINIMO
IMP. CAESAR. DOMITIANI
ROMAE SENATUS CONSULTO PERCUSSA
PROFERUNTUR.

NUM. 1. 2.

CAESar AUGusti Filius. Caput Domitiani ad dexteram conversum, laurea redimitum.

DOMITianus COnSul II. Caduceus.

Incognitus hic numus Comiti Mediobarbo, apud quem alius numus ex Indice Palatio describitur, in cujus antica parte scriptum: CAESAR AUGUSTUS; in postica vero DOMITIANUS COS. II. typus vero Caduceus in medio duorum Cornu copiae. Quum in spem Imperii Romani sub Vespasiano educaretur Domitianus, felicitas & rerum copia portendi credebatur, ad quam typus adludit.

NUM. 3. 4.

Palladis galeatae caput.

In postica: Noctua, hinc inde S. C. Senatus Consulto.

Quamvis hic numus Domitiani nomen non praeferat, tamen ad ipsum pertinet; quo colligimus pronos in adulationem Senatores Romanos, qui eum non filium tantum Palladis, sed veluti ipsum Palladis numen devenerati sunt. Sed hac rejecta explicatione probabilius censendum est Palladis effigie non Domitianum, sed Domitiani Augustam ejus uxorem expressam esse, de qua mox dicam.

NUM. 5. 6.

S. C. Senatus Consulto. Tripus.

In postica: Gryphus expansis sursum alis, dextro pede rotæ imposito.

NUM. 7. 8.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. Palladis galeatae caput.

In postica: Laurea corona, intra quam: S. C. Senatus Consulto.

Videtur pro vultu Palladis expressus vultus Domitiæ, non vero Domitiani; quamquam ipse videri voluit, unum idemque Numen Pallas, & Domitianus, qui se a bellatrice Dea, nata e capite Jovis, genitum jactabat, specioso superbiæ & ambitionis mendacio.

NUM. 9.

DOMITIANUS CAESAR. Domitiani caput laureatum, dextrorsum versum.

S. C. Senatus Consulto, scriptum intra lauream coronam.

Dedicatae videntur Domitiano coronæ ad laurearum similitudinem ex auro, vel argento, eædemque ad monumentum virtutis ejus adulationis causa suspensæ, ni fallor, in æde Jovis Capitolini, in cujus gremio & ipsi Imperatores perdomitis hostibus Urbem victores intrantes deponebant.

NUM. 10. 11.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. Galeatae Palladis caput.

S. C. Senatus Consulto. Copiæ cornu frugibus refertum.

NUM. 12.

IMPerator DOMITIANUS AUGustus Ejusdem Domitiani caput laureatum.

S. C. Senatus Consulto. Idem typus, ut in præcedenti.

NUM. 13.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. Palladis caput galea insigne.

S. C. Senatus Consulto. Oleæ ramus.

NUM. 14. 15.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. Tropæum, hostium Sarmatarum & Germanorum armis insigne.

S. C. Senatus Consulto. Oleæ ramus.

NUM. 16. 17. 18.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. In medio: S. C. Senatus Consulto.

Altera pars sine Epigraphe. Rhinoceros.

NUM. 19. 20.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XV. Caput muliebre spicea corona redimitum.

S. C. Senatus Consulto. Calathus, in quo sex spicæ.

Hunc rarum numum adfert Franciscus Angelonius Tab. 98. num. 12. & 13. Inspectis probe vultus lineamentis, Cereris specie, quæ coronam spiceam capite gerit, censet referre effigiem Domitiæ uxoris Domitiani, filiæ Domitii Corbulonis, quam valde dilexit. Hanc vero tanquam Cererem Deam in numo exhibuit, ut cum ea communicaret gloriam & populi Romani laudes, quas accepit, quod in magna Urbis caritate Annonam copiosissime vigili providentia curasset: sive etiam eam participem efficit amoris populorum, & benevolentiæ, quibus multa Dona atque etiam fruges largissime donavit in Sæcularibus Ludis: nec tantum fruges, & frumenta dedit, sed & pecuniam singulis diebus largitus est. Illud etiam adnotat idem eruditus Angelonius, Domitianum his panariis denotare voluisse Dona & largitiones, quas præbuit, quum Romæ festum septem Collium celebraret, quod *Septimontiale* dixerunt; nam in his epulas dedit populo in Palatio; Senatoribus & Equitibus Romanis calathos panibus refertos dono adposuit, plebi vero cistulas escis refertas; quorum meritorum laudes Domitianum cum Domitia uxore participasse arguere possumus ex typo, atque ex imagine ejusdem Domitiæ specie Cereris expressæ in hoc numo, in quo non uxoris, sed suum nomen adposuit.

NUM. 21.

Idem typus eademque epigraphe, sed vultus Domitiæ, effigie Cereris Frugiferæ, ad dextram conversus.

NUM. 22. 23.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. Caput muliebre, ornatum spicea corona, sinistrorsum conversum.

S. C. Senatus Consulto. Navis frumentaria, spicis referta.

Minime dubitandum videtur, sub effigie Cereris adparere, ut antea monebam, Domitiæ Augustæ vultum. Domitianus, ut eam populo Romano gratissimam redderet, curam cum ea communicasse testatur hoc nummo, frumenta Romam advehendi, ut magnam inopiam & caritatem sublevaret; idcirco pro typo sculpendam præcepit navem frumentariam, oneratam spicarum copia. Senatus Consulto tantum Domitiæ decus probatum est.

NUM.

NUM. 24.

Typus præcedenti similis tum in postica, tum in antica; in qua tamen vultus Domitiae Cererem referens dextrorsum versus est.

NUM. 25. 26.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XV. Caput muliebre spicea corona cinctum sinistrorsum versum.

S. C. Senatus Consulto. Manipulus spicarum & papaverum.

Exprimit hic quoque numus summam Domitiani benevolentiam, qua Domitiam uxorem suam complexus est, & divinum decus, quod ei tribuit, dum tanquam Cererem spectandam proposuit Romanis, quod in ea cura comitem habuisset, ut populo frumenta in maxima caritate, vel largitiones in memoratis festis suppeditaret; quod clarius elucet sequentis numi typo.

NUM. 27. 28.

S. C. Senatus Consulto. Caput muliebre spicis coronatum, sinistrorsum versum.

IMPerator DOMITianus AUgustus GERManicus. Modius spicis & papaveribus refertus.

Frumentarias largitiones, & annonam populo Romano summa inopia laboranti procuratam a Domitiano, curante Domitia uxore sua, quam Deæ Cereris specie vultuque in his numis expressit, testatur & hic rarus numus. Hos honores in eam adhuc viventem contulit Consulatu suo XV. quem gessit anno V. C. 843. Christi 90. quo conlegam habuit M. Cocceium Nervam iterum Consulem.

NUM. 29. 30.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XIIII. Minervae caput galeatum.

S. C. Senatus Consulto. Noctua.

Non absurda, sed veritati consona, ac valde probabilis mihi quoque adridet Cl. Angelonii opinio, qui putat effigie Palladis in hoc numo, ut etiam in superius adlatis, exhiberi ejusdem Domitiæ Augustæ Conjugis Imperatoris Domitiani vultum. Cusus est Senatus consulto Consulatu ejusdem Domitiani XIIII. quo ludos sæculares edidit. Quemadmodum ipse Domitianus Minervam adeo coluit, ut se ejus filium esse magnopere gloriaretur; ita majori honoris monumento & laude adficere Domitiam uxorem suam sibi persuasit, quum eam specie Palladis in his numis repræsentari jussit.

NUM. 31. 32.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XV. Caput juvenile, promissa cæsarie, laurea corona redimitum, adposito lauri ramusculo.

S. C. Senatus Consulto. Corvus insistens lauri ramusculo.

Angelonius in eo juvenili vultu ipsum Domitianum agnoscit; sed cur ei tributa sit longa cæsaries, & quid significet, se nescire ingenue fatetur. Minime dubitandum videtur, Apollinis specie expressum ipsum Domitianum. Libuit Imperatorum superbiæ divinitatem, dum adhuc viverent, adfectare; quare Deorum vultus & personas frequenter induunt, quod omnibus venerandæ Antiquitatis cultoribus exploratum maxime, & in confesso. Minervæ socius Apollo, quem etiam coluit Domitianus, & ei sacra fecit præcipuo cultu in Sæcularibus Ludis deveneratus, ut hæc numismata testantur. In sequenti numo 35. & 36. clarius in ipso Apolline elucent vultus Domitiani lineamenta; adeoque valde probabile est, Apollinis specie Senatus consulto, propter editos ludos sæculares, in his nummis expressum fuisse; neque ipsum Apollinem referre satis commode poterat, si promissa cæsaries ei adpicta non fuisset: quod in varias ambages traxit Angelonii ingenium.

NUM. 33.

Idem typus ut in præcedenti numo; nisi quod in postica parte corvus Apollini sacer dextrorsum respiciens in hoc sculptus est; in altero vero sinistrorsum.

NUM. 34.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus COnSul XI. Caput juvenile crinitum, laurea corona redimitum.

S. C. Senatus Consulto. Tripus, cui circumvolutus serpens, erecto sursum capite.

Haud dubitare nos sinit hic numus, specie Apollinis ipsum Domitianum expressum, quum vultus lineamenta non obscure cum eo conveniant.

NUM. 35. 36.

Idem typus eademque epigraphe & caput, ut in præcedenti.

S. C. Senatus Consulto. Lyra.

NUM. 37. 38.

Antica pars sine epigraphe. Vexillum militare.

In postica: Minerva galeata stans, dextra noctuam præfert, sinistra hastæ innititur.

Sequuntur orbiculi quatuor, typis numorum vacui, omisso numero, 39. 40. 41. 42.

NUM. 43.

IMPerator DOMITIANUS CAESar AUGustus. Caput Domitiani laureatum.

ANTIOCHIA. Caput muliebre turritum.

Hoc caput ipsam Antiochiam exprimit. Alios numos in honorem Domitiani cuderunt Antiocheni in Syria, qui recensentur in Serie VI. pag. 853. in Thesauro Theupoliano.

NUM. 44. 45.

Titus VESPASianus DOMitianus CAESar. Capita duo sese respicientia, alterum Vespasiani, alterum Domitiani.

MUNicipium STOBensium. Templum quatuor columnarum.

Stobenses in Macedonia, de quibus Plinius Lib. IV. Sect. XVII. ut audierunt, ad Romani orbis imperium Vespasianum & statim ab eo Cæsarem declaratum Domitianum, hoc numo gratulati sunt, & tanquam Diis templum erexerunt dedicaruntque; quod clarius elucet in numo ejusdem municipii, quod Mediobarbus ex Patini Indice refert pag. 118. in cujus templi meditullio simulacrum sculptum est, cususque est ejusdem Vespasiani Consulatu IIII. ut docet ejus epigraphe: IMP. CAES. VESP. AUG. P. M. TR. P. COS. IIII. CENS.

NUM. 45. 46.

IMPerator DOMITianus AUGustus GERManicus. Caput Domitiani laurea corona ornatum, sinistrorsum respiciens.

MUNicipium STOBensium. Templum quatuor columnarum.

Templo divinisque honoribus dignum censuerunt Stobenses Domitianum, cui ad imperium Romani orbis evecto hoc numo adulati sunt, ut ejus gratiam inirent, & beneficia consequerentur. Hic rarus numus Mediobarbo & Harduino incognitus.

NUM. 47.

Vacat.

TABULA XXVI.
EXHIBENS
NUMISMATA GRAECA
IMP. CAESAR. DOMITIANI
EX AERE MINIMO.

NUM. 1. 2.

. . . CEBACτὸς. . . . . . . *Augustus. . .* . . . . *Caput Domitiani laureatum.*

ΑΣΡϘΗ. *Vir tunicula succinctus, dextera rudem, sinistra rotundum scutum cum ramusculo arboris tenet. Anno CXCVIII.*

Hic rarus numus, ni fallor, ab Ascalonitis cusus est; quorum urbis nomen duae priores tantum litteræ indicant, nempe AΣ. Epocha eadem mihi videtur, quæ expressa est in numo eorumdem Ascalonitarum superius edito Tab. XXI. num. 4.

NUM. 3. 4.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΥ ΚΑΙCΑΡΟC. *Domitiani Cæsaris. Caput ejusdem laureatum, dextrorsum conversum.*

ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Byzantiorum. Crescens Luna, in qua stella.*

Recensetur hic numus Byzantiorum a Cl. Vaillantio ex Regio Galliarum Thesauro, ex tertio modulo pag. 23. Jamdiu est, quod mihi in mentem venit conficere Syntagma Numismatum & Gemmarum, quæ astra præferunt, eaque occasione differere *de diis Astriferis*; quod, si otium erit, perficiam; si non, alii felicius curam hanc suscipient. Occurrunt etiam inter inscriptos sepulcrales lapides aliqui astris distincti.

NUM. 5.

Vacat.

NUM. 6.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαςὸς ΓΕΡΜανικὸς. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΑΝΘΥπάτῳ ΚΑΙCΕΝνίῳ ΠΑΙΤΟΥ ΟΜΟΝΟΙΑ ΕΦΕσίων CΜΥΡναίων. *Proconsule Cæsennio Paeto Concordia Ephesiorum Smyrnæorum. Diana Ephesia Polymammia, velato capite & columella ornato, verubus utraque manu innixa.*

Variat apud Vaillantium epigraphe posticae partis hujus numi, quem depromit ex Thesauro Regio pag. 23. ΕΠΙ (quod deest in Morelliano) ΚΑΙCΕΝΝΙΟΥ ΠΑΙΤΟΥ ΑΝΘΥ. ΕΦΕ. CΜΥΡ. ΟΜΟΝΟΙΑ, & est tertii moduli. Sub eodem Proconsule cusus alius numus ejusdem magnitudinis in honorem Domitiæ uxoris Domitiani, cujus typus duæ mulieres tunicatæ stantes, quæ dextras mutuo foedere jungunt, & sinistris hastas

ſtas tenent; cujus adſimilis legitur inſcriptio, ex eodem Vaillantio pag. 25. qui profert ex Muſeo Equitis Gothofredi, & alter etiam ab eo producitur cum imagine Dianæ Epheſiæ, & in his deeſt ΕΠΙ. in principio. Vide etiam Patinum p. 169.

N U M. 7. 8. 9. 10.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ. *Domitianus Cæſar. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΦΕϹΙΩΝ. *Epheſiorum. Cervus ſtans.*

Idem typus, ſed vario modo ſculptus, in hiſce numis Epheſiorum. Cur hoc animal Dianæ ſacrum ſit, pereruditè Ill. Ezech. Spanhemius adnotat Obſervat. in Callimachi Hymnum in Dianam vers. 106. pag. 208.

N U M. 11.

Inſcriptio præcedenti ſimilis. Caput Domitiani laureatum.

ΚΑΙϹΑΡΕΙΑϹ ΕΤους Ι. *Anno X. Cæſareæ. Mons Argæus, cujus vertice forſitan corona exſtat, temporis injuria forſitan adtrita.*

Alterum numum profert Vaillantius ſecundæ magnitudinis ex regio Theſauro, in quo Monti Argæo duæ aquilæ vertici inſiſtunt.

N U M. 12.

Epigraphe ſuperiori ſimilis. Caput idem laureatum.

ΚΑΙϹΑρείας ΕΤους ΔΙ. *Cæſareæ Anno XIIII. Mons Argæus, cum figura virili in vertice, quæ ſiniſtra haſtæ innititur.*

Integram poſticæ partis epigraphen adfert Vaillantius pag. 23. qui alios Cæſarienſium numos in honorem Domitiani cuſos adfert; apud quos Legatus erat T. Pomponius Baſſus.

N U M. 13. 14.

ΚΑϹΑΡ (*Lege* ΚΑΙϹΑΡ) ΔΟΜΥΤιανὸς. (*hoc eſt* ΔΟΜΙΤιανὸς.) *Cæſar Domitianus. Caput Domitiani laureatum dextrorſum converſum.*

ΚΑΝΩΘαίων ΖΝΡ. *Canothæorum anno 157. Caput muliebre turritum.*

Fuit hic numus Cl. Vaillantii; poſtmodum in regium Galliarum theſaurum inlatus. Canothaei in Decapolitana. Urbis Epocha Pompejana eſt, ut Gadara in eadem regione anno V. C. 690.

N U M. 15.

Adſimilis epigraphe. Caput idem.

Κ. Κ. *Ara encarpo coronata ſacro igne accenſa.*

Siglæ illæ forſitan indicant ΚΟΙΝΟΝ ΚΥΠΡΙΩΝ; ſive ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. *Commune Cypriorum*, vel *Commune Cretenſium*, ſive etiam, ut in alio numo Hadriani apud Patinum pag 197. explicat Harduinus, ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑϹ. *Commune Ciliciæ*; aut aliquid ſimile. Ara ignita ſacra Tutelaribus Diis facta pro incolumitate & victoriis Domitiani facile declarat.

N U M. 16.

Epigraphe adſimilis. Idem caput laureatum.

ΚΥΔΩΝιατῶν. *Cydoniatarum. Lupa lactans puerulum.*

Cydoniatæ, Cretæ populi, Domitianum tanquam alterum Romulum, in ſpem & æternitatem Romani Imperii altum, divinis auſpiciis adulantes agnoſcunt hoc typo.

N U M. 17. 18.

ΚΑΙϹΑΡ ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. *Cæſar Domitianus. Caput ejusdem laureatum ſiniſtrorſum verſum.*

ΕΠΙ ϹΑΒΙΝΟΥ. *Sub Sabino. Lupa lactans puerulum.*

Numus iſte ab iiſdem Cydoniatis cuſus videtur, ſub Præfectura Sabini.

N U M. 19.

Inſcriptio præcedenti facile ſimilis. Caput Domitiani laureatum.

ΝΑΚΡΑϹΙΩΤΩΝ. *Nacraſiotarum. Victoria ſtans, dextra lauream coronam, ſiniſtra palmam gerit.*

Perrarus hic numus ignotus Vaillantio & Harduino, qui eum non recenſent. Vaillantius pag. 24. alterum numum Nacraſiotarum, in Lydia, deſcribit, cujus typus eſt Lyra; ſed apud eum inſcriptio ita ſe habet ΝΑΚΡΑϹΙΤΩΝ. Sed, ut Morellius adcuratiſſimus delineavit, legendum ad numi fidem ΝΑΚΡΑϹΙΩΤΩΝ. & ita quidem legitur in numo Trajani è Gaza Regia, quem deſcribit Harduinus in numis Urb. & Popul. pag. 338. Horum oppidum Νάκρασα in Lydia a Ptolemaeo conlocatur Lib. V. Cap. II.

N U M. 20.

Epigraphe ſuperiori ſimilis. Caput Domitiani laureatum.

ΝΕΙΚΑΙΕΙϹ ΠΡΩΤΟΙ ΤΗϹ ΕΠΑΡΧΕΙΑϹ. *Nicæenſes primi (totius) Provinciae. Caduceus.*

Deſcribit hunc numum & illuſtrat Harduinus pag. 346. e Regio Cimelio, & apud Triſtanum pag. 334 quo diſcimus etiam jurisdictionem apud Nicæenſes fuiſſe, contributaque Bithyniæ vicina oppida, quæ eo diſceptarent Foro, ut in altero numo eorumdem populorum ſuperius edito in Tab. XXI. num. 21. in quo

ara ſpectatur, in qua ſcriptum ΔΙΟϹ ΑΓΟΡΑΙΟΥ *Jovis Forenſis*, qui forenſium conventuum ac judiciorum praeſes foret. Caduceus, felicitatis ſymbolum, innuit Nicæenſes felicia omnia & tranquillum imperium Domitiano adprecatos eſſe. Alter numus, ſed primæ magnitudinis, exſtat in Muſeo Theupoliano, deſcriptus in Ser. VI. pag. 855. cum hac epigraphe in antica parte: ΑΥΤ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ ΚΑΙϹΑΡ ϹΕΒ. ΓΕΡ. & adſimili, ut in hoc, in poſtica; cujus typus Imperator paludatus ſtans dextra extenſa, ſiniſtra haſtam gerens. Sed hic numus Morelliani Theſauri nec a Vaillantio, nec ab Harduino depromitur, aut indicatur.

NUM. 21.

Inſcriptio præcedenti ſimilis. Caput Domitiani laureatum.

ΠΕΡΓΑΙΑϹ. *Pergenſis (ſubintellige, ut in aliis numis*, ΑΡΤΕΜΙΔΟϹ ΑϹΥΛΟΥ.) *Templum duarum columnarum, in quo Deæ imago.*

De hac nobiliſſima urbe Plinius Lib. V. Cap. XXVI. Stephano: Πέργη, πόλις Παμφυλίας. In ea Dianæ templum, cui aſyli jus conceſſum. Hic quoque numus nec a Vaillantio, nec ab Harduino deſcribitur.

NUM. 22.

Eadem, ut ſupra, epigraphe. Caput idem.

ϹΑΜΙΩΝ. *Samiorum. Juno ad lævam verſa ſtans, manibus corollas tenens, caput habet modiolo, ſive calatho ornatum.*

Samii, qui Jonas inter primatum tenuere, in eo maxime gloriabantur, quod apud eos hanc Deam natam fama ferebat; apud quos ſumma religione templum habuit antiquiſſimum. Deſcribit hunc numus Vaillantius pag. 24. ex Regiis Galliarum Cimeliis.

NUM. 23.

Adſimilis epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

ΖΕΥϹ ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ ΤΙΑΝΩΝ. *Jupiter Syrgaſtes Tianorum. Jupiter tunica & pallio amictus ſtans; dextra pateram, ſiniſtra haſtam tenet; pone pedes aquila.*

Vaillantius conſtanter legi in hoc numo non ΣΥΡΓΑΣΤΗΣ, ſed ΕΥΡΓΑΣΤΗΣ tuetur; atque ita interpretatur: *Jupiter Opifex Tianorum* pag. 24. Quæ adnotat Harduinus pag. 496. & 497. vide. Idem typus occurrit in numo ex ære medio, quem ſupra adtulimus Tab. XXII. num. 18.

NUM. 24.

Epigraphe eadem, ut in præcedentibus. Caput Domitiani laureatum.

ΤΟΜΙτῶν. *Tomitarum. Scriptum in laurea corona.*

Solæ coronæ in numis ſculptæ facile, ut alibi monui, indicant vel Diis patriis oblatas coronas in votis pro felicitate, & tranquillitate Imperatorum; vel iiſdem hoſtium victoribus tamquam meritæ virtutis præmia dono obviam miſſas. Tomi in Pontico littore Thraciæ, urbs Ovidii exſilio nobilis.

NUM. 25.

Vacat.

NUM. 26.

Epigraphe adſimilis. Caput Domitiani laureatum.

ΔΙΟΣ ΑΓΟΡΑΙΟΥ. *Jovis Forenſis. Ara ſacro igne accenſa, & feſtiva, encarpo & lemniſcis ornata.*

Arbitror a Nicæenſibus percuſſum hunc numum de quibus ſupra ſermo tum in hac Tabula num. 20. tum in altera XXI. num. 21.

NUM. 27.

Vacat.

NUM. 28.

Epigraphe adſimilis. Caput Domitiani laureatum.

Epigraphe hujus numi temporis injuria deleta. Hercules ſtans, dextra pateram, ſiniſtra clavam gerit.

Hunc numum a Cyzicenis in Helleſponto Domitiano dedicatum puto, auſpice alio numo e Muſeo Ampliſſ. Cardinalis de Maximis, quem cum hoc ipſo typo integrum deſcribit Vaillantius pag. 23. eſt tamen ſecundæ magnitudinis, adeo ut & in hac minima magnitudine repetitus, quod alia complura exempla monent, videatur; habet enim: ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. Solus hic numus, ſi bene vidi, cum Herculis typo a Vaillantio recenſetur in ſylloge Græcorum in honorem Domitiani. In altero Sardianorum Hercules cum Jove conjunctus cernitur. In alio Pruſienſium numo, cujus poſterioris partis epigraphe haec habet: ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ, *Fundatorem Pruſienſes* in Ser. VI. pag. 856. Hercules quidem ſculptus eſt nudus ſtans cum clava & leonis ſpoliis; ſed pateram dextra non præfert, quemadmodum & in alio Smyrnæorum ex eodem Theſauro; quare ad Cyzicenos ſpectare hic videtur.

NUM. 29.

Eadem forſitan epigraphe. Caput idem.

Epigraphe poſticæ partis deleta injuria temporis. Caſtor & Pollux fratres pileati & haſtati, equos ducentes.

Apud Vaillantium nullus occurrit numus, cujus typus ſint Caſtores; quare aliis urbem, quæ hunc cudit numum, inveſtigandam re-

relinquo. In Museo Theupoliano pag. 857. inter Græcos numus recensetur ille, cujus typus duo viri nudi, in quo circa Domitiani caput scriptum: ΚΑΙϹΑΡ ΔΟΜΙ. ΣΕΒ. ΥΙΟΣ. *Cæsar Domitianus Augusti Filius.*

N u m. 30.

Vacat.

N u m. 31.

ΔΟΜΕΤιανὸς (*in aliis* ΔΟΜΙΤ.) ΚΑΙσαρ ΓΕΡΜανικὸς. *Domitianus Cæsar Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

ΕΤους Κϛ. ΒΑϹΙλείας ΑΓΡΙΠΠΑ. *Anno XXVI. Regni Agrippæ. Victoria scribens in clypeo suspenso arbori palmæ, sinistro pede galeam calcans.*

Cusus hic numus ab Agrippa Judææ Rege in memoriam Victoriæ, quam de Cattis, Dacis & Germanis retulit Domitianus; ut supra ad alium numum num. 14. Tab. XX. qui eandem epocham præfert, adnotavi Idem numus exstat in Museo Theupoliano pag. 858. sed variat nonnihil epigraphe.

N u m. 32.

Epigraphe præcedenti similis. Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. ΕΤ. Κϛ. S. C. *Sub Rege Agrippa Anno XXVI. Senatus Consulto. Duplex cornu copiæ decussatum, intermedio caduceo.*

Imperante Domitiano, orbi, & Judææ sibi subjectæ felicitatem, rerumque omnium beatam copiam auguratur Agrippa Rex.

N u m. 33.

Epigraphe alteri similis. Caput Domitiani laureatum.

ΕΠΙ ΒΑ ΑΓΡΙΠ. ΕΤ. Κϛ. *In medio areæ. S. C. Sub Rege Agrippa Anno XXVI. Senatus Consulto.*

N u m. 34.

Inscriptio præcedentibus similis. Caput idem laureatum.

ΑΓΡΙΠΠΑ ΕΤΟ ΚΖ. *Agrippa Anno XXVII. Duplex cornu copiæ decussatum in cujus medio* ΒΑ. *nempe* ΒΑσιλεὺς. *Rex.*

N u m. 35.

Superius editis numis adsimilis inscriptio. Caput Domitiani laureatum.

ΕΤΟ ΚΘ. ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠ. *Anno XXIX. Regis Agrippæ. Quinqueremis.*

Hujusce numismatis rarissimi fide, & auctoritate, subspicor Agrippam Regem Domitiano naves subpeditasse auxiliarias; quibus usum ostendunt numi, in quibus Pallas rostro navis insistit. Fortasse etiam naves frumentarias ad eum misit, laborante Roma, de quibus infra sermo. Aliud vero tempus respiciunt numismata ejusdem Domitiani, quæ superius dedimus, in quibus scriptum VICTORIA NAVALIS.

ALIA NUMISMATA

ALEXANDRIAE AEGYPTI PERCUSSA.

N u m. 36.

ΑΥΤοκράτωρ ΚΑΙΣαρ ΔΟΜΙΤιανὸς ΣΕΒαστὸς ΓΕΡΜανικός. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus. Caput Domitiani laureatum.*

L. H. *Anno VIII. Tropæum, Germaniæ populorum & Sarmatarum armis onustum.*

Idem typus, sed aliter delineatus, spectatur in Museo Arrigonio Tab. IV. num. 61. Tom. II.

N u m. 37.

Epigraphe præcedenti similis. Caput Domitiani laureatum.

L. E. *Anno V. Accipiter stans, ornato capite flore.*

In Museo Arrigonio exstat eodem typo ornatus numus Alexandrinorum, in quo aliter se habet epocha; nempe L. B. Anno II. qui forsitan & anno quinto repetitus est. Tradunt Aegyptii hanc avem, ideo sacram, & Diis gratam, quod ad sacerdotes librum detulerit, in quo Deorum ritus continebantur; quare ejus majores alarum pennæ Isidis, Osiridis, aliorumque Numinum Aegyptiorum capiti in ornatum dantur, ut insignis Tabula Isiaca perspicue ostendit. Eadem Avis lucis & spiritus Aegyptiis symbolum fuit; de qua plura Laurentius Pignorius pag. 62. in expositione ejusdem mensæ Aegyptiæ.

N u m. 38.

Epigraphe præcedentibus similis. Domitiani caput laureatum.

L. ϛ. *Anno VI. Ibis gradiens.*

Complura animalia, quæ ob utilitates, quas humano generi adtulere, sacravit Aegyptus; inter aves non postremum locum tenet Ibis, avis excelsa, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro, uti a Cicerone describitur. Hic numus in Sylloge Theupoliana, & Arrigoniana desideratur, ut & sequens num. 41.

N u m. 39.

Eadem inscriptio in antica parte. Caput Domitiani laureatum.

ΔΙ-

ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ L. ΕΝΑΤꙋ. *Aequitas Anno VIII. Mulier stolata stans, ornato capite calatho, dextra pateram, sinistra hastam gerit.*

N u m. 40.

Inscriptio editis persimilis. Caput Domitiani laureatum.

L. H. *Anno VIII. Gryphus expansis alis stans, imposito rotæ sinistro pede.*

Isidi, quæ Græcis eadem ac Nemesis est, sacer Gryphus, cujus pedi subjecta rota cernitur; quia Dea hæc, quocumque voluerit, humanarum rerum vices, merita, & bona ac mala pro lubito versare credebatur; de qua plura Ampliss. Senator Bonarrotius in Numismata Musei Carpinei.

N u m. 41.

Inscriptio eadem ac superior. Caput Domitiani laureatum.

L. IA. *Anno XI. Ibis, ut supra num.* 38.

N u m. 42.

Persimilis epigraphe. Caput Domitiani laureatum.

L. IA. *Anno XI. Sphynx decumbens.*

Latitantem sacrorum doctrinam, ut exprimerent Aegyptii, Sphynges capite & pectore Virgines, reliquo corpore Leones, effinxerunt; de quibus plura Pignorius in Mensam Isiacam pag. 70. Idem numus & in Thesauro Theupoliano adfertur Ser. VII. pag. 1112. Verum cum epocha anni X. Alius insignis numus inter Theupolianos describitur, a Cl. Morellio prætermissus; cujus typus Pallas galeata stans, sinistra innixa clypeo, dextra spicas ostentat; cum epigraphe: ΑΘΗΝΑ ΣΕΒΑΣΤ. L. I. *Minerva Augusta Anno X.* Alexandrini, ut Domitiani gratiam inirent, & ab eo beneficia obtinerent, tutelarem Deam, Bellorum Præsidem, cujus filius credi Domitianus volebat, sedulo studio insculpserunt.

N u m. 43.

Persimilis inscriptio. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Delphinus anchorae implicitus.*

N u m. 44.

Eadem inscriptio. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Aquila stans expansis alis.*

N u m. 45.

Persimilis epigraphe. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Canopus Aegyptiorum Numen, ut in præcedenti Tab. num.* 18.

N u m. 46.

Epigraphe superiori adsimilis. Caput idem.

L. IA. *Anno XI. Manipulus spicarum, intermedio papavere.*

N u m. 47. 48.

Ut in præcedentibus eadem inscriptio. Domitiani caput laureatum.

L. IA. *Anno XI. Calathus sive cophinus spicis & papaveribus refertus, cum lampadibus utrinque accensis.*



COLUMNA
TRAJANA
EXHIBENS
HISTORIAM
UTRIUSQUE BELLI DACICI

A

TRAJANO CAESARE AUGUSTO

GESTI

AB ANDREA MORELLIO

Adcurate delineata & in ære incisa, nova descriptione & observationibus inlustrata, cura & studio

ANTONII FRANCISCI GORI

Florentinæ Academiæ Professoris.

VITA
CELEBERRIMI VIRI
ANDREAE MORELLII
AB
ANDREA PETRO JULIANELLIO

Sacræ Florentinæ Universitatis Theologorum Cancellario, Academico Florentino, Cortonensi, Arcad. conscripta, curante

ANTONIO FRANCISCO GORIO.



Uæ olim memorabilia de Helvetio Bernate ANDREA MORELLIO, Antiquario præstantissimo a me, CELEBERRIME GORI, petisti; ea, subcisivis horis a me congesta, nunc accipe tanquam perpetuum amoris in te mei testimonium, quem plus *oculis meis semper amabo.*

ANDREAS MORELLIUS *inter primos nostri temporis Antiquarios, & in rei Numismaticæ cognitione in primis eminens*, ut doctissimi Leibnitii utar verbis (*a*), Bernæ apud Helvetios natus est die IX. Junii, anno MDCXLVI. Ex urbe Constantia in hanc propter Religionis negotium sub Carolo V. confugerunt majores ejus; ibique fuerunt civitate donati, & publicis aucti dignitatibus. Primum itaque Andreas Turici humaniorum litterarum studia sub Caspare Suicero, Græcæ Linguæ eo loci Professore illustri, summa omnium expectatione auspicatus est. Deinde Genevam eo ipso studiorum consilio missum, patris inopinata mors, maximo animi sui dolore Bernam revocavit. Hac licet calamitate perculsus imberbis adhuc juvenis, generosum tamen, & ad studia natum animum non despondit; quinimo litterarium cursum, nullis vigiliis impensisque parcendo, feliciter ardens, αὐτοδιδάσκαλος confecit. Hæc autem studia, doctarum scilicet peritia linguarum, Græcorum Latinorumque scriptorum adcurata lectio, omnesque inde acceptæ eruditæ Antiquitatis cognitiones eo semper spectabant, quo sua in antiqua Numismata voluptas, quam a natura hauserat, expleretur. Nil itaque mirum, si vel a primis annis sibi semper in more fuisse positum testari potuerit ipsemet in Epistola ad Cl. Virum Jacobum Perizonium, se libros eorum, qui diligentiam & studia in re Nummaria Veterum consecrarunt, vel etiam obiter in hoc genere operæ pretium fecerunt, inspicere subinde, & cum cura evolvere consuevisse. Ea propter prima pingendarum rerum didicit elementa; adeoque in ea arte brevi profecit, ut in corrigendis, comparandis, ad ectypa & archetypa delineandis antiquis Numis, e quibus rariores, ad hoc institutis variis Itineribus, studiose undique colligebat, felicissime venaretur, hæcque sola esset juventutis ejus illecebra, & humanissima fallendi temporis oblectatio.

Hisce laudabilibus cœptis obsecundare fortuna visa est; dum peropportunam ei obtulit occasionem se in amicitiam insinuandi Caroli Patini Antiquarii peritissimi, qui anno potissimum MDCLXXIII. Basileæ apud Helvetios degebat. Ab eo doctore multa de numorum scientia audivit; ex iis rariores vidit, observavit, ærique cælatorum syllogem amplissimam sibi comparavit. Utriusque vero tot tantisque mutuis officiis crevit amicitia, ut inde a Patino plures numismatum in Italia editorum fasciculi, & cetera etiam, quæ in hanc rem essent, in gratissimum Morellium suum continuo proficiscerentur, quem propter studiorum peramicam communionem unice diligebat. Hinc MORELLIANI THESAURI, de quo paullo post dicemus, prima jacta semina & fundamenta.

Hæc vero in ampliorem segetem adolevere, ubi anno MDCLXXX. Lutetiam Parisiorum se contulit, uberem certe fecundumque κειμηλίων campum, quo singularis ejus

(*a*) In Epist. XVIII. ad Ant. Magliabechium, Edit. Flor. Tom. I. Clar. German quam adornavit amicus meus V. Cl. Joannes Jargionius Fozzettius Bibl. Magliab. Præf.

ejus in Numismata peritia colorari pene visa est, atque roborari. In illa enim florentissima Urbe principe non tam privata Musea omnia Morellio, quam Regis Christianissimi longe nobilissimum, numorumque copiosissimum Cimeliarchium patuit; ibique etiam datum est, rariores quosque elegantioresque posse in rem suam delineare. Hac opportunitate in dignoscendis numis acre judicium, in editis emendandis fidem, in digerendis demum illustrandisque eruditionem præ se tulit admirandam. Hæc autem probe cognita est in iis doctorum Gallorum congressibus, qui apud ducem Aumontium tunc temporis eo potissimum consilio celebrabantur, ut Cæsarum Historia, cui inlustrandæ viri illi summi operam dabant, testimonio Numismatum firmaretur. In hunc splendidissimum Coetum illico cooptatus est Morellius; quem cum tot numorum millia congessisse, plurimaque jam edita emendasse, & genuino nitori ac fidei restituisse sensissent, statis diebus conloquentes præstantes viri, præcipue vero, qui Parisiis tum aderat, vir longe doctissimus Ezechiel Spanhemius, eum actutum hortati sunt, ut inexhaustos congestæ eruditionis thesauros publico bono recluderet. Hisce cohortationibus excitatus, largisque multorum promissis recreatus, magnum illud opus, ac plane arduum, sibique uni non perdifficile meditatus est: veteres nimirum Numos omnes ex auro, argento, ære cujuscumque moduli sive magnitudinis, quot quot inveniri ubique possent, complectendi, in ordinem redigendi, atque in uno, ut aiunt, corpore evulgandi emendatiores conspectioresque, & quotquot hactenus apud scriptores vel editi, vel nondum editi reperirentur, sive etiam a se hinc inde plurium annorum spatio fuissent collecti. Multis deterritum difficultatibus vicit amor, & regalis maxime munificentiæ concepta spes amplior, quam pati posset eo tempore ærarium plurimo ære alieno gravatum (a).

Itaque anno MDCLXXXIII. octava forma *specimen Rei Numariæ antiquæ* Litterarum Reipublicæ proposuit. Hic vero tanquam Prodromus missus est totius suscepti operis, in quo XII. Voluminibus se antiquos recipiebat collecturum Numos, ad numerum quindecim, sive ut alii volunt, viginti millium. Tam grandi numero varie adfecti sunt Eruditorum animi: solventibus aliis in societatem & præsidium operis ante pecuniam, inridentibus aliis tantæ promissionis hiatui, & ad Græcas, ut ajebant, Kalendas opus expectantibus. Id quidem commune habuit cum Huberto Goltzio Morellius, quod & ipse numorum figuras æri eleganter incidere calleret, at in eo multum a Goltzio diversus fuit, quod eas non ex cerebro suo fingeret, sed ex thesauro regio vere & fideliter repræsentaret. Inde ejus nominis tam late fama percrebuit, ut cum magnanimus Comes Ahlefeldius in Daniam accersiverit, ad Antiquarii munus obeundum; eodemque consilio Ill. Spanhemius in Aula Berolinensi nullum non moverit lapidem, ut eo Morellius suus, quem tanti faciebat, vocaretur. Ipse vero, politissimis Gallorum moribus artibusque inlectus, Parisiis maluit consistere, quum maxime eum sibi comitem & adjutorem, consentiente Ludovico XIV., adjunxisset Rainsantius, Regio museo Præfectus.

Incredibile dictu est, quanto ardore animi Morellius demandatum sibi munus absolverit, quanta diligentia, studio ac labore in ordinem tot tantaque in Regio illo Thesauro, omnium refertissimo, contenta Numismata digesserit, quanto judicio pretiosiora ac rariora distinxerit, quam accurata ac fideli observatione præcipua omnia, præsertim maximæ magnitudinis Numismata, vel coram Rege delinearit, quibus ope Historiæ inlustrandis tunc temporis, jussu Regis, insudabat Rainsantius.

Interea neque Vaillantio Imperatorum Numos explananti mirabili illa sua delineandi arte deerat; neque numismaticis suis jam conscriptis Elenchis, minus de Norisio, & Blanchio Florentino, eum tanquam in re numaria peritissimum consulentibus, promerebatur. Dum vero putat, hisce aliisque officiis sibi Aulicorum hominum benevolentiam, ipsiusque Regis præsidium comparasse (quem dicunt familiariter cum eo sæpius, & iterum conlocutum (b), non modo summam hominis peritiam fuisse admiratum, sed etiam susceptæ Collectionis ejus consilium comprobasse; adserentem, sibi fore gratum, si in ea sui quoque Musei numismata omnia exhiberentur) ecce res ejus, consueto doctissimorum hominum fato, repente in angustum redigi visæ sunt, dum in Bastitanam, sive Bastilianam Arcem nil tale sibi metuens conjectus est.

Hac tamen adversa fortuna minime fractus est; servavitque in asperis rebus eam animi firmitatem, quæ hominem decet ignotis Dei consiliis sapienter acquiescentem, ut ipsemet in epistola ad Toynardum scripta testatur, in qua ludens ait, se sperare futurum, ut vel carceri inclusus inlustraretur. Neque sua eum fides fefellit.

Quæ

(a) Ex Epist. XCIII. sub die 4 Januarii 1684. Cl. Norisii Edit. Mantuanæ an. 1741. (b) Niceron Elog. Morelli.

Quæ vero hujuſce pœnæ vera fuerit ratio, ignoratur; quum multi multa dicant, nullo, ut fieri ſolet, rerum vel temporum diſcrimine. Id enim infortunii ter miſero homini evenit, quod minime in Morelliano Elogio diſtinxit Niceronius. Noriſius ſcribit *(a)* ſe a Gallico Litterato Viro accepiſſe, ea de cauſa Morellium cuſtodiæ fuiſſe mancipatum, quod ab Aula Regis improviſus voluerit abire, timens ne ſectæ ſuæ nuncium remittere cogeretur. Itaque dicebatur in ea tamdiu detinendus, donec Regiorum Numiſmatum, quot quot delineanda ſuſceperat, typos exhiberet. Quum autem Rainſantius *(b)* tanta Morellii ope præter ſpem deſtitutus ægre admodum inchoatum opus, de quo diximus, poſſet abſolvere; exinde factum crediderim, ut Morellius, operam ſuam deinceps pollicitus, in libertatem adſereretur. Ubi carcere ſolutus eſt, negavit, rei acerbitate commotus, ſe amplius Regis numis operam daturum, niſi prius pro tanto opere digna merces ſibi decerneretur. Hac de re duriter admodum locutum ferunt *(c)* apud Lovoium intimum a Regis conſiliis Adminiſtrum acceptiſſimum. Hujus juſſu, in cuſtodiam iterum, vel inſcio Rege, traditus eſt, denegata primo cuivis carceris ejus inviſendi facultate, mox vero ejus ſcriptis, delineatis Numiſmaticis Tabulis, Libris, ceteriſque omnibus, quæ ei uſui eſſe poſſent, eo tranſlatis, ibi, regiis ſumtibus conductus, biennio commoratus eſt.

Vices tanti Viri dolebant Eruditi, verebanturque, ne ſemel & iterum ſibi noxiam artem Morellius condemnaret, alioque ſtudia traduceret. A quo id tantum abfuit, ut eum præſtantis ingenii vis licet calamitatibus perculſum non defecerit, & ſorte ſua contentus pro Regio Muſeo, qua exquiſitius accuratiusque delineationibus pingendis, qua aliis corrigendis lætus & alacer laborarit. Duo quoque millia librorum in extima parte cenſoria, ut ajunt, virga notavit. Quotquot in Regio Theſauro erant Numiſmata delineatis Tabulis concluſit. Eorum quoque chronologico ordine ſeriem diſpoſuit, digeſſit, quod nemo ante ipſum tentarat. Exteris doctis viris, Franciſco nempe Comiti Birago Mediobarbæ, Noriſio, ceteriſque rariorum Numiſmatum notitiam, recepta ſcribendi facultate, per litteras paſſim communicabat, difficultates, qua mente valebat, enodabat. Hinc Celeberrimus Noriſius præſidiarium Morellium agere in Arce facete ſcribebat, quod ſibi aliiſque Numariæ Eruditionis ſtudioſis præſidio eſſet *(d)*.

Interim forte accidit, ut Rainſantius in ſtagno Regii Horti miſerabili caſu demerſus deprehenderetur; cui Viro dignus, qui ſuccederet, nemo præter Vaillantium & Morellium erat; multi licet honorificentisſimum id munus, Aulicorum ope freti, ambirent. Commendatione tamen virtutis a Rege Muſei Præfectus renunciatus fuit Morellius; ea conditione, ut in Catholicorum communionem adſciſci curaret; quemadmodum Regis nomine ei adhuc in carcere degenti ſignificavit Vaillantius; quod tamen ſe facturum recuſavit. Exinde durius habitus eſt, ut Joubertus Soc. Jeſu Sacerdos, & Bigotius eum, uti antea cònſueverant, adloqui nequiverint. Hinc rumor ille ſubortus creditur, de quo in Epiſtola XIX. Leibnitius, in Gallia Morellium Religionis cauſa fuiſſe detentum. Ut ut res ſe habuit, ex Arce tandem Villacerti præſidio precibuſque liber evaſit, repentina fortaſſis morte correpto Lovoio potentisſimo, quem ideo, Noriſio teſte *(e)*, Galliarum Martem Itali vocabant. Quod autem Lovoius tantæ calamitatis Morellio auctor fuerit, ipſemet indicat epiſtola ad Perizonium, ubi ait : *Quod mali perpeſſi auctor præcipuus jam tum in locum ſuum abierit.*

Carcere egreſſus ad Verſalianas deliciarum Aedes contendit, Regi gratias acturus, ab eoque honeſtam petiturus miſſionem. Verum aditu Regis diu prohibitus, anceps, incertusque hærebat, nullaque ſuam redimendi litterariam ſupellectilem, præmiumque, quod ei debebatur, accipiendi ſpes adfulgebat. Adfulſit tandem : a Rege perhumaniter exceptus eſt, dataque ei liberaliter ducentorum aureorum ſumma, certa cum ſpe reliquorum.

His aliiſque proſperis recreatus rebus, dum poſtero die, Proceribus & Tribuno Militum Stoupa ſalutatis, bona venia in patriam erat feliciter profecturus, tertio Baſtitanæ Arcis non novus incola, indicta cauſa incertaque, ni mavis, Aulicorum fraude artibusque, hominis honori & fortunæ invidentium, miſere admodum deportatus eſt, omnibus tum videndi tum conloquendi cum eo facultate prærepta *(f)*.

Immeriti hominis, ſuique Civis repetita fata miſerati Bernæ Magiſtratus, datis ad Regem litteris, pro ejus libertate deprecati ſunt, eamque illico obtinuerunt. Hac do-

(a) Epiſt. 115. Edit. Mant. 1741. data nonis Maii MDCLXXXIV. *(b)* Ex Epiſt. Noriſiana 116. data XII. Kal. Juliis an. MDCLXXXVI. *(c)* Ex Epiſt. Dronii VII. Eid. Jul. an. MDCLXXXVIII. Epiſt. 7. Noriſii Edit. Mant. *(d)* Epiſt. 195. ejusd. Edit. Mant. *(e)* Epiſt. 195. Edit. Mant. *(f)* Hactenus de Morellio Litteræ Dronii ad Toynardum, quæ ad Rei numariæ memorabilia ſcitu digniſſima, maximo uſui eſſent, ſi a doctiſſimo Guieto, apud quem exſtant, ederentur, quod multis votis expectamus & cupimus.

donatus Morellius, Regem adiit, a quo iterum ei oblata est Regii Musei Præfectura, una simul cum Regis gratia, & stipendiorum spe longe majori. Tanti a Rege habebatur Morellius, cum propter ejus dignoscendi numos singularem peritiam atque admirabilem, tum propter summam pictoriæ Artis præstantiam, delineandique peritissimam celeritatem, dirigendique certis ductibus manus ad spirantes figurarum imagines, quarum effigies, & emblemata vel sine prototypis menti suæ insidebant omnes; quemadmodum, facto periculo, Regi ipsi Gordiani III. olim caput petenti, illud e vestigio affabre expresit. In quo constans est omnium opinio, parem habuisse neminem Morellium; etsi in numis ita memoriter delineandis, nonnulla aliquando facilitatem ejus, Cupero teste (a), effugerint. Tanti profecto Regis obsecundasset votis injuriarum immemor Morellius, ratus Collectioni suæ uberrimum campum Parisios futurum. Verum Religiosus quidam homo fertur, indignatus, Heterodoxo & alieno homini hanc tradi dignitatem, Morellio metum perpetuæ captivitatis in Castrum ad Vicenas, injecisse, ni protinus, relicta tota illa sua Litteraria supellectile, evolaret. Quo artificio voti compos effectus, pro Oudineto dignitatem obtinuit, quem Morellius ipse *omni virtute ac eruditione præstantissimum*, *suumque Amicum* in Litteris ad Perizonium adpellat.

Bernam reversus, hac scriptorum suorum Tabularumque jactura consilii tamen sui de coacervandis numis spem non abjecit, quum plurima in hanc rem bono fato in patriam multo ante misisset. Interim ejus verba, ad Perizonium scribentis, consideranda sunt: *sibi* nempe *sufficere*, *Regem maximum se clementissimo suo adloquio fuisse dignatum; tandemque in Patriam reversum tanta insuper beasse gratia*, *ut regia illa munificentia etiam malevolorum quorumdam excitaverit invidiam.* Unica tamen propter calamitates, quas antea tulerat, ad tantum opus digne ac laudabiliter perficiendum, premebatur inopia. Ille vero rerum omnium arbiter Deus, qui bene utiliterque agentibus nunquam deest, effecit, ut anno MDCXCIII. tanti viri fama commotus Serenissimus Princeps S. R. J. Comes Schwartzenburgi & Hohenstein, qui colligendis numis ceterisque venerandæ Antiquitatis reliquiis recondendisque in Museo suo longe omnium locupletissimo, mirifice delectabatur, ad se illum confestim evocaret, cui & Musei sui curam, suorumque consiliorum fidem demandaret. Hoc nuncio, quæ jam languescebat, viri industria revixit, ubi quicquid conficiendo operi usui sibi esse poterat, liberaliter promitti audivit. Ejus itaque jussu & sumtibus primo iter in Bataviam instituit, doctissimos ibi homines, præcipue vero egregium Jacobum Perizonium, cujus *Historicis Animadversionibus* multa se debere fatetur, cogniturus, numosque, quos posset, Comiti collecturus, aliaque confecturus negotia; inter quæ rarissimum inter Consulares, ut aiunt, numum *Labieni* acquisivit, de quo litteris agit suis anno MDCXCVII. ad Celsissimum Comitem Antonium Guntherum. Huc accessit, quod familiaris ejus Præstantissimus Spanhemius in Berolinensi Aula tunc temporis degens, ubi audivit Morellium suum Arnstadii ad Geram tam prope commorantem, eum propius ad conloquium invitaret. Id autem prudentissimus homo egit, non solo revisendi Morellii studio, verum eo consilio, ut in Friderici Brandeburgici Principis Potentissimi cognitionem ita posset Morellius inrepere. Hac autem de causa hujusmodi conloquii locum statuit Hallam Saxonum, quo Kal. Julii MDCXCIV. Elector die suo Natali ad *Fridericianæ Universitatis* jacienda fundamenta erat iturus. Amici consilio paruit Morellius; eoque successu acta sunt omnia, ut & solantem amicum viderit, novumque sibi Patronum adsciverit Fridericum Benedictum Carpzovium Lipsiensem Senatorem, qui cum de Thesauro Numorum conloquentibus amicis interfuisset, ultro se Typographum Lipsiæ pro edendo opere recepit inventurum, omniaque præstiturum officia, quæ ad faciliorem rei exitum essent adcommodata. Hisce tamen omnibus non contentus Spanhemius, omni studio Morellium commendavit Eberardo Dankelmanno Electoris Brandeburgici Administro principi, summoque rerum arbitro: in cujus clientelam receptus Morellius adloqui Principem valuit, ab eoque perhumaniter excipi, dum nonnulla mirifice a se picta numismata ei exhibuit.

Spei itaque plenus Morellius Arnstadium, suadente Spanhemio, revertitur, veniam a Comite suo Schwartzenburgio petiturus, ut Berolinum posset adire, ibique ad explorandum Museum unum vel alterum mensem commorari. Quo in itinere, ubi Lipsiam pervenit, *Specimen Thesauri sui* iterum, curante Carpzovio, edidit, nonnihil a Parisiensi olim edito diversum, in quo melior & auctior adumbrata operis ratio erat, & quinque Spanhemii Epistolis de quorumdum Numorum inlustratione valde commendata. Omnia demum pro matura operis tamdiu a se exoptati editione cum typographo constituit, absolvit. Be-

(a) Lettr. Critiq. 41. Gisb. Cuperi Amstel. Edit. an.1741.

Berolinum ingresso Principis liberalitas in pecuniæ summa protinus erogata, perpetuus ejusdem favor in accepta futuri operis dedicatione Dankelmanni patrocinio sibi fruenti occurrerunt (*a*). Adversam tamen fatorum vim ne præsidio quidem tanto potuit tamdiu misere exercitus Morellius declinare. Dum fervet opus, ejusque instat absolutio, tota de spe repente decidit; quoniam Dankelmannus, cui unice innitebatur, gratia Principis sui excidit. *Tunc enim*, ait ipse ad Perizonium, *intermissi operis spes, magni Patroni casu, penitus fuit sublata, egoque sic derelictus, in maximam sumtuum incidi jacturam*, &c. Plurima enim erudita Itinera propriis sumtibus confecerat.

Hoc atroci casu adeo adfectus est Morellius, ut desperatione debilitatus, aere alieno pressus, animi ægrimonia dejectus atque prostratus, hemiplegia tactus, paralyticus dextro brachio evaserit; adeoque conficiendo operi impar & iners. Ubi paululum convaluit, Comes Schwartzenburgicus, ut animos ei adderet, socium & adjutorem a studiis ei constituit Christianum SCHLEGELIUM, quo uteretur ad ea omnia, quæ illustrando operi inservirent, conscribenda. Quo facto, sibi reviviscere visus est, & abrupti operis filum posse retexere; adeoque anno MDCCI. per epistolam de Numis Consularibus, ut vocant, doctissimum Perizonium, scribente Schlegelio, consuluit. Verum tamen paullo post ægrescentem, fractum, diffidentemque rebus suis apoplexia correptum, inopina mors lecto cubantem exstinxit IV. Eidus Apriles, sive ut alii volunt, XIII. Kal. Majas anno MDCCIII. Arnstadii, summo Eruditorum omnium mœrore, & Rei Numariæ detrimento maximo. Filium reliquit unicum, qui inter Bernates Pastores cooptatus est.

Multus essem, si de MORELLIO judicia omnia & elogia honorificentissima, & conscripta apud Auctores testimonia vellem heic loci vel breviter perstringere. Cum celeberrimo Jacobo Perizonio tantum dicam, *fuisse virum veterum Numorum peritissimum, eoque nomine per Germaniam, Galliam, Italiam, Belgium notissimum.* Neque enim tantum nominis celebritate, quantum ex ejus operibus, quorum heic adtexo Elenchum, tamdiu vivus per ora Virorum volitabit, quamdiu elegantioribus hisce studiis suum constabit pretium, suusque honor; sunt autem:

Specimen Universæ Rei Numariæ, quod Litteratorum Reipublicæ proponit Andreas Morellius Helvetus. Parisiis MDCLXXXIII. Libri VI. quos summa cum voluptate se evolvisse dicit eximius Bandurius (*b*), in his continebantur picta levi, sed perita manu atque erudita: I. Numismata aurea & argentea: illa quidem ad Heraclium, hæc ad Zenonem cum plerorumque aversis partibus. II. Numismata ex aere maximo Urbis Romæ, Augusti, & ceterorum Principum usque ad Justinianum. Deinde Alexandri, Olympiadis, Virorum aliquot illustrium; simulque compacta series Numorum ex aere primi moduli, quæ ad Justinianum quidem perducta est, sed perpauci sunt a Crispo. III. & IV. Seges erat uberrima Numorum secundi & tertii moduli, horum ad Isacium Despotam, illorum ad Joannem Zimiscem. V. Erant Numi Familiarum, & incerti, quibus subjecti erant Numi varii a Tristano, Strada, aliisque obtrusi; quorum sinceritas in dubium ab Eruditis revocatur. VI. Denique Volumen Regum, Virorum Illustrium, Urbiumque Græca Numismata exhibebat. Tantam, tamque amplam Eruditionis antiquæ segetem in Galliarum Regis Gaza Morellius delitescentem reliquit, & fortasse etiam doctas suas Adnotationes numorum fide confirmatas ad Jouberti Libellum *de scientia numismatica*, de quo Spanhemius in Thesauro Fridericiano pag. 249.

Germaniæ cælo restitutus, iterum edidit *Specimen Rei Numariæ* Lipsiæ excusum an. MDCXCV. in quo centum & septuaginta quatuor numismata ex omnibus generibus selecta in æs incisa sunt cum eruditissimis adnotationibus, & Epistolis Spanhemii, ut superius dixi; ex quibus ei *tantum ornamenti accessit*, Christiano Sigismundo Liebo teste, in Gotha Numaria pag. 385. ut *Specimen illud non magis ob Morellii diligentiam, diurnia numorum tractatione commendabilem, quam diffusam, variamque Epistolarum Spanhemianarum doctrinam a Lectoribus expetatur.* Hinc ad ejusdem *Gothæ Numariæ* calcem hæ Epistolæ recusæ occurrunt, datæ annis MDCLXXXIII. MDCXCV. & MDCXCVI.

In hoc Specimine adseruit quinquaginta æneas exstare Tabulas apud Thomam Fritschium Bibliopolam Lipsiensem, in quibus Consularia Numismata, & XII. Imperatorum exprimebantur. Fritschii hæredes hasce Morellii Tabulas vendiderunt ornatissimis Wetsteniis & Smith; apud quos, quum eas anno MDCCXXIX, ni fallor, Amstelædami forte fortuna reperisset Sigebertus HAVERCAMPUS harum rerum indagator solertissimus, Lucina sua dignum opus existimavit, orbi nempe Litterato profuturos Morellianos labores, qui, ut diximus, inopina Auctoris morte pæne intercLiderant,

(*a*) De Dankelmanno vide fusius memorabilia & Epist. Bar. Pollnitz. Edit. Amstelod (*b*) In Biblioth. Numaria Voc. *Morel.*

derant, Commentariis ſuis illuſtratos communicare. Hinc anno MDCCXXXIV. Amſtelædami apud Wetſtenios prodiit *Theſaurus Morellianus*, ſive Familiarum Romanarum Numismata duobus ſplendide excuſis Tomis in folio.

De hoc edendo Opere nihil ſcriptis elucubraverat MORELLIUS, præter quatuor Epiſtolas ad Perizonium miſſas (*a*), quem veluti Criticum ſummum de variis Familiarum Romanarum numis conſuluerat. Hiſce adjici poteſt Epiſtola alia a ſe miſſa ad Equitem famigeratiſſimum Fountaine, qua Gallandio Antiquario reſpondet acerrime de Controverſia Conſularium numorum, quæ viſa eſt oriri inter eum & Vaillantium, eandem incudem tundentem (*b*). Heic autem obiter notabo cum verbis ipſius Spanhemii (*c*), tum ex Vaillantii dictis, a quo vapulat Morellius, *indignatiunculam, de controverſia Numorum edendorum circa Romanas Familias, nimio plus pellucere; ſua enim ſibi, præſertim mortuo Morellio, absque acerba expoſtulatione, vindicare poterat*: præſertim quum Morellius ſemper de Vaillantio perhonorifice ſenſerit, & ſcripſerit. Ob id Morelliana modeſtia a Numographis laudata in eorum operibus legitur. Ea enim erat natura Morellius, ut nemini inclementer diceret, & ſemper amicorum ceterorumque doctorum judicia exquireret ad ſua vel corrigenda, vel confirmanda.

Chriſtianus SCHLEGELIUS vir doctisſimus, quem dictata ſua excipientem, ſuorumque ſtudiorum adjutorem, dixi Morellium ſibi adſciviſſe, Numismata XII. priorum Cæſarum illuſtranda ſuſcepit. Sed ipſo quoque a morte prærepto, ejus fruimur laboribus ad totam Tabulam XIII. qua Numismata Cæſaris Auguſti maximi moduli continentur: quare ex Tabulæ XIV. Numismatis Auguſti argenteis majoris moduli oportuit inciperet HAVERCAMPUS Morelliani operis Soſpitator præſtantisſimus, qui etiam Conſularia Numismata edidit, & inluſtravit. Quod adtinet ad Imperatoria Numismata ipſe ab ea jam notata Tabula XIV. ad Veſpaſianum uſque Commentarios ſuos longe luculentisſimos protraxerat.

Verum quum invida in hoc opus fatorum vis nondum exſaturata quieviſſet, rapuit etiam in ipſo operis hujuſce præclarisſimi ardore Sigebertum HAVERCAMPUM, ne ſuprema eidem manus poſſet adhuc imponi.

HAVERCAMPO dignus non ſine magno Patriæ meæ, & Florentinæ Academiæ decore habitus, delectusque eſt ſucceſſor Antonius Franciscus GORIUS, Baſilicæ Baptiſterii Florentini Præpoſitus, Amicus meus, de me, meisque ſtudiis optime meritus, qui precibus atque adhortationibus Viri Nobilisſimi ac doctisſimi Jacobi Philippi D'ORVILLE excitatus, opus cedro dignisſimum, cui titulus *Theſaurus Numismaticus* &c. V. Eidus Novembres natali die ſuo, an. MDCCXLIV. exorſus, continuavit ab octo qui ſupererant Numis Flavii VESPASIANI ex aere magno in Tab. XII. num. 17. expreſſa, ad reliquas omnes Tabulas ad DOMITIANUM uſque, priorum duodecim Cæſarum ultimum. Illud notandum, quod talem ſpartam ſuſcepit, ut morem gereret eidem D'ORVILLE, & crebris litteris honeſtisſimi *Jacobi Wetſtenii*, hujus libri Editoris, præſertim quum viribus & valetudine non bene valeret, poſt editas obſervationes ſuas in Gemmas, & Statuas, & Numismata maximi moduli, quæ Volumina VI. Muſei Florentini implent, ac conficiunt.

His abſolutis pro Coronide perblandis exhortationibus coactus eſt adjicere novam, & clariori ordine adcuratiorem in admirabilem TRAJANI AUGUSTI COLUMNAM deſcriptionem & inluſtrationem, cujus anaglypha omnia MORELLIUS, dum in Galliis degebat, attentisſime delineaverat, ex eorumdem formis gypſo ductis, juſſu Chriſtianisſimi Galliarum Regis LUDOVICI XIV.

Nae poſt cineres fortunatus homo MORELLIUS, cujus labores, cura, conſilia, a me rudi calamo deſcripta, ope tantorum Virorum ſuſcepta, & ad umbilicum perducta, orbi litterario, quod ſummopere gratulandum, feliciter patuere. Unus, quem ſciam haud inceptus, intactusque remanſit AUGUSTINII Liber de FAMILIIS ROMANIS, cujus neceſſariam emendationem & augmentum optabat, & doctisſimo Perizonio ſuo pluribus per litteras propoſuerat MORELLIUS (*d*), Vir ad grandia quæque unice pro litteris natus, ſemperque ab omni Poſterorum memoria ſuſpiciendus, tanquam veterum Numorum Judex, Spanhemio teſte (*e*), peritisſimus.

(*a*) Poſt diſſert. de aer. grav. Lugd. Bat an. 1740. (*b*) De num aur. Theſauri Frideric. (*c*) Vide Trevolt. Mem. Tom. III. an MDCCII. Artic. V. Cuperi Epiſt. VI. ad Nicaſium, qui tamen a Vaillantio ſtare videtur. (*d*) Epiſt. poſt Diſſert. de aere gravi, de Num. Conſul. (*e*) Theſ. Frideric. Cap. III. de Num. aur.

PROOEMIUM



PROOEMIUM.



X tot admirandis monumentis, molibus, ædificiis, quibus olim URBS ÆTERNA ſuperbiit, nullum hodie auguſtius exſtat COLUMNA cochlide, quæ, figuris anaglypho opere in marmore egregie ſculptis, Geſta TRAJANI CÆSARIS AUGUSTI gemino DACICO BELLO repræſentat, ceteris vel temporis edacitate, vel barbarorum injuriis ac vaſtationibus penitus deletis ac deformatis, aut terra obrutis. Hæc Columna aere ipſo perennior, ab illuſtribus ſcriptoribus nunquam ſatis commendata, quod ſpectantibus tanquam uno volumine res præclare geſtas OPTIMI PRINCIPIS complectatur, & fideliter exhibeat, primum in lucem prodiit Romæ ex Typographia Jacobi Maſcardi anno MDCXVI. Commentario illuſtrata a Celeberrimo F. Alphonſo Ciaconio, ex O. P. Theologo Hiſpano. Primum figuras olim deſcripſerat Raphael Urbinas Pictor famigeratisſimus, ejusque diſcipuli Julius Romanus pictor egregius, & Joannes Franciſcus Polydorus; mox etiam Hieronymus Mutianus. Sed tabulæ illæ aheneæ, in quibus hæc inciſa fuerant argumenta, quum jacerent prorſus detritæ, & interitum opperirent, eas ab interitu vindicavit Franciſcus Villamena, nobilis ejus temporis Cælator, qui anſam dedit Ciaconio, ut luculenter Latinis verbis deſcriberet, quod præſtitit. Præterea idem Villamena non ſolum Tabularum jacturam ſarcivit, verum etiam Columnæ Iconographiam, & baſis argumenta & emblemata adjecit, atque externas & internas ejus Partes expresſit, editis Tabulis CXXX

Labente fere ſeculo XVII. iterum Romæ prodiit COLUMNA TRAJANA cura & inpenſis Joannis Jacobi Roſſii, aucta in fine compluribus ſelectis Numiſmatis ad utrumque TRAJANI Dacicum bellum pertinentibus, & inſignibus Tropaeis; quæ omnia Tabulis CXIX. probata ſunt. Rurſus eam ad archetypum exemplar diligentiſſime delineavit, & aereis Tabulis egregie incidit Petrus Sanctes BARTOLIUS, Pictor & Cælator toto orbe celeberrimus. Patrio ſermone deſcriptionem ſingulis Tabulis adjecit eximius Antiquitatis interpres Joannes Petrus BELLORIUS, ſecutus Latinum Ciaconii Commentarium, nonnullis de ſuo additis, vel expenſis, vel emendatis. Solerti adhibito conſilio pauciſſima exemplaria hujus voluminis in lucem miſſa ſunt, reliquis intra carceres ſubpreſſis. Ex his unum incidit in manus Præſtantiſſimi Raphaëlis FABRETII, qui ſtatim ac vidit, cenſoria virga plurimis in locis caſtigandum exiſtimavit;

mavit; idque ſummo labore, & eruditione præſtitit. Igitur anno MDCLXXXIII. opus ſuum publici juris fecit, ita inſcriptum: *Raphaëlis Fabretti, Gaſparis F. Urbinatis de Columna TRAJANI Syntagma;* quod ut videre Bartolius & Bellorius, ubique Tabulas emendarunt, ille viriculo, hic calamo; quare quaſi novum volumen iterum produxerunt nitidiſſime excuſum, idemque Roſſius Chriſtianiſſimo Regi LUDOVICO XIV. inſcripſit, & dedicavit.

Ferunt Pictores, qui *Columnam Trajanam* delinearunt, quod & Celeberrimus Petrus Berrettinius Cortonenſis, & non pauci ex Florentinis, inter quos etiam illuſtris Maximilianus Soldanius, fecere, ope teleſcopii uſos eſſe, vel ſcalarum ad quandam magnitudinem ſubſidio. Memoriæ etiam proditum, FRANCISCUM Gallorum Regem, ut erat ingentis animi, Antiquitatisque ſtudioſus, ſub Pontificatu Pauli Tertii juſſiſſe, ut ex aere aliquot Columnæ portiunculæ conflarentur, ut integram mox ex aere Gallis erigere poſſet. Verum circa annum MDCLXX. quum gypſeis formis totam Hiſtoriam *Trajanæ Columnæ* ſupra omnem laudem admirandæ excipiendam mandaſſet Maximus Rex LUDOVICUS XIV. ut Pariſiis ex aere, ut ajunt, conflatam ſpectatiſſimo in loco erigeret, quod tamen factum non eſt, ex his formis emblemata omnia diligenter ac feliciter delineavit, & aeris Tabulis incidit Antiquitatis conſultiſſimus ANDREAS MORELLIUS, ut genio juvandi bonas artes faceret ſatis, & nomini ſuo gloriam compararet ſempiternam. *Morellianæ Tabulæ* heic omnes exhibentur, deſcribuntur, & obſervationibus illuſtrantur. Dum viveret MORELLIUS, fama toto orbe increbuerat, eum quam primum eaſdem Tabulas in lucem prolaturum. Laudavit eas, etſi non vidiſſet, Fabrettus, ſperavitque, ut ipſe ait, in ſuo ſyntagmate, ſe aliquando viſurum quod valde deſiderabat. Quod vero nunc publicæ luci & utilitati ſint expoſitæ, debemus Honeſtiſſimo Viro *Jacobo Wetſtenio*, qui me, ut hanc in ea deſcribenda & illuſtranda ſpartam ſuſciperem, rogavit, quam alii melius & utilius occupaſſent. Sed apud æquos Lectores, qui ſciunt, me in multis occupatum, & Eccleſiaſticis muneribus non parum præpeditum, *voluiſſe ſat* erit.



CO-

COLUMNÆ TRAJANI

TAM INTIMÆ QUAM EXTIMÆ FRONTIS ORTHOGRAPHICA DESCRIPTIO.


Uamvis ANDREAS MORELLIUS externam & internam integram COLUMNÆ TRAJANI faciem nobis expressam non reliquerit, quod ei visum fortasse est supervacaneum, nec illam Orthographiam irrito labore voluit repetere, quam jam produxerat Ciaconius; nos tamen, ne huic quoque muneri deesse videamur, eam breviter describendam censuimus. Servabimus mensuras illas, quas, curante Joanne Jacobo Rossio Chalcographo Romano, diligenter excepit Joannes Maria Baracta, Architectus Romanus percelebris, & nobis tum Bartolius, tum Bellorius proposuerunt, quamquam & illæ a Ciaconio descriptæ cum his fere ad amussim consentiant. Columna marmorea cochlis Romæ in medio Trajani Foro erecta, altitudine ab imo scapo ad verticem usque, ubi TRAJANI CÆSARIS statua superposita erat, & mox in ejus locum impositum Beati Petri Apostolorum Principis simulacrum, æquabat Romanos pedes CXXVIII. ad cujus fastigium per CLXXXV. gradus conscenditur & circuitum intus conficiunt quoquo versus complectentem pedes XII. & ½. Lucem ministrant fenestellæ XLIII. quæ identidem in hisce pictis Tabulis occurrunt, & indicantur.

Constat tota hujus Columnæ moles ex XXXIV. marmoreis Lapidibus stupendæ magnitudinis. Ex his XXIII. per gyrum eandem Columnam circumdant, & constituunt, in quibus gemina TRAJANI AUGUSTI in Dacos expeditio, res præclare ac feliciter gestæ exprimuntur. Anaglypha universam ferme Vetustatis notitiam, integrumque Romanæ majestatis & magnificentiæ compendium, & accuratam utriusque Belli Dacici historiam complectuntur. Quanta hinc Romanarum Antiquitatum studiosis cultoribus lux & præsidium adfulgeat, nemo est qui non videat. Sola hæc Columna exhibet fere cuncta, quæ inter varias prisci ævi reliquias sunt ubique locorum dispersa; Imperatorum habitus, adlocutiones, sacrificia, libationes, victimas, aras, sacerdotes, illorum habitus, ministeria & in sacrificando ritus, Castrorum ordines, pontis structuram, Romanorum & hostium signa, congressus, pugnas, strages, victorias, oppugnationes, navium formas, tropaea, triumphos, colonorum deductiones, præsertim ritus in exercitu lustrando, & sacrificium suovetaurilia, & alia sexcenta, quæ si vellem singula describere, vix exitum sermo inveniret. Subjecta Columnæ basis octo ingentis molis marmoreis lapidibus constructa est.

In dimetienda hac Columna aliam methodum veteres scriptores tenuisse comperimus, ni forte discrimen in librariorum oscitantiam refundere velimus. Nam Eutropius & Cassiodorus longitudine æquare pedes CXL. adfirmant; at Publius Victor, quod & nos supra indicavimus, CXXVIII. pedes non excedere tradit; gradus vero enumerat CLXXXV. sed nunc CLXXXIV. esse deprehensum est, itemque fenestellas non XLV. sed XLIII. Basis vero singula latera XX. pedes Romanos complectuntur, id est exacta mensura simul LXXX.

In anteriore Basis facie ab imo adsurgit ostium, per quod ad verticem usque per gradus jam memoratos ascendi potest. Supra ostium posita est marmorea Tabula coronide circumquaque ornata, quam duæ Victoriæ, ob victorias gemino Dacico bello partas manibus tenent, hac epigraphe insculptam.

SENATVS. POPVLVSQ. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRI. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P.
AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS TANT......BVS. SIT. EGESTVS.

Multis ſcatet mendis in Romana Roſſii editione. In poſtremo verſu hiatum alii vario modo ſupplendum contendunt. Nos oportuniore loco ſymbolam noſtram conferemus, & veterum manuſcriptorum auctoritatem proferemus. Aliter quoque ſe habet eadem Inſcriptio in Ciaconiana editione.

Singula baſis latera tropaea, ſpolia, arma barbararum gentium Dacorumque præferunt, quæ per ſingulas partes inluſtrari poſſent. Altera ſuperpoſita baſis Laureo encarpo coronatur; in quatuor angulis vero exſtant inſigne Romani Imperii ornamentum aquilæ. Figuræ per gyrum in anaglyphis, mira arte ſculptæ, altitudine fere tres palmos Romanos æquant; aliæ vero paullo minores ſunt, & ubique eandem magnitudinem ſervant, his exceptis quæ ſub capitulo cælatæ viſuntur, quæ tribus aut quatuor unciis reliquas omnes ſupergrediuntur. Statuam ſuperpoſitam Trajani in ipſo Columnæ vertice, quæ coloſſea erat, ſervaſſe menſuram pedum XVIII. creditur. Hanc ex aere auro contectam fuiſſe memorant, quam Trajanus ipſe, Parthico & Armeniaco bello detentus, & mox fato præreptus non vidit. Altera manu ſceptrum, altera vero globum aureum gerebat, in quo ejus cineres reconditi ſunt, Romam tranſlati. Dedicata eſt hæc Columna anno ejus Imperii XVII. cujus operis memorandi, quod cum ipſis Memphiticis Pyramidibus, & Obeliſcis facile certat, Architectus fuit, ingenio & ſcientia tantæ moli par, Apollodorus. His breviter expoſitis, ad deſcriptionem anaglyphorum, quæ per gyrum totam Columnam ornant, & gemini belli Dacici Hiſtoriam exhibent, nunc gradum facimus, ſervato ordine, ac ſerie, quam præ ceteris magis oportunam, & plane commodiorem invenit, ac propoſuit Præſtantiſſimus MORELLIUS, cujus in hoc Opere tam adcurate exhibendo abſolvendoque vix ſatis ingenium, & laboris pæne immenſi patientiam mirari poſſumus. Poſt hanc Deſcriptionem, Obſervationes quaſdam meas ad pleraque notatu digna ſubjiciam.



EXPLI-

EXPLICATIONES
FIGURARUM OMNIUM
QUÆ IN
COLUMNA TRAJANA
SPECTANTUR
TABULA A. FASCIA I.
SEGMENTUM I.



Rimum a Figurarum Num. 16 uſque ad 38. prioris BELLI DACICI adparatus oſtenditur. Horrea, Palearia, Caſtra militum ad Savum fluvium poſita: præſidia, ſtationes, & advecti commeatus exhibentur.

Fig. 16, 17.

Horrea exſtructa quadratis lapidibus, aggere & vallo veluti parva Caſtra munita; juxta ripam Savi fluminis ſita; quibus annona militaris, & commeatus ſervati, commode per Danubium transvecti, militibus opportune ſuppeditarentur.

Fig. 18.

Lignorum rudium ex arboribus exſciſorum ſtrues, dena, vel duodena ſerie diſpoſitorum, caſtris vallisque conſtruendis, muniendis reficiendisque, aliis quoque uſibus, & pro cibis igne parandis, congeſta.

Fig. 19.

Foenilia, ſive Palearia ad pabulum equorum jumentorumque Caſtrenſium parata ac diſpoſita; ut inde etiam accipi, & alio transvehi facile poſſent.

Fig. 20. *& ſequentibus.*

Caſtra Militum, quadratis ſaxis exſtructa, juxta ejusdem fluminis ripas per intervalla diſpoſita, confertis infixisque trabibus circumvallata: inferius oſtio, ſuperne vel una vel pluribus feneſtris patentibus inſtructa; ligneis quoque deſuper (ut videtur) circumquaque prominentibus pergulis munita; per quas, ſi opus eſſet, miles vigil circumiens, ex edito loco hoſtium incurſus, dolos & inſidias proſpectare, & cibaria in proximis horreis recondita, nec non palearia tueri poſſet.

Fig. 21. *& ſequentibus.*

Faces accenſæ per feneſtras eorumdem Caſtrorum, explorandis vitandisque hoſtium inſidiis & incurſibus nocturno tempore productæ.

SEGMENTUM II.
EJUSDEM TABULÆ A. FASCIÆ I.

Fig. 22.

Milites chlamydati, editis in locis ad ripas ejusdem fluminis ſtantes, & excubias agentes, quorum alii inſtructi armis, galea nimirum & clypeo; alii vero gladio & galea deſtituti, gladio ad dextrum latus pendente ornantur.

Fig. 25, 26, & 27.

Miles Caſtrenſis vigil, demiſſo dextro brachio, tecto capite galea, buculis utrinque pen-

pendentibus, sub mento religatis. Forte ille qui Num. 22. exhibetur, quod dextrum brachium erecto indice, imperantis more adtollit, Centurio est. Alter, qui sequitur eodem cultu, galea, clypeo & gladio insignis, ejusdem Centurionis optio est; ni potius ipse Centurio sit, quia gladium gestat, quo alter Num. 22. destitutus cernitur: quod aliis expendendum proporio; profecto discrimen hoc notatu dignum videtur. Ab his reliqui duo milites non nihil differunt minoris formæ clypeo armati, qui etiam galeatum caput non habent.

Fig. 28.

Miles Veteranus vigil, nudo capite, admota ad pectus dextra manu, amictus chlamyde, sagulo & tunica.

Fig. 29, 30. *& sequentibus.*

Militum subligacula: pedes induti caligis.

Fig. 33.

Miles Veteranus vigil, nudo capite, admota ad crus dextrum manu, brevibus manicis, eodem habitu corporis, ut alter Num. 28. expressus.

SEGMENTUM III.

EJUSDEM TABULÆ A. FASCIÆ I.

Fig. 34.

Scapha, seu fluviatilis navicula, quam duo gregarii milites cupis sive cadis posca plenis in militum usum recondendis exonerant.

Fig. 35.

Cupæ quinque poscâ plenæ pro potu militum, edito in loco positæ, & jam e scapha eductæ, ut recondantur.

Fig. 36.

Scapha frumento commeatuque adhuc onerata. Non longe a ripa ejusdem fluminis militum Castra speculatoria editiore in loco sita conspiciuntur. Medianum Castrum ante ostium porticu ad imbres vitandos munitur. Seorsim in principiis Templum (ni fallor) pluribus Columnis suffultum cernitur.

Fig. 37.

Temo Scaphæ acetariæ adligatus. Hinc quæ fuerit Castrorum forma, & dispositio, & quæ his conjuncta ædificia quadratis saxis exstructa, undique vallo munita, cernimus. Aliqua ex sequentibus ædificiis oppidum seu civitatem hisce Castris proximam designare videntur.

Fig. 38.

Scapha fluviatilis acetaria, adhuc exoneranda.

TABULA B. FASCIA I.

SEGMENTUM IV.

TRAJANI Augusti Exercitus profectio prima, sive trajectus ab una Istri ripa ad alteram a *Num.* 39. ad 59. cum ordine exhibetur.

Fig. 39, 40, 41.

DANUBII ante antrum suum ex undis pectore tenus emergentis imago. Caput habet arundine coronatum: vestis inferiorem corporis partem post pectus circumdat. Brachium dextrum extendit, dextrorsum verso capite, ut inde aquarum suarum cursum ostendat.

Fig. 42.

Aquarum valde adsurgentium maxima copia heic exprimitur: forte ut ostendatur

Da-

Danubium sexaginta amnibus minoribus augeri. Siquidem mille ducentis milliariis ab ejus fonte & aquarum cursu pervasis, dum per innumeras gentes labitur, demum immenso aquarum auctu septem ostiis per Thraciam rectâ in Pontum Euxinum fertur.

Fig. 43.

TRAJANI Exercitus e Castris prodiens, urbi vel oppido ad Istri ripam proximis, sua signa sequens ordinatim proficiscitur. Praeit omnibus Lucius Legatus Legionis, quem Aquilifer, Vexillifer & Signiferi sequuntur : mox reliqui Milites, primoque ordine Veterani post eum incedunt, omnes intecto capite.

Fig. 44.

Proficiscuntur singuli milites, & flumen trajiciunt operto capite, armati thorace, scuto, & dextrum latus gladio, & galea ex humero dextro ante pectus pendente. Scutum, quod tenent læva, quadratæ formæ est, variis insignibus ornatum, eademque manu hastam gerunt, in cujus apice cum aliqua valli sive lignei instrumenti parte, adligatæ sunt sarcinulæ refertæ cibariis, adligato etiam vasculo sive lagenula ad potandum, & sartagine ad cibos coquendos.

Fig. 45.

Scuta longiori forma quadrata, & introrsum arcuata ad corpus protegendum apta, variis insignibus nempe coronis, fulmine & alis aquilarum ornata.

Fig. 46.

Pons ligneus super Istrum scaphis fluviatilibus utrinque constructus, supertextis conjunctisque solida compage tabulatis; adpositis repagulis ac ferreis catenis continuatus, ut tuto exercitus ad alteram ejusdem fluminis ripam trajiceret.

SEGMENTUM V.

EJUSDEM TABULÆ B. FASCIÆ I.

Fig. 47.

Sed ut aliquo ordine, quod nec *Ciaconius*, nec *Bellorius* præstiterunt, primam hanc Exercitus Imperatoris Cæsaris TRAJANI in Dacos profectionem, & trajectum, qui ob duplicem ripæ prospectum tum a dextris tum a sinistris, duplici Schemate in hac Columna exhibetur, contemplemur; primum conjectis oculis in *Num.* 59. & 60. spectandus est ipse Exercitus Ductor & Imperator TRAJANUS, qui nudo capite pedes incedit, & omnibus iter ostendit. Eum duo ejus tanquam lateris protectores cum hastis comitantur: mox Equites ornati armis, hastis & chlamyde singuli equum ducentes sequuntur, diviti stragulo, ephippiis, frænis habenisque insignem. Post intervallum quoddam tum eos, tum Aquiliferum, Vexilliferum, & Signiferos antecedunt Præfectus Prætorio & Legatus Legionis, inceditque alter thoracatus, ornatus paludamento fusiore laticlavio, & baltheo, e quo ad lævum latus ensis pendet; idem Legatus libellos tenet manu sinistra, forsitan indiculum nominum & officiorum singulorum militum Equitum Peditumque; & converso paullisper ad eos capite, Centurionibus, Stratoribus & militibus sequentibus, quid agendum sit, indicere videtur.

Fig. 48.

Spectandi quatuor Signiferi, qui quamvis pedites, & in gerendis Exercitus insignibus occupati; tamen thorace amicti sunt, ad dextrum latus longiore gladio accincti, & ad terrorem hostibus incutiendum pro galeis, tectum caput habent leoninis pellibus, jubis supra collum & humeros profuse pendentibus. Quia cum his alii milites nihil gerentes intermixti sunt, Signiferorum, & Imaginiferorum optiones credi possunt, qui in vetustis lapidibus memorantur.

Fig. 49.

Signiferi duo insignia inter se simillima ferunt, hastam nempe, cujus in vertice in medio laureæ coronæ manus dextra expansis digitis locata est: postmodum unus post alium orbiculi quinque adjecti, in quibus imagines Deorum sculptæ erant, & plerumque etiam Imperatorum Cæsarum, ac præsertim Augusti, sub quo militabant. In

medio

medio incedunt a dextris Aquilifer, a finiftris vero Vexillifer; nam ille in fublimi haftæ vertice aquilam Romani imperii infigne aufpicatiffimum fert; alter vero parvum velum, five vexillum, quod poftea Labari nomen obtinuit. Hi quum præ ceteris, mox defcribendis, infignia minus ornata gerant, fufpicio mihi injecta eft, num potius ille, qui a dextris in extremo tabulati loco ftat, fit Tribunus Militum; alter vero a finiftris e regione, fit Legatus Trajani Cæfaris; qua in conjectura nihil definio, fed doctiorum calculum expecto: quod ne decernam, ipfa facit fimilitudo vultus; quod tamen vultus difcrimen Cl. Morellium adnotaffe video, quum aliquod, licet parvum, inter eos difcrimen adpareat; quod vix cognofces in Columna a Petro Sancte Bartolio delineata & aeri incifa.

Fig. 50.

Aquilifer, feu Primipilus contum ferens, in cujus vertice aquila, quam fecum ferebat, nondum repofita.

Fig. 51.

Videtur mihi, ut dicebam, hac imagine expreffus Præfectus five Tribunus militum. Eodem, ut ipfe Trajanus, veftium cultu exornatur. Sed cum fculptor hujus Columnæ exfcenfum exercitus ab una ad alteram fluminis ripam oftendere voluerit; crediderim easdem fere figuras ab eo repetitas; ac proinde hunc, qui praeit, effe vel Præfectum, vel Tribunum, vel etiam Legatum Legionis Auguftæ, expreffum tum in dextro, tum in finiftro fubftratarum navium tabulato, feu ponte.

Fig. 52.

Signifer haftam gerens, in cujus vertice imago vel Herculis, vel alterius Numinis fculpta eft. Sub hac imagine aquila in medio laureæ coronæ, mox Imagines Cæfarum, tituli, coronæ & donaria feu præmia militum conjuncta fequuntur.

Fig. 53.

Vexillarius haftam gerens ornatam vexillo, in cujus vertice globus, cui fignum Victoriæ cum palma & corona infiftit.

Fig. 54. & 55.

Ulterioris ripæ pons, five tabulatum, quod retinent fubftratæ fluviatiles fcaphæ; fingulis temo adligatus: in fine fulcra lignea, & repagula exftructa fpectantur.

Fig. 56. & 57.

Præcedunt exercitus infignia, ab Aquiliferis, Vexillariis, & Signiferis five Imaginiferis geftata; duo Cornicines five Aeneatores, qui & ipfi non galea, fed Leoninæ pellis exuviis caput & humeros tectos habent.

Fig. 58.

Equites thorace, ad dextrum latus gladio, & chlamyde ornati cum equis, haftam gerentes primi poft Trajanum incedunt. De equorum ornatu alibi.

Fig. 59.

Stragulum equi ornatiffimum.

SEGMENTUM VI.

EJUSDEM TABULÆ B. FASCIÆ I.

TRAJANUS Imperator, omnem Exercitum præcedens, ubi ad fuggeftum venit, eo confcenfo, fedens cum Legato, Tribuno, ceterisque Dacico bello Præfectis fimul adfidentibus, quid agendum fit, vel confulit, vel decernit. Hoc peracto ad Sacrum faciendum procedunt.

Fig. 60.

TRAJANUS thorace & paludamento infignis, finiftra manu confiftere exercitum; & Præfectis fuggeftum confcendere jubet.

Fig. 61.

Fig. 61.

Suggestum sectis lapidibus quadratis, cum sedili ejusdem operis, edito in loco exstructum.

Fig. 62.

Legato & Tribuno sedentibus in sellis castrensibus, Trajanus in lapideo sedili considens, quæ sunt gerenda consulit & decernit. Inter hos, & alios duos, quos descripsimus *Num.* 49. magnum in vultus lineamentis discrimen intercedit; nam illi barbati sunt, & libellum dextra tenent; hi vero prolixa barba destituti, & invicem colloquuntur. Alterum *Ciaconius* censet esse Lucium Legionum Præfectum; *Fabrettus* Lusium adpellat de Col. Trajani Cap. I. pag. 5. & 7. Sed hunc Trajano proximum, putat pag. 8. probabilius esse Consularem Virum Articulejum Paetum, cum quo Trajanus IV. suum Consulatum gessit; vel si magis lubet, referre posse conjicit Proprætorem Pannoniarum, finitimæ scilicet Daciæ Provinciæ, qui *eandem auctoritatem Trajano præsente, quam eo absente, retinebat* (ut Trajano solemne fuisse, ait Plinius in Paneg. Num. 165.) Alterum, qui a tergo Imperatoris, & inferiore loco sedet, Hadrianum esse putat, Trajani consobrinum, de quo multa adnotat, quæ ibidem vide.

Fig. 63.

Forsitan imago hæc refert Claudium Livianum Prætorii Præfectum, ut conjicit Fabrettus, loco citato.

Fig. 64. & 65.

Stantes Trajanum Imperatorem circumstant octo Legati militares, qui singulis Legionibus præerant; quibus locus in Tribunali, & circa sellam Imperatoris adsignabatur. Chlamydem ante pectus fibula adstrictam, reductam habent, contectis humeris, quam, quum iter agerent, vel pugnarent, rejiciebant. In figura postremi Legati, quæ in Schemate a Bartolio delineata est, haud perspicue adparet chlamys, quæ etiam in Schemate Morelliano aliquantulum ambigua est.

Fig. 66.

Imperatorem Trajanum proficiscentem ad bellum præcedunt ejus equi, aureis & sericeis stragulis ornati & phalerati, quos ducunt milites Cæsariani vexillum gestantes. A sinistris equorum adligati pendent clypei.

Fig. 67.

Primum hoc vexillum respicit Trajanum Imperatorem; alterum vero pertinet ad Præfectum primumque Belli Dacici Legatum Cæsaris. Arbores, quæ in itinere occurrunt, expressæ.

TABULA C. FASCIA I.
SEGMENTUM VII.

REbus gerundis in Dacico Bello decretis, ad rem divinam peragendam, lustrandumque Exercitum sacrificio, quod mactatis sue, ove & tauro, Suovetaurilia dicebatur, procedit TRAJANUS.

Fig. 68.

Sacerdotes laurea corona redimiti, rituque Gabino cincti, solemni Trajani Augusti sacrificio adsistunt.

Fig. 69.

Primus inter hos Sacerdotes, seu Sacrorum Ministros molam salsam adfert quadrulo impositam, cujus iconem accuratius exhibet Fabrettus de Col. Trajan. Cap. VI. pag. 166.

Fig. 70.

Alter Sacrorum Minister huic proximus vas lustralis aquæ defert manu dextra; sinistra forsitan, quæ non adparet, aspergillum, sive ramusculum tenet.

Fig. 71.

Popa laureato capite, seminudus & succinctus cum his adstat: ad quem victimas jussu Pontificis ferire spectabat.

Fig. 72. & 73.

Limus, genus vestis, qua Popæ utebantur victimas confecturi, ab umbilico, fascia cingente, e qua pendet vagina cum cultro, ad medias usque tibias defluens, & pudenda contegens; in extrema ora ornatus lima purpura.

Fig. 74.

Camillus puer, & ipse Gabino ritu cinctus, ad aram, in qua Trajanus sacrificat, adstat, simpulum dextra gerens, capite intonso, & corona haud redimito. Ad eum carmen & hymnos prænunciare in sacris pertinebat.

Fig. 75.

Tibicen, dum Sacrum peragitur a Trajano, tibiis de more occinit, & ipse laurea coronatus, intra imperatorium tabernaculum & principia, dum solemne sacrum celebratur, adstant Laureato capite quatuor Viri, qui quum diversis a Sacerdotibus vestibus amicti adpareant, forsitan censeri possunt Legati Imperatoris Trajani; ex his unus manifeste adparet prælonga amictus veste. Alter sinistra volumen tenet.

Fig. 76.

TRAJANUS AUGUSTUS ante imperatorium tabernaculum, sive Castrorum ambitum, linea Sacerdotali veste ad talos usque demissa, capite velato, sinistra volumen tenens, dextra pateram tenens, sacra fundit libamina in aram quadratam e lapidibus exstructam, & quidem prægaltam, in qua accensus ignis flammam adtollit.

Fig. 77.

Patera vel aerea, vel fictilis, qua lustrale Sacrificium perficit Trajanus.

Fig. 78.

Procedunt exercitum circumituri, ut lustretur; Popa, qui fune adligatum taurum mox mactandum tenet, & læva gerit securim, sive acierem qua hostiam feriat. Alteri Popæ seu Victimario similis est, & caput habet laureatum.

Fig. 79.

Vitta latior, seu dorsualis infula e dorso tauri utrinque pendens; qua, dum esset sacrificio destinatus, ornabatur.

Fig. 80.

Tauri lævum cornu fune ligatum tenet Popa. Pro majori Sacrificii & deductionis pompa ejus cornua inaurari solebant.

Fig. 81.

Sacrificulus laureato capite, Gabino ritu succinctus, ovem, sive arietem ducit. Taurum, ovem circumducendam præit alter Sacrificulus suem ducens, festiva fronde coronatum.

Fig. 82.

In Castrorum ambitu sinistrorsum, ut spectentur, & ab Exercitu divino honore colantur, humi fixa & erecta collocata sunt signa Legionum, titulis, scutulis, sive orbiculis cum protome Augustorum, aliisque ornamentis decorata. Tria illa, quæ ædificii imaginem cum pinnis referunt, forsitan ad milites Prætorianos spectant. Hæc inter insignia hastæ humi fixæ Aquila Legionaria imposita visitur, & ceteris altius vexillum. Hac illac tabernacula & tentoria pendentibus velis ornata conspiciuntur.

Fig. 83. & 84.

Dum circumducitur sus, ovis, & taurus, ut Exercitus lustretur, præeunt canentes Tubicines quatuor, & duo Cornicines, qui iisdem occinunt, & ipsi capite coronato.

SEGMENTUM VIII.

Ejusdem Tabulæ C. Fasciæ I.

PEracto sacro solemni ritu, mactatis Suovetaurilibus, lustratoque Exercitu, TRAJANUS, conscenso lapideo suggestu, milites adlo-

adloquitur, adſtantibus Signiferis Legionum & Cohortium, itemque Centurionibus, & munitis Caſtris ad bellum fortiter contra Dacos gerendum eos adcendit.

Fig. 85. & 86.

Antequam Bellum Dacicum adgrederetur TRAJANUS, captatis de more auſpiciis, contigiſſe, opinor, rem valde notabilem, quam vel ipſe vidit, vel relatam ab Auguribus & Haruſpicibus audivit; quam Sculptor hujus Columnæ haud prætermittendam duxit. Continet Symbolum alicujus rei tunc notæ, vel memorabilis facti hiſtoriam, quæ nobis Scriptorum commentariis deſtitutis omnino ignota eſt. Crediderim ex ea auguratos fuiſſe, irritos fore omnes Dacorum conatus, & de his proſtratis profligatisque Trajanum inſignes victorias relaturum; nam vir brevi tunica amictus, reliquo corpore nudus, a mulo, ſive aſino excuſſus, in terra jacet ad cribrum eidem ſuſpenſum, lævum brachium, & pedem adtollens, dextra clavam tenens.

Fig. 87.

Adlocutio Trajani ad milites e ſuggeſtu lapideo. Dextram concionantis more adtollit, ſiniſtra volumen tenet, in quo forſitan ſcripta Legionum & Cohortium nomina, eorumque Præfectorum, Centurionum, eorumque omnium, qui iisdem præerant. Trajanum ſtantem ſtantes circumſtant quinque ejus Legati, vel e primoribus militum Præfectis, qui thorace & minus laxiore chlamide amicti ſunt; omnes vero aperto capite. Ex his unus, qui a dextris proxime Trajanum comitatur, amictu ſuo a reliquis differt; forte quia Subpræfectus. Tres poſtremi ſive Legati, ſive Præfecti Cæſaris inter ſe invicem colloquuntur.

Fig. 88.

Habes ſculptum Suggeſtum ſectis quadratis lapidibus exſtructum, cujus figura in Numis vix tam bene conſpici poteſt.

Fig. 89.

Adlocutioni Trajani adſunt tres Signiferi, caput & humeros leoninis vel urſinis pellibus contecti, qui Legionum ſigna manibus geſtant; ni potius, quia hæc ſigna minus ornata ſunt, nec Aquilæ, nec Cæſarum, nec Deorum imagines & titulos habent, velimus Cohortium eſſe inſignia, quod aliis dijudicandum relinquo.

Fig. 90. 91. 92.

Milites hi galea tectum habent caput, thorace induti, intentique Trajanum adloquentem audiunt, parati promptique ad bellum gerendum. Scuta eorum quadratæ formæ ſunt, introrſum recurva, ut corpus contegant, picta ornataque variis digmatis, nempe fulminibus, coronis, aſtris, &c. quæ ipſis convenirent, iisdemque dignoſcerentur.

SEGMENTUM IX.

EJUSDEM TABULÆ C. FASCIÆ I.

AUdita TRAJANI adlocutione, Milites muniendis Caſtris ſedulam navant operam, ligneum pontem flumini trajiciendo exſtruunt; aliique vigiles eadem Caſtra tuentur.

Fig. 93.

Miles ſecuri ingentes arborum truncos in fruſta conſcindit, ac ſecat, quo facilius commilitones in Caſtra convehere, & traſportare queant. Heic majori ſchemate, quum ſint delineata Caſtra Militum, quæ fuerit eorum figura atque ſtructura, conſpicimus. Notandum anguſtum oſtiolum, & ſuperior ſpecula. Duplicem ordinem habent, inferiorem & ſuperiorem, quo facilius milites adire, muniendisque operam dare poſſent. Pinnulæ etiam obſervandæ, quæ eleganti coronidi imminent. Superiorem quoque partem, ſive adjunctum, ordinem anguſtum oſtiolum habuiſſe cernimus. Caſtra edito in loco ſita ſunt, & foſſa circumvallata, neque etiam inter ſe continuata, ſed horum partem unam ab altera ſejunctam habent.

Fig. 94.

Miles cophino onuſtus, in ſuperiorem Caſtrorum ordinem defert; quem exonerat alius miles. Cophinum calce plenum conſtruendis munimentis Caſtrorum conjicimus.

Fig. 95.

Milites ſigna & trabes ad murorum Caſtrenſium fabricam vel munitionem comportant: ex his unus ſicam ſive parvum gladium ad latus dextrum habet.

Fig. 96.

Alii milites calcem in cophinis congeſtam ad ferendum ſe comparant; alii lapides ſectos quadratos gerunt, & comportant; alii proſciſſos arborum truncos in humeris ferunt.

Fig. 97.

Duo milites ex Veteranis vel Centuriones ante Caſtra, prope fluminis ripam, armati galea, clypeo, & gladio, ſtantes excubant. Humi ſepoſitum ſcutum, in quo pictum fulmen, cui adnexa eſt galea. In Bartoliana Trajanæ Columnæ delineatione Tab. IX. non duo ſed tres milites Vigiles ſculpti ſunt; & ut Pictorem erraſſe pateat, notandum eſt, duos tantum exhiberi in priore Trajanæ Columnæ editione, quam Ciacconius protulit, & illuſtravit.

Fig. 98.

Pons ligneus ad trajiciendum flumen exſtructus, cancellato opere, tignis inter columnas in angulum compaginatis, & trabibus ſubfultus.

Fig. 99.

Architectus fabris lignariis operas indicens, dum alter miles malleo aereis clavis trabes configit, ut inter ſe firmius cohæreant.

TABULA D. FASCIA I.

SEGMENTUM X.

TRAJANUS, comitantibus duobus Legatis, ſive Præfectis, ſive Tribunis militum, Caſtrorum munitiones, & reliqua fabrilia opera jam abſoluta obſervat ac perluſtrat; novas munitiones indicit.

Fig. 100.

Militum, qui muniendis Caſtris incumbunt, ſcuta ſeorſim humi ſepoſita, e quibus galeæ eorum pendent. Scutorum inſignia ſunt fulmina utrinque alata, & coronæ. Non longe flumen præterlabitur.

Fig. 101.

Caſtrorum ſuperiora editiore in loco exſtructa moenia pinnis ornata, intra quæ tabernacula tria velis pendentibus ornata conſpiciuntur. In his manſiones Trajani Cæſaris & Legatorum, ac Præfectorum ejus, ſectis lapidibus quadratis mira elegantia & ſymmetria. Caſtra tum externa, tum interna, utraque concinna coronide & pinnis ornata atque exſtructa, ſpectanda ſunt. Interim alii milites terræ, ſeu potius calcis cophinos educunt, & in humeris deferunt; alii ſectos quadratos lapides convectant, vel tradunt, vel conſtruendos accipiunt. Singuli pedes caligis munitos habent, thorace amicti, ut minime dubitandum ſit, Milites fabriles artes in Caſtrorum munitionibus & pontium extructione exercuiſſe, rejectis Fabris murariis, & lignariis, quos alii commenti ſunt. Caſtrorum amplitudinem, latiſſimumque ſpatium ſculptæ intra eadem Caſtra proceræ arbores indicare videntur.

TRAJANUS medius inter Legatos duos, ſive Tribunos ac Præfectos cum ipſis loqui videtur, volumen gerens ſiniſtra manu; vel probat abſolutas Caſtrorum munitiones, vel alias iterum jubet faciendas; cum Trajano, tum Legatis adſimilis ornatus.

Fig. 102.

Miles fabrilibus operibus præfectus, quid agendum ſit, indicat. Duplici veſte amictus eſt adſtricta; in manicis, & in extremis oris ſegmentata, & fimbriata. Circa ejus collum amiculus, quem alii ſudariolum cenſent, ad pectus religatus pendet.

Fig.

Fig. 103.

Flumen inter utraque Caſtra præterfluere cernimus, Caſtrorum circuitus ſpectatur, intrinſecus quoque adparentibus quadratis lapidibus, quibus exſtructa ſunt. Intra duo quoque tabernacula ſive tentoria ſpectantur.

Fig. 104.

Aditum Caſtrorum tres Milites Prætoriani ſeu Centuriones, ſeu Veterani vigiles cuſtodiunt, ſublato ſurſum brachio, & indice dextræ manus, vigilantiæ teſtem, ſiniſtra depoſitum humi ſcutum, quorum digma eſt aligerum fulmen, retinentes. Singuli thorace armati, & gladio ad dextrum latus e baltheo propendente accincti, galeatum habent caput. Singuli etiam ſiniſtrorſum reſpiciunt, & nova opera, quæ parantur ad Caſtra munienda, ſedulo obſervant.

Retro poſt Caſtrum duo milites proſciſſum arboris truncum in humeris ferunt: dum interim alius miles ligone terram fodit circa arborem, ut evellat, vel diſcindat.

Illud notandum, ad ornatum & Caſtrorum dignitatem declarandam impoſita arboris trunco arma, nempe galeam & thoracem, velut in ſimilitudinem tropaei. Neque vero ſchema iſtud mihi militem referre videtur: quod tuto non definio; ſed aliis enucleatius expendendum relinquo.

SEGMENTUM XI.

Ejusdem Tabulæ D. Fasciæ I.

TRAJANUS altero ex Legatis comite, ſeu Præfecto Praetorii, milites aliquot expeditos, exploratores in hoſtiles fines mittit, ut de eorum ſtatu, & quid hoſtes Daci moliantur, cognoſcat. Volumen ſiniſtra gerit; dextra vero ſublata, apertaque, militum opera, quæ fiunt paranturque, vel urgere, vel probare innuit.

Fig. 105.

TRAJANUS caſtrenſibus armis, & fuſiore paludamento inſignis, edito in loco ſtans, comite vel Prætorii Præfecto, vel Legato, milites in proxima ſilva vel cædentes arbores, vel cæſas ad Caſtrorum & pontium muniones portantes vel urget, vel laudat, miſſis interim militibus aliquot expeditis ad hoſtium fines, & molimina eorum exploranda.

Fig. 106.

Pons ligneus, conſtratus trabibus, duplici ordine, majore & minore, decuſſatis, & clavis ſuffixis, ut milites ex una in alteram fluminis ripam trajicerent, & materias Caſtris muniendis commode atque opportune transferrent.

Fig. 107.

Via, quæ a Caſtrorum porta uſque ad flumen ducit; ad cujus fluenta miles adaquatum deſcendit, & Lagenula aquam fluviatilem haurit.

Fig. 108.

Edito in loco ac ſalebroſo Caſtra Prætoria majora quadratæ formæ ſita conſpiciuntur, pinnis, & quadratis turribus in medio & in angulis munita, cum duplici porta, ut *loricata* cum Ciacconio dici poſſint.

Fig. 109.

Milites in ſilva, Caſtris proxima, partim ligna cædunt, partim in eadem Caſtra comportant, & majora ac graviora, ut minus gravate ferant, fune conligata, ex vecte in humeris delato pendentia transvehunt.

Fig. 110.

Pons ligneus minor Caſtris proximus, in uſum Caſtrenſium militum Fabrorum, tignis intra alveum defixis, cancellisque decuſſatis exſtructus, & ſuperne tabulatis conjunctis continuus, qui tertius eſt, ad hanc fluminis ripam occurrens.

Alii milites ingentes arbores magna vi ſecuribus percuſſas exſcindunt ac dejiciunt.

SEGMENTUM XII.

Ejusdem Tabulæ D. Fasciæ I.

CÆsis e proxima Castris Silva arboribus, TRAJANUS, tribus comitantibus Rei Bellicæ Præfectis, inter quos Præfectum Pretorii & Centurionem adesse crediderim, urget opera celerius conficienda, & interim Castra, quæ vallo muniri circumquaque jussit, alacrius perficiuntur.

Fig. 111.

Mulus cum clitellis, a gregario milite mulione ductus, ad onera transvectanda, qui sculptus videtur, ut ostendat operum a Trajano jussorum, eo urgente, celeritatem.

Fig. 112.

Miles muniendis circumvallandisque Castris præpositus, qui in eorum angulo majorem regulam, sive modulum mensorium tenet.

Fig. 113.

Trajanus, ut diximus, comitantibus tribus, quos inter Prætorianos milites primos, vel Centuriones crediderim, instat operi, & celerius Castrorum munitiones, & vallum urget, & si quid videt minus recte dispositum, in melius corrigendum præcipit. Miles lignarius ante Imperatorem aliquid forsitan sibi indicentem, flexo sinistro genu adorat; nec inter hæc arboris truncum e manibus deponit.

Fig. 114.

Valli pars non parva jam confecta ostenditur. Intra vallum fœnilia seu palearia in pabulum equorum inclusa, quo munitiora & tutiora ab hostium insidiis forent. Vallo jungitur pons ligneus super flumen alia structura fabrefactus; nam ponticulis tigneis impositus est, decussatis superne repagulis. Inde facilior pabulorum & commeatuum in Castra transvectio.

Fig. 115.

Milites speculatores, sive stipatores & custodes corporis Trajani Augusti ipsum circumstant, quorum unus sublato dextro brachio iisdem antestat.

TABULA E. FASCIA I.

SEGMENTUM XIII.

TRAJANO AUGUSTO urgenti Castrorum munitiones, explorator Dacus vi captus adducitur.

Fig. 116.

Milites ante Trajanum Cæsarem sistunt Dacum exploratorem vi captum, manibus post terga revinctis, quem arcana hostium consilia & molimina exponere cogunt. In utroque jam edito Trajanæ Columnæ Schemate non unus, sed duo Daci exploratores barbati ad Trajanum adducuntur; Morellius unum tantum expressit.

Fig. 117.

Pons ligneus quintus, quem milites conficiunt. Inter hæc alacrius & celerius Castrorum munitiones fiunt: alii cæsa ligna comportant & aptant, infiguntque; alii lapides cædunt, calcem præparant, & devehunt; alii muros ducunt, eos spectante Trajano & urgente.

Fig. 118.

Calcaria sive Arenaria, e quibus calx sive arena extracta, oppletis cophinis ad muros extruendos comportatur.

Fig. 119.

Intra munitiones Castrorum stat vel Trajanus Augustus vel ejus Præfectus bello, quo celerius,

celerius, ejus urgente præſentia Fabri operas conficiant. Adeſt miles, qui duobus tigillis ſeu fuſtibus utroque in humero ſuſpenſis advehit lapidem, eoque ab aliis intra munitiones exoneratur.

SEGMENTUM XIV. & XV.

EJUSDEM TABULÆ E. FASCIÆ I.

MUnitis Caſtris, TRAJANUS CÆSAR pedites equitesque ad bellum contra Dacos proficiſci imperat.

Fig. 120.

Galeæ militum impoſitæ ſudibus humi defixis, & pone ſcuta fulminis digmate, ſive inſigni ornata.

Fig. 121.

Equi Cæſaris aquatum ducti: inſtantis profectionis celeritas oſtenditur, dum munitiones perficiuntur.

Fig. 122. *&* 123.

Ad Prætoriam Portam excubantibus Prætorianis militibus, ex ea egreſſus equitatus & peditatus, ad dimicandum proficiſcitur.

Fig. 124.

Pons ligneus ſextus, Portæ Prætoriæ proximus, ſuper fluvium conſtructus, per quem equites & pedites e caſtris egreſſi trajiciunt, cum adpropinquantibus hoſtibus congreſſuri.

Fig. 125.

Equitum ad bellum proficiſcentium qui fuerit ornatus, quæ arma, quæ equorum ornamenta paucis hiſce figuris oſtenditur. Thorace induti ſunt, capite galeam ferunt, dextra clypeum.

Fig. 126.

Proficiſcentem exercitum ordine præcedunt milites Aquiliferi & ſigniferi; deinde milites reliqui galeis & ſcuto armati, adeoque gravis armaturæ.

Fig. 127.

Aquiliferi Legionis imago. Quod unus Aquilifer procedat, cenſet *Ciaconius* unam heic exhiberi Trajani Legionem ad bellum proficiſcentem. Sed illud obſervandum, quod, quum in tam anguſto ſpatio aliæ Legiones, quæ ad bellum ductæ ſunt a Trajano, ſculpi non potuerint, paucis his militibus totum exercitum deſignari. Forte hæc eſt Legio I. quam Vuolfangus Lazius Commentar. Reip. Rom. Lib. V. cenſet, ab Trajano abductam fuiſſe e limine Rheni. A longe edito in loco relicta Caſtra indicantur.

TABULA F. FASCIA I.

SEGMENTUM XVI.

PRælium atrox commiſſurus TRAJANUS cum Dacis, eorum inſidiis primum occurrit, cæſa ſilva.

Fig. 128.

Progredienti ad bellum Dacis inferendum Trajani exercitu, ne impedimento eſſet, denſiſſimam ſilvam ſuccidi jubet a militibus, ne intra eam hoſtes ſe abdere poſſent, & ex inſidiis prodeuntes, copias intercipere.

Fig. 129. *&* 130.

In pedeſtres Dacos pugnantes, primo congreſſu, pedeſtres Romanos milites immittit Trajanus, mox, ut inſequantur Equites, jubet. Alii milites, quos Legionum quatuor inſignia præcedunt, parati ad bellum inferendum, juſſa Imperatoris expectant.

SEG-

SEGMENTUM XVII.

Ejusdem Tabulæ F. Fasciæ I.

EX edito loco non longe a Castris spectante Trajano una cum Legato sive Præfecto, cruentum cum Dacis bellum committitur, & favente ac propitio Jove Romanus exercitus victoria potitur.

Fig. 131. 132.

Plurimi e Dacis clypeo, ensibus, & balistis pugnantes, cæsi victique corruunt. Romani Equites interim obtruncata Dacorum capita efferunt, & Trajano prælium spectanti, & ad cædes acriter hortanti ostendunt. Alius miles dum pugnat, cædemque Dacis minatur, ut eos terrore conficiat, abscissum caput Daci, e capillis pendens, ore apprehensum retinet, & ostentat.

SEGMENTUM XVIII.

Ejusdem Tabulæ F. Fasciæ I.

JOve Romanorum partes fovente, Daci cæsi victique a Trajani exercitu sunt. Trajanus cum Præfecto in acie consistens cruentum prælium spectat, &, parta victoria, præmia decernere videtur.

Fig. 133.

Jupiter ante congressum hostium in auxilium vocatus a Romanis, Sacrisque cultus, ut suo numine victorem faceret Trajani exercitum, in aëre adparens fingitur, dextra hastam contra Dacos intorquens, eosque irato ac truci vultu contuens. Amiculo supra caput volitante expressus est. Recte Morellius Jovis Auxiliatoris numen expressit; nam pectus ejus eodem amiculo revinctum adparet, quod ad lævam & supra caput vento adtollitur. Non satis accurate exhibetur in schemate adlato a Petro Sancte Bartolio; nam Bellorius sub Jovis pectore non nubes, sed aquarum undas cognoscit. Ciaconius quoque nimium ingenio suo indulgere videtur, qui facile etiam ea imagine exhiberi quoddam simulacrum Solis autumat, ac per hoc significari tempus & horam, quibus victoria parta est, nempe post meridiem; quum Sol a meridiano versus occiduas partes ita incipiebat declinare, ut Dacorum oculos sua acie perstringeret, & quasi excæcaret, Romanis autem lumine averso faveret.

Fig. 134.

Dacis adversus Romanos dimicantibus, eorum exercitus insignia, vexillum nempe & Draco in piscem desinens, non delata, sed contis imposita, & humi defixa spectantur.

Fig. 135.

Daci juvenis corpus semianime ex acie in castra defertur cum moerore, ut sepulturæ honorem obtineat. Quæ sint præliantium Dacorum vestes heic spectantur, de quibus infra.

TABULA G. FASCIA I.

SEGMENTUM XIX.

SUperatis Dacis, Trajani Exercitus ultra progreditur, flumen tranat. Daci, qui e pugna superfuere, territi, silvarum latebras petunt, vel fugiunt.

Fig. 137.

Vallum Romani Operis edito in loco exstructum: extra illud spectantur hastis infixa cæsorum militum calvaria, ad terrorem incutiendum. Prope sitæ sunt speculæ, signa quoque Labarus, & Draco. *Ciaconius* censet ea esse insigniorum Dacorum hostium capita hastis adfixa: *Fabrettus* vero conjicit, quod ea capita exsiccata sint, & ea esse militum, quibus olim Fuscus exutus fuerat, quem vide de Col. Trajan. Cap. I. pag. 18.

Fig.

Fig. 138.

Daci bello profligati, metu perculſi, qui e pugna ſuperfuerant, fuga ſibi conſulentes, in ſilvas & loca tuta ſe abdunt.

Fig. 139.

Romanus miles victoria lætus, fluvium tranat; quem nec Dravum nec Tibiſcum Fabrettus cenſet, de quo ibidem Cap. II. pag. 26. & 27. exploſo Ciacconii & Bellorii judicio.

Fig. 140.

Fluvium tranaturi Romani milites, ubi aquæ profundiores ſunt, exuti, arma & veſtes ſcuto imponebant, & gerebant capite fulcientes, & utraque manu tenentes, donec ad alteram fluminis ripam pervenirent. Signiferi ſuper humeros ſigna trajiciebant.

SEGMENTUM XX.

Ejusdem Tabulæ G. Fasciæ I.

DUm TRAJANUS milites ſuos ex ſuggeſtu adloquitur, Barbari ſive Daci, ſive iisdem finitimæ gentes, miſſis Legatis, inducias vel pacem ab Imperatore poſtulant.

Fig. 141.

Stans in ſuggeſtu Trajanus Auguſtus hinc inde Præfecto & Tribuno adſtantibus, exercitum adloquitur, eumque audientibus Signiferis & Prætorianis militibus, caſtrametationem indicit. Ipſe Imperator dextram, adloquentium more, protendit; ſiniſtra pilum, ſive haſtam gerit.

Interim Trajanum adeunt Legati duo, equo vecti, duoque pedeſtres, quos Fabrettus Cap. I. pag. 15. & 16. non Dacos, ſed fortaſſe Suevos eſſe autumat, quibus ex Tacito de morib. German. in more poſitum obſervat, horrentem capillum nodo in vertice religare, adjecto eorum majoris formæ iconismo. Plane eum habitum Dacis minime convenire pluribus oſtendit idem Fabrettus; adeoque Dacos, eorumque Legatos pacem petentes a Trajano, hoc in loco expungit.

Fig. 142.

Potius quam Dacorum, Suevorum Legati Fabretto cenſentur, qui ſibi conſulentes Trajanum Auguſtum adeunt, ab eo patrocinium, & præſidium implorant, ſuamque nationem Dacis inimicam eſſe teſtantur, Dalmatiæ ac Pannoniæ proximam. E contra Ciacconius & Bellorius Dacorum Legatos a Trajano exceptos cenſent, qui nil tamen ab eo impetrarunt, præter bellum & cædem, quam concuſſa haſta indixiſſe videtur.

Fig. 143.

Dum Trajanus, auctis novo milite Caſtris Prætoriis, ad bellum ſe parat, aliæ Dacis finitimæ gentes ac nationes, ad pacem, opem, & amicitiam poſtulandam Legatos pedeſtres mittunt, quos idem Trajanus excipit; ſed ipſis quoque, ſi cum Dacis fœdus ineant, bellum & cædes minitari videtur, ſiniſtrâ gladii capulum adtollens.

SEGMENTUM XXI.

Ejusdem Tabulæ G. Fasciæ I.

ROmani milites, Trajano jubente, rurſum Dacos adgrediuntur, cruentoque commiſſo bello, vel eos interimunt, vel in deſperationem ita adducunt, ut armenta & pecora omnia ſua interficiant, ne viventia in poteſtatem & utilitatem hoſtium veniant; coganturque in præcipitem fugam ſe dare, atque omnia pro ſua ſuorumque ſalute moliri.

Fig. 144.

Occiſa a Dacis armenta & pecora ſpectantur, quæ in caulis erant.

Fig. 145.

Trajanus, adstante belli Præfecto, victis Dacis, cruentoque bello profligatis interemtisque, clementia motus, clamores Dacarum mulierum & gemitus audit, iisdem pueros ac natos ostentantibus parcere Romanum militem jubet. Interim Daci equo vecti, accensis facibus, ut omnia perdant, ac vastent, excurrunt.

TABULA H. FASCIA I.

SEGMENTUM XXII.

FUga sibi consulentes Daci, dum flumen trajiciunt, equites partim aquis merguntur, partim incolumes ad alteram fluminis ripam enatant. Draconarii duo superstites signa draconum adservant. Equites Sarmatici in subsidium Decebali Dacorum Regis veniunt. Oppidum Romanorum, milite munitum, & occupatum, obsidione cingunt, adgrediuntur, & evertere nituntur.

Fig. 146.

Draconarii duo superstites reliquias Dacici exercitus agunt per loca aspera & montuosa, paucis sequentibus summo moerore adfectis. Dacicus equitatus partim fluminis aquis profundioribus mergitur, partim, aliis juvantibus, ad alteram fluminis ripam incolumis trahitur.

Fig. 147.

Equites Sarmatici cum Romano milite, qui castris & oppido Dacorum potiti fuerant, congrediuntur. Toto corpore, equisque, squamatis loricis undique contectis, armato capite, galeis in conum seu cuspidem quamdam desinentibus, subsidium desperatis Decebali Regis rebus adferunt.

Fig. 148.

Munitam urbem & Castra a Romano exercitu occupata, Decebalus Rex Dacorum, reliquiis suorum militum conlectis, auctisque, Sarmatico equitatu opem ferente, obsidione cingit.

SEGMENTUM XXIII.

Ejusdem Tabulæ H. Fasciæ I.

URbem, quam Romanus miles occupaverat, obsidentibus Dacis, advecta opportune annona Trajanus tuetur.

Fig. 149.

Romani milites acriter se tuentur, jaculatis pilis missilibus in obsidentes Dacos. Varia scutorum digmata & emblemata.

Fig. 150.

Daci obsessæ urbis muros ariete concutiunt, ut evertant; interim alii in eos, qui urbem tuentur, sagittas jaculantur; non paucis Dacis humi fusis prostratisque, cernitur urbis altera pars multis ædificiis ornata, quæ forsitan est Regis Decebali regia vel aliqua ex primoribus urbibus satis munita. Quonam modo Daci usi sint in mœnibus evertendis ariete, heic cernitur. Arietis aheneum caput cum trabe a pluribus vi agitatum, de quo vide Fabrettum pag. 216.

Fig. 151.

Obsessis dira obsidione Romanis, præsto sunt navigia frumento in saccis adligato onusta; quod interim milites educunt, vel eductum in humeris ferunt, jubente Trajano, qui sollicite id faciendum imperat, ut fame laborantibus opportune subveniant.

SEG-

SEGMENTUM XXIV.

Ejusdem Tabulæ H. Fasciæ I.

TRAJANUS in proximam Romani populi Coloniam intrat deducto exercitu; dum ſubſidia obſeſſis mittuntur, adlocutionem habet ad milites. Prope Coloniam illam ſpectatur pulcherrimi operis Amphitheatrum. Forſitan ſculptor indicare voluit a Trajano edita ſpectacula quædam, in victoriæ, quam de Dacis obtinuerat, monumentum.

Fig. 152.

Trajanus Coloniam ingreſſus, quæ ad eam tutandam, & obſidione liberandum oppidum, faciant, declarat, adſtantibus primoribus Ducibus & Signiferis.

Fig. 153.

Copioſo commeatu advecto, trajectoque biremibus & liburnicis forſitàn Iſtro, læti adpellunt milites, atque egreſſi Imperatorem ſequuntur, & audiunt.

Fig. 154.

Triumphalis Porta, ſive Arcus, cum triumphali quadriga, quamvis ſculptor, loci anguſtiis excluſus, non bene eam expreſſerit. Fabrettus Col. Trajan. Cap. III. pag. 62. repræſentari quadrigam triumphalem cenſet, qua jam Trajanum, etiam ante Dacicum triumphum, decoratum fuiſſe oſtendit ex nummis.

Fig. 155.

Præter commeatus vecti quoque equi ad equitatum augendum: nam cum Dacis copias ſuas jungebant Sarmatæ.

Fig. 156.

Ad vires hoſtium conterendas novi milites advecti longioribus per Iſtrum ſcaphis: advecti quoque clypei, thoraces, & arma omnis generis. Navarchus puppi inſidens, clavo navim gubernat.

TABULA J. FASCIA I.

SEGMENTUM XXV.

OPpido, novo militum præſidio, commeatu, armiſque aucto, Dacorum dira obſidione ſuperata ac repulſa, TRAJANUS poſtquam novos Milites ac Veteranos ad ſtrenue bellandum adlocutione hortatus eſt, iterum contra Dacos eorumque ſocios Sarmatas hoſtes prodire alacres jubet; ipſe vero eques exercitum præit.

Fig. 157.

Scapha commeatu armiſque militaribus, nempe clypeis & galeis onuſta, exoneratur.

Fig. 158. & 159.

Trajanus oppido & urbe novo præſidio munita, ne in hoſtium poteſtatem veniret, ex ea copias ſuas in hoſtiles agros educit, equitatum & peditatum in acies ac turmas diſtribuit: ſine ſignis tamen procedit, & cum hoſtibus congreditur, adſcitis militibus vel fœderatis Germanis, vel amicis aut vectigalibus Populi Romani, qui clavis armati nudo pugnant corpore.

SEGMENTUM XXVI.

Ejusdem Tabulæ J. Fasciæ I.

TRajanus Equitum decuriis in hoſtes inmiſſis, Sarmatas Dacis junctos inſequitur, ipſe reliquum exercitum eques præit.

Fig. 160.

Trajanus equo vectus adversus hostes contendit, minaci vultu sinistra ensem adtollit, dextra hastam intorquet. Imperatorem subsidiarii equi ephippiis & phaleris ornati a militibus ducti sequuntur.

SEGMENTUM XXVII.

EJUSDEM TABULÆ J. FASCIÆ I.

TRAJANUS inmissis in hostes Equitum Decuriis, primo impetu Sarmatas sagittarios fugat, prosternit, interimit, auxiliante Diana; cujus Numini addictum, vota sua pro victoria concepisse subspicari possumus.

Fig. 161.

Sarmatici Equites, Dacis finitimi & auxiliares, pugnant contra equitatus Trajani decurias, sed caesi fugatique funduntur. Iidem Sarmatæ præalta galea armati arcubus & sagittis utuntur, armati toto corpore compactis e squamis loricis. Quod vero Sarmatæ e Scythica natione fuerint, Trajanum tam de Dacis, quam de Scythis triumphasse, auctor est Cassiodorus in Chronico.

Fig. 162.

Diana Trajano propitia adparet, velamen utraque manu tenens circa caput expansum. *Ciacconius* atque ex eo *Bellorius* Dianæ seu Lunæ, seu Auroræ imaginem esse censent, quod Trajanus vel noctu, vel certe sub matutinum crepusculum cum hoste conflixerit. Fabrettus vero, etsi hæreat, Dianæ tamen, quam Trajanus coluit, Simulacrum referre opinatur, quem vide de Trajan. Col. Cap. IV. pag. 102.

Fig. 163.

Daci nudo corpore, infra braccis contecto, contra Romanos pedites clavis acriter pugnant.

TABULA K. FASCIA I.

SEGMENTUM XXVIII.

TErtio conflictu profligati Daci, ac Sarmatæ cæsi sunt. Romani victores hostium armis & subsidiis potiuntur: barbaros non paucos cruciatibus perimunt: aliis fugientibus, senes ac matres cara pignora complexæ ad TRAJANUM confugiunt, saluti suæ suorumque consulentes

Fig. 164.

Dacorum signa, dracones & clypei in Romanorum potestatem adducuntur; interim super cæsa Dacorum cadavera transvehuntur, his ad rotam adligato ex hostibus cadavere, ut terrorem incutiant, dum interim Daci cum Romanis præliantur.

Fig. 165.

Desperata salute & rebus infelici exitu adflictis, parentes senio confecti, nepotes, matres filios in humeris, & sinu gestantes, opem & incolumitatem orantes, ad Trajanum confugiunt, qui eis clementiam suam ostendit.

SEGMENTUM XXIX.

EJUSDEM TABULÆ K. FASCIÆ I.

FUsis fugatisque ac cæsis tertio conflictu Dacis, eorumque Sociis Sarmatis, TRAJANUS novam imperat castrorum munitionem; cui operi dum urgens adsistit, primores Dacos se se dedentes recipit, & protensa dextra salutem exhibet; spectaculo miseratione digno,

digno, ad eum confugiunt Daci ſenes pueros bajulantes, & matres filios ſuos ſinu complexæ, ſeque ſuosque dedentes, ſalutem poſcunt, clementiam Victoris implorant. Inter hæc captivi Daci ad Trajanum ducuntur; & Romanorum militum vulnera curantur.

Fig. 166.

Oratores Daci, a Decebalo Rege miſſi ad Trajanum, ſe dedunt, & ſalutem implorant, quam Trajanus expanſa prolataque dextra manu aut dare, aut promittere videtur, hinc inde adſtantibus belli Ducibus, ſive Præfectis.

Fig. 167.

Sculptoris ingenio tribuit Fabrettus Cap. IV. de Col. Trajan. pag. 93. vallum, & tribunal, ſive caſtra hæc e quadrato lapide exſtructa; quod opus temporarium fuiſſe videtur. Hibernacula forſitan ſignificantur; nam materia, cædente Lapicida, & calx commixta cernitur.

Fig. 168.

Dacorum primores captivi e pugna abducti, manibus loro poſt terga revinctis.

Fig. 169.

Dum victores Romani exercitus milites ad præſidia ſe recipiunt, alii ex his vulnerati, aut ægrotantes curantur, vel carrucis vehuntur; Trajani vero in milites ſuos pietas maxime effulget, qui eos præit.

SEGMENTUM XXX.

Ejusdem Tabulæ K. Fasciæ I.

TRAJANO, victorem militem præeunti, Dacus explorator captivus adducitur, a quo ut audivit, Decebalum Regem novum inſtaurare bellum, illico in hoſtes delectos milites ſuos inmittit, committiturque teterrimum bellum.

Fig. 170.

Currus cum bellicis machinis & baliſtis in hoſtes mittuntur; dum interim Trajanus a captivo Daco exploratore novum a Decebalo Rege parari bellum audit. Mox Equitatu Peditatuque Romani exercitus contra Dacos hoſtes incurrente, atrociſſimum committitur bellum.



TABULA A.

FASCIA II.

SEGMENTUM XXXI.

REpentino bello cruentiſſimo Dacos premit TRAJANUS, immiſſo in eos equitatu peditatuque. Daci magna cæde profligati concidunt.

Fig. 171.

Romanus miles proſtratum Dacum apprehendit, forſitan ut captivum abducat.

Fig. 172.

Varia clypeorum Dacii exercitus digmata notatu digna ſunt. Quarto conflictu ſuperati a Romano exercitu Daci corruunt; alii captivi ad Trajanum perducti, alii cæſi, interemptique. Quum frequentes arbores cernantur, conjicere poſſumus, Romanum exercitum Dacos inſectatum eſſe, qui fracti altero bello ſilvarum latebras petierant, ut ſaluti ſuæ conſulerent; adeoque continuationem eſſe primi belli.

SEGMENTUM XXXII.

EJUSDEM TABULÆ A. FASCIÆ II.

VIctorem Romanum exercitum, ejusque virtutem TRAJANUS AUGUSTUS e ſuggeſtu laudat, navatam egregia animi viriumque fortitudine operam commendat; præmia & congiarium pollicetur. Primores Daci in bello capti Romam in triumphum perducendi in Caſtris cuſtodiuntur.

Fig. 173.

Trajanus ex edito loco, adſtantibus Ducibus ſuis, Dacico bello Præfectis, Romanum exercitum victorem laudat, quod inſignem de hoſtibus victoriam ſit conſecutus; grates agit, & congiarium pollicetur.

Fig. 174.

Quadratis lapidibus munitum Caſtrum ſpectatur, in quo fida militum cuſtodia primores Daci bello capti, Romam perducendi ad ornandum Trajani triumphum, adſervantur.

Fig. 175.

Prætoriani milites Caſtrum munitum, in quo captivi Daci ſervantur, cuſtodiunt. Haud procul Romanus miles quidam in commilitonis amplexum & oſcula ruit, lætus quod inſperato ſuperſtitem videat, quem mortuum crediderat; vel quod digna virtutis præmia a Trajano ſit conſecutus. Plures ſiquidem milites in antiquis ſaxis memorantur militaribus donis donati a Trajano ob egregie navatam operam in Dacico bello.

SEGMENTUM XXXIII.

EJUSDEM TABULÆ A. FASCIÆ II.

EQuitibus ac peditibus, qui ſtrenue pugnarunt contra Dacos, & Sarmatas, ac de iisdem victoriam reportarunt, TRAJANUS AUGUSTUS congiarium diſtribuit: deinde auditis, rejectisque Dacorum primoribus, qui iniquis conditionibus ſe dare volebant, exercitum iterum in bellum educit.

Fig.

Fig. 176.

Miles plenum ſacculum in humeris ferens, congiarium ab optimo Principe Trajano, ſuæ virtutis præmium, ſe recepiſſe oſtendit.

Fig. 177.

Trajanus ſedens edito in loco, hinc inde bello Dacico Præfectis circumſtantibus, militibus victoribus manus oſculandas præbet, & congiarium largitur.

Fig. 178.

Romanos milites bello captos Dacæ mulieres admotis ad caput & pectus lampadibus ardentibus adurunt, & cruciant.

Fig. 179.

Trajanus in ipſo aditu Caſtri Prætorii Dacos duos audit, vel deditionem, vel inducias iniquis conditionibus poſtulantes, (ni potius ſint exploratores Daci ad Trajanum a Romanis militibus adducti) iisdemque dimiſſis, novam indicit exercitus ſui expeditionem, annona & commeatu refertis, ac munitis Caſtris.

TABULA B. FASCIA II.

SEGMENTUM XXXIV.

RElictis Caſtris ac Principiis, commeatu & annona munitis, ligneo ponte exſtructo, magnis cymbis ſubfulto, Romanum exercitum educit TRAJANUS CÆSAR, pugnam cum hoſte denuo initurum, trajecto Daciæ flumine.

Fig. 180.

Trajanus, educto e Caſtris exercitu ſuo, ipſum præit, excenſo ligneo ponte, quem legionum Signiferi proxime ſequuntur, cis Danubium trajicientes.

Fig. 181.

Inter inſignia legionum, quæ a Signiferis geſtantur, notatu dignum occurrit arietis ſimulacrum haſtæ impoſitum, quod præcedit. Sed propter exiguitatem ſculpturæ non nihil dubitat de ſimulacro arietis Fabrettus de Col. Trajan. Cap. III. pag. 52. & facile Lupam inter præcipua Romanorum inſignia militaria, quæ Trajanus ex veteri diſciplina reſtituit, reponendam ſubſpicatur.

Fig. 182.

Pons ligneus mira arte exſtructus, ac magnis cymbis ſubfultus, a porta Caſtrorum per fluvium ſe extendens.

Fig. 183.

Proficiſcentem Romanum exercitum ſequuntur currus vecti vel equis vel bobus, onuſti commeatu, pilis, ſcutis, galeis, aliisque armis, cum reliquis impedimentis bellicis.

SEGMENTUM XXXV.

Ejusdem Tabulæ B. Fasciæ II.

CUm machinis aliquot, quas Daci paraverant, TRAJANUS occupat Caſtra, ab ſuperatis hoſtibus, & in fugam verſis deſerta: militumque in his relicto præſidio, interim ea circumiens, obſervat, munienda præcipit, ne ab hoſte, deſertionis pœnitente, iterum occupentur.

Fig. 184.

Trajanus Imperator deſerta ab hoſtibus Caſtra, & bellicas machinas pedes cum Legato, ſive Præfecto perluſtrat. Milites in Caſtris ſe ad bellandum paratos oſtendunt.

Fig.

Fig. 185.

Trajanus ex edito loco milites, quos in Caſtrorum præſidium relinquit, adloquitur, eosque ad fidem ſervandam, ſtrenue pugnandum, atque ad Caſtra eadem egregie tutanda, hortatur, propoſitis præmiis. Heic finem primæ expeditioni deſignatum ſubſpicatur Fabrettus Col. Trajan. Cap. I. pag. 13. præſertim quum videat, proximum pontem fig. 182. nobis deſcribere regreſſum exercitus cis Danubium; quia gubernacula navium, quæ pontem ſubſtentant, nobis abſconduntur; adeoque indicio ſunt, ea remanere ad lævam remeantium, prout in prima trajectione, quæ exhibetur fig. 46. adparet ad dexteram; id eſt ſecundo flumine, qualia Daciam petentibus eſſe debebant.

SEGMENTUM XXXVI.

EJUSDEM TABULÆ B. FASCIÆ II.

NOvis adcitis Legionibus, reliquisque milite expletis, uti ex his imaginibus colligit Fabrettus loco memorato, dum TRAJANUS primæ expeditioni Dacicæ finem imponit, hoſtium deſerta Caſtra milite ſuo munita relinquit, novas quoque munitiones imperat, ſtratores edocet, denuo cum Dacis congreſſurus.

Fig. 186.

Trajanus ſecundam in Dacos expeditionem indicit, aperitque conſilia ſua Dacico Bello Præfectis, adſtante exercitu cum Signiferis. Interim ſtratoribus dato negotio, Caſtrorum munitiones urget. Milites ligna cædunt, calcem & alia opportuna parant, & in Caſtra deferunt.

TABULA C. FASCIA II.

SEGMENTUM XXXVII.

CUm Dacis denuo congreſſurus TRAJANUS, primus Sacrificium Diis offert, mox luſtrale exercitus perficitur. Imperatori ſacrificanti adſtant cum ſignis ſuis quinque legionum Signiferi.

Fig. 187.

Trajanus Cæſar, velato capite pateram cum ſanguine mactatæ victimæ ſuper aram igne calentem effundit, adſtantibus Sacerdotibus, Camillo, Tibicine, laurea ſeu myrtea corona redimitis.

Fig. 188. *&* 189.

Sue, ove, tauro ter circa caſtra ductato, luſtrale ſacrificium, *ſuovetaurilia* adpellatum, ſolemni ritu, ſtatisque de more cærimoniis peragitur; adſunt Popa, & Victimarii, qui victimas ductant, & ſequuntur, una procedentibus Sacrorum Miniſtris capite coronato, & Gabino ritu ſuccincti præcedunt Tibicines & ipſi coronato capite. *Heic numerorum cernitur confuſio in* Belloriano, & *Morelliano exemplari.*

SEGMENTUM XXXVIII.

EJUSDEM TABULÆ C. FASCIÆ II.

TRAJANUS Imperator, peracto in Caſtris Sacrificio, ter quoque luſtrato exercitu, edito in loco ſtans, adſtantibus ducibus, milites ſuos adloquitur, præmia ſtrenue pugnantibus promittit; proximam ſilvam ſuccidendam jubet, ne Daci exercitui iter agenti inſidias parare poſſint.

Fig. 190.

Cæſar ex edito loco hortatur milites, ut, alterum orſuri contra Dacos immaniter ferocientes bellum, fortiter ac ſtrenue ſe gerant; neque patiantur, tot victorias de Dacis partas, uno tantum certamine perire, & dedecus ſibi parari ſempiternum. Duo dum-

dumtaxat heic ſpectantur Legionum inſignia, ut ſubſpicari cuilibet pronum ſit, legiones has, quas Trajanus adloquitur, forſitan eſſe auxiliares. Milites ſumma alacritate, audita Trajani adhortatione, ad bellandum eunt.

SEGMENTUM XXXIX.

EJUSDEM TABULÆ C. FASCIÆ II.

TRAJANI juſſu cæditur ſilva, exercitui proficiſcenti ad bellum facile iter paratur. Hoſtium ligneæ turres, & ſtationes a Romanis militibus incenduntur. Comprehenſis exploratoribus, eorum capita adfixa haſtis ſtatuuntur.

Fig. 191.

Milites proceras arbores & ſilvam ſuccidunt.

TABULA D. FASCIA II.

SEGMENTUM XL.

CÆſa everſaque ſilva, ſuccenſis Dacorum ſtationibus, ſtrato per ſilvam commodo itinere, TRAJANUS Caſtra novis munitionibus vel fieri vel inſtaurari imperat. Interim Daci fugientes per juga montium ſibi conſulunt, nec audent Trajani exercitum prohibere.

Fig. 192.

Trajecto ligneo ponte, milites illum evertunt, & hoſtiles ſtationes injectis facibus ſuccendunt; ne quid adjumenti Dacis ſuperſit.

Fig. 193.

Daci milites Draconis ſignum ſequentes, montium anfractus, & loca aſpera, ne impervia petunt.

Fig. 194.

Muniuntur Caſtra, Romanis militibus, aliis calcem, aliis ligna, arenam, & lapides aliis comportantibus, qui fabris miniſtrant. Caſtra quadratis lapidibus exſtructa ſpectantur.

SEGMENTUM XLI.

EJUSDEM TABULÆ D. FASCIÆ II.

DUm ſumma diligentia, & celeritate Caſtra a militibus muniuntur, ne hostes a tergo inruptionem aliquam facere, commeatusque in Caſtra comportandos intercipere tentarent, TRAJANUS Dacorum Regulum quemdam adorantem, ac ſupplicem ejus clementiam implorantem, honoris gratia a Tribuno deductum, ſuſcipit.

Fig. 195.

Dacorum Regulus quidam humi depoſito clypeo, flexis genibus, Trajanum adorat, atque ei ſe dedens, ejus clementiam deprecatur. Trajanus, præſentibus Præfectis & Tribunis, eum excipit & audit; ſigna adſtant, Prætorianique Cæſaris milites circumſtant, ante Prætoria Caſtra.

Fig. 196.

Cupæ ligneæ cum poſca, vel aqua, plauſtris ſeu carris impoſitæ, in militum uſum perferuntur. Perſpicuum eſt, Trajanum & in montium jugis editisque locis Caſtra excitari juſſiſſe, ut Dacorum inſidiæ undequaque proſpectarentur, & propulſarentur.

SEGMENTUM XLII.

EJUSDEM TABULÆ D. FASCIÆ II.

TRAJANUS, oppletis Castris militibus, & ad eorum custodiam Prætorianis excubare jussis, excitatis quoque in summis montium militaribus ædificiis, iisdemque præposita militum manu, in aciem progreditur.

Fig. 197.

Prætorium Castrum Prætoriani milites armati tuentur.

TABULA E. FASCIA II.

SEGMENTUM XLIII.

TRAJANUS in temporario Suggestu stans, habita ad milites adlocutione, Equitum alam in Dacos inmittit, qui se in saltibus occuluerant, & summa montium petierant.

Fig. 198.

Circumstantibus tribus Legionibus militum cum Signis, milites suos Trajanus adloquitur, & ad strenue pugnandum cum Dacis, qui insidias parabant, hortatur, inmissis Equitibus, qui in saltibus latentes Dacos, vel summa montium petentes, insectentur.

SEGMENTUM XLIV.

EJUSDEM TABULÆ E. FASCIÆ II.

SPectante TRAJANO, magna fit Dacorum in silvis latentium cædes, Equitum ala in eos, vel summa montium petentes, inruente.

Fig. 199.

Daci montium cacumina petentes, extensis manibus opem implorant; eos vero Equites insectantur. Quum hi Equites infrænati omnes sint, & nudis equis insidentes pugnent, Fabrettus censet Cap. I. pag. 5. & 6. esse Mauros a Lusio Quieto in auxilium adductos, ex Dionis fragmentis a Valesio editis : *Postea vero* (Lusius Quietus) *Bello Dacico, quum exercitus auxilio Maurorum egeret, ipse ultro cum equitatu Maurorum advenit, atque egregiam operam navavit : quam ob causam præmiis atque honoribus adfectus, longe plura ac majora facinora altero Bello Dacico edidit.*

SEGMENTUM XLV.

EJUSDEM TABULÆ E. FASCIÆ II.

TRAJANUS ulterius cum exercitu suo progressus, nova Castra metatur.

Fig. 200.

Edito in loco Castra celeri opere a militibus exstruuntur, seduloque signa, lapides, arena, calx ministrantur. De his *Fabrettus* Cap. VII. pag. 208.

Fig. 201.

Reguli duo, Dacis finitimi, Trajano se dedunt; quos data dextra ipse suscipit, & securitatem ac patrocinium suum promittit.

Fig. 202.

Proximi conflictus adparatus : bellicæ machinæ balistæ mulis vectæ præmittuntur. De his fusius *Fabrettus* ibidem pag. 217.

TA-

TABULA F. FASCIA II.

SEGMENTUM XLVI.

MUniri ac tutari Caſtra ligneo vallo jubet Trajanus; quibus operibus abſolutis, alterum excidium in Dacos adgreditur cum auxiliariis.

Fig. 203.

Urgente temporis anguſtia, aliave ingruente neceſſitate, ſive ſolo repugnante, Caſtra muniuntur, vel fiunt, congeſtis ſtipitum ſtruibus, ne milites in aperto conſiſtant. Duo milites manubaliſtæ ea in fronte tuentur. De his Fabrettus Cap. VII. pag. 187.

Fig. 204.

Alterum cum Dacis conflictum adoriuntur auxiliarii milites, ſquameis Loricis armati, item Mauri, & funditorum ala ex Germanis. Daci cum his pugnant falcatis enſibus.

Fig. 205. & 206.

Funditores collectis in ſinu ſaxis, vel plumbeis glandibus, fundam dextra jaculantes, læva clypeum tenentes, contra Dacos ſtrenue pugnant.

SEGMENTUM XLVII.

EJUSDEM TABULÆ F. FASCIÆ II.

JUbente TRAJANO, Daci, qui in editis præruptisque montium locis & ſaltibus ſe munierant, ſternuntur; eorumque munitiones, vel capiuntur, vel evertuntur.

Fig. 207.

In montium ſummitate conſtitutis vallis, Daci balliſtis Romanos adoriuntur. Silvas cædunt Daci ſtruibus faciendis: alii falcatis enſibus ſive acinacibus cum Romanis congrediuntur.

SEGMENTUM XLVIII.

EJUSDEM TABULÆ F. FASCIÆ II.

FUſis fugatisque Dacis, militum auxiliariorum ope, eorum Caſtris & munitionibus potitur TRAJANUS; mox nova Caſtra, hoſtibus viciniora, exſtrui & muniri jubet.

Fig. 208.

Caſtra in editis locis exſtructa.

Fig. 209.

Conſtituendis novis Caſtris materies paratur.

Fig. 210.

Trajano adſtanti, & urgenti Caſtrorum munitiones, præſentibus belli ducibus, captivus Dacus ex primoribus, forſitan vel explorator, vel alicujus doli machinator, ante ejus conſpectum adducitur.

TABULA G. FASCIA II.

SEGMENTUM XLIX.

CAſtris conſtitutis, munitisque, & milite tutatis, TRAJANUS Romanum exercitum una cum auxiliaribus copiis, confertis viribus, cum Dacis congredi jubet, qui cruentiſſimo prælio cæduntur, ac paſſim ſternuntur.

Fig. 211.

Lævum cornu Sagittarii tenentes, dextrum Funditores, in medio Romani cum Mauris adverſus Dacos ſtrenue præliantur, hoſtesque cædunt ac proſternunt, qui in ſilvis Romano exercitui inſidias paraverant.

SEGMENTUM L.

EJUSDEM TABULÆ G. FASCIÆ II.

MUnitiſſimum Dacorum vallum, quo ſe tutos ſperabant, Romani, TRAJANO jubente adgrediuntur, ac, teſtudine facta, ſe tuentur, & fortiſſime pugnant.

Fig. 212.

Daci ut vallum ſuum adverſus Cæſarianos tueantur, ſaxa ac tela jaculantur. Ex Dacis multi fugiunt, alii interempti ſtratique jacent.

Fig. 213.

Conferti Romani milites, teſtudine facta, muros diruunt, adverſantes Dacos perimunt, caſtris, vallo & arce tandem potiuntur.

SEGMENTUM LI.

EJUSDEM TABULÆ G. FASCIÆ II.

ACrius reſiſtentibus Dacis, alteram exercitus alam opponit TRAJANUS. Daci cæſi, diverſa in præruptis montibus loca petunt. Interim Trajano, milites ſuos ex edito loco hortanti, ad Dacos ſtrenua virtute delendos, abſciſſa capita duorum Dacici exercitus Ducum adferuntur, eique oſtenduntur.

Fig. 214.

Trajanus medius inter Duces ſuos acrius contra Dacos bellum inſtaurat, milites hortatur, abſciſſa capita Ducum Dacici exercitus lætus intuetur.

TABULA H. FASCIA II.

SEGMENTUM LII.

Fig. 215.

Maximus Romani exercitus cum Dacis conflictus. Adeſt ala Romanorum ſubſidiaria. Daci partim funduntur, cæſi corruunt, partim ſumma montium petentes, ululant, elatisque manibus opem a Diis poſtulant.

SEGMENTUM LIII.

EJUSDEM TABULÆ H. FASCIÆ II.

TRAJANUS Auguſtus, cum Præfectis & Tribunis exercitus, dum de conditionibus & pace cum Decebalo Rege facienda deliberat, Caſtra Decebali Regiæ proximiora novis ac majoribus munitionibus tutanda præcipit.

Fig. 216.

Trajanus in Caſtris de bello iterum parando, deque caſtris majore cura muniendis decernit, agitque de conditionibus & pace, quam Decebalus Rex enixe precabatur.

Fig. 217.

Alia exſtructa valla prope Caſtra ex lignorum ſtrue ac ſtipitibus, eaque milite ad tuendum pugnandumque parato, referta. SEG-

SEGMENTUM LIV.

EJUSDEM TABULÆ H. FASCIÆ II.

ANnona commeatuque munitis Caſtris, edito in loco & maxime opportuno conſtitutis, ubi etiam maxima aquarum copia, TRAJANUS CÆSAR ultra progreditur, Decebali Regiam occupaturus. Interim Decebalus Rex vel potius e primoribus Daciæ Regulis unus, ei obviam procedit, & cum ſuis ſupplex pacem & opem ab eo petit.

Fig. 218. & 219.

Caſtra quadrato lapide cum pinnis edito in loco exſtructa, frumento in ſaccis adligato, omnique commeatu Trajani juſſu munita, ac referta ſpectantur.

Fig. 220.

Trajano progredienti Præfectis, Tribunis, ac Prætorianis militibus ſtipato, præeuntibus legionum ſigniferis primores Dacorum duces, vel Decebalus ipſe obviam fiunt, pacem deprecantes, obſidibus una adductis.

TABULA J. FASCIA II.
SEGMENTUM LV.

TRAJANUS primores Dacos, vel forte Decebalum ipſum Regem excipit coram eo in utrumque genu prolapſos, orantes, & pacem petentes, quam his conditionibus ſe daturum promittit; ut Decebalus Rex, arma, & bellica inſtrumenta, machinas earumque artifices tradat: transfugas, ſive Romanos, ſive ſocios remittat: caſtella & arces, abductis præſidiis, evertat: ad hæc ut omni terrâ decedat, quam de finitimis per vim cepiſſet: eosque amicos & inimicos haberet, quos Senatus cenſuiſſet.

Fig. 221. & 222.

Daci ex primoribus, humi abjectis clypeis, pacem a Trajano flexis genibus eum adorantes poſtulant, oblatis quoque ei obſidibus. Poſt hos, alii ex primis Dacorum procumbentes, paſſis manibus optatam pacem implorant. Editis in locis machinæ bellicæ, turres, & valla, Caſtrorum munimenta, ſpectantur.

SEGMENTUM LVI.

EJUSDEM TABULÆ J. FASCIÆ II.

TRAJANUM deprecatura, ut pacem indulgeat, alia Dacorum Regulorum manus ſtans, depoſitis humi clypeis, adcedit. Decebalus ipſe Dacorum Rex, eminentiore in loco conſiſtens, ut ſpectetur, adſtantibus ſuis Vexillariis & Draconariis militibus, elata dextra optimi Principis clementiam expoſcit.

Fig. 223. & 224.

Dacorum Regulorum, vel primorum ex ducibus clypei vario dignitate ornati, humi ſupplicum more depoſiti. Ex iisdem Dacum ducibus, alii intecto capite ſunt, alii pileati, patrio more, Victori Cæſari ſe ſubmittunt.

Fig. 225.

Decebali Regis Regia ſpectatur. Prope eam Decebalus ipſe edito in loco ſtans, capite operto pileo, ornatus chlamyde, elata dextra, poſtulat pacem, Principis Victoris juſſa facturus.

SEGMENTUM LVII.

Ejusdem Tabulæ J. Fasciæ II.

CAstellis & Arcibus juxta pacis conditiones dirutis, Romanus miles, expleto bello, novis ſedibus, ſtipendiis, & optata quiete donatus, Dacicos agros pacificus cum pueris, ſarcinis, pecoribus atque armentis ingreditur. Trajanus victoris exercitus fidem, virtutem, & conſtantiam laudat: Legionem XIII. Dacicam adpellatam ex ſuperiore Pannonia abductam, Daciæ præſidio relinquit.

Fig. 226.

Daci cum uxoribus, & filiis, armentis & pecoribus terra diſcedunt, quam a finitimis per vim ceperant, ſuis eam antiquis colonis reſtituentes.

Fig. 227.

TRAJANUS e ſuggeſtu milites adloquitur, adſtantibus ſigniferis: his provinciæ cuſtodiam, & præſidium committit; ſtipendia auget, & merita præmia decernit. Pauca hæc ex Eutropio Lib. VIII. Hiſt. Rom. in Vita Hadr. *Trajanus, victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum tranſtulit, ad agros, & urbes colendas; Dacia enim diuturno bello Decebali, viris fuerat exhauſta.*

TABULA K. FASCIA II.

SEGMENTUM LVIII.

EO in loco, ubi Decebalus Dacorum Rex, ejusque exercitus fuit devictus, in tantæ Victoriæ & Virtutis monumentum erecta tropæa TRAJANO ſpectantur, res ſtrenue geſtas ſcribente Victoria.

Fig. 228.

Tropæa ex Dacis & Sarmatis devictis, arborum ſtipitibus adfixa, loco editione conlocata, in Trajani Auguſti memoriam erecta viſuntur, eo præcipue loco, ubi hoſtes profligati ac deleti fuerunt. In priore tropæo, ex ſpoliis hoſtium, conſpiciuntur Dracones Dacici exercitus ſigna, paludamenta gentis propria, galeæ, clypei, labara, pila, pharetræ, ſagittæ, acinaces, aliaque arma tum Dacica, tum Sarmatica.

Fig. 229.

VICTORIA alata, ſtans, lævo pede Sarmaticam galeam calcans, genu baſi innixa, ei impoſitum clypeum læva tenet, dextra DACICÆ VICTORIÆ monumenta æternitati ſcripta conſignat.

Fig. 230.

Tropæum alterum, Sarmaticis præcipue armis onuſtum, lorica ſquamata, galeis, clypeis, haſtis, pilis, ſecuribus, malleis, pharetris, vexillis, aliisque militaribus armis.

SEGMENTUM LIX.

Ejusdem Tabulæ K. Fasciæ II.

Fig. 231.

Decebali Regia, ubi palatium magnificentiſſimum, columnis, porticibus & ſtatuis ornatum, non longe a fluminis ripa ſitum; quod TRAJANUS cum regia ſupellectili occupavit: quod maximi momenti fuit ad pacem inter Cæſarem & Decebalum conciliandam.

Fig. 232.

Arcus triumphalis in memoriam DACICÆ VICTORIÆ, atque in honorem VIRTUTIS & CLEMENTIÆ TRAJANI Imperatoris erectus, ornatus ſimulacris Deorum tutelarium ejusdem optimi Principis, vel cuſtodum Exercitus, inter quos per-

perſpicue adparet Hercules in dextra parte, clavam tenens. De ceteris non bene liquet. Memorat Ammianus Marcellinus Lib. XVII. monumentum, quod Trajanus Auguſtus in Alemannorum ſolo condidit, & ſuo nomine adpellavit. Non longe alia ædificia ſpectantur, quæ templa Deorum, Decebali tutelarium, eſſe facile poſſunt.

Fig. 233.

Trajanus in prætoria triremi ſtans, ſuam, ut videtur, urget profectionem.

Fig. 234.

Tres Legiones a Trajano ſecum abductas, impoſita in puppi navis duplici remorum ordine inſtructæ, ſigna oſtendunt.

Fig. 235.

Nocturnam Trajani profectionem indicant accenſa lumina & faces, nec non finale, ſeu lumen quod præfert in ſummo prætoriæ navis in laterna.

Fig. 236.

Altera triremis ſpectatur, carbaſis ad transverſum malum funibus adligatis, quarum inſignia ſunt Hippocampus, aliaque marina monſtra.

SEGMENTUM LX.

EJUSDEM TABULÆ K. FASCIÆ II.

PRiori Dacico Bello abſoluto, paceque cum Decebalo Rege firmata, TRAJANO in Urbem regredienti, & paullo ultra Tergeſticam per fluvios Danubium verſus naviganti, Oppidorum & Coloniarum Romani nominis populi obviam procedunt, Victoremque cum ſacrificiis & adclamationibus læti excipiunt, ſublatis, more ſalutantium, dexteris. TRAJANUS eorum vota & adclamationes lætus ſuſcipit.

Fig. 237.

Ara marmorea, ſacro igne ſuccenſa, pone quam victimæ mactatæ, ſacrificia, & vota cum adclamationibus perſoluta a populis Daciæ colonis, pro Victoria, & felici in Urbem reditu Trajani Auguſti.

Fig. 238.

Coloniæ Romanæ per Illyricum Præſes in Curiam primores convocat, qui honores, ſacrificia, & vota pro ſalute, victoria ac felici in Urbem reditu Trajani Auguſti, indicit.



TA-

TABULA A.

FASCIA III.

SEGMENTUM LXI. LXII. & LXIII.

ROmæ, audita TRAJANI de Dacis, ac Decebalo Rege victoria, Senatus triumphum decernit. Interim TRAJANUS gestientem Urbem per triumphalem Portam ingreditur. Senatores, qui laureati obviam venerant, advenientem, & triumphantem Cæsarem sequuntur. Adsunt lictores; cuncti gestientes optimum Principem Victorem excipiunt, & salutant.

Fig. 239. *&* 240.

Senatores, qui Trajano Urbem ingredienti obviam ierant laureati, eundem magna pompa ad Capitolium ascendentem sequuntur. Incertum num ea sit Porta Triumphalis, per quam triumphatores ingredi solebant, triumphum acturi; vel potius triumphalis Arcus in Foro ejusdem Trajani erectus.

Fig. 241.

Trajanum præit sacrificalis pompa: aræ erectæ spectantur; tauri in sacrificium mactandi a Popis inducti, adstantibus legionum signis, quas Trajanus Romam revexerat, turba sacerdotum capite laureato, Gabino ritu succinctorum.

TABULA B. FASCIA III.

SEGMENTUM LXIV.

TRAJANUS AUGUSTUS, pro rebus bene gestis in Dacia, qua potitus fuerat, gratias de more acturus, Jovi Capitolino sacra facit, adstantibus ducibus, ac trium legionum signis, spectante utriusque sexus nobilitate, ac populo.

Fig. 242. *&* 243.

Trajanus Jovi Capitolino, deposita in ejus sinu laurea corona, sacra facit, super aram fructus varios adolens, dextra e patera sacra fundens libamina, præsente senatu, ducibus, ac legionariis militibus. Principis jussu taurus a Popa mactatur, modulante tibicine, & Camillo thuris acerram ministrante. Vel ex hac orthographia intelligi potest quæ fuerit ædis Jovi Capitolino sacræ symmetria, quæ & quanta Capitolii ornamenta.

Possunt tamen hæc omnia ad TRAJANI profectionem secundam in Dacos referri; ut observat *Ciaconius*; ita ut hoc sacrificium iter præcesserit, supplicationibus ob id indictis, votisque a senatu Populoque Romano conceptis. Trajanæ Columnæ Architectus, & sculptor mirabilis, hoc ipso schemate utrumque forsitan exprimere voluit; & plane multa sunt, ex quibus id arguere possumus.

BELLUM DACICUM

SECUNDUM.

ROmam reverso TRAJANO nunciatum est, Decebalum, Dacorum Regem, Jazygum partem finitimam invasisse: præter conditiones icti fœderis, multa ad rebellionem spectantia parare ac facere: arma fabricare, transfugas recipere, munitiones & castella instaurare; vicinas gentes missis legationibus ad bellum, & defectionem sollicitare: his potissimum infestum, qui secum conjurare noluissent.

SEG-

SEGMENTUM LXV.

Ejusdem Tabulæ B. Fasciæ III.

PAratis navibus instructisque, collecto exercitu, TRAJANUS hostilem regionem iterum adit, sequentibus tribus legionibus.

Fig. 244.

Navis, velis collectis, anchoris jactis, clavo firmato, portum & stationem loco tuto significat, e qua Trajanus solvit, contra Dacos iterum profecturus.

Fig. 245.

Præmissa Ala Equitum, Trajani Cæsaris exercitus ad bellum iterum proficiscitur; Belli duces sequuntur armati milites & legionum tria signa. Inter milites, ex cucullo, prolixa barba & capillo, Hispanorum manum agnoscit *Ciacconius*; *Fabrettus* Cap. I. de Col. Trajan. pag. 19. & seqq. ex Hispaniæ adjacente regione, vel præsertim ex incolis Cassiteridum Insularum, quarum descriptio apud Strabonem Geogr. Lib. III. perbelle quadrare ipsi videtur. Non repugnarem, si aliquis crederet, hos Hispanos Equites esse Astures, sive Astyres, quorum in militaribus saxis crebra mentio. Ex Civibus Romanis in eam Coloniam deducti Alam componebant, *Equitatam* dictam.

SEGMENTUM LXVI.

Ejusdem Tabulæ B. Fasciæ III.

TRAJANI AUGUSTI jussu, praemissis Equitum decuriis, pedites suos duces & signa, ordine quodam procedentes, sequuntur.

Fig. 246.

E conspectu, urbis ædificia cernuntur, quæ veri est simile ad Jazyges pertinere, quos Imperatori Trajano obviam venisse conspicimus.

Fig. 247.

Equitum Decurias, Vexillifero præeunte, ex auxiliariis constasse, ex vestibus, & facie, vel imberbi vel barbata, arguere possumus. Omnes intecto capite proficiscuntur, & clypeum commode deferunt sub ephippii latere dextro inter utramque stragulam.

TABULA C. FASCIA III.

SEGMENTUM LXVII.

TRAJANO CÆSARI equo insidenti, & exercitum præeunti, Jazyges, & aliæ gentes, Dacis finitimæ, adventanti occurrunt, gratulanter excipiunt, ejusque opem & præsidium, sublatis dextris, postulantes, se totos ei devotos, ac subjectos testantur. Mox Diis Trajanus sacra de more facit.

Fig. 248.

Jazyges, & aliæ gentes Dacis finitimæ, uxoribus & filiis suis secum ductis, quo facilius ab indulgentissimo Trajano miserationem impetrent, eidem occurrunt; de ejus adventu alteroque in Dacos bello lætantur. Memorant, se a Decebalo propriis sedibus per vim exturbatos, graviterque multatos, quod amicitiam Populi Romani sequerentur: postulant, ut communem injuriam ulciscatur; seque socios belli futuros, commeatumque exercitui ejus, quantum eorum vires paterentur, se curaturos pollicentur.

Fig. 249.

Trajanus Jazygum urbem ingressus, antequam cum Dacis prælium committat, Diis sacrificat, super aram igne sacro calentem, e paterá vinum & victimæ sanguinem effundens; cui adstat Tibicen, & Camillus cum thuris acerra, aliique Ministri.

SEGMENTUM LXVIII.

Ejusdem Tabulæ C. Fasciæ III.

TRAJANO AUGUSTO ſacra Diis facienti, ut in altero contra Decebalum Dacorum Regem, qui rebellis icti fœderis conditiones fregerat, inſtauratisque viribus, atrox bellum parabat, bello propitios haberet, complures tauri ad totidem aras mactandi a Popis adducuntur; adſtantibus matribus cum filiis, ex Jazygum gente. Sacro peracto, Caſtrorum munitiones imperat TRAJANUS.

Fig. 250. & 251.

Sacro Trajani Cæſaris ſpectantes adſunt ex Jazygum gente mulieres cum natis ſuis. Popæ ante aras adductis tauris, juſſa Principis expectant, ut eos mactent. Interim ſilvæ cæduntur, ut Caſtra muniantur.

SEGMENTUM LXIX.

Ejusdem Tabulæ C. Fasciæ III.

TRAJANI juſſis obtemperantes Jazyges, ceterique Daciæ finitimi populi, ut injurias Decebali Regis ulciſcantur, ligna in ſilvis cædunt, caſtra muniunt, congeſto aggere, foſſa lata, valloque circum diſpoſito & probe firmato, loca tutantur.

Fig. 252.

Metantur Caſtra, cæſa in ſilvis ligna comportantur: repagula & ligneæ turres exſtruuntur.

Fig. 253.

Caſtrum, vel urbs aliqua munitiſſima, quam Decebalus militum præſidio munivit; ut bellantes Romanos diſturbare, & ſe ipſum tueri, ſalutemque ſibi parare poſſit.

TABULA D. FASCIA III.

SEGMENTUM LXX. & LXXI.

CÆSAR Caſtra & loca quæque Dacorum munitiſſima, militibus referta expugnare, vi capi, & hoſtes ingenti clade adfectos, inde exturbari imperat.

Fig. 254. & 255.

Daci ſe tutos putantes in munitiſſimis Caſtris, & facile Romanorum vires fracturos, maxima cæde adficiuntur, corruunt, ſternuntur; & ab iisdem Caſtris a Romano milite occupatis, exturbantur. Cum Dacis ſocii auxiliares admixti falcatis enſibus, ſive acinacibus pugnant, ſed a Romano peditatu ſauciantur, & proſternuntur.

SEGMENTUM LXXII.

Ejusdem Tabulæ D. Fasciæ III.

DAcorum munitiones, valla & caſtra editis in montibus conſtituta intrant Romani milites; Dacos inde expellunt, maximisque vulneribus, proſpectante in montium vertice TRAJANO, eos adficiunt, & plurimos interimunt.

Fig. 256.

Trajanus editiore in loco intra vallum atrox bellum ab exercitu ſuo cum Dacis commiſſum proſpectat; circumſtantibus aliquot militibus Prætorianis. Daci conantes evertere Romanorum munitiones aliquot, præcipue triplicem murum per intervalla diſpoſitum, maxima clade cæduntur.

TA-

TABULA E. FASCIA III.

SEGMENTUM LXXIII.

DAcis acriter adverſus Romanos pugnantibus, opportunus advenit TRAJANUS cum Romano Equitatu, hortaturque auxiliarios milites ſuos, ut hoſtibus profligatis, quam celeriter munita loca occupent, & reliqua incepta munimenta feſtinanter abſolvant.

Fig. 257.

Trajanus cum delecta Equitum manu per Caſtra ſui exercitus eques excurrit, opportunus diſcrimini occurrit, munitiones quam citiſſime abſolvi imperat.

Fig. 258.

Cæduntur ab auxiliariis arbores muniendis caſtris; alii ligna comportant, alii ſecant: miles Romanus foſſam facit. Viæ complanantur, & marginantur a ſtratoribus. Cum Romanis mixti Coloniæ Pannonicæ incolæ videntur.

SEGMENTUM LXXIV.

EJUSDEM TABULÆ E. FASCIÆ III.

TRAJANUS Cæſar quo facilius ac tutius ad expugnandam Decebali metropolim cum exercitu ſuo procederet, ſecus Myſias ac Pannonias, erecto ſuper Danubio admirandi operis Ponte, eo abſoluto, Diis ſacrificat, adſtante exercitu ſuo, ducibusque trium legionum Romanarum, quarum ſigna ſpectantur.

Fig. 259.

Belli Duces, ſive Præfecti ac Tribuni, educto e proximis Caſtris exercitu, nempe trium legionum militibus cum Vexilliferis, Trajani Cæſaris ſacrificio adſtant. Quia vero milites galeam ante pectus ligatam, & pendentem gerunt, forte proxima ad debellandos Dacos profectio exercitus indicatur, pro cujus felici eventu itu reditque Trajanus ſacra Diis ſuis Cuſtodibus ac Tutelaribus facit.

Fig. 260.

Pons Trajani, ſuper Danubium exſtructus, ſpectandus venit; de quo mox dicendum erit.

Fig. 261.

Trajanus ſacrificat ad aram encarpis ornatam, & ſacro igne ſuccenſam; in quam ſuper varios fructus, qui adolentur, e patera fundit ſacra libamina. Adſtant Tibicen, Camillus cum acerra thuris, & Popa taurum mactaturus.

SEGMENTUM LXXV.

EJUSDEM TABULÆ E. FASCIÆ III.

DAciæ finitimos aliquot Regulos, opem & præſidium poſtulantes, ſeque ad pugnandum contra Dacos paratos adfirmantes, benigne excipit TRAJANUS, ac ſe clementem Principem oſtendit.

Fig. 262.

Non longe ſpectatur probe munita urbs, pulcherrimis ædificiis, & adjuncto Amphitheatro egregii operis ornata.

TABULA F. FASCIA III.

SEGMENTUM LXXVI.

TRAJANUS eques præit pedeſtres copias e proximis caſtris eductas, quorum Porta tropæis in ejus honorem dedicatis ornatur. Alii milites, ad Caſtrorum præſidium relicti, obviam eidem euntes ſacrificium parant.

Fig. 263.

Peditatus proficiſcentem Trajanum equo vectum una cum ducibus ſequitur. Ex his alii clypeo ſe defendunt; alii clypeum poſt terga religatum deferunt. Ligneus pons tranatum fluvium indicat. Spectatur edito in loco ſita urbs, & proxime quoddam templum, pluribus columnis inſigne.

SEGMENTUM LXXVII.

EJUSDEM TABULÆ F. FASCIÆ III.

TRibunus & milites præmiſſi ad Caſtra tuenda, atque ad Dacorum inſidias propulſandas, adventanti TRAJANO CÆSARI occurrunt, e Caſtris prodeuntes; & adſtantibus trium legionum ſignis, læti eum ſalutant, & excipiunt, erectaque ara cum accenſo igne, ſacrum fit pro optimi Principis ſalute & incolumitate, pro felici itu reditque, & proxima ejus de Dacis rebellibus victoria Adeſt taurus ad aram mactandus a Popa adductus, & aliquot miniſtri.

Fig. 264.

In honorem Trajani fit ſacrum. Milites trium legionum adſtant, ac parati ad alteram expeditionem, juſſa Principis expectant, galeam ante pectus religatam gerentes.

SEGMENTUM LXXVIII.

EJUSDEM TABULÆ F. FASCIÆ III.

LUſtrari Exercitum jubet TRAJANUS AUGUSTUS. Sueovetaurilia celebrantur, circumducto a ſacris miniſtris tauro, ariete, & verre. Interim Cæſar velato capite in Caſtris ſacrificat: peractoque ſacrificio, milites ſuos e ſuggeſtu adloquitur.

Fig. 265.

Ordinem in ſueovetaurilibus agendis ſervatum, ac pompam heic cernimus. Victimas præcedunt ſacri Miniſtri, bini procedentes. Alii aſpergillum ex lauro vel ramuſculis arborum, alii vaſcula luſtralis aquæ, alii accenſas faculas in candelabris gerunt. Hos Tibicines & Liticines ſequuntur. Primum circumducitur ſus dorſuali ornatus ſericeo; mox ovis, ſive aries; demum taurus a Popa ſuccincto mactandus adducitur. Omnes ſacro operantur capite coronato, de quibus coronis *Fabrettus* Cap. II. pag. 47. & 48.

Fig. 266.

Cæſar Pontificalibus ornatus veſtibus, capite velato, ſacrificium luſtrale ſuper aram ſacro igne lucentem patera effuſa perficit. Adſtant ſacrificuli capite coronato, Gabino ritu ſuccincti; adeſt ad aram Tibicen, & Camillus tus ex acerra miniſtrans.

Fig. 267.

Adſtantibus ad utrumque latus Præfectis & Tribunis exercitus, Trajanus milites cum ſignis circumſtantes adloquitur, atque ad bellum ſtrenue gerendum, propoſitis præmiis, & congiariis, hortatur.

TA-

TABULA G. FASCIA III.

SEGMENTUM LXXIX.

PEracto lustrali sacro, TRAJANUS adstantes milites e suggestu adloquitur: justas suscepti belli adversus Decebalum Dacorum Regem causas enumerat: ejus perfidiam, & injurias sibi & Romano senatui inlatas, exponit: proinde ad fortiter ac strenue se in proxima pugna gerendos adcendit: ex victoria & triumpho summam gloriam, ex præda & manubiis hostium immensas opes eis paratas memorat: mox vicinas Dacorum stationes, & castra mature occupare jubet.

Fig. 268.

Adloquentem Trajanum milites pronis auribus auscultant. Adsunt, cum Aquilifero, signiferi tria legionum signa gestantes. *Ciacconius* lictorem esse censet cum fascibus consularibus eum, qui post Cæsarem stat in suggestu, dum ipse adloquitur exercitum: facilius crederem, vel aliquem Præfectum, qui auxiliares copias Trajano adduxit; vel, si docti viri probant, forsitan Primipilum. Auxiliares milites ii videntur, qui galeas in vertice cristatas habent.

SEGMENTUM LXXX.

EJUSDEM TABULÆ G. FASCIÆ III.

QUid faciendum, quo ordine oporteat exercitum procedere, quæ loca in munimentum Castrorum occupanda, quibus artibus vel invadendus vel debellandus hostis, habito in suggestu cum Præfectis & Tribunis consilio, cui etiam adstat HADRIANUS, mox Augustus, decernit TRAJANUS CÆSAR. Præfectus Prætorio adest, scipionem gerens: miles adductum labarum ostentat. Centuriones mandata excipiunt; interim exercitus ad bellum proficiscitur.

Fig. 269.

Trajanus, habito cum Præfectis & Tribunis exercitus consilio, milites ad Dacos delendos proficisci imperat, & occupari montes, in quibus Daci se munitissimos, atque inexpugnabiles fore sperabant.

Duplici igitur ordine dispositi milites, præeuntibus Præfectis & Tribunis, ad bellum proficiscuntur. Eos sequuntur Buccinatores, mox qui gerunt aquilam, legionis insignia, & in medio labarum, sive vexillum.

Fig. 270.

Altera exercitus ala per juga montium ad bellum graditur, eodem ordine. Post milites, aperto capite heic incedentes, sequuntur currus tracti mulis, armis, omnique commeatu onusti; ac pariter equi subsidiarii, cum armis, & sarcinis militum.

SEGMENTUM LXXXI.

EJUSDEM TABULÆ G. FASCIÆ III.

TRAJANUS CÆSAR strenuos milites inter primos incedere jubet, & galeam gerere ornatam corona, qua eos donavit.

Fig. 271. & 272.

Levis armaturæ milites, coronis donati ab Imperatore, primi post signa & belli Duces ad bellum proficiscuntur. Suspicioni locus, hasce coronas, quod minutioribus foliis constent, esse obsidionales, fortasse gramineas; galearum iconismum majoris magnitudinis exhibet *Fabrettus* de Col. Trajan. Cap. II. pag. 47.

Fig. 273.

Belli Præfectus, militum ala per ſumma montium ducta, Caſtra quam celeriter munienda, magnoque commeatu adducto implenda præcipit; & forte eſt idem Trajanus, qui eadem Caſtra ingreditur. Prætorianus miles Caſtrorum portam cuſtodit, ac tuetur.

TABULA H. FASCIA III.

SEGMENTUM LXXXII.

MUnitis Caſtris, commeatuque copioſo refertis, TRAJANUS cum Hadriano per editos montes ad bellum proficiſcitur, juſſa Auxiliariorum turma ad eorumdem montium radices celerrime iter habere: quippe audierat, Dacorum caſtra in ſummis montium eſſe fortiſſima ac munitiſſima.

Fig. 274.

Advectum in carrucis tractis a mulis frumentum, commeatus, bellica impedimenta, & militum ſarcinæ in Caſtris reponuntur. Miles e proximo flumine aquam haurit. Prope flumen alia Caſtra & militum ſtationes cernuntur.

Fig. 275.

Turmæ militum auxiliariorum celeri paſſu ad bellum contra Dacos gerendum proficiſcuntur: inter hos ſagittantes Sauromatæ ſpectantur, femineis veſtibus uſque ad talos demiſſis; alii pileati nudo corpore incedunt: his alii nudo capite & barbati; poſt hos levis armaturæ milites adjuncti progrediuntur.

Fig. 276.

Equitum alam præit Trajanus cum Hadriano, & ſequentibus ſigniferis, aliisque præeuntibus per montium cacumina exercitum transducit.

SEGMENTUM LXXXIII.

EJUSDEM TABULÆ H. FASCIÆ III.

TRAJANUS, præmiſſis Caſtrorum Præfectis & ſtratoribus, loca aptiora atque opportuniora Caſtris metandis muniendisque deſignari jubet; itemque vaſtari Dacorum agros, ſuccidi meſſes, & in Caſtra tritici manipulos comportari, vel equos ad pabulandum mitti.

Fig. 277.

Caſtra editiore in loco poſita ſpectantur, proxima Caſtris Dacorum. Tentoria & tabernacula figuntur.

Fig. 278.

Milites Romani, tum pedites, tum equites, Dacorum agros vaſtant; maturas fruges meſſoriis falcibus in manipulos collectas ſecant, & in falces adligatas ſuper humeros in caſtra comportant, in exercitus alimenta; equosque pabulantur.

SEGMENTUM LXXXIV.

EJUSDEM TABULÆ H. FASCIÆ III.

DUm agri Dacorum demetuntur, & vaſtantur, milites Prætorianos excubias agere jubet TRAJANUS: alios vero ad explorandas Dacorum munitiones & arcem præmittit, quibus occurrit hoſtis, & pugna conſeritur.

Fig. 279.

In ipſo ſilvæ & ſaltus aditu Prætoriani milites excubant, dum agri Dacorum demeſſis frugibus ſpoliantur, & vaſtantur, ne, dum hæc agunt, incautos hoſtis ſuperveniens invadat.

Fig.

Fig. 280.

Dacorum arx munitissima, in qua frequentes speculæ, editissimo in monte exstructa spectatur. In ea Daci excubant: alii, Romanis exploratoribus obviam euntes, cæduntur: conseritur pugna, Daci succumbunt, arce potiuntur Romani.

TABULA J. FASCIA III.
SEGMENTUM LXXXV.

VAstatis Dacorum agris, capta arce munitissima, e proximis Castris prodire milites, & legionum signa, asportari scalas jubet TRAJANUS, ut reliqua Dacorum munimenta adoriantur.

Fig. 281. & 282.

Daci sternuntur a Romanis; alii, montium juga asperrima petentes, fugiunt, opem expetunt, alii se deditos fatentur.

SEGMENTUM LXXXVI.
EJUSDEM TABULÆ J. FASCIÆ III.

ROmani milites una cum auxiliariis Germanis, sive Pannoniis, sive Illyricis & Dalmatis, Castra Dacorum editis in montibus sita, eaque munitissima scalis conscendere, & inde Dacos expellere conantur; quos valide Daci propellunt, ingentia saxa in oppugnatores devolventes; sed a Romanis superantur.

Fig. 283.

Cæsariani milites quo magis prohibentur a Dacis, ingentia saxa & sagittas jacientibus, ne arcis muros conscendant, & scalas admoveant, eo majore impetu eos adgrediuntur, muros conscendunt, alios cædunt, alios obtruncant: nec cessant funditores lapides e fundis projicere in hostes.

SEGMENTUM LXXXVII.
EJUSDEM TABULÆ J. FASCIÆ III.

TRAJANUS AUGUSTUS ex nunciis audiens, acriter hostes intra munitissimam oppidi arcem se tueri, & Cæsarianos milites in ancipiti discrimine versari, ni continuo nova auxilia mittantur, cum Prætorianorum agmine ac Veteranorum adcurrit, copiisque collectis, cum integro hostili exercitu confligit.

Fig. 284.

Trajano occurrunt milites pericula dimicantium Cæsarianorum exponentes. Hac re cognita, Cæsar, universis copiis exercitus collectis, præsto est, & cum Dacis atrox pugna conseritur.

Fig. 285.

Rotæ in sublimi præ muris montanæ civitatis dispositæ ad Romanos conterendos a Dacis institutæ, quarum axes extrinsecus falcibus, intra præacutis tignis muniuntur; ideoque tertia rota in trianguli vertice addita est, ne in transversum reliquæ ferantur, sed expansæ (alia sic rapidum earum decursum moderante) cum strage in hostem inpingant. Harum rotarum iconismum, perperam ab editoribus Trajanæ columnæ delineatum, *Fabrettus* probe ex archetypo restitutum exhibet Cap. VII. pag. 220.

TABULA

TABULA K. FASCIA III.

SEGMENTUM LXXXVIII.

SUppetias ferenre TRAJANO, additisque Romanis copiis auxiliaribus Germanis, Mauris, Sarmatis, aliisque ſocialibus militibus, Dacorum exercitum ingenti clade proſternit, qua victi Daci, Romani victores evaſere.

Fig. 286.

Munimenta urbis & caſtrorum Dacici exercitus in jugis montium ſita: locus præruptus, Dacis opportunus, Romanis maxime adverſus.

Fig. 287.

Sarmatæ ſagittas in hoſtes jaculantes, egregie pugnant, galea, & ſquameis loricis armato pectore, inferius pendentibus longis veſtibus. Pauci ex Romanis vulnerati concidunt.

Fig. 288.

Dacus miles ſumma vi pollens, ingens ſaxum altius adtollit, ut majore impetu in hoſtes projiciat.

SEGMENTUM LXXXIX.

Ejusdem Tabulæ K. Fasciæ III.

DAcorum Caſtrum mœniis Urbis adjunctum, quo ſe hoſtes adverſus Cæſarianos tutati fuerant, quo etiam eos, ne lignatum, pabulatum, aquatumque irent, impediebant, TRAJANUS præſens expugnat, captum diruit, ne iterum in poteſtatem hoſtium veniat.

Fig. 289.

Pulſis Dacis, & ad alias munitiones confugere coactis, Cæſariani milites, potiti eorum Caſtris longe omnium munitiſſimis, Trajani adſtantis juſſa facientes, omni conatu celerrime diruunt, ne Daci in poſterum iisdem ſe tueantur. Interim clypeo ſe protegunt, ne ſaxis jaculatis a Dacis obruantur, ac diſturbentur.

SEGMENTUM XC.

Ejusdem Tabulæ K. Fasciæ III.

NOva his proxima Caſtra parari jubet TRAJANUS exſtruique, congeſtis in ſtruem lignis, quæ celeri opere e ſilvis abſcinduntur & ſecantur: vel etiam quia ſilva obſtabat Romano exercitui intimos Daciæ ſinus occupare flagrantiſſime cupienti.

Fig. 290.

Ligna in Dacicis ſaltibus mira ſolicitudine cæduntur, diſſecantur, & ſtruibus congeſtis, in munitiones, & varios uſus aptantur.



TABULA

TABULA A.

FASCIA IV.

SEGMENTUM XCI.

TRAJANUS indulgentiſſimus Princeps Regulum aliquem, qui a Decebalo Rege defecerat, ſupplicem excipit; eique ſe dedenti clementiam & opem promittit, adſtantibus belli Præfecto & Tribuno cum Prætorianis militibus, vel potius Protectoribus corporis ejusdem Cæſaris vel Centurione cum ſua Cohorte.

Fig. 291.

Dacus Regulus ſupplex genua Trajani Cæſaris amplectitur, ſe dedens, ut ejus impetret clementiam, ac præſidium.

SEGMENTUM XCII. & XCIII.

EJUSDEM TABULÆ A. FASCIÆ IV.

DAcos in ſummam deſperationem adductos, urbem ſuam incendere, ſibi mortem concire intelligit TRAJANUS.

Fig. 292.

Daciæ cujusdam urbis cives, fame oppreſſi, quos vicinus Romanorum exercitus obſidebat, nullum ſaluti ſuæ perfugium ſupereſſe rati, ne direptionem, & ſervitutem Romanorum ſubire cogantur, ac ne præda ulla hoſtibus ſuperſit, urbem incendunt, morte ſuos adficiunt, & hac illac ululantes miſerando ſpectaculo diſcurrunt, ac ſe epoto veneno conficiunt.

Fig. 293.

Prolatis dextris, capita ſua etiam percutientes Daci in maximam deſperationem prolabuntur. Alii fame pereunt; alii ſupplices Deorum opem poſcunt; alii inter brachia parentum concidunt, & moriuntur. Paratum vaſculum veneno plenum in medio poſitum complures adeunt Daci, vaſculis hauriunt, ut celerius finem tot malorum ſibi conſciſcant.

TABULA B. FASCIA IV.

SEGMENTUM XCIV.

Fig. 294.

Reliquiæ Dacici exercitus ſaluti ſuæ conſulentes, urbem munitiſſimam relinquunt; per aſpera loca, & ardua montium juga fugientes, Draconis ſignum, quod ex acie ſuperfuerat, ſequuntur. Alii Trajani clementiam implorantes, ad eum ſupplices manus protendunt.

SEGMENTUM XCV.

EJUSDEM TABULÆ B. FASCIÆ IV.

COmpluribus e primoribus Dacis a TRAJANO pacem ſuppliciter flagitantibus, idem Imperator apprehenſo enſis capulo ſiniſtra manu, dextra vero ſui paludamenti lacinia, ulterius ſe progredi velle, & univerſæ Dacorum nationi excidium inſtare denuntiat.

Fig. 295.

Adſtante Legione, cum ſigno & labaro, Præfecto & Tribuno, Trajanus ſupplices Dacos repellit, minis terret, & internecione delendos indicit.

SEGMENTUM XCVI.

EJUSDEM TABULÆ B. FASCIÆ IV.

COnvocato in Caſtris Exercitu Cæſariano, TRAJANUS de altero cum Dacis conflictu decernit; atque interim omnem com-

meatum in Castra asportari jubet, militibus in præsidiis relinquendis oportunum auxilium futurum.

Fig. 296.

Milites levis armaturæ, urgente Præfecto rei frumentariæ, saccos frumento plenos in Castra ferunt.

TABULA C. FASCIA IV.

SEGMENTUM XCVII.

NOva in Dacos profectione, novoque conflictu atrociore decreto, TRAJANUS, concione dimissa, milites per portam Castrorum ad bellum proficisci, diruta castra refici, stratores iter complanare, exscisis obstantibus silvis, imperat.

Fig. 297.

Exercitus in Castris, adstantibus militaribus signis, Trajanum novam in Dacos expeditionem decernentem audit, eique paret.

Fig. 298.

Levis armaturæ Romani milites primi contra Dacos ire jussi a Trajano, e Castrorum porta exeunt, & agmen ducunt.

SEGMENTUM XCVIII.

EJUSDEM TABULÆ C. FASCIÆ IV.

JUbente TRAJANO, stratores iter complanant, exscisis silvis, ligna vero in Castrorum munimentum comportantur.

Fig. 299.

Milites aliqui intecto capite ex auxiliariis, aliqui ex Romanis galeati ligna cædunt; alii ad munienda Castra comportant. Quoties enim Trajanus in hostes progredi milites jubebat, maxima ejus cura erat, ut itinera tuta ac facilia essent, & loca, per quæ Romanus exercitus transire debebat, castris essent probe munita, atque omnibus præsidiis & commeatu instructa. Lignatores dum arbores obstantes cædunt, de more, clypeos humi depositos relinquunt; vel id potius ad Prætorianos milites pertinet, qui hunc morem excubantes servant.

Fig. 300.

Prætoriani Milites depositis humi scutis, seu parmis, de more ante Castra Prætoria excubant.

SEGMENTUM XCIX.

EJUSDEM TABULÆ C. FASCIÆ IV.

TRAJANUS e Prætoriis Castris egressus, ad utrumque latus adstantibus Hadriano, Præfecto, & Tribuno, ad conspectum suum tres Decebali Regis legatos admittit, qui pacem ab eo petunt, sed ut perfidi, & hostes Romani Populi, minis territi non obtinent.

Fig. 301. & 302.

Trajanus Dacicæ nationi infensissimus, ensis capulum dextra apprehendens, non audit Decebali Regis legatos pacem suppliciter postulantes, & teterrimam cladem brevi proximam, & exitium indicit. Interim delectos levis armaturæ milites flumen trajicere imperat, Decebali Regiam vastaturus.

TABULA D. FASCIA IV.

SEGMENTUM C.

TRans flumen Castra ex congestis struibus composita auxiliariis militibus complet, & tuenda præcipit TRAJANUS.

Fig.

Fig. 303.

Varia Castrorum constructio, & figuræ, spectandæ sunt; ad quæ expugnanda Dacorum agmen progreditur.

SEGMENTUM CI. & CII.

EJUSDEM TABULÆ D. FASCIÆ IV.

DAci Castrum, seu Oppidum quoddam probe munitum, Romano milite refertum, expugnare conantes, maxima vi ac cæde a Cæsarianis militibus, urgente TRAJANO, repelluntur, qui ingentibus saxis in eos dejectis, atque e mœnibus devolutis, egregie se obsessi tuentur.

Fig. 304.

Daci, e propinquis munitissimis locis prosilientes, agmine facto obsidione cingunt Romanorum militum Castra, atque expugnare nituntur; sed dejectis saxis oppressi, clade adfecti corruunt, & plerique fugam adripiunt.

Fig. 305.

Romani milites unum e primoribus Dacis a se in oppugnatione occisum, catenis revinctum suspendunt, & ad gentis ludibrium & terrorem ostentant, e turri & mœniis Castrorum Daci, quamvis strenue pugnent, & clypeis se protegentes saxorum ictus propulsent, tamen deleti corruunt, & occumbunt.

Fig. 306.

Daci maximo detrimento in oppugnatione arcis adfecti, veriti ne novus miles in subsidium veniret, obsidionem solvere, & in fugam se convertere, coguntur.

TABULA E. FASCIA IV.

SEGMENTUM CIII. & CIV.

TRAJANUS CÆSAR strenue propugnata a Romanis militibus arce, soluta propulsataque obsidione, magna cum Dacorum clade, adstantes duas militum legiones adloquitur. Conlaudat egregiam illorum virtutem; ad futurum belli finem feliciter obeundum hortatur, ingentia præmia ac dona pollicetur.

Fig. 307.

Trajanus, suis ducibus stipatus, in parvo suggestu stans milites suos adloquitur, hortatur, & præmia bellum Dacicum conficientibus decernit, vel promittit.

Fig. 308.

Inventi Decebali Regis thesauri, oneratis equis, ad Trajanum adducuntur. Vascula omnis generis aurea & argentea asportantur.

Fig. 309. *&* 310.

Decebalus in concionem adductis suis militibus ac primoribus, eos adloquitur: postquam regiam amisit, & tota fere provincia in potestatem Populi Romani reducta est, & gaza quoque erepta, duo superesse memorans, vel morte malorum ærumnarumque finem imponere, vel servire Romanis, primum deligens dimissa conciono, angustia pressus, pugione ad pectus adacto, se interimit. Reguli non pauci idem mortis genus subeunt, dum quidam vulneribus se confodiunt, quidam alios provocant, precibusque obtinent, ut alter alteri necem inferat. Reguli aliqui se ad ultima subeunda paratos ostendunt, & acrius contra Romanos se pugnaturos testantur.

SEGMENTUM CV.

EJUSDEM TABULÆ E. FASCIÆ IV.

TRAJANUS e tentorio suo prodiens, non paucos Dacos audit, qui ipsum necis Decebali Regis certiorem faciunt: sed quia adhuc supererant Reguli Dacorum rebelles & perfidi, nunquam se

quieturum respondet, nisi eos quam primum penitus deleat, ut tota Dacia potiatur.

Fig. 311.

Daci ex primoribus, Trajani clementiam supplices poscunt, ei sese dedentes.

TABULA F. FASCIA IV.
SEGMENTUM CVI. CVII. CVIII.

Fig. 312.

In non paucos ex primoribus Dacis & Regulis, qui equo insidentes per ardua montium fugam adripuerant, Trajanus Equitum alam inmittit, a qua deprehensi trucidantur ac penitus delentur; vel captivi, manibus post terga revinctis, ad augendam triumphi Dacici magnificentiam & decus, reservantur. Quod reliquum erat provinciæ vastari, diripi, ac subigi imperat TRAJANUS, vastissimo tandem Regno, victricibus armis, potitus.

TABULA G. FASCIA IV.
SEGMENTUM CIX. CX. CXI.

Fig. 313. & 314.

Absoluto altero Dacico Bello, quo Cæsariani Milites pacem & securitatem Populo Romano pepererant, & Divitias publici ærarii auxerant, ad id testandum, atque exhilarandos eorum animos, unius acerrimi hostis nece superbientes, in Prætoriis Castris TRAJANI super tabulam adfertur exsectum atque discissum Decebali Regis caput, quod omnes læti adspiciunt. Prætoriani milites ad ejus custodiam clypeum gerentes excubant.

Fig. 315. 316. 317.

Dacorum reliquiæ, qui in montana & edita maxime loca confugerant, a Romano milite delentur: qui vero obstinato animo rebelles supererant, in captivitatem misere abducti, in Dacici triumphi pompam majoremque TRAJANI Optimi Principis gloriam servantur. Loca dein munitissima, expugnatuque difficilia Romanus miles conscendit, universa diripit, occupat. Cervi, onagri & boves in ipsis editissimis montibus pascentes exhibentur, ad locorum inaccessorum difficultates declarandas.

Fig. 318. & 319.

Postremo supererat Dacorum Castellum valde munitum, & socialium fœderatorumque populorum præsidio tutatum; quod quum expugnassent Cæsariani, jubente TRAJANO, hos quoque vulnerant, prosternunt, & captivos abducunt. In aëre, expanso super caput velo, dum hæc aguntur, adparet feminæ imago, quæ vel Lunam, vel Auroram designat. Edita schemata feminam Deam repræsentant; quare mirari subit, cur Ciacconius imaginem Juvenis agnoscat, nempe solem orientem, ad indicandum tempus, quo Dacicum bellum secundum exantlatum atque absolutum est.

TABULA H. FASCIA IV. POSTREMA
SEGMENTUM CXII. CXIII. CXIV.

Fig. 320.

TRAJANO jubente, milites Romani vacuas urbes, &, civibus fugientibus, desertas, diripiunt, vastant, incendunt. His, & levis armaturæ militibus Coloniis adsignatis, ejusdem optimi Principis liberalitate, dimissi eas adeunt, advectis sarcinis, cum uxoribus & filiis, grege & armento præire jussis. Deest in Columna hac plane magnifica & memoranda TRAJANI in urbem reducis Historia, qui tot victoriis clarus, secundum de Dacis triumphum egit, summa pompa, gratulatione, & plausu Senatus totiusque Populi Romani, non solum DACICUS, sed & SARMATICUS adpellatus.

Finis Columnæ Trajanæ.

RE-

REPRAESENTATIO
GEMMAE ELEGANTISSIMAE,
Vulgo dictæ *Achates Tiberianus*

Quæ in S. Capellæ Gazophylacio Parisiis adservatur cum interpretatione, ac observationibus A. Rubenii, & J. Harduini; accedit Explicatio Gallica J. Tristani.

Secundum Rubenium	Harduinum	Tristanum.
1 Nero Drusus, pater Germanici.	1 Tiberius Nero, pater Tiberii Augusti, proavus Caji Cæsaris.	1 Augustus.
2 Augustus.	2 Augustus, proavus Caji Cæsaris.	2 Jupiter.
3 Æneas, aut *Julus.*	3 Livia Augusta, Caji Cæsaris proavia.	3 Æneas.
4 Tiberius Claudius Nero Tiberii Aug. pater.	4 Nero Drusus, Caji Cæsaris avus, pater Germanici.	4 Nero Drusus, pater Germanici Cæsaris.
5 Livia mater.	5 Julia Augusta, conjux Tiberii Aug. Caji Cæsaris avia.	5 Antonia.
6 Tiberius August.	6 Tiberius Aug. Caji Cæsaris propatruus.	6 Tiberius August.
7 Germanicus.	7 Germanicus Cæsar, Caji Cæsaris pater.	7 Germanicus.
8 Antonia.	8 Agrippina, Germanici conjux, Caji Cæsaris mater.	8 Livia Augusta.
9 Livia Drusi.	9 Livia, Drusi Conjux, Caji Cæsaris amita.	9 Julia Tiberii Conjux.
10 Drusus, Tiberii filius.	10 Drusus, Tiberii Aug. filius, avunculus Caji Cæsaris.	10 Numerius Atticus.
11 Agrippina, Conjux Germanici, Caji mater,	11 Agrippina *Junior*, Caji Cæsaris Soror.	11 Agrippina, Germanici conjux.
12 Cajus Cæsar.	12 Cajus Cæsar, Sexennis, qui postea Aug. Germanicus.	12 Cajus Cæsar.
13 Armenia afflicta.	13 Asia Minor.	13 Libertus Notarius.
	14 Captivi longo ordine ex Germania.	14 Captivi longo ordine ex Germania.

RUBENII DISSERTATIO.

Inter Peireskium & Tristanum convenit, Principem hujus gemmæ locum obtineri a Tiberio, qui throno insidet habitu Jovis, & eodem plane cultu ornatus, quo Augustus Cæsar in subsequenti gemma; præterquam quod hic velamentum femorum & tibiarum squamis asperatum, & serpentibus fimbriatum est, prout Ægis describitur a Virgilio:

HARDUINI INTERPRETATIO.

Nihil dici potest illa dispositione, sive illo personarum ordine ingeniosius aut aptius; adeo ut alias ibi personas agnoscere, quam quas ab ingenioso artifice designatas fuisse credimus, nemo possit, nisi qui animo historicorum fabulis oppleto & anteoccupato perver-

EXPLICATION
DE LA GRANDE
AGATE-ONYCE ANTIQUE,
De la Sainçte Chapelle de Paris.

Ce que cette riche Agathe contient, se peut dire estre l'un des plus rares monumens de l'Antiquité, qui soit non seulement en France, mais aussi en toute l'Europe. La pierre de soy à la verité est tres-considerable pour sa grandeur, excedante toute imagination, comme vous voyez, & pour l'excellence de l'ouvrage qu'elle contient: mais ce qu'elle nous represente, me semble, sans comparaison, de beaucoup plus digne consideration, & de plus grande valeur que l'un & l'autre, puisque la principale utilité consiste en son in-

vertere omnia malit, quam ab his desciscere. Nam in superiore quidem segmento, seu quasi tabulato, Caji Cæsaris Germanici Majores collocantur, qui jam fato functi censerentur inter Divos esse; in altero, ejusdem parentes cum agnatis qui tunc viverent: in inferiore demum, captivi e Syria a Germanico & Ipso Cajo Cæsare Romam missi.

Itaque sub Cajo Cæsare, qui Germanici filius fuit, sculptum hunc Achaten fuisse putamus a Græcis: est enim opus Græcanicum, sed artis eximiæ; & e Græcia pervenit ad regem Francorum, Divum Ludovicum. Græcos autem, Mytilenæos præsertim, & e minore Asia, addictos in primis fuisse familiæ Germanici Cæsaris, nummi testantur antiqui, quos sub Caji principatu proferam. Illi igitur significare voluerunt, Cajum principem, cum vix Major decenni foret, anno Tiberii Aug. Nono, Tiberii Ipsius jussu cum Germanico patre profectum in Asiam Reipublicæ causa: captivos inde plurimos ab Ipso & patre Romam missos fuisse: Ipsum denique minime degenerem a virtute majorum vel agnatorum. Nam eam ob rem exhibet ea Gemma,

In superiore quidem tabulato, Caji Cæsaris 1. proavum, Tiberium Neronem: 2. proavum alterum, Divum Augustum: 3. proaviam, Liviam Augustam: 4. avum, Neronem Drusum Germanicum.

In segmento deinde altero, 7. patrem, Germanicum Cæsarem: 8. matrem, Agrippi-

Ægidaque horrificam, turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexos angues.

Quapropter Peireskius vestem hanc Imperialem non immerito Ægidem Jovis esse dixit. Sed adversatur huic opinioni vir de antiquitate optime meritus, & demonstrare conatur, Ægida dici non posse, cum nec pellis caprinæ speciem referat, nec caput Medusæ insertum habeat, nec demum pectus occupet, ut Ægides in Palladiis solent. Verum quod quidem ad pellem caprinam attinet, Herodotus libro 4. [189.] diserte negat, Ægidas simulacris deorum a Græcis apponi solitas e pellibus fuisse confectas. Τὴν δὲ ἄρα ἐσθῆτα, καὶ τὰς αἰγίδας τῶν ἀγαλμάτων τῆς Ἀθηναίης ἐκ τῶν λιβυσσέων ἐποιήσαντο οἱ Ἕλληνες. πλὴν γὰρ ἢ ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν λιβυσσέων ἐςὶ, καὶ οἱ θύσανοι οἱ ἐκ τῶν αἰγίδων αὐτῇσι, οὐκ ὄφιές εἰσι, ἀλλ᾽ ἱμάντινοι, τὰ δὲ ἄλλα πάντα κατὰ τωὐτὸ ἔςαλται. Eustathius ad ε Iliados, ubi hunc Herodoti locum explicat: Τὸ δὲ πλὴν ὅτι σκυτίνη ἡ ἐσθὴς τῶν λιβυσσῶν, δηλοῖ τὰς παρ᾽ ἕλλησιν αἰγίδας ἐν ἀγάλμασι τυχὸν Διὸς ἢ Ἀθηνᾶς ὑφαντὰς ἢ πλεκτάς τινας εἶναι, καὶ οἷον σαγοειδεῖς μαλλωτάς. Τυχὸν μὲν ἐξ εὐπορίςου ὕλης, τυχὸν δὲ καὶ ἐκ τιμιωτέρας, οὐ μὲν αὐτόχρημα αἰγᾶς ἤτοι αἰγίδας, ὅ ἐςιν αἰγῶν δορὰς.

Et sane, si Græcorum Ægides squamis serpentum variatæ fuerunt, ut ex Virgilio constat; non video, quomodo pellibus caprinis similes esse potuerint. Non etiam squamata hæc Jovis vestis, Tiberio circumdata, ideo Ægidis appellationem obtinere non potest, quia caput Gorgonis nequaquam appositum est. Illud enim a Minerva demum Ægidi sibi a Jove concessæ adjectum fuit, ut Poetæ fabulantur, & ipse contrariæ sententiæ Auctor alicubi annotat. Ad ultimum non diffiteor, in priscis monumentis plurimas Imperatorum imagines extare Ægide ad pectus armatas, ut in nummis Antonini Caracallæ, & Alexandri Severi apud Octavium Stradam; & in eximio Achate Ducis Bucquingamii, qui Constantinum Augustum præfert simili habitu.

De statua quoque Julii Cæsaris Christodorus lib. 5. Anthologiæ:

Καῖσαρ δ᾽ ἐγγὺς ἔλαμπεν Ἰούλιος, ὅς ποτε Ῥώμην
Ἀντιβίων ἔςεψεν ἀμετρήτοισι βοείαις
Αἰγίδα μὲν βλοσυρῶπιν ἐπώμαδον ἦεν ἀείρων.

Nec

---

intelligence. Car bien que la beauté & la grace des figures antiques, soient autant estimables par l'instruction que les Sculpteurs, Graveurs, & les Peintres en peuvent emprunter, que venerables pour leur antiquité: il est certain toute-fois, que leur prix augmente infiniment, lors qu'elles illustrent & enrichissent l'Histoire par la rareté de leurs Sujets, & par la varieté des choses qu'elles representent. Or tous ces degrez de merite & de valeur se rencontrans en cette excellente pierre, & en ce qu'elle contient, je croy avoir raison de la mettre au nombre des choses qui n'ont point de prix; & d'esperer que le public m'aura de l'obligation, de l'avoir non seulement fait graver au burin, pour la faire voir fidellement representée, mais aussi de l'avoir expliquée. C'est un present qui fut fait autrefois par Charles Cinquiéme *du nom Roy de France, sur-nommé le sage, au Thresor inestimable de la Sainctte Chapelle de Paris, qu'il semble avoir receu (ou quelqu'un de ses predecesseurs Rois) de la liberalité de quelque Empereur de Constantinople, ou autre Prince Chretien de la Grece. Car les quatre Evangelistes sont representez de part & d'autre du chaissis ou tableau d'or, dans lequel cette pierre est enchassée, ayans ainsi leurs noms inscrits en characteres grecs*, ΜΑΘΑΙΟΣ, ΜΑΡΚΟΣ, ΛΟΥΚΑΣ, ΙΩΑΝΝΗΣ: Marthæus, Marcus, Lucas, Joannes. *L'ignorance ayant tellement ensevely la connoissance de tout ce qui concernoit les merveilles & les singularitez de l'Histoire & de l'Antiquité sous les Empereurs Grecs, l'Espace de plusieurs siecles: que ce n'est pas grande merveille que nous voyons icy un monument de l'Apotheose d'*Auguste, *& de la gloire de la maison de* Germanicus, *& de ses plus memorables actions, avoir esté pris en ces temps plus barbares, pour le Triomphe de Joseph; appellans (comme je croy)* Triomphe de Joseph, *l'honneur qu'il receut du Roy d'Egypte, d'estre porté glorieusement dans un char par tout son Royaume. Mais qui considerera le peu de rapport qu'il y a de ce qui se void en cette Agate, avec ce qui concerne ce pretendu Triomphe; il admirera la simplicité & l'ignorance des bonnes gens du temps passé; & jugera facilement neantmoins que nous avons*

Nec aliunde petenda explicatio nummorum Neronis apud Triſtanum numero 14. 20. & 23. in quibus angues loricæ ejus adjecti ſunt. At vero in hac gemma cum Tiberius plane Jovi aſſimilatus ſit, qui intecto pectore fingebatur, quemadmodum ſupra diximus, non quidem Ægis pectori circumdata, ſed ut ſculptoribus non minus quam

——— *Pictoribus atque Poetis*

Quid libet audendi ſemper fuit æqua poteſtas;

tegmen femorum in Ægidis morem formatum eſt, ab artifice veteris Mythologiæ, ut apparet, non imperito. Nonnulli enim ex antiquis Theologis Jovem eſſe dicebant Cælum & Aërem. Homerus ο Iliados: ℣. 192.

Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσι.

Ad quem locum Euſtathius: Ζεὺς πᾶς ὁ ὑπὲρ γῆς ἀήρ. ὅ τε φωτιζόμενος ἀπὸ γῆς ἕως νεφῶν, καὶ ὁ ὑπὲρ τὰ νέφη, ὃν καὶ οὐρανὸν ὀνομάζει. Servius ad ſecundum Georgicorum [325.]: *Interdum pro aëre Juno, & pro æthere Jupiter accipitur: aliquoties & pro aëre, & pro æthere Jupiter; Juno vero pro terra & aqua.* Hinc ſuperiora quidem Jovis membra, id eſt, Æther,

Perpetuum nulla violatus nube ſerenum,

abſque ullo velamento expoſita conſpiciuntur; ſed inferiora, quæ Aërem deſignant, nubibus obductum, & tempeſtatibus ſæpe turbidum, Ægide tecta ſunt. Hæc enim procellarum, nimborum atque turbinum ſymbolum eſt. Ideo Virgilius Ægida *nigrantem* dixit, & Silius Italicus

Nimbos flammaſque vomentem.

Servius ad 8. Æneidos: *Sane Græci Poetæ turbines & procellas* καταιγίδας appellant, quod Ægis mota faciat tempeſtates. Euſtathius ad ε Iliados: Αἰγὶς νοεῖται τὰ κατὰ ἀέρα πάθη, καὶ φοβήματα, ὧν ἔνια οὐ μόνον καταιγίδες λέγονται, ἀλλὰ καὶ αἰγίδες ἀσυνθέτως.

Forte etiam cœlator ſignificare voluit hoc ſchemate, Tiberium civibus quidem Romanis intectum ſerenumque apparere, ut Jupiter cœlicolis videri credebatur: at verò Barbaris infra ſe poſitis Ægida oſtentare, & fulmina tempeſtateſque armorum ſuorum immittere.

Dextrum *Tiberii* latus claudit *Antonia* Druſi, ſiniſtrum *Livia*, ſeu *Julia Auguſta*, ut bene Peireskius. Illa recta adſtat, & Germanicum filium nam: 6. aviam, Juliam Auguſtam: 5. propatruum, Tiberium Aug. 10. amitam, Liviam Druſi conjugem: 9. avunculum, & amitæ maritum, Druſum Tiberii filium: 11. ſororem, Agrippinam Juniorem. 12. Ipſummet Cajum Cæſarem. Vide ſtemma Cæſarum, de quo ſuperius ad te ſcripſimus. Sola hic deeſt Antonia Caji Cæſaris avia, cum Claudio Caji Cæſaris patruo; quoniam huic illa nimirum, plus quam Germanico & Cajo faveret, ut ex nummis manifeſtum eſt. Nulli ſunt enim Antoniæ nummi ſub Cajo, ſed tantum ſub Claudio.

1. Primo loco igitur Tiberius Nero, pater Tiberii Aug. Caji Cæſaris Germanici proavus, laureato capite exhibetur, quoniam fuit olim in exercitu Imperator: idem Pegaſo vehitur, quem regit Cupido. Geſtu protenſæ manus ſiniſtræ, ſubiratoque vultu offenſum præ ſe fert animum; quoniam dum viveret, *hoſtis Auguſti* fuit, ut Plinius refert, libro VII. Sect. XLVI. odiumque priſcum, (quamquam ambo jam inter ſuperos,) & ipſe quidem geſtu, & Auguſtus torvo atque in Tiberium converſo vultu repræſentat. Sed Cupido, matrimonii ſymbolum, quod Livia Tiberii Neronis conjux, Tiberii Aug. mater, poſtea cum Cæſare Auguſto iniit, domum utramque mutuo fœdere conjunxit. id appoſite ſignificatur, adpicto Cupidine, qui pacis ſequeſter intervenit; nec ipſum tamen Tiberium Neronem, (neque enim ſic decuit;) ſed equum re-

vons cette obligation à leur pieté, qu'elle aura eſté conſervée juſque à preſent. Car de meſme que ceux qui la firent accoſter de ces repreſentations des quatre Evangeliſtes, crurent qu'elle contenoit le memorial de cette fortune de Joſeph, & la garderent entre les Tableaux de pieté & dignes de veneration, dont en cette qualité ils firent un preſent à nos Rois: ainſi fut elle donnée par le Roy Charles V. à la dite Chapelle, par les meſmes mouvemens & par la meſme perſuaſion, en qualité d'une Hiſtoire Saincte, & non prophane, ce qui a eſté ſans doute cauſe de ſa conſervation juſques à preſent; car ſi cette antiquité euſt eſté reconnuë, elle euſt eſté laiſſée dans le Cabinet Royal; où ſans doute elle euſt ſuivy la fortune qu'un million d'autres riches ſingularitez, & de Manuſcrits de toutes qualitez eurent depuis, par les pilleries, bruslemens & ruines, que le calamiteux cours du long regne de Charles VI. alienè de ſon bon ſens, cauſa en France. La premiere connoiſſance que j'eus de cette belle antiquité, me vint autrefois par l'advis que m'en donna Monſieur de Peireſc *Conſeiller du Roy en ſon Parlement de Provence; perſonnage d'un ſi rare merite, & d'un ſçavoir ſi exquis, que tout ce que j'en pourrois témoigner, ſe rencontreroit ſans doute inferieur à la reputation qu'il en a par toute l'Europe, particulierement pour le renom qu'il s'eſt acquis d'avoir une parfaite connoiſſance de tout ce qui concerne l'Antiquité, c'eſt pourquoy je me contenteray de luy donner cet Eloge tel quel pour reconnoiſſance. J'eus donc le bien de conſiderer attentivement avec luy, & de former lors les premieres conjectures de ce que j'eſtimois qu'une partie de ce rare monument de l'Antiquité pouvoit repreſenter, dont je veux faire part aux curieux, & de ce qu'il me ſemble y avoir apperceu d'aſſeuré depuis, en ce qui concerne le ſurplus de ce qui s'y void: l'exacte conference que j'y ay faite des Effigies des perſonnages, avec celles que les medailles, les ſtatues antiques, & les pierres gravées nous repreſentent, m'ayans grandement ſervy pour en decouvrir le myſtere. Venons donc premierement à la deſcription de ce qui concerne la memoire d'*Auguſte*, qui eſtoit des-ja deïfié, lors que cet ouvrage excellent*

regit, quo vectus propterea Tiberius pingitur; admovetque sic propius Augusto Tiberium. Equum autem in cœlo pingi non alium decuit, nisi Pegasum, sive Jovis equum.

2. Divus Augustus, Caji Cæsaris Germanici proavus alter, radiato capite & velato, ut Divus; & jam fruens requie optimorum meritorum, sedet: dextra tenet bacillum Imperatorium, *le bâton de commandement*, symbolum Imperii in exercitibus. Hunc cum Tiberio Nerone, dum ille vixit, numquam rediisse in gratiam, testis est Plinius, loco allato, ubi de Augusto: *In summa*, inquit, *Deus ille, cælumque nescio adeptus magis, an meritus, herede* HOSTIS SUI *filio excessit*. Qui si cum Tiberio Nerone, dum vixit, pacem iniisset, ut Suetonius cum ceteris comminiscitur, diceret Plinius, ut alibi Tullium compellans, in eodem libro. Sect. XXXI. *ut Dictator Cæsar hostis* QUONDAM *tuus de te scripsit; quondam* enim cum dixit, reconciliatam postea gratiam significat.

3. In ipso Augusti sinu exporrecta Augusta Livia, veluti maritum Tiberium Neronem adiens, proavia Caji Cæsaris Germanici, velato capite pingitur, ut matronam & Divam decet. Tenet illa orbem Romanum, quem cum Augustæ nomine, pro matrimonii veluti dote, ostendit priori marito Tiberio Neroni, quasi ipsius posteris destinatum. Sic iratum lenit ac mitigat. Pro Livia Tristanus Aenean, Rubenius Aenean vel Jülum, sed male, complectitur, hæc in eodem quo Tiberius solio sedet, ut pote quæ Augusta erat, & dominationis fere socia, ita ut litteræ Tiberio scriptæ etiam matri ejus inscriberentur, teste Dione libro 57. Quod miror non animadversum esse à viro oculatissimo, qui mutatis partibus personam Liviæ tribuit Antoniæ; & contra, quam Peireskius & nos Liviam esse censemus, ipse Antoniam nominat. Sed ut argumentum illi suum reponam, nullam speciem veri habet, Antoniam quidem, quæ demum a Cajo Cæsare Augustæ titulum obtinuit, in Augustali throno locatam esse, Liviam vero Augustam Tiberio adstare.

Dextra gestat Livia spicas & papavera, ut omnes ferè Augustæ in numismatis & marmoribus antiquis. μήκωνες enim τῆς πολυγονίας σύμβολον, ut Porphyrius ait apud Eusebium lib. 3. cap. 11. Præpar. Evang.

Adjacet solio Barbarus quidam, tiara, tunica manicata, & sarabaris velatus. Tristanus putat esse servum aut libertum notarium, Tiberii & Germanici verba excipientem. Ego Armeniam esse opinor, quæ simili prope cultu, tiarata, tunicata & braccata conspicitur in L. Veri nummis. De quo Orientalium Barbarorum habitu latè agit Brissonius de regno Persarum. Ego id solum hic adjiciam, ex hac imagine liquido apparere, quænam sint apud Lucretium *anademata*, apud Virgilium

——— *redimicula mitræ.*

Sustentat tristis Armenia sinistra manu inclinatum caput, eodem gestu, quo Judæa aliæque provinciæ sæpe in nummis effigiatæ spectantur. Infestabatur enim tunc temporis regio hæc Vononis & Parthorum motibus, ad quos componendos, & opem afflictæ Armeniæ ferendam Liviam Germanicum adhortari videtur.

Ille galea, clypeo, & ocreis instructus alacriter operam suam pollicetur, & tecto capite se obstringit, paratus caput & vitam Reipublicæ & Tiberio patri impendere.

Adsistit Germanico Cajus Cæsar Caligula manipulario habitu, qui patrem comitatus est in Syriaca expeditione, ut Suetonius refert cap. 10.

Agrippina Germanici, filio & marito adjuncta, non stola, ut Livia & Antonia, sed chlamyde fibu-

---

lent fut taillé, il y avoit bien quarante ans & plus, ainsi que je le conjecture.

*En premier lieu s'y remarque le transport d'*Auguste *dans les cieux, fait par le ministere d'un Pegase qui l'introduit volant au dessus des nuës, où se void un petit Amour ailé qui semble le conduire, le tenant par le chanfrein, devant Jupiter; ce qui regarde l'estat auquel il fut estimé estre monté dans les cieux, aprés qu'il eut esté consacré & deifié par Decret du Senat, conformément au rapport d'un certain personnage qui estoit Senateur, & qui avoit esté Preteur, nommé* Numerius Atticus, *qui jura & affirma avoir veu* Auguste *glorieusement élevé dans les cieux, dont il fut bien recompensé par* Livia. *Cesluy-cy faisant son profit de cette sorte de fourbe, comme jadis un certain* Proculus, *qui protesta avoir veu* Romulus *porté dans le Ciel. Voyez Suetone chap.* 100. *Plutarque és vies de Romulus & de Jules Cesar, & Dion liv.* 56. *comme aussi depuis un autre asseura avoir veu* Drusilla *Sœur de Caligule montant és mesmes lieux, ainsi que le mesme Suetone le remarque aprés Seneque en son Apocolocyntose, lequel fait mention de ces pretenduës ascensions és cieux, en se gaussant ainsi de Claude.* Tamen si necesse fuerit (*ce dit-il*) authorem producere, quærite ab eo, qui Drusillam euntem in cœlum vidit, necesse est illi omnia videre, quæ in Cœlo aguntur. Appiæ viæ curator est; quâ scis & Divum Augustum, & Tiberium Cæsarem ad Deos isse. Hunc si interrogaveris, soli narrabit, coram pluribus nunquam verbum faciet. Nam ex quo in Senatu juravit, se Drusillam vidisse cœlum ascendentem; & illi pro tam bono nuntio nemo credidit quid viderit. *aussi estoit-ce la coustume, ce dit S. Justin Martyr en son apologie, entre les Romains, de faire dire par quelqu'un, voire asseurer par serment, avoir veu l'Empereur decedé, porté tout ardent dans les cieux. or cette pierre semble nous apprendre, en quelle posture, & comment,* Numerius Atticus *feignit l'avoir veu monter là haut; luy mesme estant icy representé debout, les bras ouverts, la teste haute, contemplant ce transport d'Auguste couronné de laurier, monté sur le Pegase, & laissant tomber en bas sa depoüille mortelle,*

bulatoria circumvelatur; quia nempe in castris ac expeditionibus plerumque versata est. Sic Didoni ad venationem proficiscenti chlamydem tribuit maximus Poetarum:

Tandem progreditur magna stipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Agrippina quoque Claudii uxor Naumachiam in lacu Fucino spectavit aurea chlamyde amicta, ut Tacitus, Plinius & Dio notant.

Ab altera parte, pone thronum Tiberii, sedet puella in humili lecticula aut subsellio sphingis imagine exornato, quæ ob illud insigne, Julia Augusti filia existimatur a Tristano. Sed vix credere possum, vomicam hanc domus Augustæ hic expressam esse, & quidem sub Tiberio, qui infesto semper odio illam prosecutus, mox ut principatum adeptus est, extorrem, infamem, & post interfectum Agrippam, omnis spei egenam inopia ac tabe longa peremit. Incidit autem mors Juliæ, Tacito teste, in annum Julianum 59. ab Vrbe condita 767. At certum est, gemmam hanc cœlatam esse post reditum Germanici e Germania, qui contigit exeunte anno Juliano 61. aut ineunte 62. duobus minimum post Juliæ mortem annis. Itaque rectius meo judicio Peireskius censuit, esse Liviam seu Livillam Germanici sororem, nuptam Druso Tiberii filio; cui sententiæ suffragatur insignis gemma Bucquingamii Ducis, quæ refert Livillam eodem filo vultus, serto ex spicis & papaveribus contexto coronatam, duosque gemellos in sinu habentem. Quantum ad sphingem, vulgari apud Romanos Græcosque consuedine, fulcra lectorum & sellarum in sphingium & gryphum speciem deformari solebant. Callixenus Rhodius apud Athenæum lib. 5. Ἔκειντο δὲ καὶ κλῖναι χρυσαῖ σφιγγύποδες, ἐν ταῖς δυσὶ πλευραῖς ἑκατόν. Isidorus lib. 20. cap. 11. *Sphingæ sunt sphingatæ effigies, quas nos Gryphos dicimus.*

Adsistit Livillæ juvenis galeatus & paludatus, dextram cœlum versus protendens. Hunc Tristanus Numerium Atticum esse credit, eo gestu expressum, quo Augustum in cælum ascendentem a se conspectum affirmaverat. De qua opinione ut nihil aliud dicam, certe non video, qua ratione Numerio Senatori & Prætorio viro galea & chlamys conveniat, cum ille non in expeditione aliqua, fuerent: cum & vultus, & habitus, & ipsum vestis genus, non virum esse, sed feminam clamet. Et quid deinde Aeneæ, cum orbe Romano; vel ipsi Julo, quem suæ gentis auctorem, (quamvis fabulæ secus garriant,) nec Cæsar Dictator, nec Augustus, in nummis agnovit? Romam autem in cœlo nemo veterum profecto poneret, cum sit illa semper in terris: neque hanc eo habitu pingeret; sed eo quem in nummis semper habet; nempe galeato habitu cum hasta; ita ut orbem Romanum, cui sit Victoria imposita, dextra gerat.

4. Nero Drusus, pater Germanici, Caji Cæsaris avus, inter cælites & ipse, qui diem dudum supremum obierat; idem laureato capite, quoniam GERMANICUS IMP. sed stat ipse inter divos & Augustos sedentes; & coram parente Tiberio Nerone, quoniam his omnibus minor. Peireskius hoc loco Cæsarem Dictatorem putat se videre, sed nummi profecto antiqui reclamant: in quibus longe diversa facies est Cæsaris Dictatoris, diversus oris frontisque ductus. Et vero quis in hujus picturæ argumento Cæsari Dictatori locus? quid ille vel ad Tiberium Augustum, vel ad Cajum Cæsarem pertinet? quis deinde stantem Cæsarem Dictatorem ferat, tam simplice cultu, tantoque humiliore, non modo quam Augustum, ipsius filium, sed quam alienos, Drusum, vel Neronem? Neque hunc autem esse Tiberium Neronem, Tiberii Aug. patrem, ut ponit Rubenius, ea suadent, quæ paulo antea de Tiberio Nerone diximus.

6. Ti-

le, estant mesme introduit dans la gloire, par ce petit enfant ailé, comme un Cupidon, lequel je m'imagine estre icy representé sous la ressemblance de celuy des Enfans de Germanicus & d'Agrippine, lequel Auguste *avoit tant aimé pour sa gentillesse, qu'estant venu à mourir,* Livia *en ayant dedié la statuë sous la representation d'un Cupidon, il se le fit apporter dans sa chambre, le baisant amoureusement toutes & quantes fois qu'il y entroit, ou qu'il en sortoit (ce dit Suetone en la vie de Caligula, chap. 7.) or nous voyons icy* Auguste *porté, comme dit est, par le Pegase, comme ce Cheval ailé est representé portant l'Aurore, dans Lycophron en sa Cassandre, à l'entrée de ce poëme, rendant cet office à ce nouveau deïfie, comme suivant la volonté & ordonnance de Jupiter mesme, ou bien comme devenu un nouveau Jupiter celeste, ainsi qu'il l'estoit Ausonien & terrestre en qualité d'Empereur des Romains, estant d'ailleurs remarqué par les scholiastes Grecs, que le Pegase estoit le Cheval de Jupiter, lequel l'Aurore luy avoit donné. Ce qui me fait penser qu'il est icy representé portant Auguste, comme si Jupiter le luy avoit cedé, il est aussi introduit devant Jupiter par ce Cupidon, d'autant que Venus (laquelle il veneroit sur toutes les Déesses, comme ayeule de* Jules*) sembloit luy avoir procuré la gloire de tenir l'un & l'autre sceptre, pour commander souverainement, comme Jupiter, sur les Dieux, ainsi qu'il avoit fait sur les Hommes; voire mesme la flatterie Romaine peut avoir voulu donner à entendre par ce magnifique transport d'*Auguste *deïfié, qu'il alloit tenir le premier rang de Monarque dans les Cieux, comme il l'avoit tenu sur la Terre, & que ce seroit assez d'honneur à Jupiter de se pouvoir dire son compagnon, suivant la pensée de* Manilius *lequel en son premier livre fait Jupiter Compagnon d'*Auguste*, au lieu de representer* Auguste *estre le sien; ainsi*

—— Venerisque ab origine proles

6. Tiberius Aug. Caji Cæſaris Germanici propatruus, ſub patre Auguſto, & ſub matre Livia, ſedet, ut Auguſtum decet, laureato capite, quia Imp. & Aug. cum lituo augurali, quia Augur, & Pont. Max. Denique cum ſceptro ſive bacillo Imperatorio, quod eſt inſigne poteſtatis.

5. Julia Auguſta, Auguſti filia, avia Caji Cæſaris Germanici, Tiberio Aug. marito ſuo adſidet, ſed eo minor, ut par eſt: tamen laureata, quia pariter Auguſta, & conjux Imperatoris, in conſortium venit ejuſdem gloriæ & honoris. Hanc eſſe Antoniam Germanici matrem Triſtanus cenſuit, ceteri Liviam Auguſti conjugem, matrem Tiberii. An cum Tiberio Auguſto alia eſſe debuit, quam Auguſta conjux? Ceteris ex eadem familia Cæſaribus ſua comes in hoc lapide conjux additur: igitur & Tiberio Principi. Certe nec Antoniam cum Tiberio Aug. decet ſedere; ſiquidem tantum conjux fratris ipſius eſſet; ſtante præſertim Tiberii Aug. matre Livia, ut putat Triſtanus. Neque omnino Livia Auguſta hæc eſſe poteſt, ut ceteris placuit; cum ex vultu appareat, eam eſſe annis aliquot Tiberio Aug. juniorem. Ei deinde, quæ Tiberio adſidet, parem annonæ curam fuiſſe, papavera indicant, quæ manu tenet: poteſtatem autem, qua ſola Tiberii Aug. poteſtas major eſſet, ad committendam Aſiæ adminiſtrationem, eidem fuiſſe, eadem cum Tiberio ſedes demonſtrat: angueſque, Aſiæ ſymbolum, æque circum ipſam picti. Nec illa autem cura, nec illa poteſtas, Antoniæ competit. Quod ſi nec ſed Romæ, aut extra Vrbem via Appia, Auguſti Apotheoſin ſibi vitam juraverit; nec Romæ aut Latio Senatores cum galea & chlamyde aut paludamento incedere ſolerent, niſi Conſules & Prætores, cum ad bellum ex Vrbe proficiſcebantur, aut ex bello redibant.

Ad hæc, trophæum quod adoleſcens ille humeris geſtat, planiſſime ſententiam hanc condemnat: Nec enim mihi probat vir nobilis, hoc trophæum denotare exuvias mortales Auguſti ex æthere decidentes. Itaque cum Peireskio Druſum hunc eſſe puto Tiberii filium, Livillæ maritum, qui trophæum fert; quia tunc, cum Germanicus in Syriam profectus eſt, in Illyrico feliciter res geſſit, & Suevos atque Marcomannos mutuis diſcordiis attrivit; qua de cauſa paulo poſt ovatio ei decreta fuit. Expanſam vero dextram ad cœlum elevat Druſus, ut promptum ſe teſtetur ad quævis pericula pro Majeſtate Imperii Romani ſubeunda. Ita apud Lucanum,

——— Cunctæ ſimul aſſenſere cohortes;
Elataſque alte, quæcumque ad bella vocaret,
Promiſere manus.

In ſuperiori gemmæ parte quatuor Divi aut Heroes conſpiciuntur, quorum unus orbem manibus tenet. Hunc Æneam eſſe, facile Triſtano aſſentior: niſi quis forte ex juvenili & imberbi facie conjicere malit Julum eſſe, Juliæ gentis auctorem; habitus certe Phrygem arguit, nempe tiara, tunica manicata, chlamys & braccæ: qui cultus Phrygum erat; a quibus ad Armenios fluxit Phrygum colonos, ut Herodotus ait lib. 7. [73.] Ἀρμένιοι δὲ κατάπερ Φρύγες ἐσεσάχατο, ἐόντες Φρυγῶν ἄποικοι. De tiara aut mitra Phrygia obvia paſſim Scriptorum veterum teſtimonia. De tunica & manicis Virgilius lib. 9. Æneidos:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

De chlamyde & braccis idem lib. 11.

—Tum croceam chlamydemque, ſinuſque crepantes
Carbaſeos, fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Euripides in Cyclope de Helena & Paride:

——— ἢ τοὺς θυλάκους τοὺς ποικίλους
Περὶ τοῖν σκελοῖν ἰδοῦσα, καὶ τὸν χρύσεον
Κλοιὸν φοροῦντα περὶ μέσον τὸν αὐχένα.

Londini in ædibus Arundellianis extat haloſis Trojæ in antiquo marmore, quod omnes Trojanos hoc modo cultos exhibet.

Orbem manu geſtat Æneas aut Julus, ob imperium

Julia deſcendit cœlo, cælumque replevit:
Quod regit Auguſtus ſocio per ſigna Tonante.

Puis encore ſur la fin de ce livre, il luy donne la qualité de ſouverain Monarque des Cieux, en ce demy vers, —— & in ponto quæſitus Rector Olympi: *comme s'il euſt voulu dire que la victoire Actiaque gagnée ſur Mer contre M. Antoine, avoit donné un nouveau Seigneur la haut, aprés l'avoir eſté icy bas de l'Empire du Monde par ſon moyen, & qu'il gouvernoit lors ſouverainement celuy des Cieux, comme il avoit fait celuy de la Terre. Auſſi la conſideration de cette imagination que la flatterie ordinaire de ce temps avoit apparemment fait naiſtre és eſprits des hommes en general, peut avoir fait repreſenter Jupiter Pere des Hommes & des Dieux d'un air de viſage, & d'un aſpect grave & ſerieux, & regardant venir* Auguſte *d'un œil peu benin, comme conſiderant qu'il eſtoit deſtiné qu'il le deuſt primer. Auſſi eſt-il couronné de rayons, couvert decemment du voile de Divinité, & tenant le ſceptre de ſouveraineté en ſa droite, pour faire voir à ce nouveau venu, qu'il ſe maintiendroit tousjours Monarque ſupreme des Cieux, quelque pretenſion qu'il peuſt avoir au contraire, en ſuite vous voyez* Aenée *venir au devant d'*Auguſte, *portant en ſes mains un Monde qu'il ſemble luy preſenter, comme de la part de Venus: donnant à connoiſtre qu'ainſi qu'elle lui avoit procuré le gouvernement de la Terre; de meſme elle lui offroit en don celuy des Cieux, comme l'ayant mieux merité par ſes hauts faicts, que Jupiter meſme, lequel Empire elle luy pouvoit juſtement transferer, puis qu'en qualité de plus ancienne en la demeure celeſte que n'eſtoit Jupiter, elle le manioit à diſcretion par les traits & les feux de ſon fils Jupiter. Or qu'elle fuſt la plus ancienne en la poſſeſſion de la gloire celeſte, eſtant meſme fille du Ciel; le Scholiaſte d'Apollonius le teſmoigne citant Heſiode; (c'eſt ſur le 51. vers du 3. de ſes Argonaut.)*

nium orbis terrarum, quod Julia familia obtinuit. Supra hunc emicat alius radiata corona, & velo sceptroque insignis, qui Peireskio Augustus, Tristano Jupiter est. Ego Peireskio accedo; nam Jupiter diverso omnino statu & habitu in priscis monumentis apparet. Etenim, ut alia nunc omittam, quis nescit, profundam Jovi barbam ab omni antiquitate tribui? Cicero lib. 1. de Natura deorum: *Isto namque modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni.* Arnobius lib. 6. *Riciniatus Jupiter* atque *barbatus*. Prudentius:

Barbam rigentem dum Jovis
Circumplicat.

Nec est quod aliquis Jovem Anxurum & Casium opponat: nam & hic & ille puerili aut juvenili specie facti erant. Servius ad 7. Æneidos: *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur puer Jupiter, qui Anxurus dicebatur, quasi* ἄνευ ξυρᾶς, *id est sine novacula, quia barbam nunquam rasisset; & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur.* De Casio Jove Achilles Tatius lib. 3. de Clitophontis & Leucippes amoribus: Τὸ δὲ ἄγαλμα νεανίσκος ἦν. Idem censendum de statuis Jovis quas Pausanias memorat 1. Eleacor. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Ζεὺς οὐκ ἔχων πω γένεια: & paulo post: Ἄγαλμά ἐστι Διὸς οὐκ ἔχον γένεια οὐδὲ αὐτό. At noster senilem planè ætatem præfert, & rasum tamen mentum habet, quod Jovi nullo modo convenit. Et sane si quis vultum ejus conferat cum priscis gemmis & numismatis Augustum jam senem referentibus, haud dubie assentietur Peireskio: radiata autem corona cinctus est, quia Augustus

——— *Phœbigenam sese gaudebat haberi.*

Et a patre suo visus fuit in somnio mortali specie amplior, cum fulmine & sceptro, exuviisque Jovis optimi maximi, ac radiata corona, super currum laureatum, ut Suetonius narrat cap. 94. Transiit autem ab Augusto ad cæteros Imperatores radiatæ coronæ usus: maximè ad eos qui in deos relati erant. Lucanus lib. 7.

Bella pares superis facient civilia divos,
Fulminibus manes, radiisque ornabit & astris,
Inque Deum templis jurabit Roma per umbras.

Velum capiti circumpositum consecrationis insigne esse, viri docti annotarunt ex numismatis. Eusebius lib. 4. cap. 73. de Vita Constantini: Ἤδη δὲ καὶ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι πρόσθεν μὲν ἐκτυποῦντες τὸν μακάριον ἐγκεκαλυμμένου τὴν κεφαλήν· Θατέρου δὲ μέρους ἐφ᾽ ἅρματι τε-

Antonia autem, nec Livia est, Juliam esse Tiberii conjugem necesse est.

Nec vero eruditis viris alia causa fuit Juliam Augustam hinc ablegandi, quam præjudicata opinio, ex scriptoribus rerum Romanarum hausta: Juliam nempe Augustam, postquam Tiberio nupserat anno V. C. 742. fuisse post decennium anno 752. relegatam in insulam, patriæque & parentum subductam oculis, detecta libidine, ob violatum conjugis torum. Mox & ipsum Tiberium secessisse Rhodum, ibique mansisse quinquennio. Denique ipso anno, quo excessit e vivis Augustus, Juliam quoque diem supremum obiisse; sic enim Tacitus refert, Libro I. Annal. cap. LIII. At illud Juliæ Augustæ exsilium, illudque tempus ipsius obitus, & Achates ipse, & nummi antiqui refellunt, & Plinius ipse, ut alias scribere nos ad te meminimus. Adulterium certe Juliæ & Tiberii secessum, ante nuptias Tiberii & Juliæ contigisse, ex Plinio didicissent illi Romanæ historiæ architecti, si verba illius paulo attentius considerassent, Libro VII. Sect. XLVI. ubi infortunia Augusti recenset: *Adulterium filiæ*, inquit, *& consilia parricidæ palam facta: contumeliosus privigni Neronis secessus: aliud neptis adulterium*, &c. Quo tempore Nero secessit? Cum adhuc tantum privignus, necdum gener esset. Ex quo Juliam Tiberius conjugem habuit, nulla deinceps illius ablegandæ causa fuit, sed retinendæ maxima; quod Tiberio nempe marito pro dote afferret imperium.

7. Germanicus Cæsar, Caji Cæsaris Germanici

---

naut.) en ces termes sous le nom d'Aphrodité, Ἀφροδίτη. Ἀλλὰ καὶ Διὸς ἐστὶ πρεσβυτέρα ἡ Ἀφροδίτη· Ἡσίοδος γὰρ αὐτὴν ἐκ τῶν αἰδοίων τοῦ οὐρανοῦ φησι γενέσθαι, *c'est pourquoy elle pouvoit justement en disputer le sceptre.* Aenée *donc est deputé par Venus pour cette ceremonie en qualité d'Autheur de la grandeur Romaine & de celle de la famille Juliane; il a le casque en teste, comme l'un des principaux entre ceux des Heros qui meritent le Ciel par leurs prouesses; il est pareillement voilé pour marque de sa Divinité, en suitte vous voyez derriere luy* Nero Claudius Drusus *frere de* Tibere, *couronné de laurier, & tenant son bouclier des deux mains, lequel vient pareillement au devant d'*Auguste *pour luy faire honneur: ce bouclier & cette couronne marquans la gloire qu'il avoit acquise par plusieurs victoires obtenuës contre les Germains, sous les auspices d'*Auguste, *ayant esté en son temps le bouclier & l'Epée des Romains; ce qui l'avoit rendu digne d'estre mis au nombre des Heros & demy-Dieux, n'ayant pas mesme esté moins renommé pendant la paix que pendant la guerre. Aussi Pedo Albinovanus l'honore de cet Eloge,*

Maximus ille armis, Maximus ille toga.

*Voyez le surplus cy après en son commentaire. Enfin c'est icy la reception d'*Auguste *dans le Ciel, laquelle ce mesme Poëte luy promettoit en ces vers,*

Sed tibi debetur cœlum, te fulmine pollens
Accipiet cupidi regia magna Jovis.

Mais cette Agate n'a pas esté enrichie du memorial de son Apotheose, au temps que Tibere & le Senat en firent les ceremonies: ce qui en est representé icy n'y a esté taillé que pour en honorer Germanicus, *& pour donner plus d'esclat & de lustre à son nom, comme ayant esté adopté en la famille & maison d'Auguste; ce qui se manifeste assez, par l'Histoire representée dans le milieu du champ de ce riche Monument, où nous le voyons debout,*

nici pater, infra Druſum patrem, galeato capite, nuper ſe reducem ex Germanica expeditione toto habitu refert.

8. Adſtat eidem Agrippina conjux, filia Juliæ Auguſtæ, mater Caji Cæſaris: laureata ſimiliter, quoniam conjux Germanici Imperatoris; & ipſa mater Caſtrorum, procuratione commeatus, ſive annonæ. Galeam mariti complexa, ſuadet ut hanc deponat, fruaturque, in otio urbis & domus, parta jam gloria. Ille contra niti, lævaque manu admota, galeam arctius adprimere capiti: quo ille habitu operam ſuam Tiberio Aug. & Juliæ Auguſtæ, & Imperio offert. Mirum hoc loco vel Liviam Tiberii matrem a Triſtano accipi; quæ ſtare non debuit, ſedente alia quacumque Principe femina: aut Antoniam Germanici matrem, a Peireskio & Rubenio; cum vultus apertiſſime non modo non etiam æqualem, ſed juniorem eſſe Germanico aliquot annis prodat, quæ hic pingitur.

Germanico autem ſuam operam virtutemque ſpondenti, adminiſtratio Aſiæ ab Auguſtis committitur. Aſiæ ſymbolum angues ſunt, inter Tiberium Juliamque ſpiris invicem multiplicibus nexi: neque hic ulla Aegis eſt, quam videre ſibi viſus eſt Rubenius. Aſiam autem totumque Orientem, anguibus denotari, geminus in primis nummus admonet: alter Auguſti, in quo ſcriptum eſt, Asia Recepta, cum geminis anguibus, qui ſunt inter ſe ſpiris & caudis impliciti. Alter Cæſaris Dictatoris; in quo pars antica exhibet caput victoriæ alatum; retro, ſidus ſolis, cum epi- θρίππῳ ἡνιόχου τρόπον ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Jam vero in numiſmatis quoque expreſſa formæ, quæ ab una parte beatum hunc noſtrum obvoluto capite repræſentabant, ab altera parte quadrigæ, inſtar aurigæ, inſidentem ſuſceptum a dextra manu cælitus demiſſa.* Habeo aliquot hujuſmodi nummos penes me, ſed eorum formam jam publico dederunt Eminentiſſimus Baronius ad annum 337. Antonius Auguſtinus dialogo 1. & Triſtanus tomo 3. qui etiam ſtudioſe quærunt, cur Imperatores poſt conſecrationem capite obvoluto repræſentati fuerint. Ego arbitror ideo illud fieri ſolitum, quia cadavera hoc habitu rogo imponebantur. Virgilius lib. 11.

——— *Arſuraſque comas obnubit amictu.*

E rogo autem aſſurgere ad immortalitatem credebantur Divi.

Sed ut ad gemmam noſtram revertar, cum Auguſto jam ſuus locus aſſignatus ſit, non magnopere mihi laborandum eſt, ut viri eruditi opinionem refellam, qui Auguſtum alato equo imponit. Et ſane vector Pegaſi, adoleſcentis potius quam ſeneſcentis faciem habet, quemadmodum obſervavit Peireskius, qui proinde Marcellum eſſe credebat. Mihi videtur, ex filo vultus, Druſus Germanicus eſſe, Tiberii frater, Germanici Cæſaris pater. Sed qua de cauſa alatus illi equus tribuatur, accuratius inquirendum. Et olim quidem exiſtimavi, Druſum Bellerophonti comparatum eſſe, non ſolum ob eximias corporis ac animi dotes; verum etiam quia, ut Bellerophon a Pegaſo excuſſus coxam fregit, ita Druſus ex fractura, equo ſuper crus ejus collapſo, obiit triceſimo poſt die. Sed & alia nunc hujus rei ratio occurrit: deprehendo etenim ex Pedone Albinovano, aliquem ex Poetis illius ævi finxiſſe, ſolemni tunc adulatione, Druſum ex rogo a Venere ereptum, & in ſtellam Heſperum mutatum fuiſſe. Pedonis verba ſunt in Epicedio Mæcenatis, quæ non neſcius ſum aliter a Scaligero explicari:

Quæſivere chori juvenem ſic Heſperon illum,
Quem nexum medio ſolvit in igne Venus.
Quem nunc in fuſcis placida ſub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

Ubi ſub juvenis nomine manifeſte Druſum intelligit, quem ita paſſim appellat, ut in carmine ad Liviam:

Nec juvenis poſiti ſupremos deſtrue honores.

&, *Accipient juvenem Germanica ſigna ferentem.*

Sic

---

bout devant Tibere, *accoſté de* Livia *&* d'Antonia, *ayant derriere luy* Agrippine *& le petit* Caligule; Julia *mere de la dite* Agrippine, *& fille* d'Auguſte *repreſentée auſſi aſſiſe derriere* Tibere *ſon mary. Car ce qui me fait conjecturer que cecy n'eſt point un ouvrage fait exprès pour illuſtrer l'action celebre de la deification d'Auguſte en faveur de Tibere, c'eſt que je remarque que* Druſus *fils de* Tibere *ny tient pas ſa place, non plus que ſa femme, leſquels n'y euſſent pas eſté oubliez, ſi le deſſein euſt eſté de faire voir icy quelque Hiſtoire qui concernaſt les honneurs rendus à la memoire d'Auguſte ſimplement pour en gratifier Tibere qui avoit procuré le tout, & l'avoit authoriſé en qualité d'heritier & ſucceſſeur de ce grand Monarque; voyons donc ſi ce que nous contemplons en cette agate a quelque rapport avec quelque choſe de ce qui ſe lit de Germanicus dans les Hiſtoriens. Je ne ſcay pas quel ſentiment en ont peu avoir ceux qui l'on veuë: mais il me ſemble que cette poſture, en laquelle ce gentil Ceſar ſe preſente à Tibere, la gayete de ſon viſage (toute fois meſlée de reſpect) les careſſes que Livia ſon ayeule luy fait, ont en elles je ne ſcay quel rencontre, qui me perſuade que c'eſt le monument du retour de Germanicus de ſa derniere expedition en Germanie, d'où l'envie plus maligne du cauteleux Tibere le fit revenir, ſous le ſpecieux pretexte qu'il prit qu'il le vouloit faire eſlire conſul pour la deuxieſme fois, portant envie à la gloire qu'il y avoit acquis par les ſignalées victoires par lui obtenuës contre les barbares, des depoüilles deſquels il y avoit erigé des ſuperbes Trophées en pluſieurs lieux, craignant ce vieux renard, que la grandeur & le luſtre de la continuation de ſes belles actions, ne forçaſſent en fin les Romains de le faire Empereur en ſa place, & les Soldats auſſi d'un commun conſentement; s'il ne luy en retranchoit les moyens & les occaſions par un rappel; vous voyez donc ce brave, ſage, prudent & vertueux Heros, qui ſe preſente à luy, ayant obey à ſon mandement par une admirable moderation,*

&

Sic etiam, in principio Epicedii Mæcenatis:

Defleram juvenis tristi modo carmine fata.

Nam aliud agebat Scaliger, dum scripsit. Epicedium de morte Drusi hic non posse intelligi; quia post Agrippam mortuus sit. Ita quandoque etiam magni viri dormitant.

Hanc vero fabulam de Druso a Venere in cælum translato, & in Hesperon converso, secutus sculptor gemmæ, Drusum hic pennato equo, Veneris ministro, imposuit: eodem enim modo & comam Berenices, Veneris jussu in cælum a Pegaso deportatam, tradidit Callimachus, & ex eo Catullus:

Abjunctæ paulo ante comæ, mea fata, sorores
Lugebant, cum se Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arsinoës Chloridos ales equus.
Isque per ætherias me tollens advolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephiritis eo famulum legarat.

Præterea cum Drusus in Hesperum mutatus fuisse post obitum creditus sit, non immerito volucri equo vehitur; namque singulares equos Lucifero & Hespero ab antiquitate datos fuisse, jam a Scaligero lib. 2. de emendatione temporum, & aliis annotatum est. Immo Lucifero (qui idem cum Hespero) Pegasum tribui in priscis monumentis docet vir Cl. Janus Casperius Gevartius, in Pompa Introitus Ferdinandi Austriaci Hisp. Infantis, Cardinalis in urbem Antuerpiam. Auroram quoque (cujus filius Hesperus) Pegaso vectam inducit Lycophron. Qua de re videndi Isaacius Tzetzes ad Lycophronem, & Eustathius ad Ψ. Iliados.

Porro ut clarius constaret equum hunc Veneris famulum esse, & Drusum Hespero assimilatum,

Quem Venus ante alios astrorum diligit ignes,

appositus est Cupido ductor & moderator habenarum, cujus sub imagine haud dubie hic expressus est filius Germanici de quo Suetonius cap. 7. lib. 4. *Unus jam puerascens raptus est insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit: Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, exosculabatur*; quod Peireskio & Tristano etiam visum.

Superest unus etiamnum Heros paludatus & laureatus, ac clypeum utraque manu retinens. Hunc Peireskius D. Julium, Tristanus Drusum Germanicum esse credunt. Sed de Druso jam dictum. Peigraphe, CAESAR DIC. TER. *Cæsar Dictator tertium*: postica Palladem galeatam, quæ cum spoliis incedit, & calcat anguem: cum epigraphe, C. Clovio Præf. nam & solis sidus Orientem, & Asiam devictam calcatus anguis denotat: cujus victoriæ causa ludos victoriæ Cæsar fecit *C. Clovio Præfecto.* Nummi similiter tum Appii Pulcri Proconsulis, tum M. Tullii Imperatoris, quos Seguinus vulgavit: nam & in his serpentes e cista exsistunt; ut & in Cretensium nummis.

9. Post Tiberium Aug. & Juliam Augustam, stat sub avo suo Tiberio Nerone Drusus Cæsar, Tiberii Aug. & Juliæ Aug. filius, galeato capite, cum spoliis, quæ humero dextro gestat e bello redux cum Germanico Cæsare. Orbis Romani regimen sibi deberi successionis jure significat; idque propterea protensa manu ad Liviam Augustam aviam suam, quæ gestat orbem, atque ad ipsum Augustum avum suum, poscere videtur. Non decuit hunc sane in hac pictura prætermitti, siquidem esset Caji Cæsaris Germanici avunculus. Sed quoniam picturæ argumentum est, Caji Cæsaris parentes & agnatos describere; sic autem esset Drusus Cæsar avunculus Caji Cæsaris, ut ex eadem quidem matre natus esset, ac mater Caji, at non ex eodem patre; atque adeo ad Cajum Cæsarem is pertineret minore cognationis gradu quam ceteri, idcirco solum ille in recessu pingitur, & pone Juliam matrem: potiorem vero tabulæ partem Germanicus cum Cajo Cæsare occupat.

10. Spectatrix Druso Cæsari conjux adsidet, Li-

& rare obeissance. Sur laquelle action je faits encore cy apres reflexions en son Commentaire, il est representé en la mesme posture en laquelle il se presenta à Tibere, le casque en teste, l'espée au costé, & le bouclier au bras, & luy rendant compte succinct de son voyage. Vous y contemplez Tibere, lequel est assis tenant le Lituus *ou baston Augural, comme estant Souverain Pontife, & la pique sans fer, ou sceptre, se void és Senestres des Empereurs, & de plusieurs Deitez, le devant de son vestement Imperial chargé au tour d'un entre-las de cinq ou six serpenteaux, qui me semblent signifier la singuliere felicité de Tibere en ses entreprises si heureusement executées par l'insigne valeur & singuliere prudence de Germanicus: ces serpents marquans (comme je croy) le nombre de ses victoires plus signalées, car j'ay fait voir en divers endroits de ces Commentaires, qu'és monuments antiques, les serpents estoient les symboles de victoire, felicité, & Prudence. Aussi est il couronné de laurier, comme aussi ces deux Princesses ayeule & mere de ce magnanime Cesar, pour marque de la participation qu'elles prenoient avec Tibere en la gloire acquise par un si brave fils en ses expeditions guerrieres. Je remarque aussi que l'une de ces Princesses que vous voyez au costé droit de l'Empereur, qui est* Livia, *comme sa mere & ayeule de Germanicus, vient gayement l'embrasser portant sa droite derriere son col, comme si elle vouloit luy oster son casque; comme desirant que desormais il se reposast, le regardant avec un visage gay, ouvert, & marquant en son traict l'amour tendre qu'elle luy portoit. Mais ce genereux Cesar porte soudain la main sur son casque, tesmoignant par ce geste qu'il n'estoit pas encore las de la guerre, & de remplir l'univers de ses palmes pour la gloire de Tibere, & pour la sureté de l'Empire Romain; estant tout prest de s'en aller en Syrie y commander les legions, scachant que c'estoit le dessein de Tibere. Aussi en effet il y fut envoyé bien-tost apres son retour de Germanie, où il mourut, apres y avoir acquis beaucoup de glo-*

Livia Drusi Cæsaris a Plinio appellata, Libro XXIX. Sect. VIII. a Suetonio *Livilla:* non ea quidem laureata, propterea quia Drusus maritus nondum Imperator erat, sed comes dumtaxat Germanici Imperatoris in expeditione Germanica: sed regio tamen illa cultu ornata, qui Cæsaris conjugem deceat; intentisque in orbem Romanum oculis, spem cum marito præ se ferens principatus. Tristani commentum, qui pro Druso & Livia Numerium Atticum Suetonio memoratum, & Juliam Tiberii conjugem hic obtrudit, alii refellerunt.

11. Ex adverso, quemadmodum post Juliam Augustam, Drusus & Livia, Juliæ filius nurusque, locum habent; sic post Germanicum, sub avo suo Nerone Druso Germanico, libri duo Germanici sunt: Agrippina Junior, soror Caji natu major, & Cajus ipse, tunc fere sexennis. De Cajo omnes consentiunt. At Agrippinam Germanici conjugem accipi alii, non filiam, volunt; quoniam videlicet alius ei non fuit ab iisdem locus adsignatus. At Cæsaris jam in exercitu Imperatoris laureatam esse in hac tabella conjugem oportuit, quo ornatu hæc caret? & sedes cum Cajo Cæsare communis, sororem magis, quam matrem decet: nec ætas denique, quæ se in vultu prodit, aut matrem Caji patitur, aut Germanici conjugem dici. Sedet autem ipsa, ut Livia e regione; nam Principibus feminis in circulis Domus Augustæ sedendi jus est: sed quanto utraque humiliore subsellio, quam Julia Augusta? Et quam dispari Agrippina Germanici filia, Caji soror, ab eo quod Livia Drusi Cæsareskii sententiæ repugnant omnes veteres nummi, gemmæ & statuæ, Julium Cæsarem diversa plane facie exhibentes. Ego, cum videam totam fere Tiberii Cæsaris domum hîc expressam esse, non invenio alium, cui hanc personam assignem, quam Tiberium Claudium Neronem, Tiberii Cæsaris patrem naturalem, qui Alexandrino bello classi præpositus, Ægyptios prælio navali vicit, ut Dio narrat lib. 42. qua de causa hic laurea coronatus est. Deinde Perusino bello L. Antonium secutus, deditione a ceteris facta, solus permansit in partibus; atque ideo forsitan in hac gemma clypeum utraque manu retinet: nam deditionem facientes solebant clypeum abjicere, aut convertere, aut capiti imponere. De his Appianus libro 11. Civilium: Οἱ δὲ ἐπέθεσαν ταῖς κεφαλαῖς τὰς ἀσπίδας, ὅπερ ἐςὶ σύμβολον ἑαυτοὺς παραδιδόντων. De conversione clypei Ammianus L. 26. *Eumque secuti complures, jam pila quatientes & gladios, ad Imperatorem transeunt cum vexillis, scuta perversa gestantes, quod* defectionis signum est apertissimum. Themistius Orat. 9. de eadem hac defectione: Ἅμα τῷ γενέσθαι ἐντὸς τῶν σῶν ὀφθαλμῶν, ὑπὸ μάλης ἔκρυπτον τὰς ἀσπίδας, ὥσπερ φώρια κακοῦργοι καταληφθέντες ἐπ' αὐτοφώρῳ. Ambrosius de Elia & jejunio cap. 13. *In bello si quis inferiorem se viderit, arma convertit, & meretur veniam.* Argute itaque Tiberius Nero hic expressus videtur, non convertens & sub ala occultans clypeum, sed sinistræ aptatum, dextra etiam complectens, atque eo gestu ad D. Augustum accedens: quia, ut dixi, deditione a ceteris facta solus permansit in partibus, ac primo Præneste, inde Neapolim evasit, servisque ad pileum frustra vocatis in Siciliam profugit, & demum ad M. Antonium trajecit in Achajam, cum quo, brevi reconciliata inter omnes pace, Romam rediit, ut Suetonius tradit. *Sanctiores* autem, Seneca teste, *tutioresque sunt hostibus suis, qui in fidem cum armis veniunt.*

Imum gemmæ segmentum refert illustres captivos Germanos, a Cæsare Germanico in triumpho traductos. Plerique recensentur a Strabone lib. 7. cujus verba adscribenda. Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα, καὶ γυναικῶν. Σεγιμοῦνδος τε ὁ Σεγέστου υἱὸς, Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ, γυνὴ δ' Ἀρμινίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον Κουϊντίλιον παρασπονδήσει, καὶ ἔτι συνέχοντος τὸν πόλεμον· ὄνομα Θουσνέλδα καὶ υἱὸς τριετὴς Θουμελικός. ἔτι δὲ Σεσίθακος Σι-

gloire, ayant vaincu le Roi d'Armenie, & reduit la Cappadoce en province, comme nous le lisons dans Tacite, Suetone & autres Historiens. Au reste il tient dans sa main comme une liste ou memoire, qui peut representer les articles de la paix qu'il avoit accordée aux Barbares, sous le bon plaisir de Tibere, auquel il estoit peut estre necessaire qu'il les fit ratifier: ou bien c'estoient les commentaires des choses plus importantes & plus notables exploictées par luy. Quant à sa mere Antonia, *nous la voyons assise à main gauche de Tibere pareillement couronnée de laurier, mais differente en l'ornement & cordonnement de ses cheveux avec* Livia: *comme estant plus jeune qu'elle: mais le respect de la presence de l'Empereur faict qu'elle a le maintien & le regard plus serieux & plus retenu que* Livia, *qui estant mere de Tibere, & ayeule de Germanicus, avoit plus d'auctorité & de liberté, pour pouvoir mettre en evidence la joye que le retour victorieux & la presence de son petit-fils lui causoient. Quant à ce qu'elle tient à sa main droicte qui paroist estre fait par le bas, caché dans le creux d'icelle, comme une petite corne d'abondance, & par le haut comme trois testes de Pavots: il semble qu'il marque le bonheur de sa Fecondité; car elle fut mere du Magnanime Germanicus, de l'Empereur Claude, & de Drusilla, qui peuvent estre representez par ces trois testes de Pavots, symboles de Fecondité, comme les anciens l'ont estimé. Pour le regard des autres figures, des deux qui sont derriere ce gentil Heros, l'une est sa femme* Agrippine, *& l'autre son fils, le petit* Caligule, *representé en l'âge auquel il estoit, lorsque Germanicus son pere retourna à Rome; il tient un petit bouclier en son bras, & est monté sur un tas de depoüilles barbaresques, comme ayant esté nourry & élevé entre les legions dans le camp au bruit des trompettes, & entre les trophées de son pere.*

In castris natus, patriis nutritus in Armis,
Jam designati principis omen erat.

Sue-

Σιγιμήρου υἱὸς τῶν Χηρούσκων ἡγεμόνος. καὶ ἡ γυνὴ Ῥαμὶς Οὐηρομήρου θυγάτηρ ἡγεμόνος Χάττων. καὶ Δευδόριξ Βαιτορίτος τοῦ Μέλωνος ἀδελφοῦ υἱὸς Συγαμβρος. Σεγέσης δὲ ὁ πενθερὸς τοῦ Ἀρμινίου καὶ ἐξ ἀρχῆς διέση πρὸς τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ λαβὼν καιρὸν ηὐτομόλησε, καὶ τῷ θριάμβῳ παρῆν τῶν φιλτάτων ἐν τιμῇ ἀγόμενος. ἐπόμπευε δὲ καὶ Λίβυς τῶν Χάττων ἱερεὺς, καὶ ἄλλα δὲ σώματα ἐπομπεύθη ἐκ τῶν πεπορθημένων ἐθνῶν. *Pœnas tamen universi dederunt, & Germanico pulcherrimam triumphi materiam, in quo viros illustrissimos ac feminas traduxit, inter quos Segimundus erat Segestis filius, Cheruscorum Dux, sororque ejus, uxor Arminii, (qui belli dux fuerat, cum violata pace Quinctilium Varum circumvenerunt, & nunc etiam bellum fovet) nomen Thusnelda: nec non filius ejus Thumelicus, tres natus annos; & præterea Sesithacus, Segimeri Cheruscorum Ducis filius, ejusque uxor Rhamis Veromeri Cattorum Ducis filia: & Deudorix Sichamber, Bætoritis filius, qui frater erat Melonis. Segestes autem Arminii socer, qui & ab initio belli sententiæ generi adversatus erat, & capto tempore ad Romanos transfugerat, tunc cum honore & dignitate intererat triumpho, in quo liberi ejus traducebantur. Ductus est etiam in pompa Libys Cattorum sacerdos, aliique plures.* Hactenus Strabo; & omnes quidem ab illo enumeratos captivos hac in Gemma spectari, vix mihi dubium est. Thusneldam sane agnosco, & in gremio ejus Thumelicum, qui capite gestat circulum non dissimilem spiris illis rotundis, quibus capita infantium munire solemus in Belgica & Germania; cetera nudus est. Tacitus de liberis veterum Germanorum: *In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora quæ miramur, excrescunt.* Thumelicum vero triennem in triumpho Germanici traductum fuisse, Strabo scribit: at si Tacito fides, biennium vix excesserat; venit enim gravida Thusnelda in potestatem Germanici, & virilis sexus stirpem edidit, vere anni Juliani LX. Druso Cæsare & Norbano coss. Triumphavit autem Germanicus A. D. VII. Kal. Junias, anno Juliano LXII. C. Cælio, L. Pomponio coss.

Juvenem, qui Thusneldæ assidet, fratrem ejus Segimundum esse suspicor, de quo Tacitus lib. I. annal. [57.] *Neque multo post Legati a Segeste venerunt, auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsidebatur, validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat: nam Barbaris obtinet,* scilicet nurus Augusti, Augustæ nomen jam spe præsumens? Nam Agrippina quidem in sedecula simplice absque fulcro; Livia, in nobiliore, quæ honorifice ornata utrimque est sphinge alata. Sederet Agrippina ipsa Germanici conjux, nisi pro ea qua flagrat retinendi mariti cupiditate stare eam oporteret, ad galeam ei, si fieri possit, eripiendam. Agrippina hæc Junior manu sinistra codicillos Consulares tenet, quales in nummis passim tenere Augustos vidimus, quo anno gererent Consulatum. Sunt igitur isti in Agrippinæ manu codicilli indices Consulatus a patre Germanico gesti, quo anno missus est in Orientem. Hos autem idcirco gestat Agrippina, quod Germanicus pater altera manu clypeum tenet, alteram galeæ admovet.

12. Cajus denique Clypeum dextra tenet, inceditque super spoliis, quæ e Germania pater domum attulit: spem hoc ille indicio facit, fore ut in Asia nihilo inferiora præbeat virtutis bellicæ specimina. Eam ob rem, quia nondum victor esset, necdum etiam est laureatus. Pingi vero Cajum Sexennem oportuit. Nam si jam Augustus exhiberetur, ut erat, cum hæc tabella sculpta est, quo loco Tiberius Aug. propatruus, & Julia Augusta avia coram nepote pariter Augusto pingeretur? quo situ? num stans? num sedens? At selegit ingeniose opifex argumentum, in quo percommoda ratio haberetur ætatum ac dignitatum.

13. Ad Juliæ Augustæ pedes sedet Asia, barbaro ac piscatorio habitu, juxta navigii proram,

---

Suetone chap. 8. voyez aussi Tacite liv. 1. & Athenée liv. 4. sur le sujeḉt du surnom de Caligula, *qui luy fut donné par les soldats, semblant que son genie avoit servy en ce bas âge, dès le commencement de cette guerre, à appaiser par sa presence cette grande mutinerie & violente sedition des legions Germaniques qui s'emeurent incontinent après le deceds d'Auguste. Et ainsi après cette posture & assiette que vous le voyez en cette excellente piere, on a voulu faire voir qu'il participoit de son chef a la gloire de son pere, comme y ayant contribué.* Caligulæ cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur, apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore & gratia valuerit, maximè cognitum est, cùm post excessum Augusti tumultuantes, & in furorem usque præcipites, solus haud dubiè conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt quam ablegari eum ob seditionis periculum, & in proximam civitatem demandari animadvertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi, represso, ac retento vehiculo, invidiam, quæ sibi fieret, deprecati sunt, *ce dit Suetone chap. 9. or pour sçavoir quel âge il pouvoit avoir lors, je conjecture que ce pouvoit estre environ sept ans. Car il nasquit, son pere estant Consul pour la premiere fois, qui fut avec Fontejus Capito, trois ans avant le deceds d'Auguste: & son second Consulat escheut après son retour, dont nous voyons icy le monument, qui se rencontra en la quatrieme Année de l'Empire de Tibere; quant à ce qui regarde Agrippine, nous la voyons derriere luy s'appuyant d'une main sur un bouclier contemplant Tibere, & escoutant, comme son fils, ce qui se disoit en cette entre-veuë; elle tient en sa main gauche un papier ou parchemin, s'appuyant sur cét escu des barbares vaincus; comme estant femme Martiale & magnanime; aussi estoit-elle pour cette consideration aimée des soldats. Et ce parchemin qu'elle tient, marque qu'elle se mesloit des affaires militaires & de la Police du camp, pour les vivres, munitions, vestemens, & recompenses des proüesses signalées des soldats & autres, sous l'authorité de Germanicus,*

 voyez

tam, quod alterum est minoris Asiæ symbolum, quoniam tota est litoralis. Romam ex eo tractu legationem missam intellige ad Tiberium Aug. ut opem afflictæ ab hostium incursione provinciæ ferret. Itaque sedens illa exspectat, quid sit Tiberius Augustus de Germanici in Asiam profectione decreturus. Solio principum adsidet, quorum implorat auxilium. Nec locus autem, in quo sedet, nempe idem tabulatum cum Augusta domo; nec cultus corporis, qui est longe dissimilis eorum qui infra jacent, hunc esse e captivo grege credi sinit. Quoniam vero nec stantem pingi decuit, ne eodem gradu cum Cajo esset, vel interesse secretiori consilio videretur, idcirco & humi sedens & averso vultu, & cogitabundo similis, pingitur, magno opificis artificio; quasi rerum, quæ geruntur in consilio, ne quidem ex levi auditu conscius foret, qui ex Asia missus esset.

14. In fine denique in tabulato, ac veluti in subterraneo specu longo ordine humi jacent captivi e Germania, quos Nero Drusus Germanici pater olim Romam adduxit; unde ei posterisque ipsius nomen Germanici est acquisitum. Sunt viri cum clypeis: cum pueris feminæ, lugentes mœrentesque. Hæc nostro quidem judicio præstantissimæ illius imaginis simplex ac genuina interpretatio est. . . . . . Prid. idus Martias 1699.

ris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus, rebusque commotis potior habetur. Addiderat Segestes Legatis filium nomine Segimundum: sed juvenis conscientia cunctabatur: quippe anno, quo Germaniæ descivere, Sacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, pertulit patris mandata, benigneque exceptus, cum præsidio Gallicam in ripam missus est. Ara hæc Ubiorum videtur sacrata fuisse D. Julio & Augusto. Hinc Arminius apud Tacitum libro eodem [50.]: *Coleret Segestes victam ripam, redderet filio sacerdotium: hominem Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas & secures, & togam viderint.* ubi legendum: redderet filio sacerdotium hominum; Germanos numquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum virgas, & secures, & togam viderint. aut cum viro Magno: *Redderet filio sacerdotium manium: Germanos numquam,* &c.

Adhæret Segimundo alius captivus revinctis post tergum manibus. Hunc Sesithacum patruelem Segimundi esse conjicio, mulieremque illi adjunctam, quæ parmæ incumbit, Rhamim uxorem Sesithaci. De Sesithaco Tacitus: *Jam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segestis præmissus, ipsum & filium ejus in civitatem Ubiorum perduxerat, data utrique venia; facile Segimero, cunctantius filio, quia Quinctilii Vari corpus inlusisse dicebatur.*

Barbarus in extremo gemmæ angulo sedens horrida facie tortisque crinibus, Deudorix Sicamber esse videtur.

Ab altera parte, pone Thusneldam, alius captivus manu caput sustinet: hunc culter, seu machæra sacrifica, qua succingitur, Libyn esse arguit Cattorum sacerdotem: immo & vittæ mitraque capiti circumpositæ id indicare videntur; quamvis liquido discerni non possint in Gemma, quæ hac in parte injuria temporis imminuta est

Inter Libyn & Thusneldam apparet matrona Barbara cum puella, quæ & ipsa barbarum in morem culta est. Arpi Principis Cattorum conjugem filiamque esse reor. de quibus Tacitus lib. 2. Annalium: *Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam, & Arpi Principis Cattorum conjugem filiamque raperet.*

Atque hæc mea de pretiosissimo hoc monumento sententia: quæ si forte, ut vereor, nequaquam omnibus probatur, non repugno.

Καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ, λογὸς ὡς [illegible] παλαιός·
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐςὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

voyez Tacite. liv. 1. chap. 9. Pour le regard de cette Princesse, qui est assise à l'escart, derriere Tibere, & qui s'appuye de la gauche sur l'aile d'un sphynge, qui est couvert à moitié du pan de sa robe, je tiens que c'est l'effigie & representation de Julia *fille d'Auguste, & femme de Tibere, mais qui demeura en continuel exil depuis que ses débauches & paillardises obligerent Auguste de luy faire faire cette penitence; ce sphynge devise de son pere me le fait conjecturer, joinct que ce monstre tient un mouchoir, comme servant à essuyer les larmes de sa maitresse, ou bien pour servir par luy mesme de symbole & de marque de l'infortune & de calamité de cette Princesse, laquelle Tibere son mary ne voulut jamais voir, ny rappeller depuis qu'elle fut confinée. Or la raison pour laquelle elle est mise en ce lieu, n'est autre, ce me semble, sinon qu'elle estoit mere d'Agrippine femme de Germanicus, qu'elle avoit eue de M. Agrippe son second mary. Quant à ce jeune garçon que vous voyez courbé & assis par Terre auprès d'Antonia, il semble que se soit la representation de quelque jeune esclave, ou affranchy de cette Dame, qui escrit peut estre ce qui se disoit en cette action, tant de la part de l'Empereur, que de celle de Germanicus & de Livia. Le surplus du contenu en cette Agate, n'estant autre que les representations diverses, des diverses Provinces subjuguées & assujetties entierement à l'Empire Romain par Auguste, Nero Claudius Drusus, & par Germanicus; les unes representées gemissantes amerement leur infortune; les autres ayans les bras garrottez derriere le dos, font voir l'estat miserable de leur captivité; celles-cy ayans la teste panchée, & regardans fixement la terre, paroissent chagrines, mornes, dépites, ou stupides, accablees de l'objet d'une telle calamité; & les autres faisans contenance de ne regretter pas tant le changement de Seigneur; & toutes ensemble, ou partie d'icelles tiennent les armes propres & ordinaires de leur nation, comme arcs, flêches, carquois, javelots & bouchers faits à leur mode.*

ALBERTI RUBENII DISSERTATIO DE GEMMA AUGUSTEA.

Laudat Suetonius moderationem Cæsaris Augusti, quod *Templa, quamvis sciret etiam Proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romæque nomine suscepit.* Hinc in marmoribus antiquis sæpe legimus:

ROMÆ. ET AVGVSTO
CÆSARI. DIVI. F.
&, SACERDOS. PERP. ROM. ET. AVG.
in aliis: FLAM. ROM. ET. AVG.

Athenis quoque, antequam a Mahomete Turcarum Principe everterentur, vestibulo templi in arce inscriptum fuisse aiunt:

Ο ΔΗΜΟΣ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ.

Pari adulatione Herodes magnus, postquam urbem, Stratonis turrim ante nominatam, reparavit, & Cæsaream appellavit, templum ibi Augusto exstruxit, binaque in illo simulacra posuit, Τὸ μὲν Ῥώμης, τὸ δὲ Καίσαρος. ut Josephus tradit lib. 15. cap. 13. antiquitat. & uberius lib. 1. cap. 16. excidii. Καὶ τοῦ στόματος ἄντικρυς ναὸς Καίσαρος ἐπὶ γηλόφου κάλλει καὶ μεγέθει διάφορος, ἐν δὲ αὐτῷ Κολοσσὸς Καίσαρος οὐκ ἀποδέων τοῦ Ὀλυμπίασι Διὸς, ᾧ καὶ προσείκασται, Ῥώμης δὲ ἴσος Ἥρᾳ τῇ κατ' Ἄργος. quæ male versa a veteri interprete: *Contra ostium vero portus in colle, Cæsaris templum magnitudine simul & pulchritudine conspicuum, in eoque Cæsaris colossus, non minor quam Jovis apud Olympiam, cujus ad exemplar factus est, Romano autem par, & Junoni, quæ Argis est.* Nec melius Josephi mentem percepit Auctor librorum de excidio urbis Hierosolymitanæ, qui sub Hegesippi persona circumfertur lib. 1. cap. 35. *Et templi medio colossum constituit, Augusti nomine, velut simulacrum ipsius, quod non minoris magnitudinis foret simulacro Olympii Jovis, aut Junonis Argivæ.* Sed utraque hæc interpretatio longissime a Josepho abit: dicit enim ille, Colossum Cæsaris Olympico Jove non minorem, atque ad eamdem formam effectum fuisse; statuam vero urbis Romæ, æqualem magnitudine simulacro Junonis Argivæ. Porro ut colossus Cæsariensis Jovis Olympici specie formatus erat: ita in hac gemma Augustus σύνθρονος Romæ Jovi assimilatus est. Nam & Pedo Albinovanus ei viventi Jovis nomen tribuit in Elegia ad Liviam:

Nata quod es alte, quod fœtibus aucta duobus,
Quodque etiam magno consociata Jovi.

Habitum, quo Jupiter pingi solebat, describit Porphyrius apud Eusebium lib. 3. cap. 9. Præparationis Evangelicæ. Ἀνθρωπόμορφον δὲ τοῦ Διὸς τὸ δείκελον πεποιήκασιν, ὅτι νοῦς ἦν καθ' ὃν ἐδημιούργει, καὶ λόγοις σπερματικοῖς ἀπετέλει τὰ πάντα. κάθηται δὲ, τὸ ἑδραῖον τῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος. γυμνὰ δὲ ἔχει τὰ ἄνω, ὅτι φανερὸς ἐν τοῖς νοεροῖς καὶ τοῖς οὐρανίοις τοῦ κόσμου μέρεσιν ἐστί· σκέπεται δὲ αὐτῷ τὰ πρόσθια, ὅτι ἀφανὴς τοῖς κάτω κεκρυμμένοις· ἔχει δὲ τῇ μὲν λαιᾷ τὸ σκῆπτρον, καθ' ὃ μάλιστα τῶν τοῦ σώματος μερῶν τὸ ἡγεμονικώτατόν τε καὶ νοερώτατον ἐνοικεῖ σπλάγχνον ἡ καρδία. Βασιλεὺς γὰρ τοῦ κόσμου ὁ δημιουργὸς νοῦς· προτείνει δὲ τῇ δεξιᾷ, ἢ ἀετὸν ὅτι κρατεῖ τῶν ἀεροπόρων θεῶν, ὡς τῶν μεταρσίων ὀρνέων ὁ ἀετός· ἢ νίκην ὅτι νενίκηκεν αὐτὸς πάντα. Codinus in Constantinopoli: Ἄγαλμα πλάττουσι τοῦ Διὸς καθήμενον, ἔχον τὰ μὲν ἄνω γυμνὰ, τὰ δὲ κάτω σκεπασμένα· κρατεῖ δὲ τῇ μὲν εὐωνύμῳ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ἀετὸν προτείνει. Adde his, si lubet, Suidam in voce Ζεύς. Extant passim Græca & Romana numismata, in quibus Jupiter hac specie expressus cernitur seminudus, & inferiores tantum corporis partes peplo tectus, sellæ insidens, & sinistra sceptrum tenens, dextra aquilam aut victoriam protendens. Immo in Tarraconensium nummis, inscriptis (*a*) DEO AVGVSTO, ipse Augustus ita effictus est cum hasta & victoria, plane ut in hac gemma; præterquam quod non victoriam hic vel aquilam (quæ tamen sellæ apposita est) sed lituum dextra portat, ob auguratum nempe, quo omnes Romanorum Reges & Imperatores insigniti fuerunt. Romulum quidem Plutarchus affirmat augurem fuisse, & gestasse ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον. Virgilius de Pico Latii Rege:

Ipse

(*a*) *Apud Antonium Augustinum dialogo 7.*

Ipſe Quirinali lituo, parvaque ſedebat
Succinctus trabea.

Numa Pompilius, Ancus Marcius, Julius Cæſar, Auguſtus, aliique Cæſares in nummis antiquis ſæpiſſime occurrunt cum lituis.

Roma Dea, Auguſto aſſidens, Liviam vultu referre videtur: galeam, haſtam, clypeum & parazonium habet, prout a Claudiano & Sidonio Roma ipſa deſcribitur, & in priſcis monumentis, quæ in urbe, in hortis Cæſiis & ædibus Juſtinianeis ſuperſunt, etiam nunc ſpectatur.

Romæ & Auguſto ſuperpoſitus eſt in orbiculo Capricornus:

—— *In Auguſti felix qui fulſerit ortum.*

Suetonius cap. 94. *Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* In Genethliaco enim themate Auguſti, ſors Fortunæ (quæ ab antiquis Aſtrologis cenſebatur ὥσπερ σεληνιακὸς ὡρόσκοπος, velut *lunaris Horoſcopus*, a quo thema Athlorum deducebant) Capricornum obtinuit, ut optime pervidit Ptolemæus ſæculi noſtri Gotifredus Vendelinus qui in Commentario *De die natali Auguſti*, quem nobis propediem promittit, nodum hunc de Horoſcopo Auguſteo, magnorum hactenus virorum ingeniis inexplicabilem, feliciter diſſolvit. Atque illius ſane ſententiam egregie firmant nummi Auguſtei, nota hujus ſideris percuſſi, in quibus Capricornus plerumque gubernaculum, orbem & cornu copiæ præfert, ipſa nempe Fortunæ inſignia; de qua Lactantius lib. 3. cap. 29. Inſtitutionum Divinarum: *Nam ſimulacrum ejus cum copiæ cornu & gubernaculo fingunt, tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Immo etiam fortaſſis eandem ob cauſam, Capricornus hic orbiculo incluſus eſt: ſortem enim Fortunæ circulo decuſſato deſignant Aſtrologi; quia, ut Scaliger exiſtimat, ſortes omnes ligneæ vel eburneæ ita ſcalperentur. Genitus autem Auguſtus (ut hoc obiter hic dicam) non menſe Julio Juliano, in quem conveniſſe tunc Septembrem antiquum credunt Scaliger, Calviſius, Keplerus, & alii; ſed IX. Kal. Octobris ad Kalendarium Julianum reducti, paulo ante ſolis exortum, M. Tullio Cicerone, & C. Antonio Coſſ. Dies vero vigeſima tertia Septembris Juliani, ſeu IX. Kal. Octobris, incidit anno illo in XV. aut XIV. Kal. Novembris antiqui; qua die Cicero e ſomno excitatus a M. Craſſo, M. Marcello, & Scipione Metello, ac de conjuratione edoctus ex litteris ad Craſſum aliosque ſcriptis, prima luce convocavit Senatum; Octaviusque pater Auguſti, ob uxoris puerperium, ſerius in Curiam venit.

Sed hæc in anteceſſum dicta ſunto; alias enim de hac re agemus, Deo volente, annoſque Romanos veteres a Conſulatu Ciceronis & Antonii uſque ad reformationem Julianam, cum annis Julianis, quos fingimus ſemper fuiſſe, comparabimus.

A tergo Auguſti conſpicitur matrona turrito diademate, & velo tecta, quæ ſenem, nudum & vultu crinibuſque horridum, complectitur. Hunc Neptunum, illam Cybelen eſſe exiſtimo, a quibus Auguſtus laureo ſerto coronatur, ob victorias terra marique partas.

Adjacet his Agrippina Germanici, quæ dextro cubito ſolio Auguſteo innixa ſecuritatem populi Romani, hoc geſtu fere ſemper in nummis expreſſam, repræſentat, & ſimul hilaritatem generis humani ob felix Auguſti Imperium: qua de cauſa cingitur corona hederacea,

Læta quod pubes hedera virenti
Gaudeat.

Cornucopiæ quoque tenet, & puerulis nudis ſtipatur, ut Hilaritas in nummis Hadriani. Præterea ornata eſt circulo περιτραχηλίῳ, a quo aurea bulla dependet. Hoc genus ornamenti muliebris, Græci μηνίσκους, Latini *lunulas* appellabant. Ut enim Plutarchus ait in quæſtionibus Romanis [p. 288. B.], ubi de bullis puerorum agit: Τὸ φαινόμενον σχῆμα τῆς σελήνης, ὅταν ᾖ διχόμηνος, οὐ σφαιροειδὲς ἀλλὰ φακοειδές ἐστι καὶ δισκοειδές. De his lunulis Hieronymus ad caput tertium Iſaiæ: *Habent mulieres in lunulæ ſimilitudinem bullulas dependentes.* Et Baſilius: Μήνισκος τοίνυν κόσμος ἐστὶ χρυσοῦς περιτραχήλιος κυκλοτερῶς ἀπειργασμένος. Suidas μηνίσκους interpretatur πέταλα περιτραχήλια. Extat apud me Cleopatræ imago in gemma, ſimili omnino bulla inſignis, cum M. Antonii imagine in pectore. Livillam quoque Druſi, nec non Meſſalinam, eodem modo adornatas præferunt gemmæ veteres, quas Dux Bucquingamius a parente meo comparavit. Sed de his aliiſque ornamentis muliebribus latius alibi agam, Deo volente.

Ab altera ſellæ Auguſteæ parte ſtat Germanicus Cæſar, Agrippinæ maritus, paludatus

datus accinctusque, & læva manu capulum parazonii continens, nisi forte bulla triumphalis sit; nam in ectypo quidem liquido discerni non potest. Bullam autem inter insignia triumphantium enumerat Macrobius; & Germanicum triumphalibus ornamentis exornatum fuisse Dio testatur, ob strenue navatam in bello Illyrico operam.

Hoc bellum, quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, ut Suetonius ait, per 55. legiones, paremque auxiliorum copiam triennio gessit Tiberius; exarsit æstate anni ab Vrbe condita Varroniani 759. sive Periodi Julianæ 4719. M. Æmilio, C. Arruntio coss. & profligatum ac demum confectum fuit anno V. C. 762. Periodi Julianæ 4722. P. Sulpitio Camerino, C. Poppæo Sabino coss. Quo quidem tempore ob domitos Dalmatas & Pannonas, triumphus Tiberio decretus: Germanico autem, legatisque aliis triumphalia ornamenta concessa fuerunt. Sed nuntiata interim clade Variana Tiberius triumphum distulit: nihilominus urbem prætextatus & laurea coronatus intravit, atque statim ab Augusto in Germaniam missus fuit; ubi territo Arminio restituit rem, ut narrant Suetonius in Tiberio, Dio, Vellejus, & alii.

Ad istam de Dalmatis Pannoniisque victoriam, dilatumque a Tiberio triumphum, pertinere videtur hæc gemma, quæ Tiberium laureatum, & picta aut prætexta toga amictum exhibet e curru triumphali, cujus habenas Victoria moderatur, descendentem, ut nempe reparet fractas in Germania res, & Quinctilium Varum cæsasque legiones ulciscatur.

In segmento inferiori, Romani milites trophæum statuunt de Dalmatis ac Pannoniis. Clypeus trophæo aptatus, insigne Scorpii præfert, quod bellicosis illis Gentibus non male convenit. Manilius lib. 4.

Scorpius armata violenta cuspide cauda
In bellum ardentes animos & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem sanguine civem;
Nec præda quam cæde magis: quumque ipsa sub armis
Pax agitur, capiunt saltus, silvasque pererrant.

Captivi braccis, torquibus, cæteroque cultu Gallico adornati, Dalmatæ & Pannones sunt, quos Gallica etiam armatura usos Strabo tradit lib 7. Ὁ δ' ὁπλισμὸς Κελτικός. Omnes fere earum nationum in hoc bello Duces Tiberius in triumpho traduxit, quem demum egit anno V. C. 765. Ovidius:

Totque tulisse Duces captivis addita collis
Vincula, pene hostes quot satis esse fuit.

Velleius lib. 2. *Quippe omnes eminentissimos hostium Duces occisos fama narravit, sed vinctos triumphus ostendit.* Præcipui inter eos fuere Bato Dysiathes, & Pinnes. Vellejus: *Ferocem illam tot millium juventutem, paulo ante servitutem minatam Italiæ, conferentem arma, quibus usa erat apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se universam genibus Imperatoris, Batonemque & Pinnetem excelsissimos Duces, captum alterum, alterum a se deditum, justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero.* Et Pinnes quidem Batonis Breuci proditione in Romanorum potestatem venit, ut Dio auctor est l. 55. Ὁ Βάτων ὁ Βρεῦκος, ὁ τόν τε Πίννην προδούς. Ideo Barbarum, qui trophæo adsidet torvo vultu vinctisque post tergum manibus, Pinnetem esse suspicor. Alter, qui in genua procumbens supplicis modo manus tendit, quin Bato Dysiades sit, non dubito. Ille enim, post expugnatum a Tiberio Anderium, pacem petiit, & misso prius filio Sceva, incolumitatem pactus, se suosque Romanis tradidit; adductusque ad Tiberium pro tribunali sedentem, nihil quidem pro se deprecatus est, caput etiam tamquam abscindendum protendens; multa vero pro suis verba fecit, uti fuse narrat Dio. Tiberius enim post traductionem triumphalem, vita, veniaque ac ingentibus etiam præmiis donavit. Ovidius:

Totque tulisse Duces captivis addita collis
Vincula, pene hostes quot satis esse fuit.
Maxima pars horum vitam veniamque tulere,
In quibus & belli summa caputque Bato.

Suetonius in Tiberio capite 20. *Batonem Pannonium Ducem ingentibus donatum præmiis Ravennam transtulit, gratiam referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus esset evadere.*

RE-

REPRAESENTATIO
Triumphi Judaici celeberrimi, ac ſpoliorum *Templi Hieroſolymitani*, in *Arcu Titiano* Romæ conſpicua.

POſtremæ hæ Tabulæ expoſitionem uberiorem vix exigunt, cum res geſtæ, quas ob oculos ponunt, ſint notiſſimæ. Commendant ſe maximopere quod eleganter exprimant archetypa, unde pretium earum creſcet aliquando, ubi tempus edax rerum hæc magis magisque obliteraverit, a cujus injuria jam plurimum ſunt deturpata. Sufficiet nobis indicaſſe actum eſſe hunc triumphum anno U. C. 824. ſive poſt C. N. 71., cum eadem die triumpharent Imperator *Flavius Veſpaſianus* & filius *Titus*, qui Hieroſolymam devaſtavit, & glorioſiſſimam victoriam reportavit ab his, qui patrem & filium offenderant, ut loquitur *Oroſius* VII, 9. *Triumphavit* Titus Flavius Veſpaſianus *cum patre*, *cenſuramque geſſit una*, ut ſcribit *Suetonius* cap. VI. Fuſe deſcripſit hunc triumphum *Joſephus* de Bell. Judaic. lib. VII., qui cap. 5. 3. hæc addit: οὐ πολλῶν δ' ἡμερῶν διελθουσῶν, ἕνα καὶ κοινὸν ἔγνωσαν τὸν ἐπὶ τοῖς κατορθωμένοις ποιήσασθαι θρίαμβον καίπερ ἑκατέρῳ τῆς βουλῆς ἴδιον ψηφισαμένης. *Non multis autem poſt diebus, unum & communem triumphum ob res bene geſtas agere ſtatuerunt, quamvis utrique Senatus proprium decreviſſet.* Pergit deinde 5. ὁ Οὐεσπασιανὸς ἤλαυνε πρῶτος, καὶ Τίτος εἵπετο, Δομετιανὸς δὲ παρίππευεν. *Poſt fercula primus currum* triumphalem *agebat Veſpaſianus, & Titus ſequebatur, Domitianus autem adequitabat.* Hoc diſerto teſtimonio *Joſephi*, qui triumphum ipſe viderat *Vit.* 76.; confirmato tum per Titi *arcum*, tum *nummis* Veſpaſiani & Titi, in quibus non ambo ſimul in eodem curru repræſentantur, ſed vel Pater ſolus, vel Filius ſolus, refellitur *Oroſius*, qui putavit ad unum & communem triumphum unum etiam & communem currum triumphalem requiri; nam l. c. *Patrem & filium*, inquit, *uno triumphali curru vectos.* Coronam lauream, quam victoria ſuſtinet, ſtante Republica ſervus publicus ſuſtinebat. Roma, haſtâ galeaque inſignis equorum regit habenas. Horum colla aureis ac geminatis monilibus exornantur, quæ a ſuſpenſis lunulis lunata monilia dicebantur, *Statius* lib. IX. Thebaid. quibus etiam Circenſium equos exornatos videmus in lapidibus ac præcipue in quadrigis victorum factionis Venetæ muſiva pictura elaboratis. Biga enim ſacra erat Lunæ equeſtrium certaminum præſidi.

Altera tabula exhibet ſpolia a Judæis reportata, quæ triumphum comitabantur ac auguſtiorem reddebant. Viſuntur in ipſo arcu Titiano e regione triumphi. Adeo vero illa intuentium oculos percellunt, ut facile a quovis queant dignoſci. Sunt autem: menſa aurea, in qua panes propoſitionis reponebantur, at in qua nullos invenit Titus: acerra thuris aurea: tubæ ſacræ, & lychnuchus aureus celeberrimus. Hunc etiam plures numi exhibent in honorem Veſpaſiani cuſi cum hac epigraphe *Hieroſolyma Capta*, de quibus, & de ſpoliis ipſis, vide quæ notarunt viri docti Tom. II. hujus Theſauri Numiſmat. Imperat. Eques phaleris ornatus habet cingulum in pectore cum claviculis aureis. *Silius* Ital. lib. XV. vs. 255. *Phaleris hic pectora fulget.* Quirites alba veſte induti laureaque coronati & laurum manu ferentes currum præcedunt. *Juvenalis* Sat. X. 44. *Præcedentia longi Agminis officia & niveos ad frena Quirites.*

F I N I S.



